SANCTI
BERNARDINI
SENENSIS, ORDINIS SERAPHICI MINORVM,

SERMONES EXIMII
DE CHRISTO DOMINO,
AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ Sacramento, Deipara Virgine, de tempore, necnon de Sanctis.

TOMVS QVARTVS,
Ab innumeris mendis expurgatus.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN, & MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. L.
Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

ARGVMENTA, ET ELENCHVS SERMONVM.

Qui in hoc QVARTO TOMO DE QVADRAGESIMALI Euangelij æterni continentur.

SERMONES PRO FESTIVITATIBVS SANCTISSIMÆ & immaculatæ Virginis Mariæ.

De aliis

Sermo

DE SANCTIS

DIVI

DIVI BERNARDINI SENENSIS ORDINIS SERAPHICI MINORVM.

Sermones eximij de Christo Domino.

P R O L O G V S.

CVM Sermones tum de Christo Domino, quàm de augustißimo & ineffabili Eucharistiæ Sacramento, necnon de Deipara & immaculata semper Virgine Maria, de tempore, & de Sanctis, qui nullo interposito ordine, sparsim in nostri Bernardini Senensis operibus reperiuntur, non sine exigua lectorum nausea, & immenso concionatorum labore conquiri possent, cum non omnes tomus comprehendat vnus, nec suo festiuitas sequatur festiuitatem ordine, imo quæ prior, posteriorem, & quæ posterior, anteriorem locum sortiatur, idem iudicium de Dominicarum concionibus post Pentecostem ferendum est: ideo tibi non iniucundum imo gratißimum munus præstare arbitramur, si sparsim & in variis tomis sermones repertos, ad vnum collectos redegerimus, suum cuique locum & ordinem tribuentes, ita tamen quod ij qui sunt Christi Domini ordine, sicut & dignitate priores, conciones solemnitatum Deiparæ Virginis præcedent, quas dominicarum sermones ferè totius anni subsequentur, tandem quæ sunt de Sanctis quia paucißimi, hunc posteriorem tomum fine coronabunt fælici.

Sermones eximij de Christo Domino.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de triplici Natiuitate Christi continens tres articulos quorum primus, & secundus tria habent capita: tertius verò quatuor.

Articuli primi, de æterna generatione seu natiuitate Filij ab æterno Patre,

Cap. 1. De Patris & Filij coæternitate quæ in emanatione luminis denotatur.

Cap. 2. De Patris & Filij coæqualitate quæ in emanatione imaginis denotatur.

Cap. 3. De Patris & Filij consubstantialitate quæ in emanatione fluminis denotatur.

Articuli secundi, de Christi temporali natiuitate & quod qui eam non Deo tribuunt tripliciter aduersantur,

Cap. 1. Quod qui non credit Christum temporaliter natum, diuinæ bonitati quadrupliciter contrarius est.

Cap. 2. Quod qui non credit Christum ex Virgine natum, aduersatur largitati diuinæ.

Cap. 3. Quod qui non credit Christum nostram iam naturam assumpsisse, contra naturam diuinæ majestatis errat,

Articuli tertij, de tertia natiuitate secundum quam dignatur olim & nunc habitare in nobis,

Cap. 1. Quomodo terra sancta generat & parturit Iesum Christum.

Cap. 2. Quomodo beata Virgo Maria filium Dei genuit & parturiit.

Cap. 3. De modo quo deuota anima generat & parturit filium Deum Iesum.

Cap. 4. Quod sæpe matrimonium est causa magnæ pacis.

De triplici natiuitate Christi.

Sermo I.

VErbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. 1. cap. & in Euangelio hodierno. Sancti quippe Doctores, atque Philosophi naturales, verbum esse determinant cogitationem, quæ à mente concipitur. Hoc si quidem verbum nunquam innotescere potest, nisi iungatur signo vocis exterius sensitiuo, quod cum factum est per aurem ingrediens, audientis illabitur cordi. Ex his autem manifestè clarescit, quod mentis cogitatio siue verbum primo generatur in mente, consequenter in voce, tandemque in audientium corde. Ac per hanc similitudinem dicere possumus, quod verbum patris primò intelligibiliter, & insensibiliter ex eius

Verbum quid est.

Verbū mentis innotescit nisi signo sensibili.

Verbum 1 in mente gene-

Vatur consequens or in voce tandemque in auditum cordis.

mente æternaliter genitum in temporis plenitudine nostram carnem assumpsit: vt corporeis oculis visibiliter appareret. Quemadmodũ verbum ab humana mẽte formatum, vt auribus perceptiuum sit, vocem induit, seu assumit: sic & diuinũ verbum dicitur caro factum. Diuinum idem Verbum humana carne vestitum, per fidei auditum ad cor humanum pertransit: quemadmodum 10.c.ad Rom. Apost. ait: *Fides ex auditu, auditus autem per Verbũ Christi.* Ex his igitur clarescere potest, diuini verbi triplicem esse natiuitatẽ.

Triplex est Natiuitas Filij Dei æterna, corporea, spiritualis.

Prima est natiuitas æternalis, 2. est natiuitas corporalis, tertia est natiuitas spiritualis. Prima est ex paterna mẽte, secunda ex materna carne, tertia ex humano corde. Prima est ineffabilis, secunda est admirabilis, tertia est desiderabilis. Ineffabilis quidem est prima, sicut Isa. 53. cap. testatur dicẽs, *Generationẽ eius quis enarrabit?* Et Ecclesiast. 43.c. in fine ait: *Ne laboretis, non enim cõprehenditis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio?*

Isa 53. Eccl. 43.

Admirabilis est secunda. Quis enim non mirabitur; quod propter nostram dilectionem æternitas facta sit noua, immẽsitas parua, pulchritudo deformis, maiestas abiecta, sapiẽtia muta, fortitudo infirma, iustitia rea, & opulentia sit facta egena.

Propter nos maiestas Dei sublimis deprimitur. Tres substantiæ in Christo.

Sed tertia est desiderabilis. Quis enim nõ optet, filiũ Dei spiritualiter generare, & effici pater, & mater dilecti filij Dei. Sumunt autẽ hæ tres natiuitates, secundum tres substantias, quæ sunt in Christo, videlicet diuinitas, caro, & anima: Nam ex patre nascitur Deus, ex matre nascitur caro: sed in mente spiritus per gratiam generatur.

In mente Christus sæpe nascitur.

Porrò ex patre nascitur semper, ex matre semel: sed in mente oritur sæpe, secundum quippe natiuitatem diuinam Christus habet patrẽ sine matre, secundum humanam habet matrem sine patre: sed secundum gratuitam habet patrem & matrem; sicut Matth. 12. testatur Dominus, dicens: *Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & mater, & soror est.*

Matth. 12.

Tres Christi natiuitates hodie ab ecclesia repræsentantur.

Has tres natiuitates repræsentat Ecclesia in præsenti solennitate. Primam scil. æternalẽ in missa, quæ cantatur in hac nocte. Est enim humano intellectui hæc natiuitas, incomprehẽsibilis, & occulta, vt. 1. Tim. 6.c. Apost. attestatur, dicens: *Habitat lucem inaccessibilem* Et iterum Propheta ait: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius* Secunda, scilicet temporalẽ repræsentat in missa, quæ cantatur in aurora, eoquod partim fuit occulta, partim manifesta.

1. Tim. 6. Psal. 138. Modus Incarnationis occultus.

Occulta quippe quantũ ad incarnationis modum. De quo Io. Bap. Mar. 1.c. ait. *Cuius non sum dignus, vt soluam corrigiã calceamẽti.* Manifesta vero quantũ ad factum, de quo Luc. 2.c. ait: *Impleti sunt dies Mariæ vt pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio.*

Mar. 1. Luc. 2.

Tertia vero signatur in missa, quæ cantatur in die, quia spiritualis natiuitas irradiatione sua in anima elucescit, quemadmodum Isa. 58. cap. testatur dicens: *si abstuleris de medio tui cathenam;* sequitur: *Tunc orietur in tenebris lux, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Has denique tres natiuitates Ioannes Euangelista in verbo proposito per ordinem ponit, dicens: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* In quibus sacratissimis verbis; Primò ponit natiuitatem æternalem; cum ait: *Verbum*, secundò addit natiuitatem temporalem, cum inquit: *Caro factum est*, tertiò verò, subdit natiuitatem spiritualem, cum addit, *& habitauit in nobis.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De æterna generatione, seu natiuitate filij ab æterno patre.

Verbum quid est.

PRima est natiuitas æternalis, hanc exprimit Ioan. in hoc termino, *Verbum.* Ad cuius intelligentiam aduertendum est, quod illud dicitur verbum, quod mens cogitat de quacunque re, siue de seipsa, siue de alia intra se, hoc est de his, quæ intra se sunt. Propter quod Ecclesiast. 27. Verbũ dicitur ex cogitatu humani cordis.

Ecclesi. 27.

Non est verbum ipse cogitandi, seu concipiendi actus: sed id, quod tali cogitatu concipitur, dummodo verum sit, quod apprehenditur. Nam in falsis cogitationibus verbum non est formatum, secundum August. 15. de Trinitate, verbi causa, Cum intellectus noster, quid est homo per actum intellectus, siue cogitationis concipit, seu cognoscit, quod est animal rationale, ille conceptus, scilicet animal rationale, est verbum, quod mens sibi format de homine, atque mens ipsa est tanquam parens; conceptus autem siue verbum, sicut proles est. Ex quibus patet, quod huiusmodi verbi generatio, nõ est carnalis: sed tota dignoscitur spiritualis.

Quomodo ratio verbi ad diuina transfertur.

Vt autem intelligas, quomodo ratio verbi ad diuina transferatur audi August. 15. de Trinitate, 41.c. vbi ait: Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione inuoluantur, hoc est enim quod ad nullam pertinet linguã earum, s. quæ linguæ appellantur gentium, quarum nostra Latina est. Quisquis inquam hoc intelligere potest, iam potest videre per hoc speculum, atque in hoc ænigmate aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Ioan. 1.

Necesse est enim cum verbum loquimur, & id quod scimus loquimur, quòd ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit omnino, cuiusmodi sit illa scientia, de qua nascitur.

Vnde verbũ nascitur.

Formata quippe cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus, quod nec Græcum est, nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius. Sed cum id opus est, in eorum quibus loquimur proferre notitiam, aliquod signum, quo significetur, assumitur. Et plerunque sonus, aliquando & nutus: ille auribus, iste oculis exhibetur: vt per signa corporalia etiam corporis sensibus verbũ, quod mente gerimus, innotescat: nam & innuere quidem, nisi quodammodo visibiliter diceretur. Hæc ille. Ex his igitur patere potest, quod secundum hunc modũ dicere possumus, quod mens diuina suam considerando essentiam, non cogitando: sed simpliciter intuendo, de seipsa quendam conceptum gignit, in quo tanquam in speculo resplendet essentia eius, & in quo tota illius perfectio præsentatur.

Diuinus conceptus Verbum Dei nuncupatur. Psal. 44.

Talis quippe diuinus conceptus verbum Dei verissimè nuncupatur, ac vnica, & perfectissima proles paternæ mentis. Et de hac æternali generatione in persona patris Propheta inquit: *Eructauit cor meum verbum bonum.* Tanta enim perfectione filius dicitur verbum patris, quod nullo modo Spiritui sancto, vel alteri attribui potest.

Filius ita Verbum est Patris quod Spiritui sancto nullo modo potest tribui. Apoc. 19.

Non enim dici potest verbum de verbo. Nam, sicut inquit Augustinus contra Arrium, Sicut est filius Deus de Deo, lumen de lumine, vita de vita: sic non potest dici verbum de verbo: quoniam solus filius est verbum. Proinde Apocalyps. 19. scriptum est, quod vocabatur verbum Dei ille, qui in vestimento, & fœmore suo habebat scriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* In huius igitur verbi generatione est filij cum patre primò coæternitas, secundò coæqualitas, tertiò substantialitas.

Tria sunt in generatione verbi. Egregia similitudo ad cognoscendã verbi diuini emanationem.

Proinde hæc generatio verbi est. Primò sicut emanatio luminis, secundò sicut emanatio imaginis, tertiò sicut emanatio fluminis. Primò emanatio luminis intelligi facit ipsius verbi ad patrem coæternitatem, secundò emanatio imaginis eius ad patrem coæqualitatem, tertiò emanatio fluminis intelligi facit eius ad patrem consubstantialitatem. Et hæc tria altiuidus ille Ioannes altissima contemplatione subuectus, irradiatus expressit, cum in initio Euangelij sui ait, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

De Patris, & Filij coaeternitate, quæ in emanatione luminis denotatur.

CAP. I.

In Verbi generatione est filij cum Patre coæternitas.

PRimò in huius Verbi generatione est filij cum Patre coæternitas: quia est sicut luminis emanatio. Et hoc quidem facit intelligi ipsius ad Patrem coæternitatem. Non enim est sine lumine Sol, nec sine lumine flamma, sed mox vt est Sol, aut flamma, lux quoque existit: vt si Sol esset æternus, lux etiam esset æterna. Sic autem cum Pater fuerit ab æterno, nec otiosus: sed suam considerando essentiam de, ea sibi Verbum coæternum concepit. Vnde Augustinus super Ioan. homilia 34. inquit: Da mihi flammam sine luce, & dabis mihi Patrem sine Filio. Huius autem verbi cum Patre coæternitas à Ioanne in prima clausula demonstratur, cum dicitur: *In principio erat Verbum*, idest in ipso Deo, qui ab omnibus supponitur primũ principium. In principio inquã ante quod nihil, quod ante omnia subsistebat: à quo omnia suis rationibus prouenerũt. In principio non cõprehensibilis ab homine puto: vt æternitas credatur ex dicto. Neque hoc verbum situatum erat in loco, & modus essẽdi eius erat ab omnibus segregatus.

Declaratur illud in principio erat Verbũ.

Vel dicimus: *In principio erat Verbum*, idest in principio temporis iam erat, scilicet iam paterna proles paternæ mentis, quod autem erat ante tempus præerat. Cum igitur ante tempus noo fuerit, nisi æternum: manifestè intelligitur, quòd Filij ad Patrem coæternitas fuit. Et hoc probat August. in primo de Trinitate assumens illud Isai. 43. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit*: hoc est pater non est antequam filius: & filius oon est antequam pater: quia nec priorem habet filios, nec posteriorem habet etiam ipse pater.

In Trinitate non est prioritas temporis.

Iterum quoque Propheta in persona filij ait: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*: quasi dicat, secundum Alexand. de Ales super Psal. *Dominus* scilicet pater, *dixit ad me, filius meus es tu* hoc est, pater me genuit filium suum. Verbum enim cum patre dicitur generari.

Psal. 2. recte explicatur.

Eccl. 24.

Proinde Ecclesiastici 24. Ipse filios ait: *Ex ore altissimi prodij*, & addit; *Ego hodie genui te*. vbi notãter aduertendum est, quod non dixit: Ego olim genui te: quia sic videretur tota hæc generatio præteriisse. Neque insuper ait: Ego hodie gigno te: quia sic videretur recens esse: cõuenientius igitur ait: ego hodie genui te: vt per hodie exprimeret generationẽ illam non præteriisse, & per genui, noo recenter inchoasse.

Psal. 109.

Cum hoc quoque concordat, quod alibi Propheta inquit: *Ante Luciferũ genui te*, id est ab æterno, & sic par filij ad patrem coæternitas demõstratur.

Mich. 5.

Ad hoc etiam Michææ 5. cap. ait: *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Quia: vt Athanasius in symbolo ait: Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritussanctus. Et iterum Hugo de Sancto Victore in libro de Trinitate ait: Certè radius Solis de sole procedit, & Soli tamen coæuus existit: ex quo enim fuit de se radium producit, & sine radio nullo tẽpore fuit.

Quod perfectum in natura creata est Deo seclusa imperfectione tribuendum.

Si ergo lux ista corporalis habet radium sibi coæuum, cur oon habet illa lux spiritualis, & inaccessibilis? Insuper in eodẽ libro Richard. ait: In natura creata legimus, quod de increata pensare debemus, Videmus quotidie, quomodo naturæ operatione subsistẽtia existentiã produxit, & existentia de subsistentia procedit. Nunquid in illa superexcellenti natura operatio naturæ nulla erit? Nunquid natura illa, quæ huic naturæ fructus fœcunditatis donauit, in se omnino sterilis permanebit? & quæ aliis generationem tribuit, nunquid sterilis erit, sicut dicitur Isai. vlt. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, dicit Dominus*. Et loquitur ibi de generatione æterna, vt ait glossa.

Isa. vlt.

Ex his patet, quòd filius per generationem habet cum patre coæternitatem, quæ in emanatione luminis demonstratur.

De Patris, & Filij coæqualitate, quæ in emanatione imaginis designatur.

CAP. II.

SEcundò autem in huius Verbi generatione est Filij cum Patre coæqualitas: quia est sicut emanatio imaginis. Et hoc quidem intelligere facit eius ad Patrem coæqualitatem: imago enim apertè hoc manifestat, cuius scilicet est imago, atque omnem bonitatem illius hoc excepto, quod non habet realitatem.

Quod, filius sit patri coæqualis declaratur.

Nam si realitatem haberet, profectò omnimodam haberet æqualitatem: quod sic clarescere potest; imago vniuscuiusque hominis pulchri resultans io speculo, totam eius pulchritudinem repræsentat, & æquè delectat aspectum pulchritudo, quæ est io re, & quæ in imagine ipsa relucet. Totus enim ipsius decor viuificus, atq; venustus color, siue cãdor, siue rubor, siue nitor, seu quæcũq; alia pulchritudo io ea refulget; vnũ, solum realitas scilicet deficere cõprobatur. Proinde ad eius omnimodam æqualitatẽ noo attingit. Nam si huiusmodi imago haberet realitatẽ omnimodã, æqualitatẽ haberet: sed quia habet varietatẽ, non habet æqualitatem.

Pater tantũ Verbum genuit quãtus ipse est.

At noo sic de Verbo, quod pater de diuina essẽtia concipit: quia quicquid est in patris essẽntia, & virtute omnimoda, & bonitate plenissimè repræsẽtat. Nam pater tantũ Verbum genuit, quantus ipse est. Hoc etiam verbum habet realitatem: quia substantiã habet, & ideo omnimodã æqualitatem habet, & veritatem. Vnde August. de vera religione, ostendit quod filio attribuitur æqualitas: quia à paterna imagine in nullo deficere potest, ac per hoc veritas nũcupatur, eo quod ad perfectam æqualitatem accedit. Huius Verbis æqualitatẽ notat Euangelista Ioan. in clausula subsequenti, cum ait: *Et Verbum erat apud Deum*. Non appositiue, aut aliqua diuersitate subsistendi, quoniam erat idem quod ille, apud quem erat. Porrò hæc præpositio, *apud*, denotat æqualitatem: quia quod apud est, vel iuxta, non est supra, vel infra. Sic Verbum, idest filius, apud patrem esse dicitur: quia nec supra ipsũ, nec infra ipsum est, quoniam per omnia illi æqualis est.

De Patris, & Filij consubstantialitate, quæ in emanatione fluminis indicatur.

CAP. III.

TErtiò in huius Verbi generatione est filij cum patre consubstantialitas: quia est sicut emanatio fluminis: & hoc facit intelligere filij ad patrẽ consubstantialitatem.

Quod filius patri est cõsubstãtialis.

Vna quippe est aqua fluminis, atque fontis. Cum enim flumen continuatur footali vena verisimile dici potest, quod vna est aqua fluminis, atque fontis. Nam vbi est continuitas, ibi naturæ est vnitas, & per consequens consubstantialitas: & non differunt flumen, & fons, nisi per originem: quia videlicet hoc ab illo, scilicet flumẽ à fonte vna eadẽ substantia aquæ io vtraque est: Sic est in generatione verbi ex paterna mẽte. Noo enim differunt pater, & filius, nisi secundũ originẽ: quia scilicet filius est à patre, sicut flumẽ à foote. Vnde fons est sicut pater, & flumen est sicut proles.

Differunt pater & filius secundum originem.

Huius igitur verbi ad patrẽ consubstãtialitatem notat Beatus Ioan. in tertia clausula, cum subiungit: *Et Deus erat verbum*, idest verbum erat Deus. Ac si apertè dicat: Verbum à paterna mente genitum non habet varietatem, sicut habet humanum verbum, quod quidem substantialitatẽ non habet: quia existentiã non probatur habere. Nam verbũ, quod ab homine conceptum est, noo est homo: verbum autem, quod Deus de natura diuina concipit, Deus est: quia Deus erat verbũ. Vterque, scilicet pater, & filius, Deus est, sicut fons, & flumen aqua verissimè dici potest. Porrò diuinum Verbum est quid subsistens in diuina natura.

Verbum diuinum subsistens in diuina natura.

Natuta vero diuina minime multiplicabilis est, eo quod nullo modo est, nisi vna, atque simplicissima. Proinde oportet, quod verbũ, & principium, à quo est verbum, sint idem

penitus in natura, quamuis distinguatur in persona. Et hoc est dicere, *Et Deus erat Verbum*: vt ponatur li Deus à parte prædicati, dicendo: Verbum est Deus, Nam nomina & verba transposita, idem significant: quasi dicat Ioannes; Quamuis verbum sit apud Deum, non tamen est aliquid extraneum naturæ diuinæ, quæ inuisibilis est: & ideo est idē omnino in seipso, & patre.

ARTICVLVS SECVNDVS,

De Christi temporali natiuitate, & quod qui eam non credunt, Deo tripliciter aduersantur.

SEcunda est natiuitas temporalis. Et de hac Ioan. subdit, *Caro factum est*. Annis videlicet solaribus ab origine mundi. His septem, factum est caro de carne, factum est in carne, factum est infra carnem, factū est supra carnem, factum est propter carnem, factum est præter carnem, factum est contra carnem. Conuenerunt in vnum creator & creatura, factor & factura, Deus & homo, redemptor & redemptus, captiuitas & redemptio, pretium & emptus, amor & amatus, mors & vita, nobilitas & abiectio, diues & pauper, iudex iustus, & iniuste damnatus, liberans & liberandus. Mutata sunt naturæ iura: vna est mater & virgo, vnus est Deus & homo. In vnum conuenerunt æternum, antiquum, & nouum: substantia diuinalis in tribus distincta personis, substantia spiritualis in tribus creata potentiis, substantia corporalis in quatuor elementis vnam efficit personam, sicut tres personæ diuinæ habent vnam substantiam. Nobilior profectò facta est humana natura in eo, quod à Verbo assumpta est, quam in eo quod beatifica erit, cum in vno nobilitas, in altero fœlicitas attendatur. Vnde magnus Theologus Apostolus Paulus magis studuit infigere mentibus hominum nobilitatem, quam ipsam fœlicitatem, cum ad Hebr. 2. c. ait: *Nusquā Angelos apprehēdit; sed semen Abrahe*, & ad Rom. 1. c. iterum dicit: *Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*. Quā Angeli sic venerantur in supernis: vt à modo conseruos dicāt homines, qui morātur in terris, cum non acceptauerint Ioannis reuerentiā, quando Apocal. 19. c. vnus Angelus ei dixit: *Vide, ne feceris: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum habentiū testimonium Iesu*. Excedit ingenij facultatem, atque facundiam humani eloquij, quod non satum in Virgine nascatur ex virgine. Proinde taciturnitate potius opus esset, quam dissensione verborum, vbi à grandi materia intellectus obruitur, & Angelicus insuper superatur. Quid enim est, quod fari gestit homo mortalis, nisi quod in tēpore venit æternitas, immensitas in mensurā, creator in creaturam, Deus in hominem, vita in mortē, beatitudo in miseriā, impassibilitas in pœnalitatem, incorruptibilitas in corruptibilitatē, infigurabilis in figuram, inenarrabilis in sermonem, inexplicabilis in linguam, incircunscriptibilis in locum, inuisibilis in visionem, inaudibilis in sonum, insolfabilis in odorem, ingustabilis in cibum, impalpabilis in tactum, Dominus in seruitutem, Imperator in vile obsequium, libertas in mancipium, liberator in pretium, sanitas in ægritudinem, satietas in famen, fons in sitim, continens in contentum. Artifex ingreditur in artificium suum, longitudo in breuitatem, latitudo in angustum, sublimitas in imum, nobilitas in ignobilitatem gloria in confusionē: vt ista simul in isto ineffabiliter nato consisterent, nec vnum opprimeretur ab altero, neque alterum ex altero pelleretur, donec in humanæ redēptionis consūmato mysterio, omni pœnali deposito, in carne duntaxat resurgeret gloriosus, cœlosque triumphaliter penetraret. Ex his igitur patet ratio, quod valde remotū est ab intellectu humano, & improbabile multum, humanatio, seu incarnatio filij Dei. Proinde huic incarnationi multi cōtradixerunt, & etiā contradicunt. Ad quorum infidelitatem, & procacitatem, & proteruiam conuincendā ostendamus, quod verisimile Verbum caro factum est. Non enim aduertunt tales, quod eorum infidelitas Deo tripliciter aduersatur: quia hoc est; Primò contra naturā diuinæ bonitatis, secundò contra naturam diuinæ largitatis, tertiò contra naturam diuinæ maiestatis.

Mutata sunt naturæ iura in Christi natiuitate.

Incarnatio Verbi potius cum taciturnitate quā expressione verbi colenda.

Ineffabile mysterium incarnationis.

Deo tripliciter aduersatur, qui Christi dominii temporalem natiuitatem non credit.

Quòd qui non credit Christum temporaliter natum, diuinæ bonitati quadrupliciter contrarius est.

CAP. I.

PRimò quippe talis infidelitas est contra naturam diuinæ bonitatis: quia tales Dei bonitatem blasphemant, dum eam laudare se putant. Blasphemat enim ea non in fonte quidem, & radice sua: sed in ramo maximo, & deriuatione ipsius, dum de fonte largitatis diuinæ tantum donum negant potuisse, procedere, ac de fonte misericordiæ tantam eleemosynam abundare, insuper & de diuino abyssali fonte bonitatis tātam vndam potuisse effluere, ac de immensa fornace illa, & camino charitatis diuinæ tantum flammam potuisse emicare. Absque dubio his quatuor modis fontis vniuersitatem nefariè blasphemant. Et primò, quia inundationi eius mensuras, & limites ponunt. Necesse est enim fontem, cui non est mensura, neque numerus, cui non finis, neque lines, neque terminus est similem inundationem habere, cum voluerit eum liberum habeat effluere, prout voluerit, & de hoc Propheta ad Dominum ait: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Ait enim: Apud te est fons vitæ, id est tu Deus es fons vitæ, seu indeficiens, & infinita vita. Et ad bibendū fidem, & credulitatem huius incarnationis inuitat omnes Dominus, Ioan. 7. c. dicens: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat*. Huius incarnationis fidelem sitim patiebatur alibi Propheta, dicens: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciē Dei*. scilicet humanati, & addens superius Propheta subdit: *Et in lumine tuo videbimus lumen*, id est in te cognoscamus te, scilicet esse fontem infinitæ largitatis. Vnde effluere cognoscamus humanitatem filij tui, vel humanationem. Secundo quoque blasphemant huiusmodi infideles: quia in iniuriam magnitudinis misericordiæ Dei attenuant eleemosynam eius scilicet non credentes, quod possit dare filium suum mortalem in nostram redemptionem, contra quos Ioan. 3. scriptum est: *Sic Deus dilexit mundū: vt filium suum vnigenitū daret*, sc. propter magnitudinē misericordiæ suæ. De hoc quoque Propheta Deo gratias agens, in persona fidelis animæ ait: *Benedictus Dominus quoniam mirificauit*, id est mirabilem ostendit *misericordiam suam*, scilicet assumendo humanam naturā ad diuinū verbū, mihi, idest ad vtilitatē meā, in ciuitate munita, id est mūdo, qui munitus est septemplici muro, idest septē capitalibus vitiis: sicut Hierico munita erat contra filios Israël. Tertio insuper blasphemant: quia contra infinitatem, & diuitias diuinæ bonitatis diminuunt eius donum, scilicet Christum nobis à Deo datum in refugiū nostrū, contra quos iterum ad Dominum Propheta ait: *Deus noster, refugium & virtus*. scilicet nobis est Cum enim ait, *Deus*, tangit diuinam naturam: cum verò addit, *noster*, tangit naturam humanam. Vnde glossa, noster, idest, nobis communis carne assumpta: vnde Christi plura leguntur nomina. Noster est tamen, quasi proprium nomen ei, secundum quod homo: vt ait Alex. de Ales super hunc locum: vnde Ierem. 23. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*. Et Isai. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*. idest nobiscum Deus, scilicet per naturam. Vnde cum per essentiam, & per inhabitantem gratiam sit cum Angelis, sicut nobiscum non tamen est cum eis per assumptam naturam, sicut nobiscum est. Vnde ad Hebr. 2. c. Apostolus ait: *Nusquam Angelos apprehendit: sed semen Abrahe*. Vnde quidam religiosus in extremis laborans

Qui non credit Christum natū blasphemat 4. blasphemia.

Primo blasphemat.

Psal. 35.

Ioan. 7.

Psal. 41.

2. blasphemat.

Ioan. 3.

Psal. 30.

Tertio blasphemat.

Psal. 45.

Christus pluribus de causis noster est.

Ierem. 23.

Isa. 7.

Hebr. 2.

laborans,cum iam arcana Dei videret, ait se non velle esse Angelum: quia habiturus erat humanitatem Deo, & sibi communem. Et addit Propheta. *Et virtus*, scilicet vt possint in fide persistere sancti. *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*. Quarto blasphemant: quia manifestum est ex prædictis, quod contra immensitatem fornacis charitatis diuinæ metiuntur eiusdem flammā, quæ tamē immensurabilis est in se: hunc quoque for[illegible]cum, & immensurabilem ignem diuini amoris in myste[illegible]o intelligens fidelissimus Moyses, Deu. 4. cap. ait: *D[illegible] tuus ignis consumens est*: quia Dominus Deus noster in Christo humanam naturam ad personalem vnionem assumens, quodammodo fornaceo suo ardore consumpsit eam. Hæc fuit illa immensa dilectio, de qua Cant. vlt. scriptum est: *Fortis est, vt mors [illegible], [illegible] sicut infernus æmulatio*. Mors quippe totum hominem aufert sibiipsi, & in ius alterius transire facit. Sic fortis dilectio Dei cor sibi astulit, & in potestatē humani generis transtulit. Et sicut qui in inferno est, in potestate sua non est, nec insuper resilire potest: sic immensitas diuini amoris in assumptione humanæ naturæ sic in illius potestate se posuit, quod ab ea assumpta quodāmodo resilire non valet: vt indiuisibili, & inseparabili vnione vna persona assumpta, & assumens diceretur, & esset. Inundationē igitur copiositatis fontis abyssalis bonitatis diuinæ in contumeliam eius restringunt huiusmodi infideles, cum Incarnatio filij, primo vt dictum est, sit velut donum de diuitiis diuinæ largitatis humano generi elargitum: & secundo velut eleemosyna de immensitate misericordiæ Dei ei liberaliter erogata: & tertiò velut vnda diuinæ bonitatis super genus humanum emanans; ac quartò velut flamma de camino, & fornace diuinæ dilectionis emicans ad inflammandum, & comburendum innumerablilia millia millium frigidorum mundorum.

4. blasphemat.

Charitas Dei immensurabilis. Deut. 4.

Cant. vlt.

Vis amoris diuini maxima.

Incarnationis magnitudo.

Quòd qui non credit Christum ex Virgine natum, aduersatur largitati diuinæ.

Cap. II.

SEcundò hæc infidelitas est contra naturam diuinæ largitatis. Ex bonitate quippe sequitur largitas ex natura. Cum enim Deus infinitæ sit bonitatis, profectò necesse est, quod infinitæ sit largitatis. Luc enim 18. cap. Dominus ait: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Quod sic intelligi habet. *Nemo bonus*, scilicet essētialiter: quia bonitas est sua essētia. Insuper est bonus ex se, non ab alio bonitatem habet. Item affectiuè est bonus: quia omnis alia bonitas ab eo est. Puta est bonus perfectè, quia nihil mali, seu defectus aut diminutionis inuenitur in eo. Et sic nemo bonus, nisi solus Deus. Nam etsi boni sunt Angeli, & boni sunt homines: tamen participatione bonitatis illius boni sunt, & sicut omnia alia bona eius participatione bona sunt. Denique omnia, quæcunque in natura suæ bonitatis sunt, sunt quoque in natura suæ largitatis. Sed aduertant huiusmodi cæci & infideles, quod omnis fons iuxta suæ copiositatis modū emanare probatur. Et omnis largitas iuxta modū suæ possibilitatis atque diuitiarum dignis, & indigentibus elargitur. Et omnis numerus iuxta possibilitatem facultatum in pauperes, & miseros se profundit: & omnis ignis luminositatem suam inflammans in receptibilia pro suæ virtutis modo se diffundit. Et generaliter oculis suis, si tamen oculos habere dicēdi sunt, vbique hoc cōspiciunt, quod vnaqueq; natura iuxta suæ virtutis modū largæ virtutis est, & operationis suæ in omne receptibile illius, inquantum potest, quantuncúque permittitur, sicut manifestè patet in sole, qui totam qua potest luminositatem suam atque calorem circunquaq; diffundit. Denique huiusmodi infideles ad hāc dementiā deuenerūt, vt in fonte largitatis denegēt largitatem, quam tamen oculis suis vident: & in omnibus riuulis creaturam eius. Hos penitus mendaces facit, atque ostendit vniuersitas creaturum largitate sua, atque perfusione contra eos proclamans, & prædicans, atque testificās creatoris multimodas largitates: quoniā largitas ipsarum creaturarū non est, nisi indicium, atque testimonium largitatis ipsius fontis: de quo omnes creaturæ hauriunt, vt largæ sint & gratis opere largiantur. Insani, & miseri atque miserabiles multum non aduertunt, quid minima stilla pietatis eius operata sit in multis virorum sanctorum, videlicet vt se venderent pro aliquorum redemptione, & se captiuitati addicerent pro liberatione eorum, sicut patet de Paulino Nolano Episcopo, qui pro filio viduæ liberādo in captiuitatē se dedit, sicut beatus Gregor. attestatur in dialogis. Legitur quoque de Ioanne Eleemosynatio, quod pro pauperum sustentatione vendidit semetipsum, & seruū cuiusdam aurifabri se fecit. Idem quoque plurimi alij fecisse leguntur. Quid igitur mirum, si fons totius pietatis, bonitatis, & largitatis tale quid facere potuit in Rege gloriæ, & Domino sæculorum? Puta si scintillula dilectionis homo potest in matre, vt scilicet pro liberando filio submerso, det se submersionis periculo, saliens in aquam post filium: quid debuit facere caminus infinitæ dilectionis, & fons immensæ charitatis in Deo, qui charitas est, pro liberatione totius humani generis in abyssum perditionis submersi? Amplius, quis pastor eo modico, quod haber amoris ad suas oues non dat semetipsum in periculum, pugnans contra leones, & lupos, atque alias bestias suo gregi nociuas, & inimicas? Et hoc tanto promptius quanto ipse melior fuerit atque fidelior. Quid igitur mirum, si Deus, qui charitas est, & vnicus fons amoris, vidēs lacerari, atque dilaniari gregem suum, & ab infernalibus bestiis vndique deuorari, descēderit aduersus eas in pugna, qualem decuit, & opus fuit? Similiter, quis rex videns ciuitatem suam, & regnum ab hostibus suis vastari, populumque suum cateruatim trucidari, & captiuari, non aduersus eos consurgat in prælium? Et hoc tanto facilius atque libentius, quanto ipse fuerit sanctior atque iustior: tantoque honorificentius erit, quanto fuerit sublimior potestate. Regalis enim officij impletio non solum honori regio non detrahit, sed etiam illum adauget, & ampliat atque illustrat. Quid igitur decuit facere regem regum, & Dominum dominantium: immò quid debuit ex regali officio, videns tantam stragem, & partem regni sui humanum, scilicet, genus diripi, & vastari, & ab hostibus suis infernalibus captiuari? An non debuit in tanto discrimine regni sui regale implere officium? Quod quidem est pugnare pro regno. Quid igitur mirum, si se accinxit ad prælium, vt contra hostes dimicaret pro regno, & hoc prout lex illius certaminis exposcebat.

Deus infinitæ bonitatis. Luc. 18.

Deus omnibus modis bonus.

Creatura participatione sui bona.

Agens naturale agit ad extremū de potentia.

Deus liberalissimus.

Multorum sanctorum maxima charitas.

Maxima est Dei in homines charitas.

Regij officij executio illud adauget & illustrat.

Quod qui non credit Christum nostram iam naturam assumpsisse, contra naturam Diuinæ maiestatis errat.

Cap. III.

TErtio hæc infidelitas est contra naturam diuinæ maiestatis: Nam si quis obiiceret quod non oportebat propter hoc vsque ad nostram miseriam diuinā maiestatem illamq; ad personalem vnionem assumere: nos iam respondebimus, quod increduli eo ipso, quod credūt se honorare Deū, contumeliam ei inferunt, & aduersus eum blasphemant. Nam magnitudo Domini, honor est dantis: & magnitudo eleemosynæ, honor est erogantis: & magnitudo flammæ honor est camini, seu fornacis: & magnitudo inundationis, honor est fontis. Quoniam ergo beneficium Incarnationis filij Dei donū est diuinæ maiestatis & largitatis, quo maius in thesauris Dei inueniri non potuit: & eleemosyna qua miseriæ generis humani saluādi atque releuādi efficacior, atque conuenientior cogitari non potuit: & flāma diuinæ charitatis, qua calefaciendo atque viuificando generi humano, de camino, & fornace diuinæ dilectionis ardentior, siue

Magnitudo doni honor est dantis.

Incarnatio maximum donum.

Nihil efficacius incarnatione pro

feruentior emicare non potuit. Similiter & inundatio, qua de fonte aquarũ viuentiũ lauando generi humano, & extiguendis eius incẽdiis efficacior emanare non potuit: patet quod in iniuriã, & contumeliam ipsius fontis vniuersalis bonorum beneficium incarnationis Dominicæ increduli negãt, cum honor fontis sit magnitudo, & magnificentia emanationis eius. Ex his omnibus patet, quod vere *Verbum caro factum est.* Quia hoc potuit, & decuit diuinam bonitatem, diuinam largitatem, atque diuinam, & mirificam maiestatem.

malis nostra sublenandu.

ARTICVLVS TERTIVS.

De tertia Christi Natiuitate, secundum quam dignatur olim, & nunc habitare in nobis.

Tertia est natiuitas spiritualis. Et de hac Io. subdit, *Et habitauit in nobis.* Et de hac mysticè Apoc. 12. c. scriptum est: *Signum magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarũ duodecim, & in vtero habens, & clamabat parturiens & cruciabatur, vt pariat.* In quibus sacratis verbis triplex mysterium exponi potest. Primum de sancta Ecclesia, secundum de beata Maria, tertium de deuota anima.

Apoc. 12.

Quomodo Ecclesia sancta generat, & parturit Iesum Christum.

CAP. I.

Primò exponitur hoc mysterium de sancta Ecclesia, quæ in muliere signatur, de qua tria consideremus. Primò mulieris signum, secundò mulieris ornatum, tertiò mulieris fructum seu partum. Primò inquam consideremus huius mulieris signum. Circa quod aduertendum est, quod sancta Ecclesia per figuram mulieris mysticè demonstratur. Nam sicut mulier suscepto semine viri prolem gignit: sic & Ecclesia sancta suscepto semine gratiæ à viro suo, qui Deus est, Christum in corde fidelium parit, cum eos vt fideles in membra Christi parturiendo trahit. Sic quippe Paulus, qui membrũ ipsius Ecclesiæ erat, qui pro ipsa formam matris induit, ad Gal. 4. c. ait: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Et de hoc signo Io. ait: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier* Magnum profectò signum, seu mysteriũ in cœlo Ecclesiæ est: in quo quicquid Deus per corporalia mysteria operatur: hoc spiritualibus mysteriis in rationalibus animabus Deo obedientibus per Christum impletur. Vnde coniunctio viri & mulieris, coniunctionem Christi & Ecclesiæ manifestat. Proinde Apost. ad Ephes. 5. c. de coniugio loquens: *Sacramentum hoc magnum est, inquit: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Secundò consideremus huius mulieris ornatum, scilicet, solarem, lunarem, & stellarem: quia *amicta sole*, id est, per reuelationem diuinæ sapientiæ radiis illustrata. Per solem quippe conuenienter diuina sapientia designatur: per lunam vero humana sapientia indicatur. Hanc lunam sub pedibus suis hæc mulier habet: quia humanam sapientiam in comparatione ad diuinam quasi pro nihilo calcat. De cuius gremio erat Apost. qui ad Phil. 3. c. ait: *Quæ mihi fuerũt lucra, hæc arbitratus sum propter Christũ detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimenta esse propter eminentem scientiã Iesu Christi Domini mei.* Seu per solem sapientia redemptionis, per lunã vero scientia creationis significatur. Sed quia sancta Ecclesia ad hanc magnam sapientiam virtutum gratuitarum peruenit, ideo ad hoc significandum meritò subinfertur. *Et in capite eius corona stellarum 12.* Corona quippe mentis circunspectionẽ designat. Sicut enim corona in capite personæ dignitatẽ demõstrat: sic circunspectio in mente sapientiæ præeminentiam notat, qua scilicet, dignus est sapiens saluti multorum consulere, qui multorum saluti necessaria nouit prouidere. Vnde Prou. 37. c. ad prælatum dicitur. *Diligenter agnosce vultũ pecoris tui: & post, & corona tribuetur tibi in generatione & generationem.* Prælatus siquidem, qui suis bene intendit, coronam circunspectionis diuinæ sapientiæ à Deo accipit, vt in omnes generationes nomen eius personet, qui pecori suo, quod est grex fidelium, pabulũ sapientiæ, quod à Deo acceperat, salubriter ministrauit. Duodecim vero stellæ, 12. sunt articuli fidei, vel 12. Apostoli. Vel sunt 12. virtutes, per quas diuinam sapientiam, qui ei studiosi sunt, per gratiam diuinam acquirunt, & ordinantur ad diuinam contemplationem, Quarum sex spectant ad purgandas malas cogitationes, scilicet confessio, cognitio, promptitudo, benignitas, bonitas, & obliuio. Sex vero ordinantur ad mentis per bonas cogitationes illuminationem, videlicet obedientia, pœnitentia, prouidẽtia, perseuerãtia, sapientia, & charitas. Hæ virtutes per interpretationẽ sumuntur ex nominibus 12. tribuum Israël, secundum ordinem quem ponit Ioan. Apoc. 7. cum ait, *Ex tribu Iuda, 12. millia signati*, &c. vbi de contemplationis gratia locutus est. Tertiò cõsideremus huius mulieris fructu seu partũ. Porrò Ecclesia, quæ amicta sole sapientiæ, nostræ redemptionis circũspectæ discretionis iudicio perfectè gaudet, necesse est, vt à Deo semen gratiæ recipiat, ex quo Christũ per dilectionem in vtero mẽtis concipiat. De quo semine 1. Io. 3. scriptũ est: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniã semen ipsius in ipso manet.* Et de hoc semine Ecclesia Christum spiritualiter concipit & parturit. Vnde subditur. *Et in vtero habens, & clamabat parturiens.* Hoc siquidẽ semen est salutis fidei Christi, scilicet cognitio, qua scimus & credimus nos aliter, quam per Christi gratiam æterno patri reconciliari non posse. Et ex hac fide concipit Ecclesia Saluatoris sui dilectione in vtero propositi boni, vt demum per boni operis executionem ad effectum conformiter Christo vniendo finaliter perducatur. Et quoniam bonũ opus sine labore non promitur in parturiendo, propterea cruciatur, inquit, vt pariat. Vt clamor ad desiderium bonũ, & cruciatus referatur ad boni operis pœnã. Licet enim Ecclesia Christo sit plena, ac cũ desiderio magno Christo vniẽdo desideret cõformari: sine cruciatu tamen labor non exequitur, cum secundum formã Christi etiam corporalis vita pro fratribus poni iubeatur. Et de hoc cruciatu Io. 16. c. Christus ad personam Ecclesiæ referendo ait: *Mulier cum parit, tristitiã habet, quia venit hora eius.* Hæc si quidẽ mulier cum mẽtis dilectione, vel delectatione Christum concipit, & in cruciatu pœnalis laboris per virtuosum opus foris promit.

Ecclesia per figurã mulieris demõstratur.

Gal. 4.

Ephes. 5.

Sole diuina sapiẽtia designatur.

Phil. 3.

Circunspectio in mẽte sapientiæ præeminentiã denotat.

Prou. 27.

Prælatus prudens

Apoc. 7.

1. Ioan. 3.

De modo concipiendi spiritualiter.

In E. est & noe etiã difficultas.

Ioan. 16.

Quomodo beata Virgo Maria filium Dei genuit & parturiuit.

CAP. II.

Secundò exponatur hoc mysterium de beata Maria, de qua tria consideremus. Primò signum, secundò ornatum, tertiò fructum. Primò inquam cõsideremus signum, ait enim, *Signum magnũ apparuit in cœlo.* Nam ipsa fuit signum diuinæ bonitatis & sapientiæ: diuinæ charitatis, & clementiæ ad humanum genus, teste Isa. 7. c. vbi ait: *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Et verè vtique fuit magnum, quia magnã charitatẽ generi humano ostẽdit Deus in ea, *apparuit in cœlo*, idest, in Ecclesia militante, quæ cœlum dicitur propter virtutem, & vitæ claritatem atque meritorum sublimitatem. Secundo consideremus illius ornatũ scilicet solarem, lunarem, & stellarem. Primo solarem: ait enim. *Mulier amicta sole*, idest, diuina sapientia, qua Deus mundum reconciliare disposuit, plenissima fuit: quia illã non solũ per diuinam reuelationem præcognouit, verum etiam experimẽto cuncta didicit, quæ ad incarnati Verbi Dei mysteria pertinebãt. Secundo lunarẽ. Nam ideo lunam sub pedibus eius habuit, quia non solũ transitoria suorum pedũ vestigio conculcauit, verum etiam omnium

Maria signum diuinæ charitatis.

Ecclesia dicitur cœlũ.

Maria plena diuina sapientia.

crea

Maria omnia terrena conculcans. creaturarũ cognitionẽ in comparatione ad supereminentem Christi scientiam paruipendit. Tertio stellarẽ. Vnde subdit, *Et in capite eius corona stellarum* 12. quia omnium virtutum merita singularis gratiæ priuilegio *Maria omnium virtutum merita superans. Virtutes Mariæ.* superexcessit. vel aliter possumus formare coronam stellarum 12. idest stellarum illuminationum seu sex geminarum. primum par est illuminatio corporalium naturarum. & spiritualium substantiarum. Secundũ par illuminatio sententiarũ intellectualium & virtutũ affectualium. Tertium par est illuminatio legum diuinitus iustitutarũ, & gratiarum infusarum. Quartum par est illuminatio inenarrabiliũ iudiciorum & incomprehensibilium misericordiarum. Quintum par est illuminatio remunerabilium meritorum & beatificantium præmiorum. Sextum par est illuminatio decursiuũ temporaliũ, & suarum rationum æternalium, & exemplarium. Tertio consideremus illius fructum: nam ex prædictis factum est, vt non solum Christum in corde conciperet per fidem & dilectionem: verum etiam carnem eius ex purissimis sanguinibus suis diuini amoris ardor superexcessiuus in virgineo vtero sine virili cõsortio formaret, vt per hoc in vtero habẽs dicatur, quæ ab extra in *Isa. 7.* vterũ semen non traxit, sicut Isa. c. 7. præcinit dicens, *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Virgo in cõcipiendo, virgo in pariendo, virgo post partũ, Hæc profectò ardentissimæ dilectionis desiderio in auribus Dei clamabat parturiens, cum filium eius vnigenitum de sinu eius ad mũdi redemptionem euocaret. Et licet quæ sine libidine concepit, sine cruciatu pareret: mirè tamen cruciatur ille virgineus spiritus de perditione periclitantis populi, & spiritualiter illorum, qui de suo genere erant, scilicet Israelitarum, atque anxia desiderabat promissi Saluatoris aduentum: Vnde & pij cordis anxietas consolationem meruit de se geniti Saluatoris. Insuper licet in generando cruciatũ non sensit, in genito tamen cruciabatur propter eius passionem, quam oculis spiritualibus dum erat in eius ventre plenè cognoscebat.

De modo, quo deuota anima generat & parturit filium Dei Iesum.

Cap. III.

TErtio exponatur hoc mysterium de deuota anima: de qua etiam consideremus tria. Primo eius mysticum signum, secundo eius mysticum ornatum, tertio eius mysticum fructum. Primo cõsideremus eius mysticum signum. Circa quod aduertendũ est, quod per hãc mulierem moraliter fidelis anima designatur. Nam sicut mulier suscepto semine à viro prolem generat: & sic *Anima fidelis muliere designatur & quare.* deuota anima suscepto semine gratiæ à sponso suo, qui Deus est, in se generat Christum. Et hoc est vtique signum magnum: quod in cœlo apparet. Nam sicut coniunctio viri, & fœminæ coniunctionem Christi, & Ecclesiæ indicat, sicut ex præcedentibus patet: sic coniunctio Christi, & Ecclesiæ coniunctionẽ Dei cum fideli, & deuota anima sibi per omnia subdita mysticè manifestat. Secundo consideremus eius mysticum ornatum. Si autem altiori intelligentia volumus hunc conceptum differere: aduertendum est, quod tres status animæ, *Tres sũt status animæ.* quorum quilibet habet duas seraphicas alas seu volatus. Primus est per respectum ad inferiora, secundus per *1. status quis.* respectũ ad interiora, tertius per respectũ ad superiora Primus status est per respectum ad inferiora, scilicet sensibilia & imaginabilia, cuius sinistra ala siue volatus aspicit in eis diuinam magnificentiam simpliciter, & quasi imaginatiuè. Dextera vero rationabiliter inuestigando, scilicet interiores causas sensibiliũ prædicatorũ. Secundus vero status est per respectũ ad interiora pro-*2. status quis.* priæ mentis. Cuius sinister volatus est ad se ascẽdere, & intrare per sensibilium scalam: dexter vero per seipsum contuendo, scilicet purè & nudè & intellectualiter sua *3. status quis.* interiora. Tertius vero status est per respectum ad superiora, cuius sinister volatus est per adiutorium rationis, & speculum propriæ imaginis. Dexter vero est super rationem per gustus extaticos, & supermundanos influxus, vt sic exemplo beatæ Virginis misso desuper Angelo Gabriele modo supermũdano Christus concipiatur primo in sole, secundo in luna, tertio in stellis. Primo in sole. Subdit enim *mulier amicta sole*, id est, diuinæ sapientiæ radiis illustrata. Secundo in luna: & de hoc ait, *Et luna sub pedibus eius*, idest transitoria, & terrena, mutabilia, frigida, & velut luna vmbrosa affectibus suis despiciens, & conculcans. Tertio in stellis. Vnde subdit, *Et in capite eius corona stellarum* 12 Possumus enim per 12. stellas 12. rectæ rationis iudicia, quibus mens ad sapientis *Quid duodecim stellis denotari potest.* circumspectionẽ proficit, hic mysticè denotare: vt sicut per amictum solis sopor dulcedinis sapientiæ in affectu, & per coronam 12. stellarum circumspectio iudicij rationis in intellectu. Ex quibus duobus vera sapientia integratur, lucide denotantur. Nunquam enim mens de diuinis operibus sane dijudicat, nisi decernat. Primo fiduciam in solo Deo habendã, secundo terrenas diuitias contemnendas, tertio carnis voluptates calcãdas. Vt his contemptis, in quibus consistit prudẽtia mundi, subeat, quarto prudentia spiritualis, quinto experientia propriæ infirmitatis, per quam intelligatur, sexto reuerentia Dei in omnibus habenda, ad quod inducit, septimo attentio *Duodecim mentis iudicia & quæ.* testimoniorum Dei, octauo notitia cauendorũ propter Deum, nono etiam notitia agendorum secundũ ipsum, in quibus nobis proficit, decimo cõstãtia nostræ mẽtis, vndecimo humilitas propriæ reputationis, vt in his omnibus subeat, duodecimo vero discretio operis boni, & mali. Hæc 12, iudicia per totum librum Iudicũ figurabantur, in quo de 12. Iudicibus agitur, per quos populus Dei liberatur ab oppressione allenigenarum. Tertio consideremus eius mysticum fructum: Nam anima, quæ hoc amictu sapientiæ ac per hæc illuminatæ rationis iudicia perfecte gaudet: necesse est, vt à Deo semen gratiæ recipiat, ex quo Christum per dilectionẽ in vtero mentis concipiat, atque parturiat. Vnde subditur. *Et in vtero habens*. Sicut enim mens caput est animæ, à qua scientia sicut semen descẽdit: sic & affectio corpus est eius, in quo per dilectionem spiritualiter acceptatur, vt demum per boni operis executionem ad effectum viuendo Christo conformiter perducatur. Et quoniã bonum opus sine labore, & dolore non parturitur: ideo in p[illegible]endo merito cruciatur. *Et clamabat parturiens*, i[illegible]quit: & cruciatur vt pariat. Clamor ergo ad desider[illegible]um bonum, & cruciatus referatur ad pœnam. Licet enim anima Christo plena sit, atque cum magno desiderio viuendo Christo desideret conformari sine cruciatu: tamen labor iustitiæ minimè executioni mandatur: cum secundum formam Christi etiam vita pro fratribus poni iubetur.

De Circumcisione Domini.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur præcipuè in hoc Sermone.

Hic Sermo, qui est de Circumcisione Domini, habet tres articulos, quorum vnusquisque quatuor continet capita.

Articuli 1. de quadtuplici dulcedine, quæ acquiritur in spe nominis Regis Iesu.

Cap. 1. Quod propter virtutem nominis Iesu peccatori crimina relaxantur.

Cap. 2. Quod ex virtute nominis Iesu in hominibus renouantur mores.

Cap. 3. De consolatione quam recipiunt mentes ex deuotione nominis Iesu.

Cap. 4. Quod ex virtute nominis Iesu anima à demonibus defensatur.

Articuli de quadruplici gratia quæ effunditur per nomen Regis Iesu,

Cap. 1. Quod per radiosum nomen Iesu intellectus in secretis cœlestibus illuminatur.

Cap. 2. Quanta charitate inflammatur anima ex dilectione nominis Regis Iesu.

Cap. 3. Quanto roboratur vigore humana mens ex virtute nominis Iesu.

Cap. 4. Quod ad deuotam inuocationem nominis Iesu Christi homines à grauibus periculis liberantur.

Articuli 3. Quod nomen Regis Iesu ex quatuor maxime ostenditur gloriosum,

Cap. 1. Quantum desiderabile sit nomen Regis Iesu.

Cap. 2. De superuaturali suauitate quam deuota anima experientur in nomine Regis Iesu.

Cap. 3. Quanta admiratione sit dignum ex sua virtute nomen Iesu.

Cap. 4. Quanta veneratione sit dignum nomen Iesu quadrupliciter demonstratur.

De triumphali nomine Iesu.

Serm. II.

Luc. 2. VOcatum est nomen Iesus. Luc. 1. Quamuis ineffabile sit nomen Iesu sanctissimum, quod Christo Domino generis humani redemptori in Circuncisione impositum est, tamen ne penitus sileamus in tanta solemnitate,& silentium nostram arguat inscitiam,aliqua ad laudem & gloriam tanti nominis,in quo omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum & omnis lingua confitetur illi in medium per ordinē adducemus.Primo enim ostendemus quod nomen Regis Iesu sit dulcissimum propter spem veniæ,secundo quod sit gratiosum propter spem gratiæ, tertio gloriosum propter spem gloriæ.

ARTICVLVS PRIMVS,

De quadruplici dulcedine, qua acquiritur in spe nominis regis Iesu.

PRimo quidem nomen Regis Iesu dulcissimum est propter spem veniæ:quia Iesus Rex Iudæorū, id est, *Dulcedo quadruplex.* confitentium & pœnitētium nuncupatur.Quadruplex enim dulcedo propter spem veniæ de nomine Regis Iesu ab anima pœnitentis sentitur. Prima est dulcedo remissionis,secunda est dulcedo renouationis,tertia est dulcedo consolationis, quarta est dulcedo defensionis.

Quod propter virtutem nominis Iesu, peccatori crimina relaxantur.

CAP. I.

Magna dulcedo in anima propter hoc nomen dulcissimum. PRima autem dulcedo est remissionis.Magna quippe dulcedo est animæ peccatrici in hoc sanctissimo nomine Iesu sentire tantum esse virtutum, vt in illo remittantur sibi omnia peccata sua. Audiamus hoc, attestante Ioan.Apostolo.1.Io.2. *Scribo vobis filioli,quoniam* *1. Io. 2.* *remittuntur vobis peccata vestra propter nomen eius.* Sicut enim grauiter æstuanti, & longo sitis ardore succenso, fons frigidus,salubris & gratus efficitur : sic mentibus iniquitate depressis nomen Iesu culpæ grauedinem & peccati mœrorem expellit. Dicitur enim Act.22. *Baptizare & ablue peccata tua inuocato nomine Iesu.* *Act. 22.* Dic ergo anima peccatrix : Et ego Domine Iesu nomen tuum inuoco, propter quod mihi peccatorum adsit remissio. Oro Domine Iesu vt adimplere digneris prophetiæ præconium : quia si hoc feceris *propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo : multum est enim & etiam copiosum.* *Psal. 24.* Sic enim habemus in alia translatione conscriptum, Verè multum per omnem modum : cui & si non parcere debeas ratione meriti mei , sed propitiare obiecto propter sanctitatem nominis tui. Et verè copiosum est peccatum meum,quod cursu temporis, defectu corporis,progressu ætatis non minuitur,sed augetur:& nisi tua subueniat bonitas , mea semper augebitur iniquitas.Et iterum.1.Ioan.2.idem Apostolus ait : *Filioli, hoc scribo vobis , vt non peccetis. Sed si quis peccauerit,aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum : & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* O consistorium mirabili ordinatione sancitum:peccator pœnitens plorat, plorans postulat,filius impetrat,pater condonat & Spiritus Sanctus mentem lætificat.Sed hoc pro certo noscas,tunc de peccato veniam percepisse,quando post culpæ detestationem & gemitum,cor tuum nequaquam senseris vitiorum illecebris & imaginatione perstringi: vnde quidem prudentet ait,Tunc demum nobis præterita vitiorum contagia remissa credenda sunt,cum fuerint de corde nostro præsentium voluptatum desideria pariter passionesque depulsæ.

Peccatum nostrū multiplici de ratione augetur. *1. Ioan. 2.*

Quod ex virtute nominis Iesu in hominibus renouantur mores.

CAP. II.

SEcunda est dulcedo renouationis,quæ remissionem sectatur. Nimia nempe vetustate sordentes peccatores fuerunt Corinthij,quibus. 1. Cor. 6. proponebat Apostolus dicens : *Sed abluti estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* Macula quidem deformauit animam vestram,sed abluti estis : libido contraxit immunditiam magnam,sed sanctificati estis.Reatus obligauit ad pœnam sempiternam,sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi,quilibet extitit liber à malo,alibi dicit,à reatu liber.Et vos dilectissimi ciues & amantissimi fratres depositis mendaciis,periuriis, blasphemiis, aliis pompis & nefariis ludis:partialitatibus & luxuriis, rapinis & vsuris , & cæteris operibus malis atque omnino mentibus renouatis induimini Dominum nostrū Iesum Christum,vt Christianam conuersatione in vestris moribus ostendatis:Induimini inquam Dominum nostrum Iesum Christum,sicut lana colore,sicut aer lucem,sicus ferrum ignem:lana exterius penetratur:ferrū vero in ignis naturam interius & exterius quodammodo transformatur.Colorem Christi repræsētare in conuersatione , lucem in fidei cognitione, ignem in dilectione.Sicut enim ferrum in ignem missum magis ignis efficitur quàm ignitum:sic viri feruentes charitate vel indui,dixerim vel imbuti:charitas esse videntur potius, vt emphaticè loquar,quàm charitate succensi.Sic renouatos vos opto in virtute Domini nostri Iesu Christi dilectissimi fratres,quod omnes videam vna dilectione cōiunctos,vna charitate ligatos,& vno amore in virtute Domini nostri Iesu Christi vnitos, promittente Domino Matt.18.*vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi sum ego in medio eorum.* *Matt. 18.*

1. Cor. 6. Macula peccatorum absterguntur & quomodo.

Induamus Dominum Christum.

Vir induens charitate charitas esse videtur

De consolatione,quam recipiunt mentes ex denotione nominis Iesu

CAP. III.

TErtia dulcedo est consolationis:vbi enim est peccati remissio & renouatio vitæ,necesse est vt spiritualis consolatio subsequatur.Tanta enim est consolatio animæ quæ lætatur in Christo,vt paupertas pro diuitiis,asperitas pro delitiis,& vilitas pro honoribus reputentur:cunctaque supplicia pro nomine eius illi dulcia fiant,plus ei catena placet quàm regius honor aut corona:propter hoc enim.Vnde dicitur Act.5.c. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii,quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Igitur si mentē tuā tristitiæ caligo demergit : si grauis imminent aut procellosa tempestas : si perniciosus ingesserit se turbo ventorum

Vbi est remissio peccatorum ibi est spiritualis dulcedo. Christianis gentilium dulcissima. *Act. 5.*

ventorum: ſi maria terrificum mugitum & horrendum deprimant, ſi quatiantur littora maris: nauicula quoque fluctibus impleatur: Ieſum inuoca, qui in nauibus dormire putatur: Ieſum, qui nec dormit, nec dormitat, & plena fide dic ei, Exurge Domine Ieſu, quare obdormis Domine vel es ſimilis dormienti? Exurgens proculdubio Ieſus vento comminabitur & dicet mari, tace, & obmuteſce: venti confugient & complanabuntur tumidæ vndæ, fluctuum colles æqualitatis propriæ terminos non excedent, procella conuertetur in auram, & tempeſtas commutabitur in ſerenum. Sed hi, qui vt dicitur

Prou. 2. Prou. 2. *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, hæc de nomine Ieſu ſētire non poſſunt. Ratio enim eſt, quia delectatio eſt cōiunctio conuenientis cum conueniente: quia enim Ieſus eſt pax quæ exuperat omnem

Ieſus eſt pax. *Mundus libidinoſo inſipidus.*

ſenſum, *Non ſapit ſuperbo, qui ſemper iurgia quærit*. Quia eſt munditia ſumma, non ſapit luxurioſo, qui ſemper mente & corpore quærit in luxuria delectari & inuolui, ſicut ſus lota in volutabro luti. Quia eſt ſumma liberalitas, non ſapit auaro, qui affectu temporalium inſatiabili cupidine flagrat. Quia eſt ſumme mitis, non ſapit turbulento & iracundo. Quia eſt ſumma lætitia & hilaritas ſempiterna, non ſapit acidioſo & ſpiritui triſti,

Studioſus vitioſo inſipidus.

deſiccat omnium virtutum oſſa. Quia vero eſt charitas conſūmata, non ſapit inuidioſo. Quia quoque eſt temperantia ſumma: non ſapit ingluuiei dedito, cuius Deus venter eſt. Sapit enim animæ mūdæ, animæ ſanctæ, animæ charitatis feruidæ: quia talis cum Propheta Abacbuc. 3. c. dicere poteſt, *Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Ieſu meo.*

Quod ex virtute nominis Ieſu anima à dæmonibus defenſatur.

Cap. IV.

Maxima virtus nominis Ieſu.

QVarta eſt dulcedo defenſionis, quia nomen Ieſu conſolatos defenſat. Falleris qui putaſti nomen Ieſu ad tutelam non habere virtutem, ſed diuinam virtutem & fortitudinem exinanitam per carnem fuiſſe. Non eſt virtus in carne fragili liquefacta, ſed potius occultata. Ibi abſcōdita eſt fortitudo eius, vt non tantū carneus eſſet Iſachar, ſed oſſeus. Alioquin ad eius imperium dæmonia de obſeſſis corporibus non exiuiſſēt: nec ſuperbæ poteſtates, niſi ſuperueniſſet fortior, exclamaſſent Mat. 8. *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei, cur veniſti huc ante tēpus torquere nos?* Et vt maiorem hoc nomen ad tuam defenſionem poteſtatem habere comprehendas:

Mat. 8. *Nomen Ieſu nos protegit.*

non voluntatis fuit illa confeſſio. ſ. dæmonū, quæ temuerat bonos; ſed neceſſitatis extorſio, quæ coarctat inuitos. Veluti ſi fugitiui ſerui Dominū ſuum poſt multū tēporis videāt, nil aliud niſi pro verberibus differendis exorant. Igitur ſi conſtipentur acies, ſi conſiſtāt caſtra, ſi exurgat aduerſum te prælium, non formides periculum: nomen Ieſu ſonet in corde deuoto, nomen inuoca virtuoſum: quia vt dicitur Exod. 15. capite *Omnipotēs nomen eius currus Pharaonis & exercitum eius proiiciet in mare*, & ſic liberatus eſt populus Dei. In huius quoque myſteriū Ieſus Naue ſucceſſor Moyſi fortis in bello iam nominis Ieſu virtute non propria de hoſtibus triumphabat, vt ſcribitur Ioſue 10. Ad hoc exhortandū audi prælij ducē concrepantem ſpiritu. 2. Tim. 2. dicentem. *Fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* quaſi dicas, Arma tua ne reiicias ex timore. Sequitur, *labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti*, quia vt idem. 2. Tim. 2. capite ait *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Si igitur viribus renouaris & anima conſolatione repleta alacrius ad pugnam regrederis, inuocato nomine Ieſu fugiunt partes aduerſæ. Nequeunt damnata tartareæ noctis phantaſmata tanti nominis lucem, tantamque odoris fragrantiam ſpurciſſimi ſpiritus illi atque tantam poteſtatem Ieſu Chriſti nominis ſuſtinere. Propterea. 10. capite Hierem. ad Dominum ait: *Magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.*

Exod. 15.

Ioſue 10. *2. Tim 2.* *Inuocato nomine Ieſu dæmones fugiunt.*

Ierem. 2.

Articvlvs Secvndvs.

De quadruplici gratia, quæ effunditur per nomen regis Ieſu.

SEcundo principaliter nomen regis Ieſu eſt gratioſū propter ſpem gratiæ: quia dicitur Nazarenus, id eſt, floridus. Sicut enim mare omniū aquarum eſt principium originale: cuius affluentia procedens de plenitudine ſua rigat abundātius vniuerſum, nullum in ſe ſentiens detrimentum, ſed ſemper effluens, ſemper remanet plenum: ſic in vno Domino Ieſu Chriſto, accipere debes eius gratiæ plenitudinem, ſcit effluere, non deficere: nouit diſtribui, non deſtitui: non ad defectus inopiam, ſed ad profectus copiā exhauriri. Propterea Ioan. 1. c. ſcriptum eſt: *De plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia.* Quadruplicis enim gratiæ ſpeciē anima experitur in nomine Ieſu Chriſti. Prima eſt gratia illuminans, ſecunda eſt gratia inflammans, tertia eſt gratia roborans, quarta eſt gratia liberans.

Plenitudo gratiæ in Chriſto Domino. *Ioan. 1.* *Gratia quadruplex.*

Quod per radioſum nomen Ieſu intellectus in ſecretis cæleſtibus illuminatur.

Cap. I.

AD ſpem primæ gratiæ ſubleuat nomen regis Ieſu, quia dicitur gratia illuminans. Illuminatur enim intellectus ad deuotam inuocationē nominis Ieſu Chriſti: quia vt ſcribitur Zacha. 6. c. *Oriens nomen eius*, id eſt, veluti ſol irradians humanam mentem. Sicut enim ſol iſte materialis diffundens radios ſuos oſtendit ea, quæ in mundo ſunt, dum materialem exhibet claritatem: ſolare nomen Ieſu mentes irradiat, vt videant ea, quæ ſunt in Deo ſecundū perſpicuam veritatem. Non enim illuminat hoc nomen in ſuperficie tantū phaleriſque verborum & viridantium voluptate vernula foliorū: ſed medullis ſenſuum, ſed claritate rationū, ſed veritate ſententiarum. Vnde in principio Apoc. habetur: *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Dominus palam facere ſeruis ſuis.* Apocalypſis enim reuelatio interpretatur, quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt in morte Domini ſciſſo velo. Vnde Io. 9. Cæcus illuminatus myſticè ait: *Ille homo, qui dicitur Ieſus lutum fecit & vnxit oculos meos & dixit mihi: vade ad natatoria Syloe, & abii & laui & vidi*, viſio enim pertinet ad cognitionem, vnctio vero ad exultationem. Nouimus enim dici, quoniam ſi quis oleū in ore tenuerit & ad aquarum profunda deſcendens illud exſufflauerit, reddit aquæ ſuperficiē clariorem & abſcondita producit in lucē. In tenebris vſque adhuc ſumus. Caligat oculus, ceſpitat greſſus, attrectat manus, nec recedit nubilum: non nobis manifeſtatur occultum, non recipimus viſum, niſi Ieſus ſuæ fulgentiæ lumine radioſo, vel radio luminoſo notum faciat in cordibus nomen ſuum. Lumen eſt enim nomen Ieſu, quod in æthere cordis noſtri myſtica reſerat: ſicut lumen ſolis materialia manifeſtat. Vnde Bernard. Nōne huius nominis luce Deus vocauit nos in admirabile lumen ſuum, dictionum connexio mihi miniſtratur exterius per ſermonem: ſed niſi Ieſum docentem interius habeam, vocis occultam ignoro virtutem. Nam ſicut ſcribitur Ioan. 1. *Ipſe eſt, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quid mirum, ſi doceat liber vitæ, ſi reuelat magiſter diſcipulis arcana ſapientiæ? *in quo* ſecundum Apoſtolum ad Coloſſen. 2. *ſunt omnes theſauri abſconditi ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* In hoc ſiquidem libro illi patres antiqui per meditationem & contemplationem ſic ſtudebant quod diuinis myſteriis eruditi litteris mortuis & palpitantibus non egebant. Tu verò quanto magis à terra ſubtraheris & ad alta ſuſtolleris, dum ad Ieſum conuertis intuitum mentis, recipis lumen verum. Nam, vt dicitur Matth. 17. Apoſtoli ad montis ſupercilium iam aſſumpti, & in mentis ſpecula iam conſtituti, *leuantes oculos neminem viderūt, niſi ſolū Ieſum.* Propter hoc erat olim in gloria

Intellectus illuminatur ad inuocationem nominis Ieſu. *Zach. 6.*

Apoc. 1. *Apocalypſis reuelatio.* *Ioan. 9.*

Nomen Ieſu eſt lumen.

Ioan. 1.

Coloſſ. 2. *In Chriſto Domino omnis ſapientia.*

Matt. 17.

Ablato Ieſu ſola mentis cæcitas remanet.

populus Iudæorum quia *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* Nunc vero quia perdiderunt Ieſum, cæcitas perſeuerat in eis, nunc intuentur ſolam faciei Moyſi claritatem, ſolam habent ſuperſtitionis ſuperficiem, non ſapientiæ veritatem: aridi lumine veritatis ſolum imbuti littera, quæ occidit.

Quanta charitate inflammatur anima ex dilectione nominis regis Ieſu.

Cap. II.

SEcundum gratiam ſperare debet anima in nomine regis Ieſu, quæ nominatur inflammans, ſecundum enim Bernard. per nomen Domini venitur ad rem nominis, quia per cognitionem ſui nominis, venitur ad *Pſal. 53.* dilectionem & fruitionem ſui nominis. Hinc Pſal. ait: *Confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt* Super quo ait Auguſtinus. Nomen Domini bonum eſt, quia ipſum bonum eſt, quo boni ſumus, vt ipſum diligamus & totum cor ponamus ad eum laudandum & amandũ. Hic etiam Cant. 1. c. ſcriptum eſt: *Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Quod exponens Origen. ait, Planum eſt, quod ad effuſionem olei ſequitur loci impinguatio, in quo facta eſt olei effuſio. Sic neceſſarium eſt, vt cordibus in quibus fuerit nomẽ Domini frequentatum, pinguis deuotio ſubſequatur, quæ adoleſcentulas, ideſt, nouas animas in pœnitentiæ labore ad currendum poſt dilectum ardentiſſimè excitet in amore.

Quanto roboratur vigore humana mens ex virtute nominis Ieſu Chriſti.

Cap. III.

TErtiam quoque gratiam in nomine Ieſu anima ſperare debet, quæ roboratio appellatur. Roboratur enim ſpiritus in virtute huius nominis ad omnia aſpera perferenda. In cuius myſterium Act. 21. Propheta Agabus tulit zonam Pauli, *& alligans ſibi manus & pedes, dixit: virum, cuius Zona hæc eſt, ſic alligabunt in Hieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium. Tunc reſpondit Paulus & dixit: Ego non ſolum alligari, ſed etiam mori in Hieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Ecce cohortis humanæ centurio. Dux Chriſtianæ militiæ non fractus periculo, non ſuperatus prælio, virtute dimicans, non furor cedit gladiis, ſed magis hoſtibus dat pauorem. Sic deſpicit vniuerſa ſupplicia, ſicut ſolet herba putrefacta contemni: & ſicut adamas ferri deſpicit ſectionem: minas & verbera tyrannorum ludum exiſtimat puerorum. Quoniam præmium erat ei, diſſolui & eſſe cum Chriſto, & in carne permanere certamen. Stans igitur miles inuictus depoſito animæ & corporis torpore, fragilitatem noſtram conſolidat & prouocat pro nomine Ieſu ad viriliter dimicandum, vt membra quæ ſunt voluptatum otio permollita patientiæ exercitio roborentur, & ſui ducis prouocẽtur exemplo de victoria iam ſecuri. Hinc ad Roman. 8. ait: *Certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Hic eſt equus, qui terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, non metuit vulnera, non diſcrimina, neque ſanguinem, neque mortem: alacri ac ſecuro corde pericula ſubit armatus nomine Ieſu Chriſti. Simili ardore nominis Ieſu Chriſti flagrabat in corde ille puſillus grex duodenarius Eccleſiæ primitiuæ. Vnde virtute illius tot fregit & vicit genera beſtiarum: quot iugo nominis Ieſu Chriſti ſubdidit differẽtias nationũ. Verè bellatores incliti, quia flecti non poterant, ſed occidi perhibentes teſtimoniũ Ieſu Chriſti cum Propheta dicentes, *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.*

Nomine Ieſu Chriſti corroboratur mens humana.

In nomine Domini nihil formidandum. Rom. 8.

Armatus nomine Ieſu omnia ſuperat.

Quod ad deuotam inuocationem nominis Ieſu Chriſti homines à grauibus periculis liberantur.

Cap. IV.

QVarta autem gratia ſperanda in nomine dulcis Ieſu liberans dicta eſt. Scimus enim, quod impoſſibile eſt mentem diuerſis cogitationibus non propulſari: ſed in nobis eſt pro parte maxima cogitationum diuerſitatem ſub diſciplinæ regula reformare. Si enim memoriter nomen Ieſu tenuerimus in mente: iam penè ſpirituales effecti, tam faciliter noxia non euagabimur cogitatione: Semper enim de tanti ſuauitate nominis aliquid memoriæ commendandum, quod ruminatũ iugiter paſcat auidius appetitũ. Et licèt ipſum nomen Ieſu ſub effectibus variis imprimere memoriæ valeamus, ſcio quod multũ expedit & iuuat ipſum imprimere ſub triũphali titulo & beneficio paſſionis. vt iuxta Apoſtolũ ad Heb. 12. *Aſpiciamus in authorem fidei & conſummatorẽ Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucẽ omni confuſione contẽpta.* Aliqua ſaltem diei hora recogitemus Dominicæ Paſſionis inſignia, ad fruendũ ſuauiter in conſciẽtia, recondendum fideliter in memoria, proſequendum firmiter actionis induſtria. Prorſus tantæ pietatis exhibitæ ſatis eſt impium obliuiſci, cum peregrinantis atque recedentis amici præſentiam ſub memoria cuiuſdam ſigni teneamus. Ad hoc ergo nomen cordi efficacius imprimẽdum, ait Apoſtolus ad Coloſſen. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere: omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite.* Ex hoc enim mens imbuta atque habituata ſancto nomine Ieſu Chriſti in omni ſubitaneo caſu, atque inſtanti periculo eructabit verbum bonũ, atque inuocabit nomẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti: ipſo Domino teſte, qui Mat. 12. ait: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Sicut experientia docente videmus, quod qui nomen diaboli aut blaſphemias ex conſuetudine frequentat in ore: occurrente repentino aut periculoſo caſu idipſum euomit ex conſuetudine, dicente Domino vbi ſupra, *Malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala: quia ex abundantia cordis os loquitur,* vt idem Matth. 12. c. atteſtatur. Ex habitu ergo abundantis theſauri nominis Domini Ieſu mens in repẽtino periculo inuocans nomen eius in adiutoriũ ſentiet ſibi Ieſum eſſe præſentem, Scriptura atteſtante, quæ Exod. 20. c. ait: *In omni loco in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te.* Hinc in perſona huiuſmodi Propheta ait: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Et in perſona Domini idem inquit, *Inuoca me in die tribulationis: eruam te & honorificabis me.* Et vt verba Caſſiodori ſenis & monachi venerabilis inſeramus, hic Prophetæ verſus, *Dirupiſti Domine vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiã laudis, & nomen Domini inuocabo;* tantum virtutis creditur habere vt nonullis dicatur poſſe nominibus peccata dimittere, eum quis in fine vitæ ſuæ interna confeſſione deuoto corde congeminet.

Mens diuerſis cogitationibus pulſatur.

Heb. 12.

Cogitemus quotidie Dominicam paſſionem.

Coloſſen. 3.

Nominis Ieſu inuocatio.

Mat. 12.

Mali nominis prolatio periculoſa.

Matth. 12.

Exod. 20.

Pſalm. 114.

Pſalm. 49.

Pſal. 115.

Maxima virtus nominis Ieſu.

Articvlvs tertivs.

Quod nomen regis Ieſu ex quatuor maximè oſtenditur glorioſum.

TErtio principaliter nomen Regis Ieſu eſt glorioſũ propter ipſam ſpem gloriæ, quia ponitur ibi Ieſus: qui ſicut prædictum eſt, ſaluator vel ſalus interpretatur. quia vt dicitur Actor. 4. *Non eſt in alio nomine ſalus.* Propterea iuxta illud Apoſtoli, Glorificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: quatuor enim oſtẽdunt nomẽ regis Ieſu mirabiliter glorioſum Primó, quia eſt nomen deſiderabile: ſecundo, quia eſt nomen delectabile: tertiò, quia eſt nomen admirabile: quartò, quia eſt nomen venerabile.

Act. 4.

Nomen glorioſum ex 4.

Quantum desiderabile sit nomen regis Iesu,

CAP. I.

Iesus nomē desiderabile.

PRimo enim nomen Iesu est desiderabile. Nisi enim desiderium in anima prouocaret, Isa. 26. non affirmaret, dicens: *Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ meæ.* Et iterum scriptum est, *Anima mea desiderauit te in nocte*, scil. in secreto cubili, & in quiete mentali. Et iterum in persona talis feruentis

Isa 26.

animæ Propheta ait: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

Psal.42. Ceruū virtus in attrahendis serpētibus.

Ceruus nempè inardescenti desiderio sitibundus serpentes naribus attrahit, & veneno hausto fontem aquarum celerrimè petit, & aqua dulcissima & purissima satiatus serpentis venena deponit. Quid mirum, si nos qui veteris serpentis venena hausimus: qui vitiis quotidie inflammamur: qui saltem peccati fomite continue ad illicita inclinamur, ad Iesum, qui vt dicitur

Ioan.4.

Ioan. 4. fatigatus ex itinere cum muliere Samaritana loquens super fontem sedet, cordis inardescenti desiderio currimus & venimus? Verè enim est fons viuus,

Christus fons viuus gratiarum.

fons aquarum multarum: fons cuius non deficiunt gratiarum aquæ Iesus Christus Dominus Deus noster, semper irriguus, semper plenus: fons vnde largissimæ fluunt aquæ gratiarum atque fluenta, & cordis no-

Isa.12.

stri ariditatem reficiunt, sicut Isa. 12. c. scriptum est, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Iesu*: vel sicut alia littera habet saluatoris. De tuo si quidem nomine dulcissime Iesu Christe, vbertate semper irrigua funduntur aquæ copiosissimæ salutares: quæ non solum sitim temperant peccatorum, sed magis prouocant desiderium, & æstuare faciunt ad fruitionem dilecti; donec inuenerint quod requirunt.

De supernaturali suauitate, quam deuota anima experiuntur in nomine regis Iesu.

CAP. II.

SEcundò verò nomen Iesu est delectabile. Quis enim ignorat, quod si desiderium in Iesu nomine impleatur, delectat animam? Propterea Psal. ait: *Psallite nomini eius, quoniam suaue.* Tanta est enim suauitas nominis Iesu Christi: qua per interni gustus experientiam palatum cordis afficitur, quod oris labiis non

Psalm.134. Nominis Iesu suauitas.

Apoc. 2.

profertur. Vnde Apoc.2.cap. Angelo tertiæ Ecclesiæ scriptum est. *Vincenti dabo manna absconditum: & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Manna quidem absconditum, est Iesu, qui pœnitentes & agonizantes in solitudine mundi, & in certamine carnis prælibatoria quadam & dispositoria suauitate reficit & oblectat. Quod quidem absconditum ideo dictum est: quia dulcedinis illius plenitudinem, quæ solos beatos remunerat, in hoc exilio nullus expectat. Sed quod modo nobis est absconditum, fiet completa victoria manifestum. Datur quoque calculus candidus per Iesum: lapis pretiosus, quem carbunculum vocant. Lucet enim in tenebris constitutus, sicut carbo succensus. Et in calculo nomen nouum scribitur, cum nominis Iesu notitia & dulcedo interiora penetrans labiis cordis infunditur. Quod quidem per solam experientiam gustus spiritualis agnoscitur: quia virtutem huius nominis nemo scit, nisi qui accipit. Vnde Esai.42.cap. scriptum est. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Sed aduertendū est, quod hanc suauitatem in duobus expressit, scilicet in dulcedine cibi olim patribus dati: & in candore calculi: quoniam totam animam replet & interna lætitia ac spiritualem suauitatem influentia quantum ad affectum, & diuinarum theoriarum refulgentia quantum ad intellectum. Hoc autem fit, quando mens in sublimi contemplationis apice constituta transcendens humanam & Angelicam hierachiam ad diuinas theorias ascendit: vbi supersplendentibus vnita radiis rationes rerum considerans illuminatur imperscrutabili abysso sapientiæ Dei: & tandem pro nimio claritatis excessu veluti alter Moyses in montis vertice cum Deo in nubila caligine diuini luminis absorbetur. Ibi est suauitas in affectu, quæ ministrat deuotionis pinguedinem: vbi gratia cognitionis internæ, quæ ministrat pabulum, & alimoniam refectionis æternæ, sicut Psal.88. scriptum est: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die.* Ait enim. *Domine in lumine tuo*: Ecce cognitio. *Ambulabunt.* Ecce consolatio. Æqualitas enim & conformitas pedum ambulatione, mulcebritatem affectionum designat, quæ est in spirituali consolatione. *Et in nomine tuo* Ecce deuotionis expressio. *Exultabunt tota die.* Ecce suauis refectio. Sed horum omnium, secundum Apostol. ad Romam. septimo. *Causa est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Cum igitur ad nomen Iesu feruenter afficeris, eius dulcedine affluenter reficeris, & præsentem futuræ gloriæ fructum iam dulciter experiris: Quoniam; vt ait Psalm. *Gloriabuntur in te*, scilicet per participationem gloriæ, *omnes, qui diligunt nomen tuum.*

Iesus manna absconditum ei cur sit dictum.

Nomen Iesu lapis preciosus.

Isa.42.

Nominis Iesu suauitas in duobus.

Contemplationis suauitas.

Psal.88.

Rom 7.

Psal.5.

Quanta admiratione sit dignum ex sua virtute nomen Iesu.

CAP. III.

TErtio autem est nomen Iesu admirabile. Quod maxime ex delectatione dependet. Notanter autem Esaias capit.9. dicit: *Nomen eius admirabile.* Iesus enim admirabilis vocatus est, vbi Verbum caro factum est. Tria namque trahunt animum in exelsum, cum fuerint simul ista: Deus & homo: mater & virgo: fides & cor humanum, vt quantumcunque protendas purissimam oculorum aciem: si non habueris per gratiam organi suauitatem, videre non poteris excessiuam improportionabilis luminis claritatem. Si enim in ortu solis, cum effulget super hemisphærium nostrum claritatem radiorum eius nequis aspicere: sed reuerberaris lumine orientis: quomodo solis iustitiæ, splendorem videlicet nominis Iesu per vniuersa climata mundi rutilantis, quis poterit comprehendere? Propterea Genes.32.cap. in huius mysterium colluctanti Iacob dicit Angelus magni consilij Iesus Christus: *Cur quæris nomen meum, quod est admirabile?* stupet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, ratio non agnoscit Incarnationis mysterium, & nominis Iesu incomprehensibile sacramentum, quod pacem in terris, gloriā in cælis, salutem perditis, vitā mortuis inæstimabili pietate dispensat. Verè igitur nomen mirabile, quod verbis mirificatur & signis, quod sub modio latere non potuit, sed supereffulsit: licet renitentibus Iudæis, quia *virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.* Actor.4.c. Gratia magna, quæ vniuersā infunderet creaturam, omnem ostenderet medicinam, dicente Domino, Matth.vlt. *Signa autem eos, qui in me crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Longum quippè esset prosequi mirabilia & miracula, quæ in hoc nomine facta sunt, etiā tēporibus nostris, quotidieque fiunt. Memoriā fallunt, sermonem excedūt, & in mirandis mirabilibus tanti nominis omnis lingua vel Angelica, vel humana reperitur penitus inæqualis. Vnde Propheta volens, nec valens explicare mirabilia eius, quasi subsistēs in illo nomine, pedemque retrahens ait: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Nam in terra viuentiū mirabilis huius hominis iustitia, vt iuxta Apost. ad Phil.2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria Dei patris.*

Nomen Iesu admirabile. Isa.9.

Tria admiratione digna.

Gen.32.

Nomen Iesu incomprehensibile.

Act.4.

Matth.vlt.

In nomine Iesu magna fiunt miracula.

Psal.8.

Phil.2.

Quanta

Quanta veneratione sit dignum nomen Domini Iesu, quadrupliciter demonstratur.

Cap. IV.

Nomen Iesu venerabile. QVarto est nomen Iesu venerabile: & merito propter omnia supradicta. Verè enim venerabilis reuerentia, & veneratio veneranda, siue reuerenda, vt dignitas tanti nominis honoretur in terris: quod phalanges hierarchicæ venerantur in cœlis. Propterea *Nomen Iesu gloriosum.* Origenes ait: Nomen Iesu, nomen est gloriosum omni cultu dignissimum. Tam singularis reuerentiæ est nomen Iesu, quod ab eius venerabili laude nullus excipitur status, nullus excluditur locus, nullum præscribitur tempus, nullum remouendum est opus. Primo enim nullus excipitur status. *Psal. 148.* Vnde Propheta ait: *Reges terræ, & omnes populi, principes, & iudices terræ: iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.* Confessio eius *Quinam sunt Reges terræ.* super cœlum & terram, *Reges terræ* se regentes, & voluptatibus corporum imperantes dicuntur, & populi, quicunque sunt in vnum ad honorandum nomen Domini Iesu Christi in veritate fidei congregati, *Principes & Iudices*, Angelici ciues sunt, principantes per potentiam, iudicantes per sapientiam. *Quis verò senex.* *Iuuenes*, sunt in charitate feruentes. *Virgines* castitate fulgentes. *Seniores*, à voluptate deficientes, & libidine refrigescentes. *Nullus sexus vel ætas à laude nominis Iesu abstineat.* *Iuniores*, sunt balbutientes. *Laudent*, inquit, *nomen Domini*, vt nullus status, non dignitas, non sexus, non ætas ab eius laude intelligatur excludi. *Quia exaltatum est nomen eius solius*, iuxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Phil. 2.* *Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Confessio eius super cœlum & terram*: hæc autem confessio laudem illam designat, quæ tanto nomini perhibetur in terris, quæ celebratur in cælis: tamen non immerito super vtramque consistit: quia nec cælestia, nec terrestria possunt illis laudibus æqualia reperiri. Secundo, ab *Esa. 24.* eius laude nullus excluditur locus. Vnde Esa. 24. c. scri- *Diffusio nominis Iesu.* ptum est: *In doctrinis glorificate Deum, & in insulis maris nomen Dei Israel.* Vbi est enim locus, vbi non sit diffusum nomen dulcis Iesu? vt verificetur, quod scri- *Cant. 1.* ptum est, Cantic. 1. c. *Oleum effusum, nomen tuum.* Propterea Apostolus præco gloriosi nominis Iesu, diffundebat hoc venerabile nomen vbi non fuerat nominatum, ne fundamẽtum construeret super ædificium alie- *Act. 9.* num, iuxta quod Dominus Act. 9. dixit de Paulo ad Ananiam: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Israel.* Inde est, quod vel tibi Domine Iesu possumus cum Propheta testimo- *Psal. 47.* nium perhibere dicentes: *Secundum nomen tuum Deus,* *Nominis Iesu dilatatio.* *sic & laus tua in fines terræ.* Sicut enim in toto orbe terrarum tui nominis reuerentia dilatatur, sic in Ecclesia, quæ per totum mundum distenditur ipsi deuotio laudis offertur & ministratur. At si forte calumnieris, hoc non fuisse impletum, quia necdum pio nomini Iesu, fidei cultu subiectum videas genus humanum? saltem *Psal. 85.* confitearis colendum, iuxta prophetæ sententiam: *Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Et ne locum aliquem credas exclusum, audi eundem Prophetam dicentem: *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini*: Tertio ab eius laude nullum præscribitur tempus. Nam sicut nec localiter circunscribitur, ita nec tem- *Psal. 112.* poraliter diffinitur. *Propterea sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vsque in sæculum*, vt in hoc sæculo prædicetur nomen, quod in æternitate vberius lauda- *Laus nomini Domini æterna.* tur. Et sicut ipse æternus est, quem omnes in vnum creaturæ laudant & commendant, ita & laus eius nominis perseuerat sicut Psal. inquit: *Sit nomen Domini benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.* Quid enim est ante solem, nisi ante omnem mutabilem crea- *Ioan. 1.* turam? Nam sicut scriptum est, Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & verbum caro fa-* *Luc. 1.* *ctum est.* Et iterum Luc. 1. *Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur*, est igitur nomen, quod permanet in æternum, Quarto ab eius laude nullum remouendum est opus. Vnde Apost. ad Col. 3. ait: *Omne quodcunque facitis in* *Coloss. 3.* *verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite.* Optimus n. ordo est vt totius vel verbi, vel operis à nomine Domini Iesu nobis origo & initium *A Iesu principium vel operis, vel sermonis sumendum.* sumatur, & in Iesum consummatio referatur. Nam & per Dominum nostrum Iesum Christum orationes Ecclesiæ terminantur. Quare si dormitum accedis, si inde resurgis: si cibum vel potum sumere incipis, aut desinis: si scribis: vel legis, seu aliquid aliud operaris, nomen Iesu, seu Iesu Christi reuerentialiter interponas, exemplo Pauli, qui hoc seruabat. Vnde Act. 18 a. *Act. 18.* scriptum est: *Disputabat autem Paulus in Synagoga per omne sabbatum interponens nomen Domini Iesu*: suadebatque Iudæis & Græcis hoc nomen in vsu. O igitur *Nominis Iesu encomia.* nomen Iesu exaltatum super omne nomen, ô triumphale nomen, ô gaudium Angelorum, ô lætitia iustorum, ô pauor inferorum: in te omnis spes veniæ, in te omnis spes gratiæ, in te omnis spes gloriæ: ô nomen dulcissimum, tu peccatoribus veniam præstas, tu mores renouas, tu mentes diuina dulcedine reples, tu phantasmata pellis: ô nomen gratiosum, per te alta *Nomen gratiosum.* mysteria reuelantur, per te ad diuinum amorem animæ inflammantur, roborantur in pugna, & à cunctis periculis liberantur. O nomen gloriosum, nomen de- *Nomen gloriosum.* siderabile, nomen delectabile, nomen admirabile, nomen venerabile. Tu dulcissimum nomen regis Iesu sic paulatim ad cœli fastigia per gratiarum charismata mentes fidelium sursum rapis, vt omnes, qui ad deuotionem huius nominis intrant, virtute eius gloriam inueniant & salutem, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto gloriosus regnat in sæcula sæculorum, Amen.

In Epiphania Domini nostri Iesu Christi.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur præcipuè in hoc Sermone.

Hic Sermo, qui est Epiphania Domini nostri Iesu Christi, continet tres articulos, quorum primus, secundus, & tertius, tria continet capita.

Articuli 1. De tribus, quæ admiratione sunt digna in Magis & in Scribis & in Herode,

Cap. 1. De triplici stella, quia illuminati sunt sanctissimi Magi.

Cap. 2. De admiranda cæcitate Scribarum circa ea quæ in summo desiderabant.

Cap. 3. De admiranda obscuritate intellectus Herodis circa illa de quibus tremebat & expauescebat.

Articuli 2. De admirando fidei feruore istorum sanctorum Magorum erga Dominum Iesum Christum.

Cap. 1. Quod ex multis circunstantiis aduentus Magorum intelligi potest erga Christum eorum feruor admirandus.

Cap. 2. De magna fiducia quam Magis sanctissimis præbuit fides Christi.

Cap. 3. De admirabili gaudio quo repleti sunt Magi in reapparitione iam visa stella.

Articuli 3. De aliis tribus per quæ admirandus apparuit sanctorum Magorum feruor,

Cap. 1. Quam admirabile fuit Magos non scandalisari, in signis humilitatis Christi.

Cap. 2. De admirando mysterio adorationis, & oblationis sanctorum Magorum.

Cap. 3. Quod admirabile est quod ab Euangelista non commemoratur, Virginem Magis fuisse aliquid locutam.

SERMO

Sermo III.

Matth. 2.

Tribus miraculis præsens solemnitas decoratur.

VIdimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum, scilicet Iesum. Matth. 2. & in Euangelio hodierno. Tribus quippè miraculis præsens solemnitas decoratur. Primò adoratione paruuli, secundò consecratione baptismi, tertiò operatione miraculi. Fatetur n. Ecclesia, decimatertia die primi anni puerum Iesum adoratum à Magis, decima tertia die 30. anni Iesum iam virum effectum à Ioanne in Iordane baptizatum fuisse, sicut Luc. 3. c. ait, *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum* 30. *(Luc. 3.)* Insuper decimatertia die 31. anni ab ipso Domino Iesu primum miraculum factum est, cum in nuptiis aquam in vinum conuertit. Proinde Ioa. 2. c. ait: *(Ioan. 2.)* *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.* Nec tamen habetur ex sacro textu, quod hæc tria sint talibus temporibus celebrata. Hæc tamen ab vniuersali Ecclesia per solemnem celebrationem tradita sunt. Sicut quod Christus natus sit. 8. Cal. Ianu. quod hoc etiam non habetur ex textu. De huiusmodi autem dicit Aug. in l. 1. c. 1. ad Ianuarium. Illa inquit, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum seruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apost. vel consilij plenariis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata atque statuta, retineri. Sicut quia Domini Passio, & Resurrectio, & in cœlo Ascensio: & Spiritus sancti Aduentus anniuersaria solénitate celebrantur. Et si quid tale aliud occurrit, quod obseruatur vniuersa Ecclesia quacunq; se diffundit. De his igitur tribus hoc ordine, & tempore à Domino perpetratis solemnia celebramus. Et ad hoc clarius innuendum hodie sancta mater Ecclesia agit de paruuli Iesu adoratione: octauo vero die de baptismi eius consecratione: sed & Dominica post Octauas Epiphaniæ de prædicti primi miraculi perpetratione: eodem videlicet ordine, quo hæc ab ipso Domino gesta traduntur. *(Hæc festiuitas triplici nomine designatur.)* Propter hæc omnia tripliciter hæc solemnitas nuncupatur, sc. Epiphania, Theophania, & Betphania. *(Epiphania cur dicitur.)* Epiphania namque dicitur ab epi, quod est supra, & phanos, quod est apparitio, vel manifestatio, quasi desuper per stellam facta Magis apparitio, vel manifestatio, & pertinet ad miraculum primum. Pro secundo vero miraculo Theophania denominatur à Theos, quod est Deus, & phanos manifestatio, quasi sanctissima Trinitas in baptismo apparuit in extrinseco signo. *(Theophania cur.)* Pro tertio miraculo Bethfania appellata est à beth, quod est domus, & phanos quia in nuptiarum domo diuina potentia Christi manifestata est. *(Betphania cur.)* Primum Itaque miraculum celebrat Ecclesia in solemnitate præsenti, agens de sanctorum Magorum adoratione deuota. Magorum igitur diuinæ instructionis oraculo quærentium regem natum, causam, modum, & finem, verba sunt ista: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* In quibus sacratissimis verbis tres admirandi amores istorum Magorum per ordinem denotantur. *(Triplex amor Magorum.)* Primus est amor irradiatus, cum dicunt, *Vidimus stellam eius in Oriente.* Secundus amor inflammatus, cum addunt, *& venimus.* Tertius est amor quietatus, cum subdunt, adorare eum. Vt sic tota eorum anima in triplici commendetur amore. Intellectus in amore irradiato, affectus in amore inflammato, & memoria in amore quietato. De hoc quoque triplici amore horum sanctorum Magorum, Isai. 49. Prophetarum est, vbi dicitur, *Reges videbunt*, hoc quoad primum, *& consurgent principes*, quoad secundum: & *adorabunt*, quoad tertium. *(Isa. 49.)* Et potest esse aliud thema in præsenti sermone. Hi tres amores sanctorum Magorum describuntur ab Euangelista Matth. in secundo capite, & in Euangelio præsentis solemnitatis.

ARTICVLVS PRIMVS,

De tribus, quæ admiratione sunt digna in Magis & in Scribis & in Herode.

PRimus quippè amor istorum Magorum, fuit amor irradiatus, scilicet in mente per fidem luminosam, & in corpore per stellam radiosam: In hoc quippe amore comprehenditur triplex medium secundum Prophetas, ad probandum Christum esse regem Iudæorum. *(Amor istorũ Magorum in hoc amore triplex medium.)* *(Ad probãdum Christũ esse Regem.)* Primum est tempus, secundum est signum, scilicet nouæ stellæ ortus, tertium est locus. Primum medium est tempus. Et de hoc Matth. in Euangelio inquit, *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis* Ad literam, Propheterauerat enim Patriarcha Iacob, Gen. 49. *(Genes 49.)* *Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de fæmore eius &c.* Vbi Chaldaica translatio habet, donec veniat Messias. In qoo manifeste ostenditur illo tempore Christum nasciturum esse, quando deficeret Rex, & Dux de populo Iudæorum, quod impletum est in Herode. *(Quando Christus nasci debebat.)* Nam vsque ad trasmigrationem Babylonis habuerunt reges de tribu Iuda: & postea Duces, sicut patet de Zorobabel. 1. Esdre 2. c. & sic vsque ad Herodem habuerunt eos. *(1. Esdr. 2.)* Hic fuit natione Idumæus, & per consequens alienigena. fuitq; sibi datum regnum Iudæorum ab Imperatoribus Romanorum, & Hoc cum militibus ad acquirendum ipsum. Et ibidem capto Antigono, & postea interfecto Herodes occupauit regnum, vt refert Iosephus in lib. antiquitatum. Hæc Nico. de Lyra. Secundum medium, est signum, scilicet nouæ stellæ ortus. *(Secundum medium.)* Et de hoc subditur à Matth. *Ecce Magi ab oriente*, secundum enim glos. sumptam à verbo super Matth. quidam dicunt eos fuisse Chaldæos, alij Persas, vt Chrys. alij de vltimis finibus terræ. Alij de terra Balaam, quæ secundũ Remig. non distat a terra promissionis. *(Quinam fuerint Magi.)* Quodcumque istorum fuerit, bene dicitur ab Oriente: quia omnes istæ regiones ab Oriente sunt respectu Iudææ, licet Chaldæa magis sit ad aquilonem, secundum Hier. Chry. quoque de hoc ait: Vnde dies nascitur, initium fidei processit, quia fides est animarum lumen. *(Fides est lumen animarum.)* Venerunt Hierosolymam dicentes: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Prophetauerat enim Balaam Num. 24. *(Num. 24.)* *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israel*, &c. Vbi ostenditur, quod ortus nouæ stellæ apparentis, erat signum Christi nascentis. Vnde in hora natiuitatis Domini apparuit stella noua in terra Orientali respectu Hierusalem, vt habetur Num. 24. *(Num. 24.)* Hi reges dicti sunt Magi, non à magica arte, sed à scientiæ magnitudine. *(Hi reges cur Magi dicuntur.)* Quos enim Philosophos Græci, Persæ Magos, Iudæi Scribas, Latini magistros appellant, sicut quidam dicunt. Reges insuper dicti sunt, quia illo tempore in partibus illis regnabant Philosophi sapientes. Hi siquidem nouam stellam videntes, cognouerunt per relationem diuinam, quod illa erat, de qua dixerat Balaam. Vnde statim mouerunt se de locis suis, vt venientes adorarent puerum natum. Sequentes stellam venerunt in Iudæam decimatertia die, quia terra quam habitauit Balaam, non multum à Iudæa distabat. Intrantibus autem ipsis Iudæam, stella ex dispositione diuina disparuit: vt necesse haberẽt recurrere ad regiã ciuitatẽ, quæ erat Hierusalem, ibique requirere de Christo nato. *(Dominus fecit disparere stellam triplici ratione.)* Hoc quidem factum est à Deo triplici ratione. Primo propter ipsos Magos, vt qui priùs admoniti fuerãt cœlesti signo, confirmarentur etiam dicto prophetico ex Doctorum Hebraicorum responso, sicut infra patebit. *(Propter Magos.)* Secundo autẽ propter Christum, vt natiuitas eius nunciaretur in regia ciuitate, ac per consequens Iudæi Christum non recipientes, inexcusabiles haberentur. *(Propter Christum.)* Tertio propter mysterium, vt mysticè figuraretur, quòd fides Christi erat à gẽtibus deuote suscipienda, & a Iudæis pro maiori parte in sua perfidia remanentibus respuenda: quia Magi, qui Gentiles erant, ipsum Christum deuote quæsierunt, & inuentum adorauerunt: ad quæ *(Propter mysterium.)*

sacerdotes Iudæorum Christum audientes natum per cœleste signum in nullo sunt moti ad ipsum quærendum, seu etiam venerandum. Hæc secundum Nico.de Lyra. Tertium medium est locus, scilicet à Michæa determinatur. Et de hoc subditur à Matth. *Audiens autem hæc Herodes rex*, sci. Christum esse natum per manifestum cœli signum, *turbatus est*, scilicet timens priuari regno, & *omnis Hierosolyma cum illo*. Et hoc adulatoriè quidem: vel quia mali lætari non possunt de bono, nec carnales de facto spirituali, secundum Chrys. aut oouitate miraculi, secundum Magistrum historiarum. Et fortè propter hæc omnia secundum varietatem passionum, & conditionem turbati sunt. *Et congregans omnes principes Sacerdotum, & scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur*, scilic. secundum scripturas Prophetarum. *At illi dixerunt, in Bethleem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetam*, scil. Michæam, 5. c. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël. Tunc Herodes clam vocatis Magis*, scilic. propter Iudæos, quos suspectos habebat in hoc, secundum Chrysost. *diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens eos in Bethleem dixit. Ite & interrogate diligenter de puero*. Non dicit de rege sed de puero. *Et cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*. Falsum spondet obsequium, vt facilius decipiat eos, & vt ad redeundum per eum inducat: in serie huius textus triplex nobis admiratio demonstratur. Prima, vnde fuit in Magis tanta intellectus illuminatio. Secunda, vnde fuit in Scribis tanta intellectus obcæcatio. Tertia, vnde fuit in Herode tanta intellectus obscuratio.

Tertium medium. *Mali lætari haud possũt de bono.* *Mich 6.* *Falsũ spondemus obsequium vt facilius decipiamus.* *Triplex admiratio.*

De triplici stella, qua illuminati sunt sanctissimi Magi.

Cap. I.

Prima quippe admiratio est, vnde fuit in Magis tanta intellectus illuminatio. Quæramus hoc confidenter ab eis. Dicite nobis sanctissimi Magi, vnde in vobis tanta illustratio intellectus? vnde in vobis tantum ortum est lumen? vnde in vobis tanta limpiditas virtutum? Respondent profectò. Vidimus stellam eius in Oriente. O cum quanto lumine responderunt: nam fatentur, quod stellam videbant, stellam quærebant, & stellam habebant. Prima erat stella elementalis siue corporalis, secunda erat stella virginalis, tertia erat stella virtualis. Prima stella, quam videbant, erat elementalis. Et hanc tripliciter consideremus. Primò eius formam, secundò eius causam, tertiò eius horam. Primo inquam consideremus eius formam, differebat enim ab aliis stellis in quinque. Primò in quidditate, secundò in quantitate, tertiò in qualitate, quartò in localitate, quintò in processionalitate. Primo enim differebat in quidditate, quia erat elementaliter mixta. Aliter in aëre non fuisset visa. Secundo in quantitate, quia dimensionaliter parua. Nam si parua non fuisset, non potuisset puerum particulariter demonstrare, quia totam vnam magnam cooperuisset ciuitatem, si extitisset de illis, quæ sunt in cœlo. Tertio in qualitate, quia intercalariter visa. Nam vicissim latebat & lucebat. Vnde Magis Iudæam intrantibus latuit, & egredientibus ciuitatem patuit: vt prædicantis scripturæ, & apparentis stellæ duplex testimonium Magos lætificaret. Quarto in localitate, quia innaturaliter sita. Aliter Magos non dirigeret rectè præcedendo ad locum, vbi erat puer, nisi in aëre sita. Quinto in processionalitate, quia irregulariter mota. Vnde Augustinus. Vt plenum Christo præstaret officium vel obsequium, temperauit gradum, donec Magos perduceret ad puerum: obsequium præbuit, non imperium, adduxit hospitium, irradiabat amplissimo lumine, tecta perfudit, sicque discessit. Hæc Augustinus, & Chrysostomus ait, Stetit supra caput pueri, quasi dicat Hic est vt quia loquendo monstrare non poterat, stando monstraret. Et hæc sufficiant quantum ad formam eius. Secundo consideremus eius apparitionis causam. Circa quod aduertendum est, quod stellæ quæ sunt in cœlo, triplex officium habent. Primum distinguere tempora, secundum figurare naturalia, tertium influere in ista inferiora, s. causando eorum generationem atque corruptionem: nihil tamen super liberum arbitrium possunt, cum etiam ipse Ptolemeus Astrologus dicat. Iudicia, quæ ego tibi trado, sunt inter necessarium, & contiogens. Et iterum ait Astrologus. Non debet dicere ratio specialiter, sed vniuersaliter, quia sapientis anima dominabitur astris. Hæc autem Magorum stella ad nihil supradictorum apparuit illis, sed solum vt Saluatoris ortum, viam, locumque ostenderet: lumenque fidei, atque statum credentium præmonstraret. Nec tamẽ hora natalis, est hora fatalis. Nascuntur enim sub eodem constellationis puncto difformes in naturalibus, vt perfectus, & monstruosus: In moralibus vt reprobus & electus: In artificialibus, vt bebes & industrius: In cõditionalibus: vt liber & seruus. Et econtra sub diuersa constellatione cõsimiles oriuntur. Nec enim hæc stella dat occasionẽ erroris, s. quod Christus sit natus sub stellarũ decreto, sed magis ostenditur, quod stellæ sunt sub eius imperio constitutæ. Proinde Gregor. Dum non puer ad stellam, sed stella ad puerũ venit, non fatum pueri stella dici potest, sed si dici liceat illius stellæ fatum, is qui apparuit, puer fuit: Licet autem quidam vocent fatum id, quod Deus facit concurrentibus omnibus causis in regimine vniuersi: nullo tamen modo dici potest, quod effectus fatalis sit aliqua influentia stellæ ad coactionẽ voluntatis humanæ. Et quia communiter errantes fatũ appellant: ideo hoc nomen valde suspectum est licet à Boëtio in quarto de consolatione, sub priori sensu acceptum sit. Tertio consideremus eius apparitionis horã. Licet enim Chry. in Homil. 6. super Matthæum dicat, quod in forma pueri crucem in capite habentis Magis apparuit, & quod de nato puero viam instruxit. Insuper quod biennium apparuit ante Christi natiuitatem: tamen hoc ab aliis communiter non tenetur. Hæc tamen Chry. recitat, non affirmat. Communiter tenetur, quod apparuit hora natiuitatis. Vnde August. Eo nascente lux noua in terra est reuelata, quo moriente solis est claritas obscurata. Hieronymus quoque in glo. ait. Stella dominicæ natiuitatis nuncia, nunquam prius apparuit, sed eam tunc puer creauit, & Magis præuiã deputauit, quæ peracto officio mox esse desiit. Et hæc est de prima stella, quam Magi videbant, quæ erat elementalis. Secunda stella, quam quærebant, erat stella virginalis. Vnde glossa, noua stella, nouum hominem indicat. Stella profectò est ipse Iesus, qui de se Apocal. vlti. inquit, *Ego sum radix, & genus Dauid, stella splendida & matutina*. In quibus sacratis verbis ostendit se Iesus omnium sequentium, se scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum perfectum ducem. Incipientium, cum ait, *Ego sum radix*. Non ait, Ego sum de radice Dauid, quáuis & hoc etiam secundum carnẽ intelligitur: sed ait, *Ego sum radix*, id est radicale principium, & fundamentum, & nutrimentũ totius regni Dauidici, & totius cultus Dei in ipso fundati, & in aliis deriuati. Est si quidem radix propter influentiam omniũ gratiarum. Io. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia*. Nam omnes incipientes, quasi rami in hac radice viuificantur vita dilectionis. Per hanc radicem ornantur frondibus efficacis, & fructuosæ locutionis, & floribus redolentis conuersationis. Per hanc radicem fœcundantur fructibus strenuæ operationis, & suanis degustationis. Vnde Propheta ait, *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo*. Secundo ostendit se ducem proficientium, qui per luctam contra diabolum, peccatum, & mundũ manu forti proficientes ionat. Ideo subdit, *genus Dauid*. Et non dicit de genere Dauid, sed genus Dauid, idest, principale caput, & principium totius generis, & generationis eius, Dauid manu fortis interpre

Prima, vnde fuit in Magis tanta illuminatio. *Tres stellæ.* *Prima tripliciter considerãtur.* *Stella differebat ab aliis quintupliciter.* *Christo stella præstat obsequium.* *Stella, quæ sunt in cœlo triplex officiũ habent.* *Sapiens dominatur astris.* *Quid fatũ potest dici.* *Qua hora stella apparuit vel quo tempore.* *Stella est ipse Iesus.* *Iesus perfectus Dux incipientiũ.* *Apoc. 22.* *Ioan. 1.* *Psal. 33.* *Christus proficientiũ.*

Dauidis nomen interpretatur. Eph. 6. Rom. 6.

intetpretatur. Nam iuuat proficientes forti manu *contra spiritalia nequitia in cælestibus*, Eph. 6. Iuuat etiam eos contra peccatum, *vt vltra non regnet peccatum in vestrum mortali corpore, sed destruatur corpus peccati.* Rom. 6. Iuuat insuper contra mundum, contra concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, & contra superbiam vitæ. Proinde Apost. Ephes. 6. tales

Contra omnia iuuat Christus. Eph. 6. Perfectorum dux est Christus.

hortatur, dicens? *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius.* Tertiò ostendit se ducem omnium perfectorum dicens, *stella splendida & matutina*, stella dicitur propter puritatem innocentiæ: splendida propter charitatem refulgentiæ ad alios: sed matutina propter splendorem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Et hæc est stella, quam quærebant Magi: scilicet

Tertia stella est virtualis.

filium Dei Iesum. Tertia autem stella, quam isti Magi habebant, erat stella virtualis, scilicet fides, quia Iesum credebant esse Dominum Deum suum. Quærebant quidem stellam humanitatis, & credebant stellam diuinitatis, & hanc secum gerebant De hac fidei stella,

Eccl. 5.

Eccle. 5. c. scriptum est: *Quasi stella matutina in medio nebula, & quasi luna plena in diebus suis lucet.* Est enim fi-

Fidei encomia. Descriptio fidei explicatur.

des. Primo quasi stella pura entitate, clara venustate, firma auctoritate. Secundo dicitur matutina, quia est scilicet virtus prima. Vnde Hebr. 11. Apost. ait: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur autem fides substantia, quasi substans, id est fundamentale principium. Tertio dicitur in medio nebulæ, propter statum præsentis miseriæ inuolutæ caligine, tanquam speculum in ænigmate. Vnde 2. Pet. 1. c.

2. Pet. 1.

Quasi lucerna ardens in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur visionis beatæ. Quarto dicitur luna lucens, dum non obtenebratur errore, non obliquatur intentione, sed perficit opera in dilectione. Hæc lucet in diebus suis, idest durante statu præsentis vitæ. Hanc stellam habebant sanctissimi Magi, quæ intellectum eorum de filio Dei nato clarius illustrabat.

De admiranda cæcitate Scribarum circa ea, quæ in summo desiderabant.

CAP. II.

Secunda admiratio.

SEcunda admiratio est, vnde fuit in Scribis tanta intellectus, obcæcatio. Valde profectò mirabile est, quomodo Scribæ & Pharisæi, qui à Magis talia audiuerunt, & qui talia de Christo in Prophetis sibi promissa legebant, non curauerunt saltem per vnum nuncium

Cæcitas mirum Magorum vndenam originem habuit.

pertingere ad indagationem tanti facti. Maximè cum iudaicus populus nihil anxius, nihil desiderabilius, nihil omnino concupiscentius expectabat, quam suum Messiam, & Regem, quem magi apertè nunciabant iam natum. Huius autem iudicij Dei hanc cæcitatem permittentes patens ratio potest esse: quia iam tunc temporis incrassatum, impinguatum, dilatatum, ingrauatum, & obtenebratum erat illorum cor ad ista inferiora, & ideo iusto iudicio Dei, atque oculto neglexerunt atque despexerunt quærere Christum. Huius consimile reperies in consimilibus temporibus, quia semper homines his consimiles, aut mentis lethargia oppressi, opera Dei negligunt attendere, & paruipendunt, aut illa oppressi furia persequuntur.

De admiranda obscuritate intellectus Herodis circa illa; de quibus tremebat, & expauescebat.

CAP. III.

Tertia admiratio.

TErtia admiratio est, vnde fuit in Herode tanta intellectus obscuratio. Cum enim tanquam tyrannus verus, semper de suo dominio trepidaret, & ob hoc de aduentu Magorum turbatus esset, atque de venturo Re-

Cæcitatis spiritualis Herodis origo.

ga à Scribis & Pharisæis seiscitatus diligenter didicerit tempus stellæ: ideo mirabile est, quomodo vel cum eis, vel post eos non miserit aliquos pueri exploratores.

Propterea notandum est, quod in his, & consimilibus mire refulget occulta dispensatio Dei, miris & occultis modis impediens eorum intentum, qui sibi, & suis impie aduersantur. Patet insuper in tanta cæcitate Iudaici populi, & Herodis, quod cum status clericalis & sæcularis in odio Dei est, aufert illis sensum. Proinde Isa. 6. c. De talibus Dominus ait, *Vade, & dicet populo* *Isa. 6.*
huic. Audite audientes, & nolite intelligere: videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum. Et dixi, vsquequo Domine? Et dixit? Donec desolentur ciuitates, absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta, & longè faciat domus homines.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De admirando fidei feruore istorum sanctorum Magorum erga Dominum Iesum Christum.

Secundus est amor qui inflammatus.

SEcundus amor istorum sanctorum Magorum est amor inflammatus, quia in themate subdunt. *Et venimus*, scilicet velocius currentes affectu, quàm gressu. Vnde in Euangelio Matth. subdit, *Qui cum audissent regem abierunt*, scilicet recedentes de Hierusalem, vt irent versus Bethlehem, de hoc per Michæam Prophetam edocti. *Et ecce stellam, quam viderant in Oriente*, quæ prius disparuerat, *antecedebat eos vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.* Videntes *autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde*, Quod his verbis, & ex præceden-

Tres aliæ admirationes.

tibus tres aliæ admirationes notari possunt. Prima est de Magorum aduentu, secunda de Magorum ausu, tertia de Magorum gaudioso sensu.

Quod ex multis circunstantiis aduentus Magorum intelligi potest erga Christum eorum feruor admirandus.

CAP. I.

Prima est de Magorum aduentu admiratio. Nihil impedit vere orantem.

PRima quippe admiratio est de Magorum aduentu. Non enim retardauit eos longitudo viarum: quia de extremis terræ finibus, vel saltem de longinqua regione venerant ad Christum. Non eos retraxit difficultas temporum: quas ex regali comitiua ipsos facere necesse fuit. Non delicata teneritudo complexionum: quia delicatè nutriri erant. Non periculum personarum: quia eis fieri poterant insidiæ multæ, sed ascendit, & inflammauit eos fidei feruor, spei vigor, charitatis ardor, & extrinseci luminis splendor, ac interna irradiatio, vel illustratio irradiosior: vt nec de temporis momento potuerint, vel timore personæ, vel amore patriæ cum negligentia, seu desidia aliqua retardari Erubesce Chri-

Confundantur Christum non quærentes.

stiane infelix & miser, non imitari sanctorum Magorum exemplum, saltem postquam Iesus dilectus, & amorosus iam non vnica stella, sed mille millibus miraculis, sanctorum exemplis, martyrum victoriis & triumphis tuam pigritiam excitat, & tuam cæcitatem illustrat: Præcipuè, quia stabulum iam mutauit in cœli palatium, præsepium in regni solium, Virginis gremium in patris sinum, atque consessum, paruulitatem in maiestatem, panniculos & fasciam in gloriosam stolam, lacrymas & vagitus in cœlestes concentus, mutitatem infantiæ in locutionem paternæ substantiæ, societatem bestiarum in multitudinem Angelorum: vt piè timeas ad patris dexteram iam sedentem, quem Herodes timuit matris vbera lambentem? Saltem, quod patefacta gloria te debet attrahere, si non vis benedictos Magos ad adorandum infantiam sociare.

De magna fiducia, quam Magis sanctissimis prębuit fides Christi.

Cap. II.

Secunda de Magorum ausu admiratio. Iustus non veretur tyrannorum potentiam.

SEcunda admiratio est de Magorum ausu. Mirabile quippe est, quod non timuerunt in præsentia Regis tyranni atque iniqui, confiteri dignitatem regalem pueri nati ipsum in terra aliena coram Herodiana furia, atque sæuitia, qui hunc sentiebant tyrannum regem, & tyrannice regem, & iniusta vsurpatione non successione regnare. O sanctissimi Magi, prius Christi confessores, quam contemplatores. An nescitis, quod qui confiterur Regem in alterius regno, regnanti iniuriam facit? An creditis, quod vobis parcat crudelis Herodes, qoi nec filiis suis sua impietate pepercit, sed plures trucidauit ex eis? Qui etiam paruulis innocentibus nefanda crudelitate, & diabolica compositione lac vberum cum sanguine miscuit puerorum. Sed puto, quod vos iam illuminati de fide & à paruulo illustrati, licet non dum videretis eum, cum Apostolo Paulo alligati, & mori in Hierusalem pro nomine Domini nostri Iesu Christi parati estis, vt dicitur de Apostolo Paulo, Actuum 21. *Act. 21.*

De admirabili gaudio, quo repleti sunt Magi in reapparitione iam visa stella

Cap. III.

Tertio de Magorum gaudioso sensu admiratio. Triplex gaudij magnitudo.

TErtia admiratio est de Magorum gaudioso sensu: quia *videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valde*: secundum enim Rabanum hîc inculcatio est verborum, ad designandum magnitudinem gaudij. Est enim triplex gaudij magnitudo, scilicet cogitatus, affectus, & effectus: puto quod hoc dictum sit tantis verbis, tanti gaudij expressiuis: vt intelligi possit, quantum gaudium debuerunt habere: cum viderunt Iesum lucem, quæ in tenebris lucet. Neque recolo me legisse alicubi in scriptura verbum tanti cumulati gaudij, sicut istud, quasi per hoc apertius exprimatur, quod omnis potentia animarum eorum exuberanti gaudio exultauit, ita vt etiam in sensu corporis redundaret: per corporales namque oculos in reuisione stellæ tanta materia gaudij abundauit in corde, quod tota regio cordis sustinere non valens in actualem corporis exultationem prorupit. Nam ait: *Gauisi sunt*, scilicet videndo stellam, *gaudio*, scilicet in intellectu, *magno*, in affectu.

Articvlvs tertivs,

De aliis tribus, per quæ admirandus apparuit sanctorum Magorum feruor,

Tertius amor Magorum quietatus.

TErtius est amor quietatus. In quo quidem sanctissimi Magi quieuerunt: quia in themate subdit, *Adorare eum*, scilicet ipsum verbum Deum. In quo finaliter animæ per beatitudioem requiescunt. Et de hoc hîc subditur à Matt. *Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. Et procidentes adorauerunt eum*, scilicet adoratione latriæ: *& apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* In quibus sacratissimis verbis eorum quietati amoris triplex admiratio demonstratur. Prima, quia non scandalizantur, secunda de eo, quod adorant, & venerantur: tertia de eo, quod non loquuntur.

Alia triplex admiratio.

Quàm admirabile fuit, Magos non scandalizari in signis humilitatis Christi.

Cap. I.

Huius amoris triplex admiratio. Prima.

PRima quippe admiratio est, qood hi sancti Magi non scandalizantur. *Nam intrantes inuenerunt puerum cum Maria matre eius*: Chrysost. Non diademate coronata, aut lecto aureo recumbente: sed vix tunicam vnam habente, non ad ornatum corporis: sed ad tegumentum nuditatis: qualem habere poterat carpentarij vxor peregrè constituta. Et tamen gaudebant mentes Magorum, contemptibilem puerum aspicere: quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat: Inueneruot quippe puerum, quem verissimè credebant Deum suum. Propterea non offenduntur stabulo, non præsepio: non panniculis paupertatis, non solitudine Virginis matris: sed potius attendentes suæ diuinitatis condescensionem, discunt in paruulo profundam humilitatem, in stabulo abiicere pomposiratem, in præsepio carnis austeritatem, in panniculis amabilem paupertatem, in sanctissima Virgine inuiolabilem puritatem.

Scandalum ex leui de causa non sumendum.

De admirando mysterio adorationis, & oblationis sanctorum Magorum.

Cap. II.

Secunda. Tripliciter Magi adorant Deum.

SEcunda admiratio est de eo, quod adorant & venerantur. Nam tripliciter adorant eum. Primò vt creatorem, secundò vt redemptorem, tertiò vt glorificatorem. Et hæc triplex adoratio in eorum oblatione mysticè designatur. Primum quidem adorant eum, vt creatorem. Propterea Euangelista inquit, *& procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Vbi ad literam considera, qnod de triplici substantia adorant Christum. Primò de corporali, quia & procidentes: secundò de spirituali, quia adorauerunt eum: tertiò de temporali, quia obtulerunt ei munera. Plura quippe non habet homo nisi animam, corpus, & temporalia bona: quasi dicat Christo. Omnia nostra tua sunt, & à te habemus, & tanquam tua offerimus verè tua. Rabanus. Adorauerunt eum in carne Verbum, in infantia sapientiam, & infirmitate virtutem, in forma hominis Dominum maiestatis. O sapientes Magi, quid agitis? In fascia puerum adorare? Adoramus, inquiunt, & sapienter facimus: quia sicut in assumpto verbo profitemur diuinitatem: sic oportet adorare tanquam principium nostræ creationis. Scriptum est enim Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis.* Hanc quippe adorationem secundum tropologicum intellectum, in sua oblatione mysticè præfigurant, nosque informant quid Christo debeamus offerre, tam in abiiciendo vitium, quam in accipiendo virtutis exercitium. Primò quidem in abiiciendo vitium. Nam aurum præcedit in diuitiis. Thus est excellens in sacrificiis, & significat sublimitatem honoris. Myrrha adhibetur deliciis carnis, & multum præcedit in vnguentis. Hæc profectò paruulo nostro offerimus, cum pro suo amore cum sanctis Magis diuitias, magnificentias, atque delicias, quæ auaritiæ, luxuriæ, atque superbiæ occasionem præstant, feruenter à cogitatione nostra longè abiicimus, & fugamus: secundo in accipiendo virtutis exercitium: vnde exemplo suo sancti Magi nos instruunt, vt Domino offeramus aurum splendentis cognitionis, thus ardentis deuotionis, & myrrham carnis mortificatioois. Secundò adorant eum, tanquam redemptorem, sicut Propheta prædixit cum ait: *Coram illo procident Aethiopes*, id est culpa originali magni, secundum Christi sanguinem candidati: proinde hoc profitendo, simulque nos instruendo, secundo allegoricum intellectum, offerunt ei munera protestando in auro regiam maiestatem, in thure Dei immensitatem, & in myrrha carnis mortalitatem. Tertiò adorant eum tanquam glorificatorem. Venerantur enim in assumpto homine summam diuinitatem: quia ille paruulus Rex erat æternus, & *habebat scriptum in vestimentis, & in fœmore eius, Rex regum, & Dominus dominantium.* Quid enim per vestimentum, nisi assumpta humanitas designatur? Per fœmur, quod est generationis formale principium, quid aliud dignius, quam æterna generatio demonstratur? quasi Beatus Euangelista ostendere velit, quòd Dominus Iesus sit Rex, secundum vtramque naturam.

De triplici substantia adorant Christum.

Quomodo Christum adorauerũt Magi.

Deut. 6.

Quid Christo domino offerre debemus.

Psal. 71.

Magi adorant Christum in glorificatione.

Apoc. 17.

Cur Magi aurũ, thus & myrrhã offerunt.

naturam. In quo quidem glorificabuntur omnes, qui diligunt nomen eius. Ad hoc igitur signandum, simúlque ad nos instruendum, secundum anagogicum sensum, sancti Magi offerunt ei aurum: quod præfigurat in patria splendorem visionis, thus dulcorem fruitionis, & myrrham tenorem incorruptibilis possessionis.

Quòd admirabile est, quòd ab Euangelista non commemoratur, Virginem Magis fuisse aliquid locutam.

Cap. III.

Tertia admiratio.

TErtia admiratio est, quod isti sancti Magi non loquuntur. Cum enim Beata Virgo omnem linguam intelligeret, & loqui sciret, quod omnis scientia post filij Dei conceptum plena esset, mirum videtur quod tam pia mater tam fidelibus, & deuotis filiis, qui tanto feruore, & fide, tantis periculis, & labore, atque expensis venerunt adorare, tanquam Deum filium suum in aliquo non condescenderit per aliquem consolatorium actum, vel saltem per aliquod dulce verbum. Sed profectò deuotè pensandum est, quod Magi tanquam peritissimi viri, veréque in fide illuminati, & in Dei magnalibus irradiati, cum deuotissima matre Christi aliqua singularia colloquia habuerut de altissimis mysteriis Incarnationis, & incarnati Verbi, de altissimis contemplationibus paradisi, de admirandis gratiis, & beneficiis Dei, de moribus virtuosis, & nobilitate virtutum: atque de his, per quæ possent esse perfectissima Christi membra, qui multas instructiones, & magnas consolationes ab ipsa piissima Christi matre susceperunt. Hæc & his similia Euangelista Matthæus in præsenti historia credo, quod scienter omisit, atque summam huius mysterij secundum suum extrinsecum corticem enarrando, reliqua intellectibus, atque deuotis mentibus perscrutanda, & deuotè contemplanda dimisit. Contemplemur igitur & nos, tanquam huic adorationi præsentes horum sanctorum Magorum magnalium Christi sensum, experimentalem intellectum, & gustum. Quis enim deuotus dubitare queat, quòd mater piissima ita deuotis filiis de vnigenito suo in multis consolationibus condescendit? Quis insuper ambigere potest, quod hoc quilibet sanctorum Magorum ardentissimo animo concupiuit, qui tanto feruore, atque labore à terræ finibus ad hoc quodammodo volauerunt? Credo, quod quilibet eorum à dulcissima matre dilectum filium post eius adorationem susceperit in manibus suis, atque in vlnis suis amplexatus sit eum, & suauissimè osculatus. Necnon quòd Simeonis more, aliquod mellifluum iubilando cantauerit. Quasi primus Magus cum Iesum in brachiis suis dulcissime possideret cantando iubilauerit, & quasi tripudiando, dixerit dulcissima verba.

Maria omnes idiomatu gnara.

Magi spiritualia cum Virgine altissima habuerût colloquia.

Quid in hac solemnitate cõtemplari debemus

In Ascensione Domini nostri Iesu Christi in mane.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de Ascensione Domini nostri Iesu Christi in mane, quique continet tres articulos, quorum vnusquisque tria capita.

Sermo IV.

ASCendit Deus in iubilo. Psalm. 46. Cum enim Dominus noster Iesus Christus de cœlorum sublimitate descenderet, & inter homines habitaret, atque ad cœlorum regna rediret, nihil aliud intendere demonstrauit, nisi quod vitam & mores voluit nos docere, quibus illum sequeremur in cœlum, vbi tandem beatificaremur in eo. Proinde Eccles. 1. c. ait: *Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa per circuitum.* Sol iste Christus est. Vnde Malach. 10. *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ. Orietur* in natiuitate, Zachariæ 6. c. Oriens nomen eius. *Occidit* in passione. *Ad locum suum reuertitur* in Ascensione, *ibique renascens*, scilicet effectiuè; quia nos fecit renasci per aquam & Spiritum sanctum. *Gyrat per meridiem*, idest per Iudæos per quos gyrari meritò dicitur: *per circuitum*, quia à Iudæis Ecclesia cœpit, & iterum reuertetur ad eos. Vnde quidam ait: Cœpit ab iis, transfertur ad nos, refertur ad illos nostra fides, & erunt omnes in fine fideles. Iste etiam sol *flectitur ad aquilonem*, hoc est ad gentes in idololatria frigentes. Ad quas bene dicitur flecti, quia ad eas filius Dei principaliter non fuit missus, sicut Matth. 15. cap. ipse ait: *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Lustrat vniuersa per circuitum*, iuxta illud Rom. 11. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* De tertis ergo ad cœlos ascendit, vt nos cœlestes efficeret & ad cœlestia euocaret. Vnde nulla Christi solemnitas tantum deuotas animas eleuat ad superna, quantum præclara dies huius solemnitatis. Hinc Bernard. in sermone de Ascensione inquit: Solemnitas ista, charissimi, gloriosa est: consummatio enim Christi adimpletio est reliquarum solemnitatum, & felix clausula totius itinerarij Iesu Christi Filij Dei. Merito quidem solemnitatis & lætitiæ dies agitur, quando sol iste supercœlestis lætitiæ nostris se præsentauit obtutibus. Magna quoque lætitia & exultatio multa nimis, quando conscisso sacco lætitia circundatus est, & nostræ dedicauit primordia resurrectionis. Veruntamen quid mihi ex solennitatibus istis, si conuersatio mea adhuc detinetur in terris? Dico ergo, non multo mihi minus tolerabilior erit exilij huius habitatio quam gehenna. Denique *nisi abiero, inquit, Paraclitus non veniet ad vos*, &c. Vides ne quemadmodum cæterarum solennitatum ea, quam hodie celebramus, consummationem habeat, & fructum declaret, & augeat gratiam. Sicut enim cætera omnia eius, qui pro nobis natus est: ita quoque eius ascensio propter nos facta est. Hæc Bern. Habet quippe hæc præclara dies tria

Psalm. 46.

Christus vitam & mores docere nos voluit.

Eccles. 1.

Mala. 10.

Zach. 6.

Christus principaliter ad gentes missus non fuit.

Matth. 15.

Rom. 11.

Bernard.

Christi Ascensio gloriosa est.

Ioan. 16.

Bernard.

Hæc præclara dies habet tria

officia in deuotis mentibus operari.

præ omnibus aliis solénitatibus officia in deuotis mentibus operari. Habet enim primo officium eleuandi, secundo officium illuminandi, tertio officium delectandi. Nam per eam memoria eleuatur ad alta, intelligentia illuminatur ad clara, & voluntas dulcoratur ad suauia & æterna, vt simul tota anima post Christũ ad cœlestia subleuetur. Et hæc tria officia in verbo proposito exprimuntur. Primo officium eleuandi tangitur ibi, *ascendit*: secundo officium illuminandi subditur ibi, *Deus*: tertio officium delectandi additur ibi, *in iubilo*. Primum, inquam, officium est subleuandi, quia dicitur quod Christus caput nostrum ascendit, vt memoriam nostram eleuaret ad reminiscentiam æternorum. Quod & anima

Cant. 1.

Secundum officium intellectum illuminat.

Christi sponsa, Cant. 1. postulat dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Secundo quidem ex tali eleuatione sequitur secundum officium, quia intellectus à Deo illuminatur: ideo subditur, Deus quippe interpretatur videns. Nam omnia nuda & aperta sunt oculis eius, vt dicitur Hebr. 4. Dicitur etiam ab effectu videns, quia fecit nos videre per fidei lumen, sicut Propheta inquit, Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Tertio vero ex tali illuminatione tertium officium sequi necesse est, quod est delectatio & dulcoratio voluntatis. Et de hoc Prophera subdit, *in iubilo*, secundũ enim glossam. Iubilus est ineffabile gaudiũ, quod nec taceri potest, nec exprimi valet. Sed secundum Alexand. de Ales, possumus addere dicentes: Iubilus est gaudium habitum pro æternis, quod nec taceri potest, nec exprimi valet. Ad litteram Christus ascendit in iubilo Angelorum, in iubilo Apostolorum, in iubilo Redemptorum.

Psal. 35.

Tertiũ officiũ voluntatis delectatio.

Alex. de Ales.

Christus in Angelorum iubilo ascẽdit ob tria.

Primo cum iubilauerunt Angeli propter tria seu de tribus, scilicet de hominum reparatione, de suæ ruinæ restauratione, & de sui regis exaltatione. Secundo iubilauerunt Apostoli etiam propter tria, scilicet de Spiritussancti certa promissione, de gentium multa conuersione, & de Christi glorificatione. Tertio exultauerunt redempti insuper propter tria, scilicet propter cœli apertionem, propter suam redemptionem, & propter Angelorum associationem. Quæ omnia memoria deuota recolens, & intellectus per fidem intelligens, & affectus in eis congaudens iubilando, cum Abac. 3. cap. ait: *In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Hoc perprobauit miles quidam nobilis natura, sed nobilior gratia: De quo legitur quod ob deuotionem suam perrexit ad Terram sanctam præmissa humili confessione, & sumpta deuotissimè sacra communione, visitare cœpit sanctissima illa loca, in quolibet deuotissimè contẽplãs mysteriosa opera Christi. Cœpit primo visitare locum, in quo Christus annunciatus est. Ibi contemplabatur Dei profundissimam humilitatem, patientiã & benignitatem, deuotionisque dulcore lacrymarum multitudinem effundebat. Abiit ad præsepium Christi. O quis exprimere posset, quanta lacrymarũ effusione terram illam rigabat, illam osculando, labia infigendo: insuper & lingua ex magnitudine feruoris & deuotionis illam lingẽdo? Visitat Iordanem, atque nouo charismatum dono inundatus, baptizatur in illo: de illo potauit, lachrymis rigauit. Et contemplando quasi Angelis præsentibus Christum à Ioanne baptizari conspexit. Ingreditur desertum solitudinis, ibique manens conflictum hostis cum Domino, & Christi victoriã contemplatur. Ascendit montem Tabor, & ibi præsentibus Apostolis, & prophetis transfiguratum Dominum, & sicut Solem eius rutilare faciem, quasi apertis oculis speculatur. Veniénsque ad montem sanctum Sion cœnantibus Apostolis cum Iesu, videt suum sanctissimum sacramentum Dominumque discipulorum suorum humilem pedes abluere. Ingreditur hortum trans torrentem Cedron: liquescit cor eius in Dominico sudore, & agonia: Rabidaque crudelitate videt Dominum capi, & in Hierusalem catenatum immaniter duci, & hinc inde ductum, ligatum, & durè afflictum, & flagellatum conspicit ad columnam. Contemplaturque Dominum condemnatum, & crucem duri supplicij baiulantem compatiens, & lacrymans itinere sequebatur. Caluarium denique conscendens montem Dominum crucifigi, & in cruce fluente sacro sanguine eleuari, Mariamque doloris gladio vulneratam lachrymarum profluuiis, & compassiua amaritudine cordis quasi corporeis oculis cernere videbatur: Replebatque lachrymis loca Dominico sanguine madefacta: Visitat, amplexatur, osculatur, & lacrymis rigat Dominicam sepulturam. Cunctis denique Domini Iesu Christi visitatis locis vltimo venit ad sacrum Oliueti montem, vnde Dominus ascendit in cœlum, ibique totam mentem omnésque animæ vires eleuans ad superna flexis genibus prostrauit se ad vestigia pedum Domini Iesu, quæ reliquit in cœlum ascendens: illa deosculans, illa profluuio lacrymarum irrigans, & corde amoris dulcedine liquefacto brachiis, & manibus eleuatis, & ad cœlum erecta facie inquit: Dulcissime mi Iesu, nescio vbi amplius quærã te, concede mihi quæso ex dulcedine misericordiæ tuæ, vt nunc veniã ad te. Et statim his dictis anima eius ex amoris dulcedine expirauit.

Exemplum militis amoris dulcedine mortui.

Oratio militis ex amoris dulcedine mortui.

Cernentes autẽ consocij sui, & serui, illum esse defunctũ, dolentes & lacrymantes quendam peritum medicũ adduxerunt, vt certa experientia discerent, an defunctus esset, & quæ necis subitaneæ causa extitisset. Quem cum medicus verè mortuum reperiret: interrogauit, cuius naturæ, & conditionis, atque conuersationis hic vir nobilis extitisset. Cui responsum est, quod fuerat vir iucundus, dulcis, amabilis, deuotus & feruidus in amore Dei. Tunc medicus ait: propter excessum amoris, atque dulcoris, & gaudii cor eius scissum est. Apertóque latere eius cor illius scissum repertum fuit, atque in eo scriptum? Amor meus, Iesus. Vides igitur exemplo huius deuotissimi viri, quantum sit animæ eleuatiua solenniras ista. Et merito quidem, quia ascendit Deus, & ascendere facit in iubilo. Circa igitur hanc iubilosam ascensionem tria per ordinem contemplemur. Primò ascensionis antecedentia, secundò ascensionis sequentia, tertiò ascensionis subsequentia.

In corde militis scriptũ amor meus Iesus.

ARTICVLVS PRIMVS,

De tribus iubilis, qui præcesserunt Christi Ascensionem.

PRimò inquam contemplemur Ascensionis antecedentia. Circa quæ tres iubili considerandi sunt. Primus amorosæ conuiuationis, secundus affectuosæ iucundationis, tertius est festiuæ processionis.

De familiari conuiuio, in quo Christus voluit interesse ante suam Ascensionem.

CAP. I.

PRimus est iubilus amorosæ conuiuationis. Sicut enim Marci 16. cap. scriptum est: *Recumbentibus illis vndecim discipulis apparuit illis Iesus.* Recumbebant quidem non solum ipsi, sed vt piè credendũ est, Virgo Beata, & deuotissimæ mulieres Magdalena, & Martha: atque nonnulli alij, sicut diuino inspiramine ordinatum, cum vndecim discipulis conuenerunt ad discumbendũ. Et tunc *apparuit illis* amorosus Iesus, moréque solito astantibus salutatis cum eis viscerosa charitate comedit. *Et* ibi, sicut testatur Marcus, *exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis*, scilicet præteritam, non præsentem: *quia his qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant.* Hæc quidem exprobratio vtilis fuit, tam eis quam nobis. Et vt de sua tarditate priori fortius compungerentur, & ad eius oppositum fortius accenderentur, & animarentur: Nobis enim est in exemplum: & documentũ vitandi consimiles tarditates. Comedit quippe cum eis, vt ostendat cum quanta charitate, & familiaritate se illis exhibuit, atque inuiscerauit. Constat enim, quod tunc nulla necessitate pro sustentatione sui corporis comedebat? sed ad solam

Primus iubilus conuiuationis amorosæ. Mar. 16.

Christus post resur.

con

vestitionem ad familiarem societatem non ad sustentationem conuertebat.

condescendentiam,& familiarem societatem,& visitatem ad eos. Tunc quidem blanda consolatione eos pro ascensu suo ad patrem benignè affatur,ostendens profectò quàm congruum est peractis mysteriis,pro quibus venit,quod cœlorum alta conscendat.Et quidem de patris amore , & de multa circa eos sollicitudine . & de mittẽdo eis Spiritus sancti munere, eos longo sermone consolatus est. Proinde Act.1.Lucas : *Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederẽt,sed expectarent promissionem patris , quam audistis inquit , per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aqua:vos autem baptizabimini Spiritu sancto,non post multos hos dies.* Non tamen determinat , per quot dies:vt mysticè innuatur hic,& in similibus,quod puncta,seu momẽta magnorum operum, & arcanorum non sunt,ne dicam mundo:sed nec etiam Christi discipulis passim,& communiter reuelanda, & maxime antequàm fint plene spirituales effecti , & ab omni animali affectu,& intelligentia deputati. Ad fomentũ enim feruoris,& ad solatium spei,sufficit sensus accelerationis,seu breuitatis.Expergiscere igitur anima Deo deuota,& ad tuam deuotionem assume verba sermonis , quem fecit Iesus in cœna,sicut facit Ecclesia sancta.Vnde contẽplare quòd eis dixit:*Vado & venio ad vos,non turbetur cor vestrum, neque formidet. Si diligeretis me,gauderetis vtique,quia vado ad patrem. Veritatem dico vobis,expedit vobis vt ego vadam.Si enim nõ abiero,Paraclitus nõ veniet ad vos.* Tãta quippe suauitate tenebantur discipuli sui corporalis aspectus,quod impediebantur in sua inuisibilia eleuari.Nam hoc est verè Spiritu sancto abundare , videlicet in inuisibilibus tam diuinitatis Iesu , quam beatitudinis communicatæ animæ Iesu Christi summa contemplatione sustolli.

Act. 1.

Ioan 16.

De admirandis affectibus , atque modis , quibus se habebant in suo recessu ad inuicem Iesus, & discipuli eius.

Cap. II.

Secundus iubilus iucundorum affectuum.

SEcundus iubilus est affectuosæ iucundationis. Attolle contemplationis oculos mens deuota,& intuere quanta pietate simul fruebantur , & liquescebant viscera pietatis maternæ in aspectu filij in carne gloriosa ressuscitati,& in auditu corporalis discessus.Contemplare illos mutuos & flãmeos respectus, quibus illi duo dilecti se mutuis visceribus inserebant & cordialiũ affectionum arcana sibi mutuo refundebãt Puto quippe quòd illas ineffabiles intimationes , & spiritales allocutiones aliis omnino insensibiles , qu bus mater & filius se intima insertione mutuo fatebantur , impossibile sit exprimere vlli linguæ : sed etiam exteriora reuerentiæ signa amorisque indicia , quibus eam Iesus coram Apostolis honorabat:ad magnam reuerentiam, & deuotionem illius ipsos medullitus attrahebat , & inflammabat. Sed hæc honoremus silentio , & menti deuotæ ostendit Christus,quod virtutibus, & miraculis eius datis,ad tantam eos dignitatem efferret, quod illis totum mundum in conuersione subiiceret.Et tamen vt semper eos reduceret ad humilitatem , simul ostendit quod ad hoc non erant idonei , quantuncunque toties informati essent ab eo,nisi illos in plenitudine maiori de nouo Spiritussancti virtute ex alto vestiret. Vnde Lucas vlt. ca. narrat,quod illis ait : *Vos autem sedete hic in ciuitate,quousque induamini virtute ex alto.* Et iterum Ioan.14.cap.ait:*Ego enim rogabo Patrem,& alium Paraclitum dabit vobis,vt maneat vobiscum in æternum.* Ex his verbis patet , quod Spiritussanctus plenè consolabitur eos,omnemque veritatem vtilem ad salutem pro ipsis, & pro aliis eorum cordibus reuelabit , & eos efficiet fortes,vt possint imitari Christum in zelo diuini honoris,& mundi conuersione vsque ad hilarem tolerantiam passionum , & mortis.

Mundus Christo Deo subiicitur.

Luc. vlt.

Ioan 14.

De deuota processione,& suauissima exhortatione facta à Christo discipulis suis.

Cap. III.

Tertius iubilus festiua processionis.

Luc. vlt.

TErtius est iubilus festiuæ processionis. Prædictis igitur in cœnaculo sancto Sion cum inexplicabili charitate,& deuotione completis,tunc sicut Lucas vlt. cap. refert, *duxit eos foras in Bethaniam.* Et forte non inconuenienter intelligi potest : quod eos præcedendo corporali incessu eduxerit per illud viæ spatium vsque ad montem Oliueti , vnde ascensurus erat ad Patrem. Potuit quippe pius Iesus hoc ad consolationem pusilli gregis,quem statim relicturus erat corporali præsentia taliter facere , quod cum solum videret Virgo mater, aliique discipuli,qui cum Domino tunc in monte Sion fuerut congregati, suo aspectu aliis Iudæis:qui forte in spatio viæ erant , vel quibusdam aliis denegato. Porrò nulli dubium est , quod reuerenda Mater cum sanctis mulieribus,& Apostoli cum cæteris discipulis ad montem Sion fuerunt congregati cum multa deuotione,& mẽtis ardore,vt inde Saluatorẽ conspicerent ascensurũ. Ibi quoque illi beati spiritus sanctorum Patrum:quorum forte multi aderant in corpore gloriosi,quos educens Dominus de inferno in terrestri collocauerat paradiso,iussu Domini astiterunt. Adest itaque dilectus Iesus medius inter has duas turmas vtrosque in seipso, & inuicem mirando amore connectens.In baculo namque suæ sanctissimæ crucis pertransiens Iordanem nostræ mortalitatis nunc cum his sanctissimis turmis;vna in se transformata per gratiam,quam ad tempus relinquebat in terris,altera in se ipso glorificata,vel beatificata per gloriam,quam ad suæ ascensionis societatem adducebat,ad cœlos reuersurus erat ad sedem paterni pectoris:in quo æternaliter requiescit:Vtrum autem benedictus Iesus,aliquos de sanctis Patribus , qui astabãt , Virgini matri cæterisque Apostolis conspiciendos monstrauerit,qui & eos sint familiariter allocuti,non est absurdum credere , licet sit temerarium affirmare. Pie tamen pensandum est,quod licet Apostoli illum Sanctorum exercitum non viderent , cum nihilominus sancti Patres cum multa iucunditate cernebant illam sanctissimam Virginem Domini sui matrem,sed & filiam Dominam & reginam suam in cuius ventris benedictione & ipsi à captiuitate educti erant, & beatitudinis gloriam consequuti.Intuebatur quoque cum multa charitatis coniunctione illos dilectos suæ fidei filios,scilicet victoriosos Apostolos, per quorum strenuos actus,& passionum asperos cruciatus debebat crucis Christi trophæum deferri per totum orbem terrarum,vniuersisque orbis in Abrahæ fide æternæ hereditatis possidere promissionem. Adstans igitur dilectus in monte Oliueti cum dulcissima Matre, & discipulis suis,cœpit eorum commota corda ex tali separatione blandis sermonibus demulcere , multaque cum benignitate consolatus est eos.Deinde ad prælia futura confortans illos prædicit eis:In mundo pressuram habebitis , in me autem pacem. Estote ergo fortes in bello,& pugnate cum antiquo serpente , & accipietis regnum æternum.Et state confidenter , quoniam non est pugna vestra,sed Dei.Ego autem præcedam faciem vestrã in Spiritus sancti igne,quoad electos : & inflammabo in circuitu inimicos vestros. Tunc matrem,quãto putas ardore commutam,quantoque in gloriam desiderio ferebatur;Nonne tibi videtur ipse Iesus blanda quasi excusatione matri ostendere desiderium,quo ferebatur ad eam,& quasi verbis apertis dicat;O mea verè & meæ naturæ genitrix,& meæ peregrinationis sedula ministratrix,& particeps omnium laborum meorum. quæ vltimo mecum per compassionem fuisti cruci affixa:maternæ dilectionis teneritudo requireret , vt nunc te mecum in gloria absorberem, nisi horum dilectorum filiorum pusillique gregis indigentia retineret , quibus

Ordo gloriosæ processionis.

Mira in ascensione Domini.

Christus in monte Oliueti matris & discipulorum corda demulcet.

Christus in ascensione pendens matri loquitur.

te matrem conſolatricem,atque magiſtram intima pietate relinquo,teque ipſis vt reginam matrem,& Dominam recommendo. Iterum dilecta mater veniam ad te & ad meipſum aſſumam te, vt vbi ego ſum, & tu in æternum ſis mecum: quia claritatem,quam dedit mihi pater, dabo tibi quam fideliſſima charitate tibi reſeruo. Deinde ad Apoſtolum Petrum ait: Dilecte fili,eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Tibi ſubiicienda tradidi omnia regna mundi, tibique dedi claues regni cœlorum. Nec de mundo aliud erit fixum in cœlo, quam quod tuo diſponetur arbitrio. Et tu mi dilecte Ioannes, memento dilectionis,& gratiæ, qua ſemper tibi mea probaſti oſtendiſſe præcordia, dormiſti ſuper hoc pectus ſanctæ Trinitatis ſacrarium,recommendatæ tibi meæ matris in cruce diligenter exequaris officiū: nam demum per incendium ſacri amoris ad meum finaliter deduceris amplexum. Deinde amoroſo aſpectu conſpiciens Magdalenam ait illi: Filia pulchræ dilectionis,& amoroſæ remiſſionis tene optimam partem, quam elegiſti, quia panem Angelorum etiam in præſenti longo tempore manducabis. Quis quæſo dubitare queat, quod dum hæc Dominus loqueretur: hæc ſua dilecta amplexando,lacrymando,& oſculando tenuerit pedes eius? O anima dulcis Ieſu deuota,ingere te contēplatione mentali illi amoroſo,& delitioſo conſortio, & intuere dilectum Ieſum totum facie affluentem ſignis melliſluæ charitatis,& modis,quibus cōdecens fuit omnium aſſiſtentium conſolari ſuſpitia,quibus per ineffabilia amoris indicia eorum corda in ſe amoroſiſſime transformabat. Lachrymabantur omnes,& dulcoroſo amore corda omnium liqueſcebant, languebant omnes, & quaſi quadam ſpirituali ebrietate dulcoroſi amoris copioſas lachrymas diſtillabant. Quis exprimere poſſet ardores,feruores & ſuſpiria, & languores, dulcores,& altos ſenſus huius cœleſtis cœtus? Arguo meipſum,quod aliquid voluerim balbutire de ſignis & verbis,quibus hæc ſunt geſta: quod licet fecerim,vt legentibus occaſionem tribuerem altius talia contemplari, tamen non ambigo inexpreſſibilia fore.

Chriſtus in aſcenſione Petro loquitur.
Luc. 2.
Chriſtus in aſcenſionis hora Magdalenæ loquitur.
Chriſtus in aſcenſionis hora aſſiſtentium ſuſpiria conſolatus eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De aliis tribus iubilis,qui concurrerunt in Chriſti aſcenſione.

SEcundo contemplemur aſcenſionis conſequentia. Hucuſque pius Dominus,& magiſter ſæpius apparens diſcipulis ſuis & dignis argumentis illos ad fidem reſurrectionis erigens, & confirmans, ſimulque per oſtenſam familiaritatem eos ſibi connectens ſubito diſparebat. Erat ſiquidem tunc in eorum mentibus quaſi hamus piſcationis diuinæ, dum tamen in eis ſtaret quod ei amoroſo dulcore applicarentur. Tunc enim de profunda voragine amoris proprij illos educens, & à ſe ipſis quaſi totaliter eradicans, dum ſic ſubito diſparebat in amorem ſuum,& inuiſibilis gratiæ transportabat. Erat enim ſicut ſolicita *aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans*, expandebat alas ſuper eos, & in virtutis ſua humeris aſportabat. Poſt moltos igitur hos volatus, quibus eorum mentes prouocauit ad ſumma vno completo volatu matris,& diſcipulorum relinquens corpora in terris, ſed ad ſumma eorum ſecum tranſportans corda *eleuatis manibus ſuis benedixit eis*, vt dicitur Lucæ vltim. motuque ſuaui,& plano in conſpectu eorum ferebatur in cœlū. Contemplando igitur conſequentia huius ſacræ aſcenſionis tres quoque alios iubilos conſideremus. Primus eſt condecentis eleuationis, ſecundus numeroſæ lætificationis,tertius mirificæ exaltationis.

Secundo contemplanda ſunt aſcenſionis conſequentia.
Chriſtus inſtar aquilæ.
Deut. 32.
Luc. 24.
Tres alij iubili.

De conuenientibus circunſtantiis, quibus Chriſtus ad cælum aſcendit.

CAP. I.

PRimus iubilus eſt condecentis eleuationis. Seruauit enim ordinem diuina lege ſancitum, Luc. 14. *Qui ſe humiliabitur, exaltabitur*, Et Epheſ. 4. *qui enim deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Reuertitur ad cœlos tanquam bonus obediens completa obedientia quo ad patrem: tanquam bonus mediator facta pace & concordia quoad homines: tanquam ſtrenuus pugnator habita victoria, quo ad dæmones. Iubilauerunt igitur omnes propter tria, quia ſcilicet Chriſtus aſcendit. Primo potenter,ſecundo patenter, tertio ſapienter. Primo enim iubilauerunt,quia aſcendit potenter. Nam virtute propria nullo egens adiutorio ſurſum vectus eſt. Vnde merito cantamus, *exaltare Domine in virtute tua.* Differunt enim aſcenſio, aſſumptio & euolatio. Nam aſcenſio fit virtute propria aſcendentis, & ideo pertinet ad ſolum Chriſtum. Aſſumptio vero virtute Chriſti aſſumentis, quia filius ſpecialiter obſequitur matri,& ideo pertinet ad Beatam Virginem. Euolatio autem fit miniſterio Angelorum, & hoc pertinet ad alios Sanctos. Locus enim euolantium eſt diſtinctio chororum;locus vero aſſumptæ Virginis eſt ſuper choros Angelorum: locus autem Chriſti aſcendentis eſt vltra locum aſſumptæ Virginis. Secundo iubilauerunt, quia aſcendit patenter. Actuum enim 1. dicitur, *videntibus illis eleuatus eſt.* Quod quidem fecit maxime propter tria. Primo propter teſtificationem, ſecundo propter inflammationem, tertio propter ſignificationem. Primo propter teſtificationem, vt ſcilicet aſcenſionis eius,tanquam ab eis patenter viſæ firmiores eſſent teſtes. Secundo propter inflammationem, vt ſcilicet cœleſtis patriæ,& gloriæ, fides & ſpes & deſiderium firmius eis imprimeretur, & vt deſiderium veniendi ad eam excitaretur in iſtis. Tertio propter ſignificationem: ſcilicet vt myſtice innuatur, quod qui non videt Chriſtum aſcendentem,& qui perſpicaci oculo contemplationis eius altitudini, & altæ ſurſum actioni non cohæret,non eſt diſpoſitiuus ad redundantiam ſui ſpiritus ſuſcipiendam. Proinde 4. Regum 2. ob idem myſterium Heliſeo petenti duplicem ſpiritum Heliæ dicit Helias. *Si videris me, quando tollar à te,erit quod petiſti: ſi autem non videris,non erit.* Tertio iubilauerunt, quia aſcendit ſapienter. Nam ſicut prædictum eſt, *eleuatis manibus ſuis benedixit eis.* Vbi piè conſiderandum eſt, quod in principio motus fuit,dum leuaretur in cœlum aliquandiu verſa facie amoroſoque aſpectu intuebatur matrem, & omnes illos filios, & diſcipulos ſuos & eleuauit manus, & hoc triplici ratione. Primo in oblationem, ſecundo in recordationem,tertio in exorationem. Primo in oblationem, hoc eſt vt ſuo patri offerret hoſtiam viuentem. Secundo in recordationem, vt ſcilicet plagæ paſſionis ſuæ in diſceſſu ſuo taliter in eorum cordibus figerentur, quod nunquam de eorum deberent deleri memoria, cum talia ſigna videbant non deleri in cœleſti patria. Tertio in exorationem,vt videlicet oſtenderet, quod illa aſportabat in cœlum, vt eorum oſtenſione pro eis ſupplicaret ad patrem, ac per hoc oſtenderet quod qui ſanguinem pluerat per vulnera illa in ſupplicio crucis, per ipſa eadem tanquā per meritoria inſtrumenta abundantiam Spiritusſancti effunderet ſublimatus in cœlis. Benedixit quoque illi, ſic manibus eleuatis, vt eos contra hoſtes muniret, & in bonis cœleſtibus augeret. Benedixit etiam eis, eo quod iuſti erant: quia vt dicitur Prouerb. 10. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti.* Benedixit eis manibus eleuatis,quia deſuper eſt benedictio electorum:& vt Lucas vbi ſupra ait: Dum benediceret,receſſit ab eis auferens præſentiam corporalem,& benedictionem plenitudinis amoris,& gratiæ derelinquens. Vnum abſtulit,alterum dedit: ſi contriſtauit in vno, lætificauit in altero.

Primus iubilus condecentis eleuationis.
Luc. 14.
Epheſ. 4.
Iubilauerūt omnes propter tria.
Primo quia potenter aſcendit.
Secundo quia aſcendit patenter, quod fecit propter tria.
Primo ad teſtificationem.
Secundo ad inflāmationem
Tertio ad ſignificationem.
Tertio iubilauerunt quia aſcendit ſapienter.
Chriſtus eleuauit manus triplici ratione.
Primo in oblationem.
Secundo in recordationem.
Tertio in exorationē.
Modus benedictionis
Prou. 10.

De

De admirando gaudio Angelorum, & Sanctorum ascendentium cum Iesu.

CAP. II.

Secundus iubilus lætificationis numerosa.

SEcundus est iubilus numerosæ lætificationis, quia cum duabus turmis lætautibus, scilicet Angelorum, & hominum regrediebatur ad cœlum, non quod ibi fuerint Angeli in adiurorium necessitatis, sed in obsequium dignitatis, sicut fertur Papa à suis Episcopis, & Rex à militibus suis. Vnde Leo Papa: Cum audis eleuatum, audis militiæ cœlestis obsequium. Homines quoque illos Deo, quos de inferis liberauit, & qui post resurrectionem vsque ad ascensionem mortui sont de numero saluandorum, nec purgatorio amplius indigebant.

Alex. de Ales.

De hoc secundum Alex. de Ales in 3. Propheta in Psalm. 67. ait: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sinay in sancto Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.*

Et hic est admirabilis propter tria. Primo propter numerositatem.

In quibus sacratis verbis ostenditur hic iubilus admirabilis propter tria. Primo propter numerositatem, secundo propter iucunditatem, tertio propter sublimitatem. Primo propter numerositatem. Ait enim, *currus Dei* & societas, quæ cum Domino ascendebat, quæ dicitur currus Dei, quia obsequio, & honorificentia quodammodo portabant eum, sicut prædictum est. *Iste* inquam *currus est multiplex decem millibus*, id est constat ex innumerabilibus personis:

Alexan. de Ales.

secundum enim Alex. de Ales vsus Græcorum, à quibus translationem istam accepimus, est ponere hunc numerum pro infinito: quasi dicat numerus ascendentium cum Christo tam Sanctorum, quam etiam Angelorum innumerabilis erat.

Secundo propter iucunditatē.

Secundo propter iucunditatem. vnde subdit, *millia lætantium*, scilicet erant cum eo. In millenatio perfecto gaudij cognitionis signatur: quam habebat tota societas illa in contemplatione gloriæ Iesu-Christi, cum esset in substantiali gloria iam beati, quæ gloria quandoque attribuitur

Psal. 90.

visioni: vnde super illud Psal. 90. *Ostendam illi*, scilicet societati Sanctorum, *salutare meum*, idest gloriosum Iesum, glossa ait, quod visio est tota merces. Et est verbum August. 1. de Trinitate, cap. pen. quare autem lætentur, subiungit dicens, quia *Dominus in eis*, scilicet per gloriam, qua beatificat eos: & etiam est *in eis*, id est inter illos ascendendo cum eis in cœlum: *in Sinai in Sancto*, idest in speculatione beata. Sina enim speculatio interpretatur, & Sanctis beatitudinem notat.

Tertio propter sublimitatem.

Tertio propter sublimitatem. Vnde conuertens Propheta sermonem ad ipsum ascendentem in cœlum subdit, *Ascendisti in altum*, scilicet locum: id est, in cœlum, seu in altam dignitatem, quia sedes ad dexteram patris. *Ascendisti* inquam *in altum*, scilicet propria virtute, non portatus ab aliis,

Ioan. 3.

Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo.* Et Micheæ,

Mich. 2.

2. *Ascendet pandens iter ante eos.* Et ascendens in altum cepisti, scilicet in gloriam, & in tuam societatem captiuitatem, id est eos, qui captiui fuerant in limbo.

Zach. 9.

Zac. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti*: scil. prius, *& vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*, scilicet gloriæ. *Dedisti dona in hominibus*, sc. in die Pentecostes, sicut in die Ascensionis promisisti eis.

De admiranda exaltatione Christi ascendentis in empyreum cælum.

CAP. III.

Tertius iubilus exaltationis mirifica.

TErtius est iubilus mirificæ exaltationis. Cum enim paulatim Christus eleuaretur in cœlum, intuebantur eum discipuli, & radios mentis suæ emittebant post eum, atque illum corporali comitabantur aspectu, quamdiu licuit eum videre. Quis exprimere posset gaudium illorum patrum ascendentium ad cælestia regna cum Domino Iesu Christo? Et de hac

Psalm. 17

quippe exaltatione Propheta in Psal. 17. ait: *Et ascendit super Cherubin & volauit: volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum.*

Tria Propheta ponit huius iubilosa exaltationis.

In quibus verbis Propheta ponit huius iubilosæ exaltationis primo principium, secundo medium, tertio terminum.

Primo ponit principium, & ascendit super Cherubin, quod tripliciter intelligi potest. Primo.

Primo ponit principium, & de hoc ait, *Et ascendit super Cherubim*, quod tripliciter intelligi potest. Primo modo ascendit super Cherubin, quia ille ordo seruiebat ei, quando in cœlum ascendit, & hoc non ad necessitatem, sed ad honorem, sicut prædictum est. Adest innumerabilis exercitus cœlestium militum iubilautibus cunctis cantantibus victoriæ Christi gloriosum triumphum, mutuisque vocibus adhortantibus præconia laudis de ascendentis regis victoria sibi inuicem intonabant. Quanto autem cum timore & tremore, terrore, atque dolore, vlulatu, & mentis stridore ille teter & horribilis, vel horridus dæmonum exercitus de illa aeris parte, per quam Christus ascendit, tam proprio terrore, quam Angelorum compulsione aufugit: Porro sicut in electis multiplicata sunt cantica, sic in eis cumulata sunt dolorosa tormenta, atque lamenta.

Secundo.

Secundo modo *Ascendit super Cherubin*, quia super ordinem Cherubin humanitas Christi eleuata sit. Nec ait super Seraphin, sed *super Cherubin*, qui est penultimus ordo in cœlis: quia secundum Alexand. de Ales, vltra Serphin, non est nisi Hierarchia, id est sacer Trinitatis ordo. Si enim diceret super Seraphin, videretur dicere hominem ascendere vsque ad diuinam essentiam, & quod humanitas æqualis esset diuinitati. Quod tamen remouet dicens, Ascendit super Cherubin. Veruntamen Christus homo, & beata Virgo, & loco, & merito sunt super omnes ordines Angelorum.

Tertio.

Tertio modo *ascendit super Cherubin*, quia nulla scientia attingere potest ad eius ascensionem. Vnde alibi Psal. ait, Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua, ex me, confortata est, & non potero ad eam*, scilicet pertingere viribus meis.

Secundo addit huius iubilosa exaltationis medium.

Secundo addit huius iubilosæ exaltationis medium, dicens: *Et volauit*, id est electus est, *volauit super pennas ventorum.*

Quod etiam tripliciter intelligi potest.

Quod etiam tripliciter intelligi potest. Primo modo *volauit*, idest eleuatus est *super pennas ventorum*, hoc est super virtutes animarum. Nam animæ venti denominantur. Vnde Iob 28. *Qui fecit ventis pondus*: animabus corpus.

De volatione Christi super pennas.

Pennæ horum ventorum sunt virtutes, Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas, sicut columba & volabo*, scil. in præsenti vita: *& requiescam*, sc. in alia. Super has pennas volauit Christus, quia gratia sua omnem aliam excedit Ioan. 3. *Dedit ei spiritum non ad mensuram.* Et tunc in hoc notatur, quia omnis gratia est ab ipso.

Ioan. 1.

Ioan. 1. *de plenitudine eius nos accepimus omnes.* Secundo modo *volauit*, id est velociter ascendit. Nam à principio sui ascensus vsque ad communem aeris regionem, licet paulatim & modestè ascenderet: tamen postquam nubes suscepit eum ab oculis eorum, sicut infra dicetur, *volauit super pennas ventorum*, id est citius quam venti. Quod necessarium fuit propter distantiam empyrei cœli. Et est hyperbolica commendatio, vt maior notetur velocitas ascensus eius. Geminatio enim verbi celerem notat eius ascensum:

Alexan. de Ales.

secundum enim Alex. de Ales in 3. Corpus glorificatum quantum est de potestate gloriæ potest non commetiri, & non circunscribi sensibiliter, quia quadam potestate gloriæ est qoasi infinitum, quo ad nos respectu potestatis corporis non gloriosi: & hoc est quod Aug. in quæstionibus de resurrectione inquit,

August.

qood tales sunt motus corporum glorificatorum, sicut motus radij Solis. Vnde ait, quod corpus glorificatum vtraque interualla pari celeritate contingit, vt radius Solis, qui non citius peruenit ad propinquiora spatia opposita, quam remotiora: quia si volantas sit animæ, potest corpus illud ferre impetceptibiliter per spatium longum & breue. Et hoc est de potestate animæ, non corporis. Et hæc fuit celeritas ascensionis Christi, postquam nubes suscepit eum. Tertio quoque notandum

dum est, quod bis inquit, *volauit*, & ad primum nihil addit, sed ad secundum addit, *super pennas ventorum.* Nam primum volauit, ad diuinitatem refertur, cuius virtus est essentia sua: quæ quia tanta est, ideo ad illam nullam facit comparationem. Secundum refertur ad gloriam humanitatis, quæ aliquo modo recipit proportionem: secundum enim Hiero. ostenditur hic Christus velocior vento, leuior quam anima præcellior Angelis, & quibuscunque Sanctis.

Hieronym.

Tertio addit Propheta huius iubilosæ exaltationis terminum.

Tertio autem addit Propheta huius iubilosæ exaltationis terminum dicens, *Et posuit tenebras latibulum suum*, quod etiam tripliciter intelligi potest.

Quod tripliciter intelligi potest.

Primo modo, quod ad literam intelligatur de nube, de qua Actuum 1. Luc. ait: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, quia in quantum hæc nubes abscondit eum, tenebræ nominantur, in qua posuit latibulum suum. Suscepit autem, & abscondit eum hæc nubes propter tria.

Primo. De nube, & hac nubes propter tria.

Primo. Primo, ne si Christus per solam disparitionem ab eorum conspectibus tolleretur, siue per resolutionem, seu per aliam viam, quasi euanuisse videretur, & sic per consequens ascensionem illam potius ascripsissent fantasiæ, quam solidæ veritati. *Secundo.* Secundo vt miraculum repentinæ nubis in sereno cœlo appareret, miraculo ascensionis adiunctum eius prodigiosam efficaciam, & apparentiam duplicaret. *Tertio.* Tertio vt creatura superior, & desuper adueniens suo creatori deseruire, & ad eius obsequium famulatoriè aduenire apertè demonstraretur. Vnde in hac nube erant multitudines Angelorum Christo obsequentium, & nubem regentium. Potuit enim ille exercitus Sanctorum, dum progrederentur ad cœlum, ad celestes ciues intrepida voce clamare: Aperite portas, quia nobiscum Deus. *Psal. 23.* *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales*, vt Rex gloriæ possit intrare. *Psal. 17.* Occurrite cœlestes ciues, *Psal. 67.* *cantate Domino canticum nouum, Psalmum dicite nomini eius. Iter facite ei, qui ascendit super occasum Dominus nomen illi. Nam eduxit vinctos in fortitudine, & electos suos in lætitia.* Secundo modo posuit tenebras latibulum suum in ministerium contemplatiui status, in quo Dominus à Sanctis per priuationem, & super excessum videretur. Et maxime in supremo, & circa supremum contemplatiui ascensus. Designant etiam ibi baculum ecclesiasticorum sacramentorum, & figuralium velaminum scripturæ sacræ. In hoc insuper mystice demonstratur, quod supercœlestium arcana non sumus digni, aut idonei nudè aspicere, immo debent nobis velari, & claudi.

Secundo.

Tertia intelligi potest per has tenebras empyreum cœlum.

Tertio vero modo intelligi potest per has tenebras, posuit latibulum suum, ipsum empyreum cœlum, in quod honore cum toto illo exercitu gloriosus ingressus est: Quod tenebræ nominatur propter excessum splendoris sui. Et hic locus conuenit ei, & omnibus beatis, & beatificandis ab eo & cum eo.

Quod conuenit omnibus beatis, maxime propter tria.

Et maxime propter tria. Primo propter quantitatem, secundo propter nobilitatem, tertio propter speciositatem. *Primo.* Primo propter quantitatem. Si enim minima stella est maior tota terra, & firmamentum quasi in infinitum sit maius stella, & cœlum cristallinum sit decies maius firmamento, & cœlum empyreum sit decies maius crystallino: quam magnum erit empyreum cœlum? Vnde merito Baruch. 3. cap. ait: *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius magnus est, & non habet finem.* *Secundo.* Secundo conuenit ei propter nobilitatem. Nam sicut natura Angelica est nobilissima in spiritualibus: sic cœlum illud in corporalibus. Est enim remotissimum à nostro sensu. *Tertio.* Tertio conueniens ei propter speciositatem, quia vbique est lucidum sicut sol. De cuius pulchritudine Eccles. 43. scriptum est: *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius species cœli in visione gloriæ*: quia in illo cœlo visio est beata. Et ad hoc cœlum ascendit Dominus Iesus Christus cum tota illorum electorum turba. O cum quanto amore commouit pater totam ciuitatem supernam, vt digno applausu filio suo venienti occurrat. Festinant illa agmina ciuium supernorum dignè occurrere regi suo, & verè vnus ex eis non remansit. Exultant simul, seque mutuò interrogant, non sicut ignorantes, sed tanquam stupentes, & admirantes. Interrogant Angeli, respondent Sancti. Angeli quippe exultando dicunt: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Esaiæ 63. quasi dicat: *Isa. 63.* Natura ista humana tota infecta originis sanguinis infectione non consueuit ad summa transmittere ciues suos. Quibus respondebant Sancti: *Iste formosus in stola sua*, id est totus innocens & virtuosus in assumpta natura, qua quasi indutus est gradiens in multitudine fortitudinis suæ. *Dispersit superbos mente cordis sui* id est dæmones infernales, *& exaltauit humiles*, scil. homines. Ad Christum quoque Angeli dicunt: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* quasi dicat. Si in tanta pompa triumphasti, quid est quod apparent signa passionis tuæ? Merito quippe ad solum Christum de sua passione ingerunt quæstionem, quia ipse solus de illius immensitate potuit respondere, propterea inquit, *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*: quasi dicat. Sicut solus immensitatem meæ passionis sustinui, ita solus doloris mei, & virtutis mensuram cognoui.

ARTICVLVS TERTIVS.

De alijs tribus iubilis Sanctorum, qui subsecuti sunt post Christi Ascensionem.

Tertio contemplemur ascensionis subsequentia. Circa quæ tres alios iubilos subiungamus. Primus est cœlestis exultationis, secundus à dextris sessionis, tertius Angelicæ consolationis.

Tertio contemplanda sunt ascensionis subsequentia.

De laudibus & iubilis totius cœlestis curiæ in aduentu filii Dei.

Circa quæ sunt tres alii iubili.

CAP. I.

Primus iubilus.

Primus iubilus est cœlestis exultationis. Quis enarrare sufficiat, quanta lætitiæ exultatione repleta fuit illa ciuitas Beatorum in aduentu regis eorum, & illorum sanctorum Patrum? Cantant & iubilant omnes Angeli & in introitu paradisi dignis vocibus laudant, dicentes: *Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe redemptor*: Nomine, qui Dei rex benedicte venis. Nunc tibi regnanti pandimus, ecce melos, *Benedictus es Domine, qui ambulas super pennas ventorum Benedictus es, qui sedes super Cherubin, & intueris abyssos.* Ecce tunc tecum ascendit Tribus, Tribus Domini, vt confiteantur nomini sancto tuo, & in laude tua glorientur ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua.

Ab omnibus Christus benedicitur.

Benedicant te cœli, terra, mare & omnia quæ in eis sunt: quia iudicasti nationes, implesti ruinas, conquassasti capita mortis dæmonum & inferni. Lætentur cœli & exultet terra: iubilate montes laudem, quia suorum pauperum Dominus est misertus. O cum quanto gaudio & amore ineffabili à nobis illa ciuitas, cuius est participio in idipsum in aduenientibus sanctis hominibus & occurrentibus Angelis coniuncta est in pariete Christo, qui fecit vtraque vnum iubilant concordi voce. Intrantibus denique paradisum omnibus simul in iubilo, & voce tubæ, & regi nostro Iesu psallentibus sapienter dum intraret cœli palatium rex noster Iesus, intonat alta voce ad Patrem. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te venio*, tecum perenniter regnaturus, *clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret* Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem noui te, opus consummaui, quod dedisti mihi. Ego te clarificaui super terram, quos dedisti mihi ego custodiui & nemo de iis periit, nisi filius perditionis

perditionis, vt sacræ tuæ implerentur scripturæ. Tui erant & mihi eos dedisti & sermonem tuum seruauerunt. Et nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti *Omnia Christi Dei sunt.* mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi cognouerunt, & acceperunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti. Pro his ergo rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et omnia tua mea sunt, & mea tua sunt & clarificatus sum in eis & iam non sunt in mundo & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, cum essem cum eis: ego seruabam eos in nomine tuo. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo, sanctifica eos in veritate, quia sermo tuus veritas est. Si tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Non rogo pro eis tantum, sed pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te: & ipsi vnum in nobis sint, vt mundus credat, quia me misisti, & dilexisti eos, sicut me dilexisti. Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem. Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio quam dedisti mihi, in ipsis sit, & ego in eis. Ad hæc Pater benignus & pius potuit respondere. Fili, sicut tu asseris, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: Ego te clarificaui in gloriosa Resurrectione, & iterum clarificabo in Spiritus sancti missione, & per totum mundum effundam, vt oleum nomen tuum: vt in nomine tuo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Et ad hæc benedictus Iesus? Pater inquit, gratias tibi ago, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quoniam me semper audis, quia tu semper dilexisti me,

Quod laudes dederunt Angeli sancti Christo sedenti in throno à dextris æterni Patris.

Cap. II.

Secundus iubilus. SEcundus iubilus est à dextris sessionis. Post hoc autem collocauit eum Pater in altissimo maiestatis *Psal. 44.* throno dicens, *Fili sede à dextris meis. Sedes tua in sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit* *Psal. 101.* *te Deus homo* assumptæ *oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et tu mecum in principio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed & super seruos meos & ancillas, pro quibus me rogasti, effundam de spiritu meo & dabo prodigia in cœlo sursũ, & signa in terra deorsum, vt saluum faciam populum tuum & honorificem in sæcula nomen tuum. Deinde conuertens sermonem suum ad totam cœlestem curiam de throno maiestatis suæ altissimæ intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Seruite ei cum timore, quia ipse est Dominus magnus, Dominus & rex magnus super omnes Deos.* Hoc audistis Angeli laudes Christo dederunt, sicut Apo. 7. Ioan. ait. *Et omnes* *Apoc. 7.* *Angeli stabant in circuitu throni & ceciderunt in conspectu throni in facies suas & adorauerunt Deum dicentes, amen benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, amen.* *Angeli famulantes regiæ maiestati.* Ait enim: *Omnes Angeli stabant in circuitu throni*, scil. tanquam famulantes regiæ maiestati Domini Iesu Christi, & quasi eius exteriorem superficiem apprehendentes potius quàm totalem immensitatem suæ infinitatis, & incomprehensibilis profunditatis. *Et ceciderunt in cõspectu throni in facies suas.* Cum enim miram ipsius Dei humiliationem, qua pro peccatoribus recuperandis dignatus est tam humiliter mori considerant, & peccatoribus in hac vita ipsi qui sine peccato sunt ministrant, quid aliud nisi humilitatem opere & exemplo edocti sibi summopere sectandam intelligunt, in qua diuinam maiestatem se sic exinanisse conspiciunt? Proinde coram throno maiestatis eius in facies *Maiestas Dei ad maximam humilitatem nos inducit.* suas cadunt, cum tantæ humilitatis aspectu ipsi seipsos tanto amplius conditori submittunt, quanto ad eius imperium etiam immundissimis peccatoribus ad salutem non tantum ministrare non contemnunt, sed feruentius eis in futurum auxilium præstare disponunt. Et quo magis illi igni qui Christus gloriosus est, per voluntatem obedientem appropinquant: tanto amplius ex eo accensi per eius dilectionem ardent. Vnde subditur, *Et adorauerunt Deum dicentes, amen.* *Quo Deus amplius diligitur eo efficacius adoratur.* Quo nempe Deus amplius diligitur, eo verius & efficacius à diligentibus adoratur: atque eo vehementior est dilectio, quo multiplicior dilectionis est ratio. Vnde nouem rationes in verbis sequentibus exprimun- *Nouem rationes dilectionis.* tur. Prima est, quia solus saluat de malis, quod notatur cum dicitur *Amen.* Præmiserat enim Ioan. quod *Prima.* *Sancti clamabant dicentes: salus Deo nostro, qui sedet super thronum & agno*, & Angeli tunc respondent, *amen*, id est verè soli Deo saluare conuenit, sicut Prophera inquit, *Domini est salus.* Secunda, quia nihil mali *Secunda.* vult: licet autem quandoque mala velit, sicut cum voluit Iudæos crucifigere Christum: tamen hoc non male voluit, sed bene, & ideo in omnibus operibus suis debetur benedictio, vt de nullo opere eius male cuiquam liceat iudicare, cum omnia iudicia eius iusta sint. Vnde Prophera inquit, Psalmo 18. *Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa. Desiderabilia super* *Psal. 18.* *aurum & lapidem preciosum multum.* Tertia ratio est, quia *Tertia.* omnia clarè intelligit. Nec enim, quia non possit: nec quia non velit: nec quia non sciat omnia bene dispensare, minus diligendus est Deus, *Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius*, vt dicitur Hebr. 4. & ideo dici- *Heb. 4.* tur claritas, scilicet intelligentiæ. Quarta ratio est, *Quarta.* quia omnia sapienter dispensat: & ideo dicitur sapienter. *Attingit enim a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter:* vt dicitur, Sapient. 8. Quinta ratio *Sap. 8.* est, quia omnia gratis donat. *Quis enim*, vt ait Apost. *Quinta.* Rom. 11. *prior dedit illi & retribuetur ei.* Ideo debetur *Rom. 11.* Deo gratiarum actio. Sexta ratio est, quia solus, per *Sexta.* se bonus est. Proinde Luc. 18. Dominus ait. *Nemo* *Luc. 18.* *bonus nisi solus Deus.* Ideo dicitur, *Deo honor.* Solum enim honorandum est, quod per se bonum est. Sep- *Septima.* tima ratio est, quia potest omnia bona facere: vnde *Psal. 134.* Propheta ait, Psal. 134. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis,* Propterea dicitur, Deo virtus, virtus profectu est in faciendo bonum. Octaua ratio est, quia ipse solus *Octaua.* potest repellere omne malum, Cum enim *potestati diaboli nulla potestas possit comparari*, vt dicitur Iob 41. c. *Iob. 41.* & hoc quantum ad conditionem naturæ, solus ille qui fecit eum potentior est eo, qui potentiores eo sunt per gratiam eius hoc potuerunt. Et de hoc propheta inquit: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Pro- *Psal. 103.* fecto superuenientem naturam illudit gratia. Ideo dicitur, fortitudo Deo nostro. Nona ratio est, quia *Nona.* solus habet æternitatem, vt bene dicitur 1. ad Tim. 6. *Timo. 6.* quod *solus habet æternitatem & lucem habitat inaccessibilem*: propterea adiungit, *in sæcula sæculorum*, in scripturis sempiternitas denotatur congaudentes igitur cum Propheta de illo, Patri æterno, *Gloria & honore coronasti eum Domine & constituisti*, &c. Gloria sc. potestate, *Psalm. 8.* & diuino honore vt adorent illum & vereantur. Et ait, Gloria immortalitatis, & honore idest dedit sedere ad dexteram paternæ maiestatis, coronasti eum, scilicet Christum. Et differentia inter gloriam & honorem: quia gloria est in se ad alios, honor in se ab aliis. Per *coronasti*, denotatur quod ista duo, gloria

&

& honor æterna ſunt. *Et conſtituiſti eum*, ideſt æternaliter, *ſtatuiſti ſuper opera manuum tuarum.*, ideſt ſuper omnes creaturas, Col. 1. *Ipſe eſt primogenitus omnis creaturæ.* Et ſequitur, vt ſit in omnibus primatum tenens.

Coloſſ. 1.

Quomodo duo Angeli conſolati ſunt Diſcipulos pro Chriſti Aſcenſione.

Cap. III.

Tertius iubilus Angelicæ conſolationis.

TErtius eſt iubilus Angelicæ conſolationis. Eleuato autem benedicto Ieſu à conſpectu matris & diſcipulorum ſuorum, & ipſis manentibus in monte ſancto Oliueti: quanto putas eos gaudio pro Ieſu aſcendente fuiſſe repletos? Et quia erant adhuc infirmi, quot lachrymas pro ſeipſis, quos cernebant relictos, credis fuiſſe perfuſas? Cogita quantum potes, quia non dignè ſufficies æſtimare cum quanto dulcore oſculabantur recedentis Ieſu illa ſacro monti impreſſa veſtigia: Cum quanto etiam cordis deſiderio languentes reſpiciebant ad ſumma. Sed & benigniſſimus Dominus Ieſus totus affluens pietate ad eos, illos conſolari non deſtitit, ſed & ſui exitus & regreſſus Angelos nuncios ſuos miſit. Vnde circa hunc iubilum tria conſideremus. Primo ſtatum admirationis, ſecundo actum conſolationis, tertio dictum ſatisfactionis. Primo inquam conſideremus ſtatum admirationis. Vnde Luc. Act. 1. ait: *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum* ſcilicet audaci conatu oculorum: ſecundum enim Bedam in Græco habetur in ablatiuo, ſcilicet eunte illo. Vt ſit ſenſus, quod Chriſto eunte in cœlum ipſi intuebantur verſus eminentem cœli locum, ad quem Chriſtus ibat, quia iam nubes abſconderat eum ab oculis eorum, ergo iam non intuebantur in cœlum, ad quod Chriſtus iam ab eis abſconſus ibat. Vnde Beda per hoc arguit, quod Angeli non dicunt eis. *Quid ſtatis* aſpicientes Chriſtum aſcendentem in cœlum, ſed ſolum, quid ſtatis aſpicientes in cœlum. Poteſt tamen ad hoc dici, quod licet Chriſtum in nube non viderent: videbant tamen inuolutum in nube. Proinde intuendo in cœlum, intuebantur ſimul & illam nubem ſurſum euntem. Vnde ſecundum Bedam, noſtræ literæ conſonat, quod poſtea ſubditur, ſic veniet, &c. vt infra dicetur. Secundo conſideremus actum conſolationis. Et de hoc ſubdit Lucas, *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis.* Ait enim, *Ecce duo viri*, id eſt duo Angeli in ſpecie virili. Fuerunt autem duo, quaſi de duplici choro miniſtrorum Chriſti, ſcilicet dextro & ſiniſtro veniſſent, & in ſignum cum corpore, & geminæ charitatis, & in myſterium duorum teſtamentorum concorditer clamantium veritatem, quam iſti dixerunt. *Aſtiterunt etiam iuxta illos*, quia fortè apparuerunt illis in terra, vt familiarius, & humanius & credibilius Apoſtolis perſuaderent, quod ad domum ſuam reuerterentur. In veſtibus albis etiam apparuerunt, velut diem feſtum agentes in nouo ſolemnio Aſcenſionis Chriſti, & vt ſplendorem cœleſtis gloriæ & corporum glorioſorum apertius præfigurarent, & etiam vt ex ſingulari, & iucundo habitu Apoſtolorum mentes ſingularius & conſolabilius immutarent. Si autem quæratur, quare illis apparuerunt. Ad hoc dat Beda duplicem rationem. Primo, vt triſtitiam, quam de Chriſti aſcendentis abſentatione Apoſtoli conceperant, ſui reditus commemoratione lætificarent. Secundò, vt Chriſtum verè in cœlum ire demonſtrarent, & non quaſi in cœlum ſicut Heliam. 4. Reg. 2. c. Tertio poteſt addi, vt Apoſtolos ab vlteriori aſpectu in cœlum, & à ſtando illic reuocarent, & ad loca ſua redire facerent. Stabant enim ibi ſuſpenſi tanquam neſcientes, aut non aduertentes, quid facere deberent, & an Chriſtus eſſet cito rediturus, vel in cœlum diu moraturus. Tertio conſideremus dictum ſatisfactionis. Et de hoc ſubiungit Lucas: *Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* quaſi dicat. Vos de transmigratione Chriſti in cœlum velut Galilæi, hoc eſt tranſmigrantes & tranſmigraturi mirari non deberetis. Sed potuerunt ſimul Apoſtoli reſpondere, Quod habemus reſpicere in cœlum, nonne ipſum continet theſaurum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui noſtrum cor rapuit, nos hic ſine corde relinquens? Non poſſumus ergo de cætero, niſi cum Ieſu in cœleſtibus commorari, & nobis cœlum licet intueri, non terram, Veſtræ autem charitatis miramur feruorem. quomodo dimittentes Regẽ veſtrum ad nos placuit aduenire: ſed nunciate dilecto noſtro, quia amore eius languemus. Et ſubdunt Angeli: *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Per illud ſic, ſatis inſinuant, quod ſicut ſeipſum in cœlum aſſumpſit, ſeu à patre aſſumptus erat: ſic ad eos, & omnes electos in cœlum aſſumendos veniret: vt vna cum eis tanquam caput cum membris totus integer in cœlum abiret. Diſparentibus autem Angelis, & iam ſe diſcipulis vna cum matre ad receſſum parantibus, credendum eſt quod illa ſacra veſtigia & benedictam terram oſculantes cum multa gratiarum actione & gaudio magno Deo gratias retulerunt. Sed ipſam Dominam potes ex dulcedine intueri pro filio iubilantem, & promiſſionem Spiritusſancti dulciter exhortantem & cordis ſui exprimentem affectum. Et ſibi potes attribuere iſta verba.

Circa hunc iubilum tria ſunt cõſiderãda. Primum. Act. 1.

Cur non dicunt Angeli quid ſtatis aſpicientes Chriſtum. Secundum.

Cur in veſtibus albis apparent.

Quare apparent Angeli.

4. Reg. 2.

Tertium.

Galilæus tranſmigrans.

Chriſtus theſaurus noſter.

Ieſu encomia.

Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde pigmentum cælicum:
Qui te guſtant eſuriunt,
Qui bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi Ieſum, quem diligunt.
Mi Ieſu quando venies,
Quando me lætum facies:
Deſidero te millies,
Vt me de Ieſu ſaties.
Mi dilecte reuertere,
Concors paterna dextera
Mundum viciſti proſpere,
Iam cœli regno fruere,
Sequar quocunque ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum cor meum abſtuleris,
Ieſu laus noſtri generis.

Ieſus ſit cor noſtrum.

Et ad diſcipulos ait,

Ieſus in pace imperat,
Qua omnem ſenſum ſuperat:
Hunc ſemper mens deſiderat,
Et illo frui properat,
Ieſus ad patrem rediit,
Regnum cæleſte ſubiit,
Cor meum à me tranſiit,
Poſt Ieſum ſimul abiit.
Vt nos donet cæleſtibus,
Frui cum cœli ciuibus,
Iam proſequamur laudibus,
Ieſum hymnis & precibus, Amen.

Et tunc dimittentes montem reuerſi ſunt Hieruſalem corpore & in ſupernam Hieruſalem ſimul cum Chriſto aſcenderunt tota mente. Hanc ſolemnitatem gratioſo tractatu quidam deſcribit, vbi quaſi tota materia delectabiliter continetur.

IVBILVS DE ASCENSIONE IESV DOMINI.

IEſum ſonet laudis melos,
Rex virtutum ſcandit cælos,
Sublimi potentia.
Totus cœli potentatus,

Illi

Illi exit lauteatus;
Summa cum lætitia.
Iubilant &. admirantur,
Laude ſimul iucundantur,
Circa hæc magnalia.
In dulcorem ſonant voces,
Diſtinguuntur per cohortes,
Aſtra cœli fulgida.
In amorem ſic ardeſcunt,
Quærunt ſic & obſtupeſcunt,
Et reſpondent qui cognoſcunt,
Ieſu mirabilia.

Quæſtio minorum Angelorum, de regis perſona.

Quis rex iſte glorioſus
Sua forma ſpecioſus,
Tanto fulgens lumine.

Reſponſio maiorum Angelorum.

Hic eſt rerum procreator,
Ad lapſi reparator,
Gratuito munere.

Quæſtio minorum de aſſumpta natura.

Quid eſt iſtud quo veſtitur,
Cur maieſtas operitur,
Qua non eget tegmine.

Reſponſio maiorum.

Hæc eſt veſtis illa pia,
Caro ſumpta de Maria,
Non virili ſemine.

Quæſtio Angelorum minorum, de paſſione recepta.

Cur eſt veſtis lacerata,
Et hinc inde rubricata,
Quaſi tincta ſanguine.

Reſponſio Chriſti.

Hæ ſunt plagæ, quas portaui:
Hic eſt ſanguis, quem manaui,
Moriens pro homine.

Quæſtio de comitatu Sanctorum.

Quis eſt iſte comitatus,
Tam ſublimis apparatus,
Quo procedit rex vallatus,
Quaſi cinctus agmine.

Reſponſio.

Hæ ſunt animæ beatæ,
De inferno liberatæ,
Quæ fuerunt captiuatæ,
Pro parentum crimine.

Maiotes & minores laudant aſcendentes.

Ergo cantent in hac die,
Tres cœleſtes Hierarchiæ,
Nato Virginis Mariæ,
Per laudum præconia.
Qui per mortem hoſtem ſtrauit,
Et infernum ſpoliauit,
Et de morte triumphauit,
Reſurgens in gloria.
Sic naturam reparauit
Humanam, ac exaltauit,
Et ruinam reſtaurauit,
Aequa dans faſtigia.
Nunc aſcendit ſic patenter,
Cælos penetrat potenter,
Et tranſcendit excellenter,
Omnium cacumina.
Pater ſtringit, amplexatur,
Vnigenitum teſtatur,
In quo ſolo iucundatur,
Cui dedit omnia.
Iam in dextra patris ſedet,
Vnde ſtande mentes replet,
Et conformes ſibi præbet,
Tribuens chariſmata.
Rex benigne nos conforta,
Semper tibi nos concorda,
In te ipſum nos transporta,
Qui adimples omnia, Amen.

In Aſcenſione Sanctiſſima Ieſu Chriſti infra diem.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone, *Qui eſt de Aſcenſione ſanctiſſima Ieſu Chriſti infra diem, quinque habet tres articulos, quorum vnuſquiſque tria continet capita.*

Articuli primi, Quod propter tria retardauit Chriſtus quadraginta diebus Aſcenſionem ſuam,

Cap. 1. Quod Chriſtus retardauit ſuam Aſcenſionem, vt probaret ſe veraciter reſurrexiſſe.

Cap. 2. Quod Chriſtus retardauit ſuam Aſcenſionem, propter conſolationem Diſcipulorum ſuorum.

Cap. 3. Quod Chriſtus retardauit ſuam Aſcenſionem, vt Diſcipulos ſuos de vita Euangelica informaret.

Articuli ſecundi, De excelſo loco in quem in die Aſcenſionis aſcendit Chriſtus,

Cap. 1. Quod Chriſtus in die Aſcenſionis ſuper omnes cœlos materiales aſcendit.

Cap. 2. Quod Chriſtus aſcendit ſuper naturam Angelicam & humanam.

Cap. 3. Quod Chriſtus aſcendit in cælum, & ſedet ad dexteram Dei Patris.

Articuli tertij, De duodecim fructibus ſanctiſſimæ Aſcenſionis per tres quaternarios diſtinctis,

Cap. 1. De primo quaternario fructuum ſanctiſſimæ Aſcenſionis.

Cap. 2. Secundus quaternarius fructuum Aſcenſionis.

Cap. 3. Tertius quaternarius fructuum Aſcenſionis Chriſti.

Sermo V.

ELeuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. Pſal. 8. [*Pſalm. 8.*] Præclara profecto ſolemnitas huius diei & feſtiuæ lætitiæ plena, cum ſit feſtum feſtorum & ſolemnitas omnium ſolemnitatum: quia ipſa ſola ſummum obtinet principatum [*Aſcenſio ſolemnitas ſolemnitatum & qua de cauſa.*] Primo namque hodie Rex cælorum, Dominus Ieſus Chriſtus, ſuam humanitatem in throno paternæ dexteræ collocauit. Vnde Propheta in perſona Patris æterni inquit, Pſal. 88. [*Pſalm. 88.*] *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo ſemper.* Secundo hodie Angelici ſpiritus nouum diuinitatis guſtum in Chriſto homine acceperunt, dum Deum guſtant in exceſſu amoris naturæ creatæ ſuperpoſitum, & per gratiæ vnionem hominem Deum. In quem ipſi totaliter tráſformati per amoris incendiũ & in illo guſtant Deum. Quod ſummæ dulcedinis ferculum nunquam potuit in illa ſupernorum ciuium, alias ſpirituum, ciuitate guſtari, donec per Ieſum Chriſtum eſt eorum guſtibus dulciter inſtillatum. O quantus iſte [*Electi in Deo dij fiũt.*] guſtus, qoo omnes electi in homine Deo dij fiunt. Merito ergo illum pluſquam ſe diligunt, in quo pluſquam in ſeipſis beatitudinis recipiunt. Tertio hodie etiam il- [*Hodie ſuperna ciuitatis ruina eſt reſtituta.*] lius ſupernæ ciuitatis eſt reſtituta ruina, dum ſpirituum nequam ſancti Patres deſerta ſedilia poſſederunt. Quarto hodie pax per Chtiſtom in terris facta eſt, dum Eccleſia Iudæorum & Gentiliũ eſt vnita. Primo enim nec ipſi Apoſtoli conuertebantur à Gentibus, quibus mandatũ erat à Domino, Matth. 10. [*Matth. 10.*] *In viam gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* Sed nunc mandatum accipiunt à Domino, Matth. 16. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, quaſi

dicat, bonus Iesus: Pax est facta, vnus est pastor & vnum ouile. *Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.* Rom. 10.c.

Rom. 10.

Quinto hodie etiam facta est pax inter hominem & Angelum, dum exercitus Iesu Christi, sanctorum scilicet Patrum, in eisdem ordinibus cum Angelis collocati sunt. Septimo hodie facta est pax inter humanam naturam & Deum, dum ipsam super omnem creaturam in suæ dexteræ collocauit consessu. Secundo hodie omnium electorum mens in cælestia transportatur, thesaurus cordis eorum Dominus Iesus Christus cœlorum alta conscendens eorum corda ibi posuit, vbi consedit. Merito ergo Angeli sancti nos exhortantur ad gaudium tantæ solemnitatis, dicentes cum Propheta, Psal. 117. *Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris*, id est perseueranter semper vsque ad finem vitæ. In cornu quippe finis altaris est. Et ille diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris mente celebrat, qui in deuotione tantæ solemnitatis, vsque in finem vitæ iugiter perseuerat.

Psal. 117.

Christus est altare.

Ephes. 1.

Vel altare est ipse Christus, quia alta res. De quo Ephes. 1. Apostolus ait, quod *Deus suscitauit Christum a mortuis constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Huius altaris cornu ex victoria Christi, qua ventilato diabolo in mundo per passionem, in inferno per resurrectionem, & in aëre per Ascensionem, nobis salutem adeptus est. Vel per cornu intelligitur ipse Christus, secundum gloss. De quo Luc. 1. c. Zach. inquit, *Et erexit*, scilicet Deus in Ascensione, *cornu salutis nobis*, id est ad gloriam nostram. Et ad hoc cornu in Ascensione exaltatum à Patre, Propheta propositum verbum ait, *Eleuata est magnificentia tua super cælos*, quasi dicat. O Pater, magnificentia tua, id est filius tuus, per quem magnificatus es, & quem magnificasti, Ioan. 13. *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Per hoc quod dicit magnificentia tua, notatur in Christo natura vtraque. Notat enim actionem & passioné, secundum quod homo, magnificatus & glorificatus est à Patre: secundum quod Deus, clarificauit & magnificauit Patrem. Hæc magnificentia eleuata est in Ascensione super cœlos, ad litteram. De hac magnificentia & magnifica Ascensione, tria ad præsens consideremus. Primo Ascensionis retardationem, secundo ascensionis locationem, tertio ascensionis fructificationem.

Luc. 1.

Psalm. 8.

Ioan. 13.

De hac magnificentia & magnifica Ascensione, tria sũt consideranda.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propter tria retardauit Christus quadraginta diebus Ascensionem suam

Primo ascẽsionis retardationem fecit propter tres rationes.

PRimo consideremus Ascensionis retardationem. Non enim statim postquam resurrexit, in cælum ascendit: sed per quadraginta dies retardauit eam. Quod fecit maximè propter tres rationes. Primo propter resurrectionis probationem, 2. propter discipulorum consolationem, 3. propter discipulorum instructionem.

Quod Christus retardauit suam Ascensionem, vt probaret se veraciter resurrexisse.

CAP. I.

Primo propter resurrectionis probationẽ. Act. 1.

PRimo quippe retardauit Christus Ascensionem suam, propter resurrectionis probationé. Vnde Act. 1. Luc. ait. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei* Et hoc fecit, vt sicut sunt duo sensus principales ad testificandum, & ad testimoniũ recipiendum, scilicet visus & auditus: sic per visibilem apparitionem eorum visui se ingereret: & per vocalem eruditionem eorum auditui & intellectui se magis imprimeret. Et vt ex primo sumeretur argumentum quasi materiale: ex secundo vero quasi formale. De hoc etiam Leo Papa in sermone de Ascensione ait. Quadragenarius expletus est numerus sacratissimo ordine dispositus, vt dum à Domino hoc spatio mora corporalis extenditur, fides resurrectionis documentis necessariis monstraretur. Et iterum ait, per omne tempus, quod inter resurrectionem Domini, & ascensionem exactum est: hoc prouidentia Dei curauit, hoc docuit vt Dominus Iesus Christus verè agnosceretur resuscitatus, qui verè erat natus, passus & mortuus. Si autem quæratur, quare plus dilata fuit ascensio post resurrectionem, quam per tres dies. Dicendum secundum Alex. de Ales in tertio, quod difficilius erat probare veritatem resurrectionis, quàm passionis: quia à prima die vsque ad tertiam poterat verè passio probari: sed ad veram resurrectionem probandam plures dies requirebantur. Proinde maius tempus requirebatur inter ascensionem & resurrectionem, quàm inter passionem & resurrectionem Propterea de Apostolis Actor. 1. Luc. *Quibus & præbuit*, id est præsentauit seipsum viuum. Vel præbuit, id est probauit iam post mortem suam se esse viuum *in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis.* Hoc est in multis modis suæ resurrectionis probatiuis & testificatiuis apparuit eis. Vel in multis argumentis, scilicet miraculorum, Scripturarum Propheticarum & suarummet prædicationum, quibus se verè resurrexisse, & resurgere debuisse, quasi argumentatiue probauit.

Quare ascensio plus dilata fuit quam per tres dies.

Act. 1.

Quod Christus retardauit suam Ascensionem, propter consolationem discipulorum suorum.

CAP. II.

Secundo retardauit eam propter discipulorũ consolationem.

SEcundo retardauit eam propter discipulorum consolationem, secundum enim Alex. vbi supra, consolationes diuinæ superabundabunt tribulationibus nostris: sed tempus illud passionis ante resurrectionem fuit tempus tribulationis Apostolorum: tempus autem, quod fuit inter resurrectionem & ascensionem, fuit tempus consolationis eorum. Si ergo diuina bonitas semper extendere debet, & augere tempus consolationis super tempus tribulationis Sanctorum, ideo magis dilatum fuit tempus inter ascensionem & resurrectionem, quàm inter passionem & resurrectionem. Si vero quæratur, quare dilatum fuit per quadraginta dies, & non per plures, nec pauciores? Dicendum, secundum eundem Alex. quod dies consolationis diuinæ comparantur ad horam tribulationis mundanæ, sicut annus ad diem. Et ita consuetum est in scripturis. Et hoc est de misericordia Dei, ad quam pertinet, quod magis extendatur tempus consolationis, quam tribulationis. Vnde Isai. 61. *Ad annunciandum mansuetis misit me, &c. Vt prædicarem annum placabilem Domino & diem vltionis Deo nostro.* Vnde pro die reddit annum, & diem pro hora. Cum ergo 40. fuerunt horæ passionis, & tribulationis Apostolorum, constat quod debuerunt esse quadraginta dies consolationis. Et hoc dicit gloss. Act. 1. Quadraginta horis mortuus fuerat, propter hoc quadraginta diebus se viuere confirmauit. Et hoc fuit, vt status desolationis esset sicut hora: consolationis esset, sicut dies, & sic patet propter quid quadragesimo die ascendit, & quod fuerunt quadraginta horæ suæ passionis, & ita tribulationis patet, quia prima die fuit ibi per tres horas mortuus, per vnum diem, & per duas noctes, & hoc in quolibet per duodecim horas, & sic 36. horis, & addantur tres primæ, erunt 39. & hora 40. resurrexit, scilicet mane diluculo tertia die, & sic quadragesimo die ascendit.

Quare dilata fuit per quadraginta dies, & non plures.

Isa. 61.

Quod

Quod Christus retardauit suam Ascensionem vt discipulos suos de vita Euangelica informaret.

Cap. III.

Tertio propter discipulorum informationes. Act. 1.

TErtio vero retardauit Christus Ascensionem suam propter discipulorum informationem, quod aperte ostendit Lucas Act. 1. cum ait, *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Per hoc siquidem regnum Dei intelligitur hic non solum cœlestis patria, sed etiam tota Christi in hoc mundo Ecclesia. Insuper

Regnũ Dei est Ecclesia.

& omnia diuina ad regnum Dei pertinentia. Et de his loquebatur eis. Si quis autem diligentius perscrutari desiderat, quæ sint illa diuina pertinentia ad regnum Dei, de quibus eis Dominus loquebatur, consideret, quod Christus in vltimo recessu suo præcepit Apostolis prædicare, cum Marc. vlt. ait illis,

Marc. vlt.

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. In quibus verbis quasi epilogando conclusit quicquid per quadraginta dies apparuit eis loquens de regno Dei. Ex his igitur elici potest, quod Apostoli prædicantes Euangelium docuerunt vnumquemque credentem se præseruare à vitiis, quæ natura, mos, ratio, vsus, lex, gratia, & veritas reprehendit. Docuerunt alienũ fieri ab idolorum cultura, & vnum solũ Deum, vnum Dominum Iesum Christum adoratione latriæ adorandũ. Docuerunt non thesaurisare in terra, sed in cœlo per mandatorum custodiam. Non diligere quæ videntur, quia temporalia sunt & caduca: sed diligere, quæ non videntur, virtutes scilicet, & bona cælestia, quæ aut ad æterna & beata disponunt, aut ipsa æterna consistunt. Docuerũt mundi creationẽ ex nihilo, quem falsa Philosophorum opinio putat esse æternum. Docuerunt, quomodo inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: & quomodo merito protoplasti dánationi æternæ iustè tenemur astricti: ne qui superbirent, quod non egerent misericordia Dei. Docuerunt quomodo aliunde humano generi non poterat esse remedium, nisi per Verbum increatum, cum fieret incarnatum, & pœnas sustineret in ligno crucis, sanguinẽ funderet, mortemque subiret, pro omnibus caro factum. Docuerunt paupertatem, cælibem vitam, coniugalem castimoniam, neminẽ lædere, omnibus velle prodesse, pro iniuria iniuriam non referre. Docuerunt abrenunciare propriis voluntatibus, crucem tollere, Christũ sequi: non quæ sua sunt quærere, sed quæ Iesu Christi. Docuerunt perfunctoriam gloriã non quærere, sed gloriari tantũmodo in dominica cruce. Docuerunt homines supra seipsos fieri, sacramentaliter viuere, Dominica mandata seruare, studere virtutibus, & quod nulli debeatur iniquitas; sed charitas omnibus sit reddenda, & quod res publica & res principum, nunquam melius, quàm in veritate, iustitia & charitate sub Christo Dei filio conseruatur. Et ibi miseria, vbi mundi prosperitas: & ibi gloria, vbi voluntaria est miseria. Docuerunt secundum naturam conditam contra naturam corruptam supra humanum vsum supra sensum. Docuerunt hominem in carne Angelicè viuere. Docuerũt secretos fieri à bestiali natura. Docuerunt gentes à genitura recedere, in terra natos in superna posse conscendere. Et, vt breuiter multa perstringam, docuerunt quid credendum, quid sperandum, quid amandum, quidve timendum, quid agendum. Hoc si quidem dominus per quadraginta dies Apostolis apparẽs docebat eos de regno Dei.

Quæ docuerunt Apostoli.

Mũdi creationem ex nihilo.

Abrenunciare propriis voluntatibus.

Ibi miseria vbi mundi prosperitas.

ARTICVLVS SECVNDVS,

De excelso loco, in quem in die Ascensionis Christus ascendit.

Secundo desideratur locatio Ascensionis. Cœlum tripliciter sumitur.

SEcundò consideremus ascensionis locationem, quia in themate proposito Propheta inquit, *Eleuata est magnificentia tua super cœlos.* Aduertendũ est, quod potest tripliciter sumi cœlum, Primo pro cœlo corporali, siue materiali: secundò pro cœlo spirituali, tertio pro cœlo supersubstantiali.

Quod Christus in die Ascensionis super omnes cœlos materiales ascendit.

Cap. I.

PRimo quidem sumitur cœlum pro cœlo corporali seu materiali, quod quidem multiplex est, scilicet septẽ Planetarum, Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, firmamentum, cristallinum & empyreum, & de hoc cœlo empyreo scriptum est, Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Et super omnes hos cœlos ascendit Christus. Ratio est, quia empyreum cœlum locus est proprius beatorum, & solum pro materiali loco beatitudini corporis competens est. Hac autem declarans Alex. de Ales in tertio inquit, quod duplex est corporis status, & secundum hoc duplex est corporis vita, scilicet animalis & spiritualis, sicut distinguit Apost. 1. Cor. 15. dicens: *Primo est quod animale, deinde quod spirituale,* secundum igitur quod est vita animalis, est natura corporis animalis: & est locus conueniens animali vitæ. Secundum autem, quod est vita spiritualis, est natura spiritualis, & est locus conueniens vitæ spirituali. Locus autem conueniens vitæ animali, est elementatum, vel corpus ex elementis complexionatum. Locus autem conueniens vitæ spirituali est cœlum empyreum. Nec habet corpus secundum vitam suam, tantam cõuenientiam cum illo corpore, quantam habet cum cœlo empyreo. Corpus enim glorificatum coaptabitur, vt sit conueniens per omnia animæ Deum contemplanti: sed esse in cœlo empyreo plus diuinæ contemplationi conueniens est, quam esse alicubi. Et propter hoc conuenientius locus est cœlum empyreum secundum vitam spiritualem, quam ipsum elementum. Quod ergo resurget tunc corpus spirituale, scilicet quãdo glorificabitur, scilicet abstracta corpulentia & mole, quæ impedit animæ motum & contemplationẽ eius obumbrat. Propter hoc cœlum empyreum conuenientissimus locus est corpori glorioso, & non corpus elementare. Insuper ibidem exponens Propheticũ illud, *Constituisti eum super opera manuum tuarum,* inquit, quod si ly super, dicat ordinem loci, tunc distinguendum est: quia sunt localia, & sunt non localia. Vltimum enim continens, scilicet empyreum cœlum locale non est: ergo super omnia localia Christus est loco, & non super non localia est loco, quia non est vltra empyreum cœlum. Et sic intelligitur aliud Propheticum, *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*

Cœlum corporale multiplex est.

Genes. 1.

Duplex corporis vita.

1. Cor. 15.

Cœlum empyreum locus conuenientissimus corpori glorioso.

Psalm. 8.

Quod Christus ascendit super naturam Angelicam & humanam.

Cap. II.

Secũdo pro cœlo spirituali.

Isa. 66.

SEcundo sumitur cœlum pro cœlo spirituali, quod sunt animæ & spiritus beati. Primo enim animæ dicuntur cœlum spirituale. Proinde Isa. 66. Dominus ait, *Cœlum sedes mea,* idest anima. Et iterum Salomon ait, *Anima iusti sedes est sapientiæ.* Secundo spiritus beati dicuntur cœlum. Iob 37. c. ait. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos,* id est Angelos. Super omnes hos cœlos ascendit Christus. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, secundum Bonauenturam in 2. dist. q. vlt. quod hi beati, qui decedunt cum proprio merito, ad aliquem nouem ordinum Angelorum secundum eorum merita assumentur. Vnde sicut sunt nouem ordines Angelorum, sic erunt nouem ordines hominũ beatorum. Qui ergo habebunt merita Seraphin, sicut Beatus Franciscus, in illo ordine collocabuntur. Alij habentes merita Cherubin, in eodem ordine collocabuntur, & sic de aliis. Propterea pueri, qui decesserunt in veteri testamento cum sacramento circũcisionis, vel alio ad hoc requisito, contra peccatum originale, vel cum sacramento baptismi & sine merito proprio, primum constituunt ordinem, secundum Angeli, tertium Archangeli, quartum Principatus, quintum Potestates sextum

Iob. 37.

Nouem sunt ordines Angelorũ.

Virtutes, septimum Dominationes, octauum Throni, nonum Cherubin, decimum Seraphin, vndecimum beata Virgo, duodecimum humanitas Christi. Super omnes hos cœlos & animarum & spirituum beatorum ascendit Christus. Proinde Ephes. 4. c. ait Apostolus. *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos*, id est super omnes humanos spiritus, & præmia debita illis. De spiritibus quoque beatis, secundum Alex. vbi supra exponentem Propheticum illud. *Constituisti eum super opera manuum tuarum*, si hæc præpositio super, dicit eminentiam potestatis & dignitatis, tunc Christus ascendit super omnia, quia omnia potestati & dominio eius subiiciuntur. Vnde etiam honorabitur ab Angelis humanitas sua beata. Et hoc dicit gloss. Heb. 2. super prædictum verbum Propheræ, *Constituisti eum*, id est super digniora opera, scilicet Angelos & homines, & iterum Heb. 1. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, glo. dicens in excelsis, nec in hoc loco concludit Deum, sed ostendit Christum omnibus altiorem, & omnibus eminentiorem. Et hoc etiam ibi dicit textus. Et ad Ephes. 1. Apost. ait, quod *Christus constitutus est à Deo in cœlestibus supra omnem Potestatem, & Principatum, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Et iterum 1. Petr. 3. c. *profectus in cœlum subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.*

Ephes. 4. — Psalm. 8. — Hebr. 1. — Ephes. 1. — 1. Petr. 3.

Quod Christus ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Dei Patris.

Cap. III.

Tertio sumitur cœlũ, pro cœlo supersubstantiali. — Isa. 14. — Psal. 18. — Marc. 16. — Hebr. 1 — Per dexteram Dei duo intelliguntur.

TErtio sumitur cœlum pro cœlo supersubstantiali, id est, pro supersubstantiali diuina essentia. De quo Isa. 14. lucifer ait, *In cœlum conscendam*, & sequitur, *Similis ero Altissimo.* Et iterum Propheta inquit, *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Et hoc modo sumendo cœlum, dicitur quod Dominus ascendit in cœlum, id est vsque ad Dei æqualitatem. Vnde Mar. 16. c. ait, *quod Dominus Iesus assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei.* Et iterum Hebr. 1. Apost. ait, quod *Christus sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* Per dexteram Dei Patris duo intelliguntur. Primum est æqualitas maiestatis, ad quam Christus sedet secundum diuinitatem. Vnde Heb. 8. *Habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.* Secundo autẽ per dexteram intelligũtur potiora gloriæ bona, in quibus Christus sedet secundum humanitatem: quoniam collatum est ei quicquid conferri potuit. Et licet ab instanti conceptionis suæ, Christus acceperit bona gratiæ & gloriæ in anima: eadem tamen bona in sua sancta Ascensione fuerũt manifesta, & in bona congruentia completa. Sed aduertendum est, quod differunt ista tria, scilicet sedere ad dexteram Patris, stare ad dexteram Patris, & esse ad dexteram Patris. Primo enim sedere ad dexteram Patris, secundum Alex. de Ales, vbi supra, conuenit soli Christo, ita quod nulli creaturæ ab ipso conuenit iste consessus. Vnde nec Angelis conuenire probatur, teste Apostolo, qui 1. c. ad Heb. ait: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando. sede à dextris meis?* quasi diceret, nulli. Importat igitur sedere ad dexteram Patris vnionem, vel æqualitatẽ, & quandam eminentiam beatitudinis cum Patre, quod nulli alij à Christo conuenire potest. Credimus igitur nos Christum in cœlo regnantem & quiescentem, quod notatur in sessione. Et merito quieuit, quia fortiter, & viriliter laborauit. Psal. *In laboribus sum a iuuentute mea.* Sic enim de se per Prophetam ait. A dextris vero, quia diu in sinistra aduersitatis ante fuit. Psal. *Afflictus sum & humiliatus sum nimis.* Dei quoque dicitur, quia post abiectionem gloria merito sequi debet: quia, vt dicitur Luc. 14. *Qui se humiliat exaltabitur.* Secundo vero dicitur stare, scilicet in adiutorium pugnatorum suorum. Vnde actuum 7. Luc ait. *Cum autem esset Stephanus plenus Spiritusancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei*, & ait: *Video Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Nam quia in tribulatione positus erat, habuit Christum propugnatorem & susceptorem. Propterea vidit eum stantem. Tertio autem esse à dextris Dei Patris est omnium beatorum. Nam, sicut dicitur Matth. 25. in iudicio *statuet Dominus oues à dextris, hœdos autem a sinistris.*

Differunt ista tria sedere ad dexteram Patris. — Hebr. 1. — Psalm. 87. — Psalm. 37 — Luc 14. — Stare ad dexteram Patris. — Act. 7. — In tribulatione positus Christũ habet propugnatorẽ. — Matth. 25.

Articvlvs primvs.

De duodecim fructibus sanctissimæ Ascensionis per tres quaternarios distinctus.

Tertia consideratio Ascensionis fructificatio. — Ephes. 10. — Sap. 1. — Marc vlt. — Homo omnis creatura. — Duodecim fructus ex Christi Ascensione.

TErtio consideremus Ascensionis fructificationem. De hoc fructu, Ephes. 10. Apost. ait, *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* Et potest esse thema in hoc articulo. Quod exponens, Alex. de Ales 3. ait, quod talis impletio omnium quantum ad hominem dicta est, qui cõmunionem cum omnibus habet, & qui quodammodo omnia est, secundum quod dicitur Sap. 1. *Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Ibi appellatur, quod continet omnia ipse homo. Et similiter Marc. vlt. ait Dominus Apostolis suis, *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Appellatur enim hic omnis creatura homo. Impleuit ergo omnia, id est hominem suis donis, scilicet gratia Spiritus sancti in sua ascensione. Vnde duodecim fructus consecuti sumus ex Christi ascensione, quos in tres quaternarios distinguamus.

De primo quaternario fructuum sanctissimæ Ascensionis.

Cap. I.

Primus quaternarius fructuũ Ascensionis Christi. — Primus fructus. — Hebr. 9. — 1. Ioan. 2. — Accessum securum ad Deum per filium. — Secundus — Psalm. 15. — Psalm. 72. — Psalm. 22. — Gen. 3. — Tertius. — Christi diuinitas gloria animarum. — Ioan. 10. — Act. 4.

PRimus quaternarius fructuum Ascensionis Christi est iste. Primus fructus est Patris exoratio, secundus hæreditatis nostræ restitutio, tertius naturæ nostræ glorificatio, quartus naturæ nostræ honoratio. Primus fructus est Patris exoratio. Vnde 9. cap. Hebr. Apostolus ait, *Iesus introiuit in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Et iterum 1. Io. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Bernar. insuper inquit: Securum accessum habes, ô homo, ad Deum, vbi habes filium mediatorem, & matrem interuenientem. Filius ostendit Patri latus & vulnera, Mater ostendit filio pectus & vbera, ibi nulla potest esse repulsa, vbi tot concurrunt amoris insignia. Porrò apud Deum optimum habemus aduocatum Christum, qui quot vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet quibus pro nobis apud Patrem intercedit. Secundus fructus est hæreditatis nostræ restitutio. Et de hoc Propheta in persona fidelis ait, Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis.* Ait enim *Dominus pars*, id est portio: quia iusti non quærunt nisi Deum. Vnde Psal. *pars mea Dominus in æternum*, id est semper, vel aliter *Dominus pars hæreditatis meæ*. idest pars hæreditaria, vt legatur intransitiue *& est pars* repete *calicis mei*, id est iucunditatis meæ in æterna vita, Psal. *Calix tuus inebrians, quam præclarus est*, scil. in illa vita. *Tu es*, scilicet tu Christe, *qui restitues hæreditatem meam mihi*, hanc quidem hæreditatem amiserunt primi parentes, propter crimen læsæ maiestatis, quia voluerunt esse sicut Dij, Gen. tertio. vnde August. ait, voluerunt rapere diuinitatem, & amiserunt fœlicitatem. Sed hæc hæreditas, quæ per quinque millia annorum amissa fuerat, per Christum in resurrectione & patentius in ascensione restituta est. Tertius fructus est nostræ naturæ glorificatio. *Ascendit Christus in cœlum*, scilicet vt nos intromitteret in corporalẽ possessionem regni cœlorum, scilicet vt tam corpore, quam anima glorificaremur in eo. Nam Christi diuinitas est gloria animarum, sit & eius humanitas est gloria corporum beatorum, scil. quoad obiectum. Ioan. 10. b. ipse ait, *Per me si quis introierit saluabitur*, quia, vt dicitur Act. 4.

Nec

Nos enim aliud nomen datum est sub cælo hominibus, in quo oportet nos saluos fieri. Et sequitur in Ioan. *& ingredietur,* scilicet ad contemplationem diuinitatis: *& egredietur* ad contemplationem humanitatis: *& pascua inueniet,* scilicet in vtroque, & ideo loquitur in plurali, pascua inueniet, dicens,

Quartus.

Quartus fructus est naturæ nostræ honoratio. In hac die tota cœlestis curia adorauit Christum viuentem in sæcula sæculorum. Proinde in tantam venerationem propter Christi humanitatem apud beatos spiritus deuenit natura nostra, quod vbi in veteri testamento à nobis adorare se permittebant, in nouo testamento post Christi Ascensionem minimè passi sunt, vnde Apoc. 19. c. de apparente sibi Angelo, Ioan. inquit: *Et cecidi ad pedes eius, vt adorarem eum.* Non scilicet sicut creatura Deum sed sicut seruus vehementer, & cum seruili subiectione honorat Dominum suum creatum, scilicet adoratione duliæ. In veteri tamen testamento Angelus se adorari permittebat, sicut patet Iosue 5. cap. vbi Iosue pronus Angelum adorauit, & similiter Abraham, Gen. 18. Non autem nunc in nouo permittunt se Angeli per seruilem modum adorari propter admirandam dignitatẽ humani generis, quam in exaltatione humanitatis Christi, seu Christi hominis in die Ascensionis acceperũt. Vnde subditur, *& dixit mihi: Vide ne feceris.* Ac si diceret: quia iam supra nos in sede Dei exaltatum video & adoro hominem Christum: à modo me ab homine in Christo credente non permitto quomodolibet adorari. Et rationem subiungens ait, *Conseruus tuus sum,* id est tecum, & sicut tu seruus eiusdem Dei & Domini sum. Et ne credatur, quod respectu solius Ioannis propter eius singularem præcellentiam hoc diceret, & non de omnibus seruis Christi, ideo subdit, *Et fratrum tuorũ habentium testimonium Iesu,* id est qui perfecto corde confitentur, & testificantur Iesum Deum esse & Dominum omnium & redemptorem ac saluatorem hominum. Et subdit, quem debeat adorare dicẽs: *Deum adora* non me, sed Iesum Christum, quia licet sit verus homo, tamen est verus Deus, cui conuenit adoratio latriæ. Philip. 2. *In nomine Iesu omne genu flectatur,* &c.

Apoc. 19.
Iosue 5.
Gen. 18.
Angelus nunc hominem reueretur propter Christum.
Phil. 2.

Secundus quaternarius fructuum Ascensionis. Cap. II.

Secundus quaternarius Ascensionis Christi.

SEcundum quaternarium fructuum sanctæ Ascensionis etiam subiungamus. Primus fructus dicitur cordis præparatio, secundus diuini amoris perfectio, tertius viæ cœlestis ostensio, quartus spei eleuatio. Primus fructus est cordis præparatio. De tali cordis præparatione, Ioan. 14. Dominus ait, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis quia vado vobis parare locum, & si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Quæ verba exponens Nicol. de Lyra, super hunc locum Euangelij Io. inquit: Patris siquidem domus cælestis gloria est, in qua multi sunt gradus atque distinctiones: quia licet sit idem beatitudinis obiectum, nullam habens diuersitatem ex parte sui, ex parte nihilominus Beatorum diuersitas est in participando illud obiectum, secundum meritorum varietatem. Nam quidam aliis clarius vident atq; perfectius fruuntur secundum maiorem habitum charitatis, qui capacem facit animam obiecti beatitudinis sempiternæ. Si quo minus duæ partes sunt, & duo accẽtus, id est si in aliquo minus esset, quod dico. *Dixissem vobis: quia vado vobis parare locum,* quasi dicat. Si in cœlesti patria esset aliquid minus & defectuosum, dicerem vobis, quia vado parare vobis locum, sed non est necesse, quod vadam ad præparandum, quia in Deo bonitas est perfecta, æternalis ac iam immutabiliter participabilis à beatis. Numerus etiam electorum & terminus meritorũ est æternaliter, & immutabiliter prædestinatus, & sic totum ab æterno præparatum est, iuxta illud Mat. 25. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi,* sed huic sententiæ, quod sequitur, repugnare videtur: subdit enim, *Et si abiero & præparauero vobis locum,* ergo videtur quod iter ad præparandum. Dicendum quod beatitudo, vel locus eius non indigebat aliqua præparatione, sicut prædictum est, & sic loquitur Saluator in litera præcedenti. Ipsi tamen electi sunt, qui præparatione indigẽt ad hoc, quod possint consequi beatitudinem æternalem. Nam licet sint ab æterno prædestinati, tamen beatitudinem non consequuntur, nisi gratia mediante, quæ datur præparato temporaliter in præsenti. Quando ego Saluator ait, *Si abiero & præparauero vobis locum.* Intelligendum non est, quod in gloria ascendẽdo aliquid præparauerit: sed quia per ascensionem suam dona sancti Spiritus fidelibus misit, per quæ præparantur corda eorum ad consecutionem gloriæ sempiternæ, & subdit, *Iterum veniam,* scil. ad præparata corda, *& accipiam vos ad meipsum.* Venit quippe ad accipiendum fideles in hora mortis ad iudicium in fine mundi: *vt vbi ego sum & vos sitis* scilicet omnes beati. Hæc secundum Nico. de Lyra. Ex his patet, quod ascensio Christi est per eleuationem mentis post eum præparatio cordis ad diuina charismata suscipienda. Et ad hoc hortamur, 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.*

Primus fructus.
Ioan. 14.
Patris domus cœlestis gloria est.
In beatis ex parte sui diuersitas in beatitudine consequenda.
Matth. 25.
Beatitudo comparanda mediis meritis.
Per ascensionem suam dona fidelibus dedit.
1 Reg. 7.

Secundus fructus.
Ioan 16.

Secundus fructus est diuini amoris perfectio. De hoc, Ioa. 16. c. Dominus ait: *Veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos,* quasi dicat, mea passio & resurrectio, atque ascensio necessario præire debent illum redundantem aduentum Spiritus sancti, quem alias vobis promisi. Huius autem expedientiæ quandam specialem causam tangit August. 1. de Trinitate, cap. 1. dicens, quod oportebat quod auferretur ab oculis eorum forma serui, quam intuentes hoc solum Christum esse putabant, quod videbant, vel hoc ideo expediebat, vt amor, quod ad Christi præsentiam corporalem ferebantur, verteretur totus in spiritualem amorem & desiderium suæ deitatis & gloriæ, & vt per abscessum consolationis, quam de eius corporali visione & societate habebant, daretur amplior locus consolationi, quam de spiritu suo, & præsentia sua spirituali consequuturi erant. Et iterum glo. August. ait: Non quod positus in terra non posset dare, sed quia non sunt idonei accipere, nisi cum secundum carnem desistant noscere. Et statim post ait: Si carnaliter hic fueritis; capaces spiritus non estis vel eritis. Vnde secundum Alex. de Ales in 3. Ex hoc patet, quod ipsa præsentia corporalis Christi erat generatiua carnalis amoris in Apostolis eius, & ille carnalis amor impediebat & diminuebat amorem spiritualem Dei. Et ideo ait, *Si n. non abiero,* i. nisi mea præsentia corporalis subtrahatur à vobis, non erit in vobis perfectio diuini amoris. Et hoc est, quod dicit Aug. super illud Io. 14. *Si cognouissetis,* &c. Ideo substraho à vobis formam istam serui: vt ab oculis carnis serui forma subtracta, Deum spiritualiter videre possitis. Et sic fructus ascẽsionis Christi est perfectio diuini & spiritualis amoris, & spiritualis cognitionis. Hæc Alc. Pensent igitur serui & seruæ Dei, quid nocumenti habeat ad diuinũ amorem præsentia hominum corporalis, quãdo in electis Christi Apostolis, præsẽtia Christi tantum præstabat ad Deí amorẽ impedimentũ.

Passio, resurrectio, & ascensio præeunt aduentum Spiritus sancti.
Carnalis capax non est Spiritualium.
Cur Christus à vobis se subtraxit.

Tertius fructus.
Mich. 2.
Luc. vlt.

Tertius fructus est vitæ cœlestis ostensio, Mich. 2. *Ascendet enim pandens iter ante eos.* In huius mysteriũ dicitur, Luc. vlt. c. quod Christus eduxit discipulos suos foras in Bethaniam, quæ in mõtis Oliueti latere sita est, & domus obediẽtiæ interpretatur. Vt mysticè innuatur, quod per virtutem obedientiæ homo cœlũ ascendit, vnde Phil. 2. c. de Christo Apost. ait: *Factus est obediens, vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum.* Eduxit illos foras, id est extra ciuitatem in Bethaniã, vt ipsa eductione intelligere possent discipuli, quod vt Hebr. 13. c. Apost. ait, *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus,* quam profectò per obedientiam inuenimus. Porrò ad hoc Coloss. 3. hortatur Apostolus dicens: *Quæ sursum sunt, quærite,* scilicet per-

Per virtutem obedientiæ homo cœlũ ascendit.
Phil. 2.
Hebr. 13.
Coloss. 3.

per obedientiam. *Vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Primum est perfectorum, & non euacuandum: secundum est imperfectorum, & quandóque deserendum. Primum est spiritualium, secundum carnalium. Primum est sapere ad sobrietatem, secundum est sapere plusquam oporteat sapere. Quartus fructus est spei eleuatio: quia secundum Alexand. vbi supra, certificamur de spe beatitudinis. Vnde Leo Papa, Ascensio Christi nostra est prouectio, & quo præcessit gloria capitis, eo spes tendit & corporis. Et sic Ascensione Christi certiorat spes beatitudinis corporis, id est Ecclesiæ, seu spes nostra.

Quartus fructus. Ascensio Christi nostra est prouectio.

Tertius quaternarius fructuum Ascensionis Christi.

Cap. III.

Tertius quaternarius fruct. in Ascensionis Christi. Primus fructus est prouocatio.

TErtium quaternarium subiungamus. Primus fructus est affectus prouocatio, secundus cordis subleuatio, tertius mentis abstractio quartus ascensionis conditio. Primus fructus est affectus prouocatio. Considera mens deuota, quod post multas apparitiones & disparitiones, quasi post multos volatus quibus in præsenti tẽpore à resurrectione vsque ad hunc diem discipulorum suorum affectus prouocabat ad summa, hodie vno completo volatu in eorũ oculis ascendit ad dexterã Dei Patris, vt vbi illorum thesaurus erat, illuc eorum, & nostra affectio traheretur. Fuit. n. sicut in præcedenti serm. dictum est, quasi mater aliqua solicitissima prouocans ad volandũ pullos suos: extẽdit alas suas & assumpsit corda illorum, atq; in humeris virtutis propriæ asportauit. Vnde non immeritò Angeli apparẽtes eis post Christi ascensionẽ illos conuenienti nomine appellauerunt, cum aiunt, *Viri Galilæi.* &c. q. d. Verè vos estis viri transmigrati, à vobis auulsi & per affectum in Christo inserti. Secundus fructus est cordis eleuatio, scil. ad eius dilectionem. Quod mystice prædicit Dominus. Io. 12. dicens: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsũ.* Dicit autem omnia propter tria. Primo vt in hoc notet hominem, qui habet commune cum omni creatura, vnde Mat. vlt. Dominus Apostolis ait, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*, i. homini, qui participat cum omni creatura. Secundo vt in hoc totum hominem notet, q. d. Trahã ad me corpus, vt mihi seruiat intellectu, vt me recognoscat affectu, vt me super omnia diligat. Et hoc, vt ibi est thesaurus illius, ibi sit etiam, & cor eius, Ma. 6. Tertio vt in hoc notet in vniuersitate electorum esse quandam integram totalitatem vniuersi, propter quam omnia dici valet. Quarto etiam addi potest, quod hoc dicit, vt innuat, quod reprobi quasi pro nihilo reputantur, & quasi pro tanto sunt quasi extra omnia entia. Ex his patet quod propter hoc ascendit Christus, vt subleuaret cor hominis ad suam dilectionem. In cuius mysteriũ Leu. 3. c. scriptũ est: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo*, adeps quippe est dilectio cordis, quæ soli Deo tribui debet. Proinde Pro. 23. c. Dominus ait: *Fili mi præbe mihi cor tuũ.* Tertius fructus est mẽtis abstractio. Cum n. cor assuescit post Christum ad superiora leuari, & gustare, quam suauis est Dominus in delectationibus suis, obnixè cum spõsa, Ca. 1. à Domino postulat dicẽs, *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorũ tuorum.* Nouit n. imbecillitatem suam, & pondus naturalis grauedinis suæ: atq; scit verũ esse verbum Christi, Io. 6. qui ait, *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Propterea inquit, *Trahe me post te.* Fit autem iste tractus per inspirationes vehementiores & gratiarum infusiones inflammantiũ & eleuantiũ corda vsque ad extaticos mentis excessus. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum* Per hunc odorem intelligit quandam spiritualem, & subtilem atq; occultã distributionem diuinarum suauitatum emanantium à Christo Iesu. De hac abstractione beatus Bern. super Cant. sermone inquit: Inter medios laqueos in hac vita incedit, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima à seipsa arripitur, si tamen eousque mente secedat & auolet, vt hunc communem transcendat vsum & consuetudinem cogitandi. Etenim frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, & si non vita, certè vitæ sensu necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Vtinam hac morte ego frequẽter cadam, & euadam laqueos mortis, vt non sentiam vitæ & luxuriantis mortifera blandimenta, vt obstupefacta ad sensum libidinis, ad sensum auaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores, solicitudinem & molestias curarum: moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illaqueet iniustitia, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur: quæ sensum non sopitat, sed abdicat: non vitam, sed vitæ eripiat laqueos. Verum hæc hominum est, sed moriatur anima mea, si dici potest etiam Angelorum, vt præsentium memoriam excedens rerum se inferiorum corporearum, quæ non modo cupiditatibus sed etiam similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est præstans puritatis similitudo. Talis vt opinor, excessus: aut tantum, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum enim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis est: Corporum vero similitudinibus speculando non inuolui, Angelicæ puritatis est. Vtrumque vero diuini muneris, vtrúmque excedere, vtrúmque teipsum transcendere est: sed longè vnum, alterum non longe. Transilisti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiscentiis eius, nec tenearis illecebris. Profecisti, separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia vndique fantasmata corporearum similitudinũ transuolare mentis puritate præualeas, hucusque noli promittere tibi requiem. Erras, si eoa te inuenire extimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Hæc Bernardus. Quartus fructus ascensionis conditio est. Porrò lex est æterna quod *qui se humiliat exaltabitur*, sicut Luc. 14. Dominus ait. Proinde sicut Bernardus ait, Dominus & Saluator noster Iesus Christus volens nos docere, quomodo in cœlum ascenderemus, fecit ipse quod docuit. Ascendit in cœlum, & quoniam ascendere non poterat, nisi prius descenderet. Descendere autem eum, vel ascendere non patiebatur diuinitatis suæ simplicitas, quippe qui nec minui potest, nec augeri, nec aliquo modo variari assũpsit in vnitatem suæ personæ naturam nostrãm, id est humanam, in qua descenderet & ascenderet viámque nobis quas & nos ascẽderemus ostenderet. Manẽs itaq; quod erat in natura sua, descendit & ascendit, propter nos in nostra attingens nimirum à fine vsque ad finem fortiter: & disponens omnia suauiter. Descendit siquidem quo inferius non decuit: ascendit quo excelsius non potuit, Ipsumque descensum egit fortiter, quia virtus erat.: ascensum disposuit suauiter, quia sapientia erat. Sunt autem gradus in descendendo, sunt & in ascendendo. In descendendo quidem. Primus gradus est à summo cœlo vsque ad carnem, secundus vsque ad crucem, tertius vsque ad mortem. Ecce quousque descendit. Vidimus descensum, videamus & ascensum. Sed ille quóque triplex est, & eius primus gradus gloria resurrectionis, secundus potestas iudicij, tertius consessus ad dexteram Dei Patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem, de cruce iudicis potestatem: vt quoniam in illa iniustè iudicatus est, de illa iustam obtineret censuram. Ipsam quóque serui formam, id est carnem, in qua passus est, resuscitantem euexit super omnes cœlos, id est super omnes Angelorum choros vsque ad dexteram Patris. Quid hac dispositione suauius, vbi mors absorbetur in victoria, vbi ignominia crucis vertitur in gloria, vbi & ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transiuit

Secundus fructus est cordis eleuatio. Ioan. 12. Cur dicit Christus omnia traham. Matth. 6. Reprobus quasi pro nihilo reputatur. Leuitic. 3. Tertius fructus mentis abstractio. Cant. 1. Ioan. 6. Trahit Deus per inspirationes. Statim culmo vero contemplatiuis. Rerum cupiditatibus viuendo non teneri humana virtus: corporũ vero similitudinibus speculando inuolui Angelica puritatis est. Quartus fructus Ascensionis conditio. Luc. 14. Descensus ascensus. Gradus in descendendo triplex. Gradus in ascendendo triplex. Hac ascensione nihil sublimius.

trãsiuit ad Patrem: Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius dici potest, aut excogitari. Sic per incarnationis suæ mysterium descendit & ascendit Dominus relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, hic per gratiam, & in futuro per gloriam, quam nobis misericorditer largiatur, qui per humilitatem descendit, & per charitatem ascendit, Dominus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto gloriosus triumphat per infinita secula seculorum, Amen.

In die Pentecostes.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone, *Qui est de donis Spiritus Sancti, & quomodo communicantur diuino Amori, quique continet tres articulos, quorum primus septem habet capita, secundus totidem, tertius denique duodecim.*

Articuli primi, De septem proprietatibus ignis correspondentibus septem donis Spiritus sancti, & septem flammis amoris Dei,

Cap. 1. Quod diuinus amor per donum timoris in anima triplicem timorem adducit.

Cap. 2. Quod diuinus amor per donum pietatis triplicem pietatem in anima operatur.

Cap. 3. Quod amor Dei per scientiæ donum tria scienter exercere facit.

Cap. 4. Quod diuinus amor per fortitudinis donum tripliciter facit in aduersitatibus iucundari.

Cap. 5. Quod amor Dei per consilij donum tripliciter animam proficere facit.

Cap. 6. Quod amor Dei per donum intellectus de tribus in anima perfectam intelligentiam præstat.

Cap. 7. Quod amor Dei per sapientiæ donum triplicem fructum superare facit.

Articuli secundi, De perfectione septem donorum Spiritus sancti, & de septemplici sufficientia eorum

Cap. 1. Quod per septem dona Spiritus sancti septem vitia capitalia expurgantur.

Cap. 2. Quod per septem dona Spiritus sancti tres animæ vires expediuntur & disponuntur ad gratiam, & ad virtutes.

Cap. 3. Quod per dona Spiritus sancti ad septem principales virtutes anima expeditur.

Cap. 4. Quod per dona Spiritus sancti anima expeditur & habilis redditur ad imitandum Christum, & passiones eius.

Cap. 5. Quod per dona Spiritus sancti anima expeditur & habilitatur ad perfectionem vitæ actiuæ.

Cap. 6. Quod per Spiritus sancti dona expeditur anima vt fiat habilis ad vitam contemplatiuam.

Cap. 7. Quod per septem dona Spiritus sancti introducitur anima ad octo beatitudines & earum perfectionem.

Articuli tertij, De duodecim effectibus, quos operatus est Spiritus sanctus in die Pentecostes super discipulos Christi.

Cap. 1. De subito & repentino effectu secundum quem operatus est Spiritus sanctus in discipulos Domini.

Cap. 2. Quod a sono aduenientis Spiritus sancti ad cœlum eleuata sunt corda discipulorum.

Cap. 3. De admirabili suauitate soni descendentis de cœlo.

Cap. 4. Quid adueniens Spiritus sanctus in discipulos Christi operatus est.

Cap. 5. Quod adueniens Spiritus sanctus mentes discipulorum erexit ad spiritualia bona.

Cap. 6. De abundanti plenitudine Spiritus sancti aduenientis in domo discipulorum.

Cap. 7. Quanta facundia repleuit discipulos Christi Spiritus sancti aduentus.

Cap. 8. Quare venit Spiritus sanctus in specie ignis & igneis linguis.

Cap. 9. Quare super singulos discipulos resedit Spiritus sanctus in aduentu suo.

Cap. 10. Quanto ardore amoris inebriati sunt discipuli Domini ad aduentum Spiritus sancti.

Cap. 11. Quomodo, & quare in aduentu Spiritus sancti discipuli Domini variis linguis cœperunt loqui.

Cap. 12. Quomodo operatur Spiritus sanctus in cordibus, & linguis discipulorum post suum aduentum.

De donis Spiritus Sancti, & quomodo communicantur diuino Amor

Sermo. V.

Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Psal. 17. Solemnitas hodierna, dilectissimi fratres: tanto cunctis solemnitatibus videtur esse solemnior, & præstantior, quanto præ cæteris, quod in hac die gestum est, totum constat esse diuinum. Sicut enim singularis in terra Christi natiuitas, Sanctorum natalitiis omnium diuinæ potentiæ eminere dignoscitur: sic & hodierna festiuitas omnibus aliis, quas de Domino Iesu Christo veneramur in terris, speciali quadã suæ diuinitatis ostẽsione præcellere demonstratur. Quod enim natus est ex homine filius Dei, certũ est illũ ab Angelis minoratũ: Quod autem hodie visibili claritate Spiritum suum in discipulos fudit, palam est super omnes Angelos exaltatum. Quod enim filius Dei secundum carnem crucifixus est & sepultus, & tertia die, & non antea, à mortuis resurrexit, quod postmodum inter homines conuersatus, & cum discipulis manducauit & bibit quodque post quadraginta dies de terra videntibus illis in cœlum eleuatus est, totum agebatur ad fidei fundamentum: vt qui verè filius Dei erat, verius etiam filius hominis crederetur. Quod autẽ post ascensionem suam iuxta condictũ promissam ex alto virtutem dimisit in terrã illud absque dubio docuit, vt nascendo moriendo, ac etiã resurgendo à mortuis, qui Deus erat, verum hominem se demonstrauit: mittendo Spiritum sanctum de cœlis verũ esse Deum, qui homo erat, vera diuinitatis attestatione probaret. Sicut igitur parum nobis Christum nasci fuerat, nisi & precium sanguinis in nostram redemptionem inæstimabili charitate fudisset? sic nec vtique granum fidei germinasset in terris, nisi benignitatem Spiritus sancti e cœlis Dominus præstitisset. Et reuera fratres, ita rerum ordo videbatur exposcere, vt qui humanis aspectibus Deum hominem venerat exhibere, semetipsum humilians, formam serui acciperet, donec assumptæ carnis veritate monstrata, semetipsum ab inferis erigens, & in cœlum gloriose conscendens, hominem Deum esse infusione cœlestis gratiæ demonstraret. Porro Deus homo pro redimendis hominibus sanguinem suum fudit: homo Deus pro saluandis hominibus spiritum suum redemptis infudit. Ibi quod verus Deus, verus esset homo probauit: hic quod verus homo, verus esset Deus apparuit. Ibi cognouimus speciem eius, quasi vnigeniti à Patre, vnde nec reputauimus eum: hic vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, vnde & benedicimus Deum, ibi hominem redemit homo, hic Deus hominem deitate reformat. Patet ergo quod diximus, præclaram hanc festiuitatem iure cæteris præponi, quæ gratiarum refulget consummatione dotata. Hæc est enim specialis illa discipulorum: Hæc omnium fidelium festiuitas generalis, quæ non solum Apostolos largiore gratia consolata est, verum etiam & totum orbem terrarum ignorãtiæ tenebris obscuratum supernæ veritatis illustrauit aduentu. Hæc perfectio fidelium mentes ad veram charitatem accendit: hæc contra mundi pe-

Psal. 17.

Solemnitatis Pentecostes excellentia.

Natiuitas Domini sanctorum natalitiis omnibus.

Homo Deus pro saluandis hominibus Spiritũ suum redemptis infudit.

Quomodo hæc festiuitas cæteris præstat.

 ricula

ticula mentes, contra iudices & tyrannos ctedentiom. linguas armanit. Vnde quod erar videre miraculum, infirmi fortia facerent, & pauci atque puſilli regum *Matth.10.* imperia non timerent. Sic enim Saluator, Matth.10. promiſerat dicens? *Cum ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Hæc profecto omnem, qua creditur ad ſalutem, manifeſtam dedit & docuit veritatem: per hanc ſermo *Præconia celeberrima huius feſtiuitatis.* prædicatoris: & veritas prædicationis innotuit. Per myſterium profecto huius ſolemnitatis barbaries domita colla gentium ſubiugata, principatus & poteſtates humiliatæ, dexteras dederunt atque honorem Deo viuo, & vnico filio eius Domino Ieſu Chriſto. Per hanc quippè ædificatio fidei Chriſtianæ ſuper fundamentum æternum extructa breui temporis ſpatio in magnum Dei templum excreuit: dum hodie *Pſal.17.* iuxta præfatum Prophetæ verbum, Pſal.17. *Ignis à facie eius exarſit, carbones,* id eſt Apoſtoli ſancti, atq; diſcipuli *ſuccenſi ſunt ab eo.* In quibus ſacratiſſimis verbis tria myſteria contemplanda oſtenduntur de aduentu Spiri- *Tria myſteria contemplantur in aduentu Spiritus ſancti.* tus ſancti in Apoſtolos & diſcipulos Chriſti. Primum myſterium eſt doni ſupetnaturalis: qoia ait, *Ignis à facie eius exarſit.* Secundum ſubiecti virtualis, quia ſubdit *carbones.* Tettium eſt ſigni ſingularis, quia *ſuccenſi ſunt ab eo.* Ad omnia ſupradicta, atque eodem *Thren.1.* ordine poteſt eſſe aliud thema illud Thren. 1. *De excelſo miſit ignem,* Ecce donum ſupernaturale. *In oſſibus meis,* ecce ſubiectum virtuale. *Et erudiuit me,* ecce ſignum ſingulare. Hæc etiam tria notari poſſunt *Luc.12.* in verbo Domini, Luc.12. quandu ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Merito quidem Spiritus ſanctus in ignis figura Apoſtolis viſibiliter datus eſt. Nam, ſecundum Chatholicoo, ſpi- *Spiritus vnde dictus.* ritus deriuatur à pyr, quod eſt ignis: quia per illum ignem corporalem demonſtrata eſt ſpiritualis & interior miſſo Spiritus ſancti in diſcipulorum mentes: tamen in illo igne non magis erat Spiritus ſanctus, quam in aliis irrationalibus creaturis.

ARTICVLVS PRIMVS,

De ſeptem proprietatibus ignis correſpondentibus ſeptem donis Spiritus ſancti, & ſeptem flammis amoris Dei.

Primum myſterium. PRimum vtique myſterium contemplandum, quod Propheta oſtendit in propoſito verbo, eſt doni ſupernaturalis: quia inquit, *ignis*, id eſt ignitiſſimus amor Dei cum donis Spiritus ſancti aſſociatus, *à facie eius exarſit*, id eſt exardendo deſcendit. Ait enim à facie eius, id eſt à cognitione eius, facies enim ipſius *Iob.33.* Dei, eius cognitio nuncupatur, iuxta illud Iob 33. *Videbis faciem eius in iubilo,* nec tantummodo dicit, arſit, nam arſit corda diſcipulorũ in cognitione & dilectione diuinitatis, atque exarſit, id eſt extra arſit in cognitione & dilectione humanitatis quia de Chriſto Deo & homine perfectiſſimè fuerunt in Spiritus ſancti aduentu illuminati & inflammati, ſicut Ioan 14. Dominus pro- *Ioan.14.* miſerat, dicens, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque; dixero vobis.* Huius verbi declarationem vide in Quadrageſimali de Charitate, art. 2. c. 3. vbi notantur ſeptem de Spititu ſancto. *Thren.10.* Idem in ſententia cum Propheta dicitur Thren.1. cum ait: *De excelſo miſit ignem*, id eſt ipſe Deus ad prædictorum cognitionem. Sed pro dicendorum intelli- *Duplicem habitum habet homo in genere.* gentia notanter aduertendum eſt, quod duplicem habitum habemus in genere. Primum, qui eſt de neceſſitate ſalutis. Secundum, qui non eſt de neceſſitate ſaluris. Primo enim habemus quendam habitum, qui reddit hominem ſimpliciter bonum: & qui eſt de eſſentia bonitatis humanæ, & hic eſt charitas, quæ facit hominem gratum & acceptum coram Deo: & quæ ſimpliciter reddit hominem bonum: immo eſt in ipſa eſſentia bonitatis humanæ, moraliter & meritoriè loquendo. Secundò vero habemus habitum, qui non eſt de eſſentia bonitatis humanæ, & hic quoque eſt triplex. Primo quidem eſt quidam habitus, quem hu- *Adhuc habitus eſt triplex.* mana bonitas neceſſario præſupponit, & hoc, eſt de communi lege, & talis habitus ſunt fides & ſpes, quem *Primus.* gratia gratificans præſupponit. Secundo eſt quidam *Secundus.* habitus, qui gratiam gratum facientem præſupponit, ſicut eſt gratia illa, per quam quis aureolam promeretur, ſcilicet martyrij, virginitatis & doctrinæ. Tertio *Tertius.* eſt aliquis habitus, qui gratiam gratum facientem, nec neceſſario præſupponit, nec ei neceſſario præſupponitur: ſicut ſunt gratia prophetiæ, raptus reuelationes, viſiones, & ſimilia multa. Ad propoſitum ergo *Dona Spiritus ſancti bonitatem accidentalem præſtant.* dico, quod Spiritus ſancti dona ſunt in ſecundo gradu, quia gratiam gratum facientem præſupponunt, nec tamen neceſſario præſupponontur ab ea. Itaque virtus charitatis eſt, quæ eſſentialiter dat bonitatem humanam, ſed dona Spiritus ſancti bonitatem accidententalem præſtant, ſed excellentem. Hoc quidem de- *Meritũ duplex præcepti, & conſilij.* clarari poteſt exemplo. Sicut enim meritum duplex eſt, ſcilicet præcepti & conſilij: & ſecundum præſupponit primum: nullus enim habebit gaudium ſeu præmium accidentale, quod dicitur aureola, vt virginale, martyrij, vel doctrinæ, niſi præhabeat vel ſimul habeat auream, quæ dicitur præmium ſubſtantiale ſeu eſſentiale: Sic dicitur de donis, quæ ſunt quædam excellentes accidentales gratiæ collatæ bonitati humanæ, præſupponentes neceſſario bonitatem humanam, atque mereri faciunt quandam excellentiam vltra bonitatem *Sine donis ſimpliciter poteſt eſſe bonus.* eſſentialem. Sine donis namque poſſet homõ ſimpliciter eſſe honus, ſcilicet per virtutes: ſed non in excellentia, ſicut cum donis. Aduertendum eſt etiam, quod ſecundum Bonauenturam in Centiloquio, tri- *Triplex differentia donorum.* plex eſt differentia donorum. Primo enim eſt quoddam donum à Spiritu ſancto, & nuoquam cum Spiritu ſancto, ſicut eſt ſeruilis timor: in quo quidem viget voluntas peccandi, ſi impunitas concederetur. Talis enim timor eſt ſicut aurora, quæ eſt à ſole: & tamen non eſt cum ſole. Secundo eſt quoddam donum à Spiritu ſancto, & nunquam ſine Spiritu ſancto: vt eſt donum charitatis gratiæque gratum facientis. Tertio eſt quoddam donum à Spiritu ſancto, & poteſt eſſe cum Spirim ſancto, & ſine Spiritu ſancto: ſicut eſt donum prophetiæ, donum ſcientiæ, & caracteres, poteſtas conficiendi, auctoritas ligandi atque ſoluendi. Talia ſiquidem dona manent in iuſtis, & in iniuſtis, & hoc diuina diſpenſatione ordinatum eſt, vt ſcilicet ſacerdotis culpa non præiudicet peccatori. Licet ergo omnes habitus diuinitus dati, poſſint dici generaliter *Specialiter ſunt ſeptem dona Spiritus ſancti. Iſa.11.* dona Dei, ſpecialiter tamen & appropriatè ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, quæ 11 .c. enumerat Iſaias loquens de flore, qui proceſſit de radice Ieſſe, id eſt Chriſto, de quo dicit ſic. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus conſilij, & fortitudinis: ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* In hac aotem enunciatione, vel enumeratione, deſcendendo procedit à ſummo & conferendo, vt ſimul oſtendatur donorum diuiſio, connexio, origo, & ordo. Denique quia Propheta amorem Dei cum ſeptem donis Spiritus ſancti ignem vocat, dicit, *Ignis à facie eius exarſit.* Et ſimiliter *Thren.1.* Hierem. Thren. 1. cum ait. *De excelſo miſit ignem.* Propterea ſeptem dooa Spiritus ſancti conſuocta ipſi amori Dei ſeptem proprietatibus ignis poſſumus aſſimilare, vt intellectus propheticus comprehendatur, & vt ab inferioribus donis, ad ſoperiora gradato ordioe oonſcendamus. Hic ignis diuini amoris ſeptem donis Spiritus ſancti conſociatus, ſicut io diſcipulis Domini fuit ad ſimilitudinem ignis materialis: quia primo eſt

contra

contractiuus, secundo liquefactiuus, tertio distinctiuus, quarto solidatiuus, quinto accensiuus, sexto illuminatiuus, septimo transformatiuus. Primo ergo est contractiuus per donum timoris, secundo est liquefactiuus per donum pietatis, tertio est distinctiuus per donum scientiæ, quarto est solidatiuus per donum fortitudinis, quinto est accensiuus per donum consilij, sexto illuminatiuus per donum intellectus. Septimo transformatiuus per donum sapientiæ, & sic per ordinem distinguamus septem flammas, seu vites ipsius, diuini amoris.

Proprietatus ignis materialis.

Quod diuinus amor per donum timoris in anima triplicem timorem adducit.

Cap. I.

Amor contractiuus.

PRima flamma diuini amoris hodie discipulis communicata, est amor contractiuus, ignis quippe contrahit extensam pellem. Sic profecto hæc flamma diuini amoris per donum timoris contrahit humanam mentem ab omni sua defectuosa vita exemplo Dauid, qui de se ait, Psal. 117. *Cogitaui vias meas, & conuerti,* scilicet ex timore Dei, *pedes meos in testimonia tua.* Adducit siquidem in anima talis amor inconsiderabilem timorem de tribus. Primo de peccatis perpetratis præteritis, secundo de virtutibus male exercitatis, tertio de gratiis indigne acceptatis. Primo enim adducit timorem de peccatis perpetratis. Sicut enim fluuius magnus cum crescens aluei ripas egreditur, immunda fossata, quæ reperit, penitus mundat, si cursus eius non impeditur: Sic Spiritus sancti amor, qui fluuius nuncupatur, in aduentu suo per timorem sordida quæque ex anima purgat, sicut Eccles. 1. c. ait: *Timor Domini expellit peccatum,* & demum eam diuina lætitia replet, sicut Propheta testatur dicens, *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei,* id est animam à gratia emundatam. Secundo adducit timorem de virtutibus male exercitatis: sicut de virtutibus Theologicis, & moralibus atque præceptis legis & consilij Christi. Ad hunc profecto timorem inducebat Dominus Apostolos suos: Luc. 17. dicens: *Cum omnia bene feceritis: dicite, serui inutiles sumus.* Quanto amplius nos, cum non illa fecimus, sed negligenter vixerimus. Tertio adducit timorem de gratiis indigne acceptatis, & cum superbia possessis: sicut sunt gratiæ temporales, corporales, & spirituales. Maxime n. timet de tempore male, seu inaniter expenso. Proinde merito se, & alios hortabatur Apostolus ad Galat. 6. dicens: *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.*

Psal. 117. *Cipermio.* *Luc. 17.* *Gal. 6.*

Quod diuinus amor per donum pietatis triplicem pietatem in anima operatur.

Cap. II.

Amor liquefactiuus.

SEcunda flamma, est amor liquefactiuus. Quemadmodum enim ignis ceram & alia metalla liquefacit, & multa alia: sic quoque ignis diuini amoris per donum pietatis cor tripliciter liquefieri facit. Primo ad Deum, secundo ad seipsum, tertio ad proximum. Primo n. liquefieri facit ad Deum, scilicet per suauitatem inspirati amoris, qui cor tangens illud totum erga Deum in deuotionis pietatem resoluit, & liquefacit, vt dicere valeat cum Propheta, *Factum est cor meum tanquam cera liquescens.* Et illud Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt sponsus meus,* scil. Christus *locutus est.* Res liquescendo demollitur, fluit, & dilatatur: & ita hunc triplicem effectum considera in pietate diuini amoris: quia cor primo mollificat per pietatem deuotionis, Iudit vlt. c. *Petra sicut cera liquescent ante faciem tuam.* Secundo fluit per tractabilitatem obeditionis. Ps. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea.* Tertio dilatatur per sublimitatem contemplationis, Psal. 119. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Cucurri id est perfecte impleui, cum tu Deus me ad sublimem contemplationem leuasti. Secundo quoque hic ignis diuini amoris, per donum pietatis cor liquescere facit ad semetipsum. Quod quidem fit per odium sui, scil. ne propter proprium amorem separetur à Deo. Proinde Ioan. 12. Dominus ait: *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam,* sic licet per pietatem ad semetipsum amore dilecti Dei. Tertio liquescere facit ad proximum cor humanum. Actus enim præcipuus pietatis est facere hominem beneuolum respectu cuiuslibet proximi, inquantum gerit imaginem creatoris. Talis enim beneuolentia pro loco & tempore exit in actum, & hoc tripliciter, primo condelectando, secundo compatiendo, tertio excusando. Primo condelectando atque congaudendo, generat enim in mentis habitu teneram dulcedinem omnis creaturæ rationalis, & maximè illius, quam nouit cum Deo, & de Deo ardentissime philocaptam. Talium quidem est gaudere cum gaudentibus: vt ait Apostolus ad Roman 12. Hæc charitas, quæ non æmulatur secundum Apostolum, 1. Corint. 13. Secundo compatiendo, quia exit in actum per compassionis affectum: generat quippe in mente multos, diuersos & mirabiles dolores spirituales, sicut de se tunc Apostolus 2. Cor. 11. dicit, *Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror?* Et ad Roman, 12. ait, *Flete cum flentibus.* In tantum quippe ardor, & feruor huius doni accendit cor, quod potius eligeret perfectus homo pati, quam compati. Tertio excusando, excusat enim tale pietatis donum omnes creaturas, quæ Deum offendunt, quantum possibile est, exemplo Christi, qui Lucæ 3. c. ait: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ecce mira excusatio, & huius ratio est, secundum Apostolum 1. Cor. 13. c. *quia charitas non cogitat malum.* Quarto addi potest, quod etiam pro loco, & tempore exit in actum per cuiuscumque boni operis beneficium, vt puta per opera misericordiæ corporalis, & spiritualis.

Quomodo diuus est liquefactiuus. *Psalm. 21.* *Cant. 5.* *Psalm. 74.* *Currisri iam mandatorum Dei, quid.* *Ioan. 12.* *Quomodo beneuolentia pietatis exit in actu Condelectando.* *Rom 12.* *Compatiendo.* *2. Cor 11.* *Rom. 12.* *Excusando.* *Luc. 23.* *1. Cor. 13.*

Quod amor Dei per scientiæ donum tria scienter exercere facit.

Cap. III.

Amor diuinus distinctiuus. Ignis diuini amoris distinguit, & quomodo.

TErtia autem flamma, est amor distinctiuus ad similitudinem ignis, qui aliter incendit paleas, aliter ligna, aliter lapides, & aliter ferrum. Sic quoque ignis diuini amoris per scientiæ donum docet distinguere, & distincta habere tria. Primo in mente discretionem, secundo in ore locutionem, tertio in opere conuersationem. Primo n. docet in mente discretionem. Nam donum scientiæ consistit in intellectu inclinato à fide, & inclinante ad operationem bonam, & fugam mali, & fundatur super principia fidei, & ortum habet à dono specialis gratiæ. Doni quippe scientiæ actus præcipuus est dirigere in agendis atque dicendis secundum exigentiam regulæ fidei & imitationis Christi. Habet quippe scientiæ donum rationes, quibus se defendat ab impugnantibus fidem suam. Proinde non tantum supponit ea, quæ scripta sunt in theologicis libris, verum etiam quæ scripta sunt in tota prophetia, quibus ad probandum iuuatur fides. Per hoc donum scitur & discernitur bonum à malo, ne malum lateat sub specie boni. Et licet ex prudentia de hoc aliqua notitia habeatur: tamen aliter habetur ex scientiæ dono. Nam prudentia procedit ex principiis naturalis iuris: scientiæ vero donum ex principiis fidei luminosæ: proinde spiritualius, ac diuinius ex eo lumine habetur. Hinc est, quod donum scientiæ pietatem regit: propterea hæc duo dona, scilicet scientiæ, & pietatis ab Esaia, sicut prædictum est simul combinantur: per hoc scientiæ donum scit homo, quid sit, & à quo sit? insuper & ad quid sit. Scit quoque

Primo, Donum scientiæ consistit in intellectu inclinato à fide. *Donum scientia pietatem regit.*

Rom. 12. Voluntas Dei. probare, *quae sit voluntas Dei, bona, beneplacens & perfecta*, sicut dicitur Romanorum 12. *bona*, quantum ad statum incipientium: *beneplacens*, quantum ad statum proficientium: *& perfecta*, quantum ad statum perfectorum. In omnibus enim his cognoscit beneplacitum Dei Nam 1. Ioan 2. cap. scriptum est, *vnctio docet vos de omnibus*. Sic enim promisit Dominus Ioan. 15. dicens: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, scilicet necessariam ad salutem. Proinde Bernardus in quodam sermone ait, Spiritus paraclitus dat pignus salutis, robur virtutis, scientiae lumen. Pignus salutis, vt ipse spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quod filius Dei sis. Robur virtutis, vt quod per naturam est tibi impossibile; per gratiam eius non solum possibile, sed etiam facile fiat. Lumen scientiae, vt quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, a quo omne bonum est. In tribus istis Spiritussanctus docebit te omnia pertinentia ad salutem. Secundo ignis diuini amoris per hoc donum docet distinguere in ore locutionem. Nam teste Domino Matth. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Bonus quippe thesaurus in corde hominis boni; amor seu vnctio Domini est, de quo thesauro vtique tunc profert bona, quando sermo oris sale conditus est, iuxta sententiam cordis. Huius profecto est recte atque discrete praedicare, & loqui; hoc donum postulabat propheta dicens: *Pone Domine custodiam*, id est vnctionem, *ori meo & ostium circumstantiae* id est discretionem; *labiis meis*, scilicet vt sciam. Quis, quare, quid, quibus, quando, quomodo, & quantum debeam loqui. Tertio hic ignis amoris per tale donum docet hominem innocuè conuersari in medio nationis prauae atque peruersae, & se innocuè amabilem exhibere, eo quod claro lumine intuetur, quid agendum, quidque dimittendum, seu etiam fugiendum, quid deficiat, quid proficiat. Cum, sicut praedictum est: talis anima plena sit rationibus luminosis scientiae veritatis. Proinde similis est Soli, qui in aqua non balneatur, in lapide non induratur, in luto non inquinatur. Hoc tamen communiter non conuenit iuuenili aetati, atque fragili conditioni. Talibus vt plurimum contingit, quod Dominus per prophetam ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*

1. Ioan. 2. Ioan. 15. Spiritus sancti liberalitas. Secundo. Matth. 12. Amor Dei optimus thesaurus. Psalm. 14. Tertio. Ignis diuini amoris similis est Soli. Psal. 17.

Quod diuinus amor per fortitudinis donum tripliciter facit in aduersitatibus iucundari.

CAP. IV.

QVarta verò flamma est amor solidatiuus; ignis quippe luteos lateres, & multa alia solidare solet. Sic quoque flamma, seu ignis diuini amoris, est per donum fortitudinis mire solidatiuus. Differunt tamen fortitudo quae est virtus moralis: & fortitudo, quae est donum Spiritussancti. Nam perpeti passiones, vel ardua aggredi potest homo dupliciter. Primo propter iustitiae, & honestatis conseruationem vel obseruantiam: & sic respicit fortitudinis virtutem, & hoc est de dictamine iuris naturalis. Secundo propter perfectam Christi imitationem, & sic respicit fortitudinis donum: & haec est de dictamine iuris diuini. Natura enim virtutis fortitudinis est patienter tolerare aduersa, sed natura doni fortitudinis est gaudenter, promptè: expedite aggredi passiones, seu ardua, cum superueniunt, libentissime tolerare. Facit enim diuinus amor per fortitudinis donum in aduersitatibus iucundari. Et hoc tripliciter. Primo de praeteritis, secundo de praesentibus: tertio de futuris. Primo iucundari facit de praeteritis. Proinde Actuum 5. cap. scriptum est: *Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et vbi Petrus prius ad ancillae vocem Christum negauit vt dicitur Matthaei 26. post aduentum fortitudinis huius doni ex contumeliis consilij gauisus est. Secundo iucundari facit de praesentibus. Exemplum patet in Apostolo Paulo qui ad Galatas vltim. cap. de se ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Beatus vero Laurentius amplius in anima inflammatus hoc amore & fortitudinis dono, quam igne corporeo accensos carbones spernebat, & pro refrigerio reputabat. Tertio iucundari etiam facit de futuris, vt patet in Apostolo Paulo, & sibi similibus, de quibus ait ad Rom. 8. cap. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames; an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est. Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus, sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* De tali quoque amorosissimo atque feruentissimo fortitudinis dono, Canticorum vlt. scriptum est. *Fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus aemulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum; aquae multae non potuerunt extinguere charitatem.* Quae verba plenius exponuntur in quadragesimali de Charitate, ser. 4. art. 2. cap. 1.

Amor solidatiuus. Fortitudo virtus moralis & fortitudo donum Spiritussancti quomodo differant. Ardua aggredi potest homo dupliciter. Diuinus amor in aduersis iucundatur. Iam prae... fortitudinis ... Gal. vlt. Ad Rom. 8. Vide quadragesimale de Charitate, quid est de Euangelio ...

Quod amor Dei per consilij donum tripliciter animam proficere facit.

CAP. V.

QVinta etiam flamma, est amor ascensiuus: semper enim ex natura sua ascendit ignis. Sic quoque ignis diuini amoris in hac flamma semper ad superiora conscendit, & eius naturae est animam sursum ferre per consilij donum. Est nihilominus aduertendum, quod consilium dicit habitum, qui expedit & dirigit animam ad eligendum ea, quae prosequenda sunt: & ad vitandum fugienda. Talis quippe habitus dirigens potest in anima esse duplex. Primus respectu eligibilium, quae sunt de necessitate salutis: & hic est prudentiae, quae ad talia dirigit, sed minus excellenter quam scientia quae secundum donum est. In tali quippe electione habet homo dirigi secundum regulam naturalis iuris, quod prudentiam gignit. Secundus respectu eligibilium arduorum & difficilium, quae sunt necessaria vel non necessaria ad salutem. Et hic est habitus consilij & tunc dirigitur homo secundum regulam iuris diuini. Doni quippe consilij est dirigere in electione prosequendorum, & fuga vitandorum. Ex his patere potest, quod prudentia & consilium in essentia idem sunt, sed consilium abundat super prudentiam in vno accidente, scilicet quia eius est imperare. Aduertendum est tamen, quod sicut ad scientiae donum pertinet reprobare malum, & eligere bonum ita pertinet ad consilium cauere pericula, quae in praesenti saeculo currunt, & incitare ad bona. Item sicut donum scientiae habet regere pietatem, ita donum consilij facit fortitudinem. Porro in hoc differunt scientia & consilium, quia scientia est circa bonum & malum: sed consilium est circa bonum difficile & arduum. In arduis ergo amor iste per donum consilij nouos status in mente humana primo formar, secundo conseruat, tertio multiplicat. Primo nouos status in anima format. Et ad hoc hortatur. Apostolus Ephes. 4. dicens, *Renouamini spiritu mentis vestrae.* Quod tripliciter intelligi potest: primo spiritu mentis vestrae, idest spiritu sancto rectore mentis vestrae, à quo est haec renouatio efficienter, sicut dicitur per Prophetam: *Emitte spiritum tuum & creabuntur,* &

Ignis natura sua ascensiuus. Amor dirigens in anima est duplex. Consilij doni proprietas. Scientia & consilium in quo differunt. Ephes. 4. Renouatio mentis quomodo intelligitur.

& renouabis faciem terræ. Secundo Spiritu mentis vestræ id est spirituali mente vestra, per quam est renouatio formaliter. Tertio spiritu mentis vestræ, id est spiritu qui est mens vestra, quæ est subiectum renouationis materialiter. Rom. 12. *Renouamini in nouitate sensus vestri.* Primo ergo tenetur spiritus efficaciter pro Spiritu sancto, secundo formaliter pro gratia, tertio materialiter pro anima. Secundo nouos status in anima

Psal. 15.

conseruat, pro hoc orabat Propheta Dauid psal. 15. *Conserua me Domine quoniam speraui in te.* Ad cuius preces Dominus inclinatur, atque talem animam in

Ecclesi. 15. *Semper perfectionis habenda inuigilentia.* *Phil. 3.*

gratiis sibi datis conseruat, sicut Ecclesiast. 19. ait, *Gratiam hominis quasi pupillam oculi conseruabit* id est ipse spiritus charitatis. Tertio nouos status multiplicat: quia semper ad meliora compellit & trahit, atque ad perfectiora opera cor accendit, hoc quippe operabatur in Aposto. amor iste, Proinde ad Phil. 3. de se dicebat: *Non quod perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam.* Beatus quoque Franciscus, cum iam donum sacrorum stigmatum accepisset, adhuc ad primitias spiritus anhelabat: vnde & se & socios ad eas hortabatur dicens, Quando benefacere incipiemus, iam incipiamus benefacere, iam incipiamus bene viuere, & similia verba exhortatoria frequentabat, quasi non dum benefacere inchoasset. Proinde Bern.

Matth. 17. *Eminentia & securitas religionis.*

exponens illud Matth. 17. *Bonum est nos hic esse*, id est in monte eminentis status religionis ait, Quia homo in religione viuit purius, cadit rarius, resurgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, & præmiatur copiosius.

Quod amor Dei per donum intellectus de tribus in anima perfectam intelligentiam præstat.

CAP. VI.

Amor illuminatiuus.

SExta flamma est amor illuminatiuus ad similitudinem ignis, qui illuminat circunstantes. Actus enim flammæ huius amoris est per donum intellectus, non solum contemplari, in creatura essentiam, id est, ipsum summum Deum, verum etiam contemplari creaturam

Ecclesi. 2.

spiritualem & corporalem. Ad hoc Ecclesiast. 2. cap. hortatur nos dicens: *Diligite Dominum & illuminabuntur corda vestra.* Talis quippe amor illuminat intellectum ad profundam & lucidam cognitionem trium, scilicet Dei, sui, & vniuersi. Primo quidem illuminat ad cognitionem Dei, & tripliciter cognoscitur

Tripliciter cognoscitur Deus sub ratione veri.

Deus sub ratione veri. Primo quidem per simplicem assensum, secundo per rationis adminiculum, tertio per simplicem contuitum. Primo per simplicem assensum, & hæc est fides faciens assentiri summæ veritati:

Ecclesi. 11.

proinde August. ait, quid est fides nisi credere, quod non vides; & Eccl. 11. cap. scriptum est: *Dulce lumen & delectabile est videre solem*, id est per fidem cognoscere Deum. Secundo cognoscitur Deus per rationis adminiculum, & sic est donum intellectus, cuius est credita per rationem intelligere. Amor enim per hoc donum illuminat intellectum dando ei lucidam & profundam cognitionem infinitarum rationum, propter quas debemus diligere Deum. Porro per hoc donum cognoscitur Deus & spiritualia, atque ea, quæ Dei sunt: & hoc per illuminationem de his quæ per scripturam audiuntur, & maxime quod ipse est trinus & vnus, increatus & infinitus & immortalis. Primum

Rom. 15.

circa principium, secundum circa medium, tertium circa finem: & de hoc ad Rom. 15. Apost. ait: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Tertio cognoscitur Deus per simplicem contuitum, & sic est sexta beatitudo, scilicet munditia cordis, cuius

Matth. 5.

est videre Deum, de qua Matth. 5. scriptum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et sic patet, quod in præsenti vita in anima oritur triplex lumen de ipso Deo. Primum est ex virtute fidei: secundum ex dono intellectus, tertium ex beatitudine, quæ est munditia cordis. Et hoc etiam summatim elici potest,

Triplex lumen de Deo in hac vita. *Qui plus diligit plus cognoscit.*

quod sicut ait Hugo: Qui ardentius diligunt, profundius prospiciunt, subtilius discernunt, & quia è vicino magis respiciunt, procudubio perfectius cognoscunt. Ex magnitudine enim diuinæ dilectionis pendet pondus diuinæ reuelationis. Secundo amor

Tria facit cognoscere in homine iste diuinus amor donum intellectum. *Iob. 10.*

iste per hoc donum illuminat intellectum ad cognitionem sui, atque intelligere facit in homine hæc tria. Primo miserabilem conditionem, secundo miserabilem dimissionem, tertio miserabilem commissionem. Primo quippe intelligere facit miserabilem conditionem, de qua Iob. 10. ad Dominum ait: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me:* quod est dicere: Oro vt ex munere tuo in mente habeam meum luteum principium, & meum cinereum exitum, scilicet quod ex his humilier coram te: merito quidem ait,

Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus,
Vnde superbimus, ad terram terra redimus.

Ecclesi. 10.

Et Ecclesi. 10. cap. inquit: *Quid superbis terra & cinis?* Secundo intelligere facit miserabilem dimissionem, id est bona, quæ homo dimisit, ad quæ de necessitate obligatus erat: quod difficile & paucorum est Vnde

Psal 18.

admirantem Propheta ait: *Delicta quis intelligit?* quasi dicat omnia, nullus. Præterea Iob. 9. c. inquit, *Verebar omnia opera mea*, secundum glossam etiam bona:

In perfectione desidia & fraus verenda sunt.

quia in bonis operibus duo verenda sunt, scilicet desidia, & fraus. Desidiam facit timor, & amor mundi: fraudem vero facit proprius amor sui dum pro bene actis, tacita humani cordis gratia, vel fauoris aura, vel quælibet res exterior desideratur. Ex quo patet, quod etiam bona operando, homo incidit in delictum, scilicet in omissionem, vel diligentiæ debitæ desidiam,

Ierem. 48.

Ierem. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*, vel intentionis rectæ per vanam gloriam Matth. 6.

Matth. 6.

Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit: & si incidit homo in delictum bona faciendo, quanto amplius bona dimittendo. Tertio intelligere facit miserabilem cognitionem, id est quot & quanta peccata commisit homo in vita sua: & hoc

Peccata commissa intelligere donum est intellectus *Ioan 8.* *Peccatum priuatio boni est.*

corde, ore, & opere, propter quod in miserabilem seruitutem peccati deductus est. Ioan. 8. Domino attestante: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ex quo sequitur, quod tanto vilior factus sit, quanto vilior seruus est, quam dominus ipse reputatur. Porro cum peccatum nihil aliud sit, nisi priuatio ipsius boni, manifeste clarescit quod peccator quodammodo minus quam nihil est, cum peccatum sit Dominus eius. Et in hæc & similia miranda lumina diuina, diuinus amor per hoc donum intellectus deducit. Proinde merito dicere potest Propheticum illud, *ad nihilum redactus sum, & nesciui*, scilicet ad omnia supradicta. Tertio amor iste illuminat intellectum per hoc donum, ad cognitionem vniuersi. Nam secundum quosdam Doctores

Signa naturalia.

donum intellectus est gratia intelligendi salubres significationes signorum naturalium, & signorum positiuorum. Primo quidem signa naturalia sunt omnes creaturæ. Proinde diuinus amor per hoc donum intelligere facit, quomodo omnes creaturæ suo modo vtuntur in increata sapientia ratione ubique loquuntur Dei laudem, necnon & eruditionem nostram: eum Deus effuderit sapientiam suam super omnia opera sua,

Rom. 1.

Hinc Rom. 1. ait Apost. *Inuisibilia enim Dei a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: &

Iob. 12.

Iob. 12. cap. ait, *Interroga iumenta & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt ea pisces maris:* Hæc fuit sapientia Salomonis, quam quæsiuit in animalibus, in arboribus, in herbis & similibus creaturis. Disputauit

Philosophia donum intellectus

enim ab hysopo vsque ad cedrum. Hoc quippe donum Philosophi non habuerunt, qui visibilia huiusmodi non acceperunt, vt signant, sed materialiter tantum

similes

non habuerunt quare. Similitudo puerorum. Pſal 31.

ſimiles pueris effecti, qui in libris & literis deauratis & pulchris aſpectum tantummodo figunt, de his ſolummodo admirantes: ea autem quæ per ſcripturam ſignantur, minime perquirentes. Talibus dicitur per Prophetam, *Nolite fieri ſicut equus & mulus, & quibus non eſt intellectus*: Proinde forinſeca, non intrinſeca minima intuentur. Secundo vero ſigna poſitiua ſunt, quæ in lege veteri & noua ſcripta ſunt; & omnia hæc, vt ſuperius Apoſtolus ait, *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

Quod amor Dei per ſapientiæ donum triplicem fructum ſaporare facit.

Cap. VII.

Septima flamma, eſt amor transformatiuus ſeu ſaporatiuus ad ſimilitudinem ignis materialis: qui in eo poſita quodammodo aſſaporat, dum in ſe transformat, & cui ſi apponatur ferrum vel lapis in eum transformando, ſic paulatim incendit vſque quo illum in ſui ſimilitudinem totum tranſire facit. Sic quippe diuinus amor per ſapientiæ donum, totum intellectum atque affectum in ſe per admirabilem ſuauitatem transformat & mutat. De hoc igitur transformatiuo, & ſaporatiuo amore per ſapientiæ donum tria conſiderare libet. Primo eius excellentiam, ſecundo eius differentiam, tertio eius experientiam. Primo inquam conſideremus eius excellentiam. Porrò ſapientia tripliciter ſumi poteſt. Primo communiter, ſecundo proprie, tertio magis proprie. Primo communiter; & ſic dat cognitionem generalem diuinarum atque humanarum rerum. Quia, ſecundum Auguſt. 4. de Trinit. Sapiens diuina, & humana rimatur. Et ſecundum Philoſophum, ſapiens eſt, qui omnia nouit. Secundo ſumitur proprie & ſecundum hoc dat cognitionem æternarum rerum: & de hac, 1. Corint. 12. Apoſtolus ait. *Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ.* Tertio vero ſumitur magis propriè; & hoc modo nominat cognitionem Dei experimentalem: & ſic eſt vltimum donum Spiritus ſancti, cuius actus conſiſtit ad deguſtandam ſuauitatem Dei, qui quidem actus partim eſt cognitiuus, & partim affectiuus; ita quod in cognitione inchoatur, & in affectione conſummatur: inde dicitur ſapientia, quaſi ſapida ſcientia, vt ethymologia eſt. Proinde Eccleſ. 6. *Sapientia enim doctrina ſecundum nomen eius.* Et hæc ſapientia cum charitate iuncta generat hunc amorem. Secundo conſideremus huius ſapidi, & transformatiui amoris differentiam: differunt enim inter ſe in tribus intellectus & ſapientiæ dona. Primo, quia intellectus eſt Dei cognitio collocatiue, ſcilicet in comparatione ad creaturas, ſcilicet per viſibilia & creata, ſapientia vero eſt cognitio Dei abſolute. Secundo quia intellectu cognoſcitur Deus per illuminationem auditorum in ſcriptura ſacra: ſapientia vero cognoſcitur Deus & ſuperiora ipſo experimento, & in cognitis anima delectatur. Et ad hanc ſapientiam hortatur Apoſtolus Col. 3. dicens, *quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Tertio, quia per intellectum Deum cognoſcimus: per ſapientiam vero dulcedinem eius guſtamus, ſeu ſentimus: vnde ſapientia dicitur, quaſi ſapore virtutum condita ſcientia. Ad hunc diuinum ſaporem & guſtum nos hortatur Propheta Pſ. 33. dicens. *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Quod guſtate prius in affectu, & poſtea videte in intellectu: idem prouerb. vlt. *Guſtauit & vidit, quoniam bona eſt negotiatio eius.* Et merito quidem prius dicit guſtate, eo quod guſtatio facit videre: vnde myſticè 1. Regum 14. Ionathas ait, *vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtauerim paululum de melle iſto.* Hanc ſapientiam, id eſt ſapidum amorem Beatus Iacob in 3. deſcribens ait: *Quæque autem de ſurſum eſt ſapientia*, id eſt infuſa & ſeptimum donum. Primum quidem *pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis*

De ſapientia vt eſt donum excellentia. Sapientia trifariam capitur.

Auguſt.

Sapientia actus in quo conſiſtat.

Intellectus & ſapientia dona in tribus differunt.

Sapientia ethymologia. Pſal. 33. Prou. vlt.

1. Reg. 14. Guſtare præcedit videre in rebus Dei. Iacob. 3.

bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. In quibus verbis ponit ſeptem effectus, ſeu proprietates ſapientiæ Dei in nos deſuper deſcendentis. Primo abiicit immunditiam, ſecundo turbulentiam, tertio immoderantiam, quarto pertinaciam, quinto impietatem, ſexto ſterilitatem, ſeptimo doloſitatem & duplicitatem, & ſic ſunt ſeptem conditiones. Primo enim abiicit immunditiam, eo quod mentem purgat & purificat à ſenſu & affectu animali, & carnali: ideo pudica eſt. Secundo autem, quia ab omni rixoſa ira & litigio mentem pacificat, ideo pacifica eſt. Tertio vero, quia ab omni effrenatione & effuſa immoderantia ipſam mundificat, ideo modeſta eſt. Quarto quia mentem reddit à veritate & veridica ratione perſuaſibilem, & bonis quæ ſuadet conſentientem: ideo perſuaſibilis eſt. Quinto autem: quia contra quæſtum terrenæ cupiditatis, & contra zeli amari impietatem, eſt plena miſericordia. Sexto, quia ſicut ſapientia terrena eſt omni opere prauo plena: ſic iſta fructibus bonis, quia omnia opera in bonum dirigit & bonitate impinguat & etiam, quia auditores fructuosè ædificat ſicut terrena ipſos exterminat. Septimo enim quia iudicat ſine ſimulatione: tum quia neminem in iudicio iudicat, niſi ſecundum ordinem iuſtitiæ, & ſecundum merita cauſarum, & in hoc non procedit ſimulatè, vel fictè. Non etiam eſt doloſa, aut duplex, nec perſonarum acceptatrix: tum quia de dogmatibus fidei non iudicat ſuperficialiter: nec ſecundum lucis æternæ infallibilem veritatem. Tertio quoque conſideremus huius transformatiui & ſapidi amoris experientiam, quæ in anima gradatim operatur triplicem fructum. Primus dicitur delectatio, ſecundus abominatio, tertius impugnatio. Primus inquam huius amoris fructus, delectatio dictus eſt. Fabricat enim in humana mente diuerſos & quaſi infinitos ſpirituales ſenſus atque ſuauitates. Nam talis amor dilatat animam ad quandam gratiæ capacitatem, per quam poteſt per inconſiderabilem modum Deum in ſe ſecretè recipere & poſſidere & dicere, Iſa. 24. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Et merito hæc in anima operatur, quia 1. Ioan. 4. ſcriptum eſt. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Apoſt. Epheſ. 3. etiam inquit, *in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum*, hoc eſt manna præſtans in anima omnem ſaporem ſuauitatis: vnde perſeuerantibus in donorum adeptione: Apoc. 2. promittit Dominus dicens. *Vincenti dabo manna abſconditum*: abſconditum quidem manna dat dulcedinem ſuauiſſimam Dei indignis merito occultatam. Sicut enim manna deſuper veniens omnem ſuauitatis ſaporem continebat; ſic diuini amoris & ſapientiæ guſtus ſenſus omni ſuauitate mentis redundat, ſic ad hoc animam hortatur Propheta dicens, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*: hoc quoque de patre ſuo, Luc. 11. cap. promiſit dicens, *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Hic ſpiritus eſt ſapientiæ donum admiranda ſuauitate redundans, ſicut Dominus per Salomonem, Eccleſiaſtici 24. ait, *ſpiritus meus ſuper mel dulcis.* Secundus fructus abominatio dictus eſt. Scimus quod quicunque poſt ſuauitatis ſaturitatem ad comedendum perueniunt: quælibet apposita vel oblata faſtidiunt. Sic profecto dilectio huius amoris in anima generat quarumlibet deliciarum corporalium faſtidiū & ex intimo affectu omnium exteriorum rerum quendam & ſpontaneum deſpectum. Aliud eſt enim blandienti tentationi reſiſtere & violenter repellendo nolle acquieſcere, atque aliud ſpontaneo quodam intimi affectus intuitu faſtidire, & quaſlibet interim carnis delicias & blandirias penitus ſibi ſapere non poſſe, immo in abominationem habere. Ad veram itaque huius delectationis plenitudinem, anima tunc verè peruenit, quando poſt illius ſuauitatis abundantiam

Septem effectus ſapientiæ. Effectus ſapientiæ eſt mentem purgare, &c.

Triplex fructus transformatiui amoris.

Iſa 24.

1. Ioan. 4.

Epheſ. 3.

Amor Dei omni ſuauitate replet animam. Pſal. 36. Luc 11. Secundus fructus ſapientiæ abominatio.

Amor Dei generat faſtidium deliciarum corporalium.

abundantiam quam interius sentit omnium, quæ exterius apponi possunt, quoddam necessarium potius quam voluntarium fastidium & abominationem incurrit. Vnde in persona talis animæ Propheta ait,

Psalm. 76.

Renuit consolari anima mea, scilicet in quibuslibet transitoriis mundi. *Memor fui Dei & delectatus sum*, scilicet ex eius tantum memoria. Sed quid faciet in futuro eius dulcis præsentia? Expellit enim ab anima amor iste omnia indignè dilecta & solum in Deum spirat continuum amoris actum atque affectum, quia secundum Ambrosium gustato spiritu desipit omnis caro: hoc est

Luc 10.

est illud vnum, de quo Dominus Luc. 10. ait: *Porro vnum est necessarium.* Hanc suauitatem profectò sentire non possunt qui exterioribus diuitiis, deliciis, & magnificentiis occupantur: Proinde Bernardus ait: Delicata est diuina consolatio, & non dabitur admittentibus alienam, nec etiam conceditur.

Consolatio diuina delicata est.

Sed de his, qui

Psalm. 21.
Psalm. 67.

pauperes sunt spiritu, ait Propheta: *Edent pauperes & saturabantur & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Et alibi, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

Psalm. 58.

Et iterum Esa. 58. cap. ait, *Si glorificaueris eum, dum non facis vias tuas*, scilicet mundanas: *& non inuenitur voluntas tua*, quæ scilicet à seipsa mundana & plena malitia est, *vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino.*

Tertius impinguatio fructus sapientiæ.

Tertius verò fructus, impinguatio nominatur. Nam cum delectatio mentis animam taliter diligentem impinguat: necesse est, vt talis pinguedo in carnem & corpus ex abundantia cordis redundet. Ex quo fit, quod talis amor mirabiliter, & supra naturam, quandoque etiam absque necessariis ad corporalem victum nutrit humanum corpus. Sicut enim inter quinque corporis sensus principaliter gustus ad corporalem vitam necessarius est, & corpus humanum principaliter nutrit: sic iste inter quinque sensus spirituales animam nutriens & cibans in edomitam carnem redundat, etiam eam pascit, atque supra naturam nutrit.

Apoc. 14.

Et de hoc Apoc. 14. mysticè scriptum est: *Et vocem, quam audiui, sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis.*

Cythara componitur ex duobus.

Cythara enim componitur ex duobus. Primo ex ligno, quod penitus euacuatum est: Secundo ex chordis, quæ de visceribus animalium conficiuntur. Et ideo corpus humanum à spiritu rationali edomitum, per cytharam conuenientius denominatur. In corpore quippe humano duo sunt. Primum est natura naturalis, secundum est natura animalis. Voco autem naturam naturalem, quæ inclinat sine apprehensione

In humano corpore duo sunt: natura naturalis & natura animalis.

cognita: Naturam autem animalem voco, quæ inclinat apprehensione sensuum præuia. Prima ergo natura naturalis, quasi lignum, quia euacuari debet ex superfluis inclinationibus, ad hoc vt respondentiam recipiat spiritualis lætitiæ mentis: Secunda vero scilicet natura animalis, macerari debet ex concupiscentiæ humoribus: vt sonum internæ exultationis, ad tactum spiritus rationalis reddat. Proinde natura naturalis euacuari debet à dilectione sui, vt capax fiat redundantiæ dilectionis Dei. Quia enim de se ipsa plena est diligendo semetipsam: Dei autem plena est, cum tendit in ipsum Deum: Natura vero animalis euacuari debet à sensibilium concupiscentia, vt spirituali delectationi reddatur apta & prompta.

Iustorum Spiritus cytharœdi sunt.

Spiritus igitur iustorum cytharœdi sunt, qui varios exultationis sonos in subditis sibi corporibus operantur. Ea vero corpora cum cythara, quæ spiritualis exultationis redundantiam à spiritualibus Dei exultatione plenis recipiunt.

Psal 147.

Vnde Propheta ait. *Exultabunt Sancti in gloria*, id est, in participatione gloriæ. *Lætabuntur in cubilibus suis*: hoc dicitus quantum ad exultationem spiritus rationalis, quia in Deo, secundum conscientiam bonam gaudet. Quantum vero ad redundantiam ad corpus spiritui subiectum adiungitur, *Exultationes Dei in gutture eorum.* Et alibi ipse Propheta de seipso ait, *Cor meum & caro mea*, id est, anima & corpus. *Exultauerunt in Deum viuum*, scilicet Prædicto modo, & omnes etiam prædictæ flammæ Apostolis adaptentur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De perfectione septem donorum Spiritus sancti & de septemplici sufficientia eorum.

SEcundum mysterium contemplandum, quod ostendit Propheta in propositis verbis, est subiecti vistualis, quia inquit, *carbones*. Porrò omnes centum viginti, qui in die Pentecostes receperunt Spiritum sanctum, carbones meritò nuncupantur: quia erant accensi igne Spiritus sancti, lucidi doctrina veritatis, & mundi exemplo bonitatis.

Carbones qui.

Carbo vnde dicitur & carpere quid.

Secundum enim Catholicon, carbo à carpo pis, denominatur: carpo enim actiuum est, & secundum eum habet septem significata, nam carpere, primo est dissipare, secundo præparare, tertio diminuere, quarto scindere, quinto purgare, sexto auferre, septimo carpere. Quæ omnia cunctis qui in die Pentecostes Spiritum sanctum susceperunt, atque omnibus Christi membris, qui vsque in diem iudicij dona eiusdem Spiritus sancti suscepturi sunt: quasi carbonibus dignissimè conuenire possunt, si considerentur septem, secundum quæ indiget anima expediri per ipsa dona, vt ad summum perfectionis peruenire possit. Porro expediri indiget, primo contra vitiorum obliquitates, secundo quantum ad vires naturales, tertio quoad superadditas virtutes, quarto patiendo, quinto agendo, sexto contemplando, septimo beatitudinem participando. Hi sunt septem status animæ peregrinæ, qui conueniunt septem officiis, quæ habent Spiritus sancti dona, vt perducant animam ad summam perfectionem, sicut in sequentibus apparebit.

Animi per dona Spiritus sancti expediri debet.

Quod per septem dona Spiritus sancti septem vitia capitalia expurgantur.

CAP. I.

PRimum officium donorum Spiritus sancti est dissipare, scilicet omnes vitiorum obliquitates, quas expeditissimè ab anima pellunt atque propulsant: Primo enim timor propulsat reliquias superbiæ, hinc Ecclesiast. 1. ait, *Timor Domini expellit peccatum*, id est superbiam quæ per antonomasiam peccatum denominatur, eo quod initium est omnis peccati, vt dicitur Ecclesiast. 10.

Donorum Spiritus sancti officia.
Dissipare quid.
Eccles. 1.
Superbia per antonomasiam dicitur peccatum.

Secundo autem pietas reliquias inuidiæ, quæ gaudet de malis alienis & contristatur de bonis: sed qui proximo suo afficitur non inuidet ei, sicut patet exemplum in Moyse, Num. 11. c. Nam cum Iosue diceret ei *de septem viris, qui prophetabant: Domine mi, prohibe eos:* Respondit Moyses, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Tertio scientia reliquias iræ, quæ hominem odibilem reddit. Ira enim quasi quædam infamia est. Vnde

Ira quædam infamia est.

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Proinde Ecclesiastes 7. c. ait, *Ira in sinu stulti requiescit.*

Eccles. 7.

Quarto fortitudo reliquias accidiæ. Nam fortificat debiles, confortat pusillanimes, souet hebetes & timentes. Vnde Iud. 14. c. mystice scriptum est: *Irruit autem spiritus Domini in Samson & dilacerauit Leonem, quasi hædum in frusta decerperet, nihil omnino habens in manu.*

Fortitudinis effectus
Iud. 14.

Et ad hoc hortatur Ecclesiast. 30. cap. dicens, *Tristitiam longe expelle a te.*

Eccles. 30.

Quinto consilium reliquias à varietate. Disponit enim consilium ad spiritus paupertatem, dicente Domino, Matth. 19. cap. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.*

Matth. 15.

Sexto intellectus reliquias gulæ, quæ mentem brutalem facit. Vnde Psalm. inquit, *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.*

Gula bellum nos efficit.

Septimo sapientia reliquias luxuriæ, quia gustato spiritu desipit omnis caro: hinc Eccles. 22. c. *Verbum sapiens quodcunque audierit sciens laudabit, & ad se adiiciet: audiet luxuriosus & displicebit ei, & proiiciet illud post dorsum suum.*

Quod per ſeptem dona Spiritus ſancti tres animæ vires expediuntur & diſponuntur ad gratiam & ad virtutes.

CAP. II.

[*Præparare officium donorum ſpiritus ſancti*] SEcundum dictorum donorum officium eſt præparare. Nam præparant ad gratiam,& virtutes naturales vires, atque miro modo expediunt eas, quæ ſunt iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis. Iraſcibilis enim impediri poteſt, ne in actus virtutum tendat tam per proſpera, quam per aduerſa,à quibus per hæc dona expeditur. Primo quidem expeditur in proſperis per timorem, ſicut patet de Propheta, qui de ſe ait, [*Pſal. 55.*] *Ab altitudine diei timebo*, hoc eſt timebo a ſtatu proſperitatis, qui eſt in calore diei. Secundo expeditur in aduerſis per fortitudinem: propter hoc enim 2. ad Cor.4.c.de ſe & [*2. Cor.4.*] ſibi ſimilibus Apoſtolus ait, *Perſecutionem patimur & ſuſtinemus*. Concupiſcibilis impediri poteſt per duritiam ad proximum & per faſtidium ad Deum. Primo quidem indiget expediri quantum ad affectionem reſpectu proximi,& hoc fit per pietatem. Proinde 1. Tim.4. ad hoc [*1. Tim 4.*] hortatur Apoſtolus Timotheum dicens, *Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum*, id eſt ad aliquid *vtilis eſt. Pietas autem ad omnia valet:promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Secundò quantum ad affectionem reſpectu Dei,& hoc fit per ſapientiæ donum & ſuauiſſimum guſtum: de hoc Sapient.7. [*Sapient 7.*] ait, Anima taliter expedita: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*, id eſt donum ſapientiæ. Rationalis vero indiget expediri in veritatis ſpeculatione, electione, & executione. Primò quidem per donum intellectus expeditur ad verum ſpeculandum. Hoc expoſcebat Propheta à Domino di- [*Pſal. 118.*] cens: *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam,& cuſtodiam illam in toto corde meo.* Cui & reſpondit Dominus dicens: *Intellectum tibi dabo & inſtruam te*, ſcilicet per [*Pſalm 31.*] hoc donum. Secundò per donum conſilij ad verum eligendum. Nam Eccleſ.32. admonet dicens, [*Eccleſ. 32.*] *ſine conſilio nihil agas & poſt factum non te pœnitebit.* Tertiò per donum ſcientiæ ad idem exequendum. Proinde Ioan.13. Dominus ait: *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Per donum enim ſcientiæ ſicut ex præcedentibus patet, recte conuerſamur in medio nationis prauæ & peruerſæ.

Quod per dona Spiritus ſancti ad ſeptem principales virtutes anima expeditur.

CAP. III.

[*Diminuere.*] TErtium prædictorum donorum officium eſt diminuere, ſcilicet virtutum defectus: quod officium hæc ſeptem dona, dum ſcilicet expediunt virtutum actus & officia,quod meritò ſequitur ad præmiſſa. Primo enim timor expedit temperantiam:propter hoc donum Propheta poſtulabat dicens, [*Pſal 118.*] *Confige timore tuo carnes meas.* Secundo pietas ad veram iuſtitiam, ne ſcilicet degeneret ad crudelitatem. Proinde Eccleſiaſtes 7. nos admonet dicens: *Noli eſſe iuſtus multum, neque ſapias pluſquam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Et iterum Propheta inquit, *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi:iuſtitia &* [*Pſalm 84.*] *pax oſculatæ ſunt.* Tertio ſcientia ad prudentiam ne [*Eccleſ. 34.*] ſcilicet deuiet in vulpinam aſtutiam, cum Eccleſiaſt. 39. ſcriptum ſit: *qui in multis factus eſt, multiplicabit* [*Ephes.4.*] *malitiam ſuam.* Et Epheſiorum quarto nos admonet Apoſtolus dicens. *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Quarto fortitudo donum ad fortitudinem, quæ virtus moralis eſt: vt non tantum aduerſa humana mens portet per patientiam, quæ eſt virtus: ſed etiam benigna ſit ad hoſtes per fortitudinem, quæ eſt donum. Et ad hoc nos hortatur Dominus, Matth. 5. cap. dicens: *Diligite inimicos veſtros,* [*Matth 5.*] *benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quinto conſilium ad ſpem. Profecto dum conſilium ad alta virtutum mentem euehit, merito ſpem ad altiora proficere facit. De hoc conſilio ſunt verba Prophetæ, cum cuilibet viro iuſto ait, *Spera in Domino & fac bonitatem.* Ab hoc conſilio ductus [*Pſal. 36.*] eſt Iob.13. quando ait: *Etiam ſi me occiderit, ſperabo in eo.* [*Iob. 13.*] Sexto intellectus ad fidem, quia multa fides ex dono intellectus accepit firmitatem, dum per intellectus donum credita eluceſcunt: hoc poſcebant Apoſtoli à Domino, Luc.17. cum ei dicebant, *Adauge nobis fidem*, id [*Luc. 17.*] eſt per donum intellectus amplius illumina nos in fide. Septimo ſapientia ad charitatem. Vnde ſicut charitas eſt mater & conſeruatio & conſummatio omnium virtutum: ſic ſapientia eſt conſummatio omnium donorum: vt quando eam quis adeptus fuerit, merito dicere poſſit illud Sap.7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.*

Quod per dona Spiritus ſancti anima expeditur & habilis redditur ad imitandum Chriſtum & paßiones eius

CAP. IV.

QVartum, ſeptem donorum officium eſt ſcindere. [*Scindere.*] Nam ad imitandum Chriſtum poſt acceptas virtutes mirabiliter à mundo & ab omnibus, quæ mundi ſunt, hæc dona mentes humanas ſcindunt, dum eas expediunt ad Chriſti paſſiones ſtrenue imitandas. Sicut enim ad patiendum mouit Chriſtum, primo paterna voluntas, ſecundo humana neceſſitas, tertio virtutis ſtrenuitas: ſic & in his debemus nos Chriſto eſſe conformes, vt poſſimus regnare cum ipſo. Primo quippe diuina voluntas nos mouet tripliciter, vt à nobis cognita, vt etiam amata,& vt in reuerentia habita. Primo vt à nobis cognita per intellectum, quod donum à nobis poſcitur, quando Deo dicimus cum Propheta: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* [*Mouet nos diuina voluntas tripliciter.*] Secundo vt à nobis amata per ſapientiam: quod quidem efficaciter poſtulamus, quando cum toto cordis deſiderio & [*Pſal. 142.*] feruenti affectu, Dominum oramus dicentes voce ma- [*Matth. 6.*] gna illud Matth.6.c. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Tertiò vt à nobis in reuerentia habita per timorem. Et ad hunc timorem hortatur Angelus Apoc.14. [*Apoc. 14.*] dicens, *Timete Dominum,& date illi honorem.* Ille profe- [*Qui Deum honorat.*] cto Deum honorat, qui præter Deum nullum alium timet. Nam etſi prælatos in honorem timere oporteat, Deus tamen ſolus timetur, cuius nomen in ipſis iugiter honoratur. Secundo autem humana neceſſitas mouet [*Humana neceſſitas mouet dupliciter.*] dupliciter. Primo ſi per ſcientiam cognoſcatur, quemadmodum cognoſcebat Propheta, cum pro ſe Dominum exorabat dicens, *Miſerere mei Deus ſecundum ma-* [*Pſal. 50.*] *gnam miſericordiam tuam.* Secundo, ſi ad eam miſerandam per pietatem animus moueatur, quemadmodum hortatur Iſa.58. cap. dicens, *Frange eſurienti panem tuum,* [*Iſa. 58.*] *& egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne deſpexeris.* Tertio [*Virtutis ſtrenuitas mouet dupliciter.*] vero virtutis ſtrenuitas mouet dupliciter. Primo vt prouida in eligendo per conſilium, quemadmodum elegit Propheta cum ait: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei* [*Pſalm.*] *mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Et de [*Luc. 10.*] Maria Magdalena. Luc.10. cap. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Secundo vt vigoroſa, vt proferendo & perſiſtendo & perſeuerando per fortitudinem. Nam vt Dominus Matth.10.c.ait: *Qui perſeue-* [*Mat. 10.*] *rauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.*

Quod per dona Spiritus ſancti anima expeditur & habilitatur ad perfectionem vitæ actiuæ.

CAP. V.

QVintum officium donorum eſt. purgare ſcilicet vt expediant in actiua vita. [*In vita actiua va-*] Nam ad actionem

expe

contus quid necessariū. expediendam necesse habemus expediri à tribus. Primo ad declinandum à malo, secundo ad proficiendum in bono, tertio ad acquiescendum in optimo. Primo ad declinandum à malo: quod quidem fit per timorem, sicut *Prou. 8.* Prouer. 8. cap. scriptum est, *Timor Domini odit malum, arrogantiam & viam prauam.* Secundo expediunt ad proficiendum in bono necessitatis, vel supererogationis. Circa primum expedimur per duo. Primo per scientiam, tanquam scilicet dirigentem, sicut Propheta in- *Psalm. 18.* quit, *Dies diei eructat verbum*, scilicet donum scientiæ illuminat intellectum. Et de scientia vana econtra à Propheta subditur, *Et nox nocti indicat scientiam*, id est scientia vana, quæ est nox ignorantiæ, obscurat noctem originalis culpæ. Secundo per pietatem tanquam per *1. Tim. 6.* exequentem. Nam, vt primæ ad Tim. 6. Apostolus testatur, *Est autem quæstus magnus*, id est meritum & *lucrum magnum: pietas cum sufficientia*, id est sufficienter executiooi mandata. Circa secundum expedimur per consilium dirigens & fortitudinem exequentem. Primo per *Eccles. 37.* consilium dirigens, iuxta illud Eccles. 37. *Ante omnem actum præcedat consilium stabile.* Secundo per fortitudinem exequentem, & ad haoc adeo sperandam hortatur Propheta dicens, *Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ*, scilicet vt possit perfectionis opera exercere. Et ideo benedictus Deus, scilicet à quo cuncta procedunt bona. Tertio vero expediunt ad acquiescēdum in optime. In quo quidem habemus qoiescere. & quantum ad intellectum veri, & quantum ad affectum boni. Primum fit per donum intellectus, quod & Propheta a Domi- *Psalm 118.* no postulabat dicens, *Da mihi intellectum & viuam*, scilicet in culmine summæ perfectionis. Secundum per do- *Eccles. 11.* num sapientiæ, in quo quies. Et de hoc Eccles. 11. inquit: *Sapientia humiliati exaltabit caput illius*, scilicet ad summam perfectionem, & *in medio magnatorum*, id est perfectorum *consedere illum faciet*, scilicet in consummata quiete & pace.

Quod per Spiritus sancti dona expeditur anima vt fiat habelis ad vitam contemplatiuam.

CAP. III.

Vita contemplatiua tria sunt necessaria. Quatuor sunt à quibus purgari debet anima. SExtum officium horum donorum est auferre. Auferunt enim impedimenta ad expeditionem vitæ contemplatiuæ, ad vitam enim hieratchicam & contemplatiuam tria ipsi animæ necessariā sunt. Primo purgari, secundo illuminari, tertio perfici. Primo necesse est purgari, scilicet à quatuor. Primo à concupiscentia, secundo à malitia, tertio ab ignorantia, quarto ab infirmitate siue impotentia. Primo inquam necesse est eam purgari à concupiscentia. Et hoc efficit timor: & hunc habuit *Tob. 3.* Sara Tob. 3. cum ait: *Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.* Secundo à malitia, & hoc efficit pietas. In laudem autem talis purgationis de *Eccles. 44.* huiusmodi expurgatis Eccles. 44. scriptum est: *Hi sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt*, scilicet ex malitia, sed ipsam malitiam purgauerunt. Tertiu ab ignorantia, quod efficit scientia, qua homo *sciat reprobare malum & eligere bonum*, vt dicitur Isaiæ 7. Et hoc *Isa 7.* scilicet ne ex ignorantia homo peccet per commissionem, nesciens reprobare malum: vel per omissiooem, nesciens eligere bonum. Quarto ab infirmitate seu im- *Rom. 8.* potentia, & hoc efficit fortitudo. Proinde Rom. 8. c. Apost. ait, *Spiritus*, scilicet fortitudinis, *adiuuat infirmitatem nostram*, scilicet vt penitus expurgetur. Secundo quidem necessarium est animam illuminari & maxime de duobus. Primò de operibus primariæ condi- *Quomodo anima illuminatur de duobus.* tionis, secundo de operibos nostræ reparationis. Primo inquam de operibus primariæ conditionis, & hoc fit per intellectum, qui per creaturas intelligit creatorem, *Sap 13.* sicut Sap. 13. scriptum est, *A magnitudine enim speciei creaturæ, cognoscibiliter poterit & creator horum videri.* Secundo de operibus nostræ reparationis perpetratæ scil. per Christum redemptorem nostrum: & de hoc fit per

consilium, quo inducimur ad imitandū vestigia Christi & amaræ atque pœnosæ passionis eius: sicut 1. Pet. 2. *1. Pet. 2.* scriptum est: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Tertio vero est necessarium animam perfici, quod fit per accessum ad summum, quod consistit in vno, & hoc fit per sapientiæ donum, hoc est illud vnum, de quo Dominus Luc. *Luc. 10.* 10. ait, *Porrò vnum est necessarium*, & sic arcanum contemplationis, quasi in cubito consummatur.

Quod per septem dona Spiritus sancti introducitur anima ad octo beatitudines & earum perfectionem.

CAP. VII.

Capere. SEptimum officium horum donorum est capere, quia sunt dipositiones, & introductiones ad beatitudines, vt iam per participationem capiatur & acquiratur sempiterna beatitudo. Primo enim timor disponit ad *Timor ad paupertatē disponit.* spiritus paupertatem, quia facit recedere à malo & mali occasione. Sed quia omne peccatum fit per auersionem à creatore, & conuersionem ad creaturas, id est per superbiam & cupiditatem: ideo timor disponit ad spiritus paupertatem, in quo simul iungitur humilitas & paupertas, vt sic per eam animus elongetur à superbia, quæ est initium omnis peccati, vt dicitur Eccles. 10. & à *Eccles. 10. 1. Tim. 6.* cupiditate, quæ *est radix omnium malorum*, vt dicitur 1. Tim. 6. Sed quia in peccato prius fit auersio à creatore, quam cōuersio ad creaturam: ideo superbia dicitur initium omnis peccati scilicet tanquam prius & superius. Et auaritia dicitur radix tanquā inferius & posterius eo quod radix inferius manet. Et hæc est ratio, quia paupertas Spiritus, fondameotū est totius euangelici status. Proinde hoc fuodamentuio ante omnia ponere debet, qui ad culmen vult ascendere summæ perfectionis: hoc enim fuit consilium Christi, Mat. 19. *Si vis perfectus esse,* *Matth. 19.* *vade, & vēde omnia quæ habes & da pauperibus.* Ecce paupertas perfecta, quæ omnioo oihil retinet: sequitur, *Et veni & sequere me*, quæ sunt omnis perfectionis fundamentū principale, vel principalissimum. Ecce profunda humilitas, fundata in profundissima Christi humilitate. Secundo pietas disponit ad mititatem. Nam qui piè *Pietas ad mititatem disponit.* alicui afficitur, nec illum irritat, nec irritatur ab illo, & econtra. Prou. 27. scriptum est, *Ira non habet misericordiā,* *Prou. 27.* *nec erumpens furor & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Tertio scientia disponit ad luctum, per scientiā quippe cognoscimus oos à statu beatitudinis relegatos in hoc miserabili mundo, *qu. si in lacu miseriæ & in luto fæcis*, vt merito quilibet sciens dicere illud propheticū valeat, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habi-* *Psalm. 119.* *taui cum habitantibus Cedar*, id est cum abiectis & tenebrosis: Cedar enim, mœrēs seu tenebrosus interpretatur. Et additur, *multum incola fuit anima mea*, scilicet à patria Beatorum. Quarto fortitudo disponit ad esuriē iustitiæ, *Fortitudo ad iustitiæ esuriem disponit.* seu ad famelicam iustitiam, quæ nihil aliud est quam in se & in proximo desiderare, intensè abesse omnem defectum, & omne adesse debitum bonum, vt mereatur perfectus inueniri coram iudice æquitatis. Cum hac profecto iustitia, quæ in omnibus rectificat animū: sic homo firmatur per fortitudinis donum, quod in ea sic se tenet, vt malit vita priuari quam à iustitia separari, sicut in martyrom morte refulsit. Et ad hoc hortatur sic Ec- *Eccles. 4.* cles. 4. cap. dicens. *Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos.* Quintu consilium disponit ad misericordiam. Nihil enim amplius consulit Deus in scriptura sacra, quam facere misericordiā, quæ ab eo super holocausta omnia æstimatur. Vnde Prou. *Prou. 21.* 21. scriptum est, *facere misericordiam & iudicium, magis placent Deo quam victima.* Sexto intellectus disponit ad cordis munditiam, quia speculatio veritatis mundat cor nostrum ab omnibus phantasiis: & hoc postulabat Psal- *Psalm. 50.* mista dicens, *Cor mundū crea*, id est recrea *in me Deus: & spiritum rectum*, id est noo phantasiis distortū, *innoua in*

viſceribus meis. Septimo ſapientia diſponit ad pacem. Nam ſapientia experimentaliter iungit nos vero & ſummo bono, in quo eſt finis & tranquillitas totius appetitus noſtri rationalis. De qua Pſalmiſta inquit, *In pace in idipſum dormiam & requieſcam:* hoc eſt in pace pectoris dormiam in præſenti, & in futuro requieſcam in pace æternitatis, quæ eſt pax in idipſum, id eſt inuariabilis & immutabilis in æternum. *Pſalm 4.*

ARTICVLVS TERTIVS,

De duodecim effectibus, quos operatus eſt Spiritus ſanctus, in die Pentecoſtes ſuper Diſcipulos Chriſti.

Tertium myſterium eſt ſigni ſingularis. *Act. 2.*

TErtium myſterium contemplandum, quod Propheta oſtendit in propoſitis verbis, eſt ſigni ſingularis: quia ſubdit, *ſuccenſi ſunt ab eo*, id eſt Apoſtoli Sancti accenſi ſunt à Spiritu ſancto hac ſacra die. Quod & Lucas Actuum 2. c. admirando myſterio deſcribit dicens, *Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis: & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* In quibus ſacratiſſimis verbis oſtenduntur 12. myſtici effectus, ſecundum quos operatus eſt Spiritus ſanctus in diſcipulos Chriſti in aduentu ſuo. Venit enim primo feſtinans: ſecundo eleuans, tertio intonans, quarto viſitans, quinto tranſportans, ſexto abundans, ſeptimo facundans, octauo inflammans, nono tranquillans, decimo inebrians, vndecimo redundans, duodecimo cooperans. *Duodecim effectus myſtici, ſecundum quos operatur in nobis Spiritus ſanctus.*

De ſubito & repentino effectu, ſecundum quem operatus eſt Spiritus ſanctus in diſcipulos Domini.

CAP. I.

Spiritus ſanctus in diſcipulos venit, feſtinans.

PRimus effectus Spiritus ſancti, quem operatus eſt in aduentu ſuo ſuper diſcipulos Domini eſt, quia venit feſtinans. Præmittitur enim à Luc. Act. 2. congruitas temporis in aduentu eius, cum ait: *Dum complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt quadrageſimæ. Beda quidem ſuper Act. Apoſt. ait, quod quidam codices malè habent Pentecoſten: Nam Pentecoſtes dicitur in nominatiuo caſu, ſtes in genitiuo, ſten in accuſatiuo. In precibus tamen diei in accuſatiuo bene dicitur, *En diem ſacratiſſimam Pentecoſten*, id eſt quadrageſimam celebrantes. Et dicitur Pentecoſte, à pente, quod eſt quinque, & coſte decem, quia quinquies decem dies à Reſurrectione Domini vſque ad Pentecoſten vtroque die incluſo, ſicut quinquageſima die poſt exitum de Ægypto data eſt lex in monte Synai. Dicitur ergo, *dum complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt dum quinqageſima dierum illorum ad ſuum terminum, id eſt ad diem vltimum perueniret. Ibi *erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco*, id eſt in cœnaculo ſancto Sion. Merito enim in loco refectionis & in ſolario ſurſum ſtantibus dari debuit ſurſum actiua refectio ſpiritualis. In illo quoque loco, non ſolum pariter erant etiam *ſedentes*, ſicut infra dicitur. Intentiſſimè quidẽ vacabant orationi, ac quietiſſimè paci fraternæ dilectionis. Scimus enim profecto, quod concordia ad proximum, ſeu ad fraternum collegium, cum vacatione attentæ orationis ad Deũ, integra diſpoſitio ſunt ad Spiritus ſancti cumulatum donum. Deinde ſequitur primus effectus Spiritus ſãcti aduenĩetis, quia venit feſtinans, quia *factus eſt repente*, Vnde Sap. 7. cap. ſcriptum eſt, quod Spiritus ſanctus, quæ ibi ſapientia dicitur, *omnibus mobilibus mobilior eſt*, ſcilicet, quia ſubito operatur neſcit enim molimina Spiritus ſancti gratia, ſicut in quadam homilia Sanctus Ambroſ. atteſtatur. Nam flammis quaſi ſagittis potentis acutis cum carbonibus deſolatoriis ſubito percuſſi ſunt omnes, vt quælibet eorũ anima charitate vulnerata dicere poſſet illud Cant. 4. c. *Vulneraſti cor meum.* Subito enim, tali vulnere mutauit eos in viros nouos, & auxit in eis habitum fidei, ſpei & charitatis, ex quo tota lætificata eſt Eccleſia Dei, ſicut Propheta inquit: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*

Pentecoſtes vnde dicitur. *Vacabant Diſcipuli orationi.* *Spiritus ſanctus venit feſtinãs.* *Sap. 7.* *Cant. 4.* *Pſalm 4.*

Quod à ſono aduenientis Spiritus ſancti ad cælum eleuata ſunt corda diſcipulorum.

CAP. II.

Spiritus ſanctus eleuans.

SEcundus effectus aduenientis Spiritus fuit, quia venit eleuans. Ideo ſubditur, *de cœlo* ſcilicet vt ad cœlos eos veheret & cœleſtes, immo ipſos ad gloriã ſuam efficeret. Sicut ipſe Spiritus ſanctus prædixerat per Prophetam. Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Vbi tria de illis ordinate oſtendit. Primo, qui prædicauerunt: ſecundo, quid prædicauerunt: tertio, quales prædicauerũt. Primo oſtẽdit, qui prædicauerunt dicens, *Cœli*, id eſt diſcipuli conſcij ſecretorum Dei. Sicut enim cœlum, quia cœlat ſecreta Dei, à cælando dicitur: ſic & Apoſtoli, quibus ſecreta cæleſtia reuelata ſunt, cœli denominantur, Domino teſte, qui Ioan. 15. cap. ait: *Quæcunque audiui a patre meo nota feci vobis.* Secundo oſtendit, quid prædicauerunt: vnde ſubdit, *enarrant gloriam Dei.* Non dicit narrant, ſed enarrant. In illo ſi quidem, e, notatur Apoſtolorum perfecta vita. Nam quod in eis erat, foris annunciabant & prædicabant, vt myſticè verificetur in eis, quod Ioan. 8. cap. dicit Dominus Scribis & Phariſæis: *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Lapis enim eſt auctoritas ſacræ ſcripturæ. Et addit, *gloriam Dei:* non gloriam propriam. Gloria quidem Dei, & Chriſti incarnatio, paſſio, reſurrectio, aſcenſio æqualitas filij ad patrem & conſimilia, quæ Apoſtoli per vniuerſum mundum prædicauerunt. Tertiò oſtendit, quales prædicauerunt dicens, *Et firmamentum*, id eſt diſcipuli igne Spiritus ſancti, annunciant opera manuum eius, ſcilicet Dei Pſal. 63. *Annunciauerunt opera Dei & facta eius intellexerunt.* Et notanter dicitur cœli, & ſingulariter firmamentum, vt myſticè deſignetur, quod licet diſcipuli haberent plura verba, vel plures eſſent perſonæ: tamen totum referebant ad vnum, id eſt ad gloriã vnius Dei. Inſuper cum dicit, *cœli*, adiungit *gloriam:* & econuerſo cum dicit, firmamentũ ſingulariter, cõiungit opera in plurali, vt totũ, quod erat ad Dei gloriã referatur.

Pſalm. 18. *Tria de Apoſtolis tractantur.* *Ioan. 15.* *Ioan. 8.* *Pſalm. 63.*

De admirabili ſuauitate ſoni deſcendentis de cœlo.

CAP. III.

Sonus diei Pentecoſtes ſuauis, nam quare.

TErtius effectus fuit quia venit intonans, ſeu ſonans: propterea addit, *ſonus*: nam ideo tali ſtupefactiuo ſono deſcẽdit Spiritus ſanctus in eos; vt debilitatem creaturæ; & celſitudinem maieſtatis ſuæ oſtenderet, ac ſtupẽdam ſuauitatem dulcedinis ſuæ infunderet, in illo harmoniaco ſono: atque ex tam admiranda ſuauitate, quæ exprimebatur in illo ſono, omnes in ſeipſis deficerent & in Deum tranſirent, & ſe in eum totaliter transformarent. Porro Spiritus ſanctus animam in veritate cõſtituit. Et idem eſt veritas, quod vera humilitas. Sonus igitur merito factus eſt inenarrabili ſuauitate & harmonia plenus; ſuperauit enim omniũ ſonorum, vocũ & harmoniarũ, præſentis vitæ ſuauitatẽ & amœnitatem. Et hoc quidẽ, vt diſcipulorum corda concutiens magis eos ex ſuauitate in nihilum ſuum redigeret & demum illos amplius exaltaret, & in Deum totaliter transformaret. Vnde & ſonus iſte quatuor proprietates aptas ad fortiter excitandum & ſurſũ agendũ & transformandum habuiſſe refertur. Prima eſt, quia fuit ſubtiliſſime inchoatus, quia factus eſt *repente.* Secunda, quia fuit deſurſum miſſus, ſcilicet de cœlo vſque ad eos

Sonus Pentecoſtes quatuor proprietates habuit.

iuuena

Rapidissimus. irruens & descendens. Tertia, quia fuit rapidissimus, hoc est cum fortissima rapiditate irruens super eos: propterea erat vehemens, vt infra dicetur. Quarta, quia fuit sphætice, seu vniuersaliter redundans & roboans: propterea dicitur totam domum replesse. Ex hoc enim excitabantur discipuli ad præsentiendum & concipiendum superaduenientem præsentiam diuinæ maiestatis & immensæ, vt resonantem & omni suauitate redundantem atque animæ repletiuam.

Quid adueniens Spiritus sanctus in discipulos Christi operatus est.

Cap. IV.

QVartus effectus aduenientis Spiritus fuit, quia venit visitans; vnde ad litteram subditur. *Tanquam aduenientis spiritus*, scil. aërei flatus. Et secundum hunc sensum ly *tanquam*, est nota veritatis: nisi fortè sonus descenderit absque omni corporali motu & flatu: & tunc dicitur descendisse, quia fuit a Deo factus ac si descenderet de ipso cœlo. Si vero spiritus sumatur hic pro Spiritu sancto: & tunc ly *tanquam*, est nota similitudinis figuralis, quia sonus ille & flatus erat quædam Spiritus sancti similitudo, & non Spiritus sanctus. Mysticè vero visitauit Spiritus sanctus discipulos Christi in hac sonoa. Quemadmodum currens fluuius visitat terram, quando irrigat & purgat atque fœcundat. Proinde Propheta inquit, Psal. 45. *Fluminis impetus*, id est inundatio charismatum, à fonte Spiritus sancti emanantium: *lætificat ciuitatem Dei*, id est, Ecclesiam in discipulis eius fundatam. Hic fluuius primo eos vacuos irrigauit, id est humiles repleuit, sicut Isa. 45. ipse Dominus ait: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Secundo eos expurgauit, quia terrenitatem àb eis abstulit & mundauit, sicut Iub 14. mysticè scriptum est: *Et illuuione paulatim terra*, id est Apostoli prius terreni, *consumitur*. Tertio eos fœcũdauit, sicut Psalmista inquit, Psal. 64. *Visitasti terram*, id est Apostolos habitantes in terra: vnde dicere poterant illud Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto*, sequitur, *Et inebriasti eam*. id est intus Spiritu sancto. *Multiplicasti locupletare eam*, id est multipliciter locupletasti eam, scilicet charismatibus atque donis, ita quod flumen Dei, id est Apostoli sancti, repletum est àquis; id est Spiritus sancti donis.

Tanquam est nota similitudinis. — *Psalm. 45.* — *Isa. 45.* — *Iob 14.* — *Psalm. 64.*

Quod adueniens Spiritus sanctus mentes discipulorum euexit ad spiritualia bona.

Cap. V.

QVintus effectus aduenientis Spiritus sancti, fuit quia venit transportans, sc. transuehens mentes discipulorum a terrenis ad cœlestia, à bono commutabili ad bonum incommutabile, à seipsis ad Deum, vt quilibet discipulorum dicere posset illud Apostoli, Gal. 2. *Viuo autem, iam non ego: viuit vero in me Christus*: propterea in textu, Act. 2. subditur, *vehementis*, scilicet spiritus, id est mentem vehentis, sicut prædictum est, quia discipulorum mentes ab amore proprio eradicauit, & in spirituales ac diuinos ardores euexit.

Gal. 2. — *Act. 2.*

De abundanti plenitudine Spiritus sancti aduenientis in domo discipulorum.

Cap. VI.

Spiritus sanctus abundans. SExtus effectus huius Spiritus fuit, quia ipse venit replens seu abundans. Et de hoc subditur, *Et repleuit totam domum, vbi erat sedentes*. Vt mysticè innuatur, quod sicut totam repleuit domum, ita totum eorum replere debebat corpus, atque sic futuri erant Deo pleni & charismatibus eius, quod omnia mundana & transitoria fastidirent. Scimus enim, quod post plenitudinem stomachi & plenam saturitatem, qui ad comedendum perueniunt, quælibet apposita vel oblata fastidiunt. Ad litteram quoque merito additum est, *vbi erant sedentes*, ne tumultus aut strepitus soni ex aliquo discipulorum tumultuoso motu venisse suspicetur. Aut ne suauis & harmonica resonantia & admiranda melodia illius soni per aliquem magnum strepitum impediretur in auditu eorum.

Quanta facundia repleuit discipulos Christi, Spiritus sancti aduentus.

Cap. VII.

Spiritus sanctus facundans. SEptimus effectus Spiritus sancti extitit, quia venit facundans: quia facundauit discipulos vt quod intelligebant faciliter possent fari, quod proprium facundiæ est. Et de hoc effectu subditur, *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ*. Quod factum est maximè propter quatuor. Primo in signum, quod à Verbo Patris hoc donum procedebat, quemadmodum lingua mouetur à verbo cordis ad formandum & exprimendum sonum vocis. Secundu in signum, quod intimos gustus diuinorum, vimque gustatiuam ipsorum diuinitus dabat. Tertio in signum, quod facundiam atque linguarum scientiam eis donabat. Quarto in signum, quod eos ad prædicandum Christi Euangelium destinabat. Notanter etiam aduertendum est, quod in hoc aduentu Spiritus sancti decenter concurrit duplex signum, scilicet sonus audibilis, & lingua visibilis: & maxime propter quatuor causas. Primo propter impressionem, secundo propter obseruationem, tertio propter excitationem, quarto propter correspondsionem. Primo inquam propter impressionem, scilicet vt non solum intellectu & affectu Spiritus sancti aduentum percepirent, sed etiam sensuali auditu & visu, qui præ cæteris disciplinabiles & testificatiui sensus sunt, clare experirentur, ac si sensu interiori & exteriori plenius & totalius immutarentur. Secundo propter obseruationem, videlicet vt lex hierarchica seruaretur, per quam diuinus radius sub sensibilibus signis atque similitudinibus nobis, dum hîc viuimus, illucescit. Signorum autem præcipua, sunt voces audibiles & species visibiles. Vnde & hæc duo in sacramentis Ecclesiæ principatum tenent. Nam secundum Augustinum accedit verbum ad visibile elementum, & fit sacramentum. Tertio propter excitationem, vt scilicet sicut volentes alicui dormitanti vel non attendenti ostendere rem aliquam præsentem & notam, primo excitamus eum forti impulsu & voce, ac deinde præsentamus ei rem ipsam videndam: Sic sonus super Apostolos irruens erat excitatiuus cordium ad attentam & suspensam susceptionem Spiritus sancti. Species vero linguæ super capita eorum residens, sicut infra dicetur, erat iam Spiritus sancti præsentia, quasi se visibiliter exhibens seu ostendens. Quarto propter correspondsionem, vt sit correspondentia huius donationis ad donationem veteris legis. Nam tunc cœperunt auditi tonitrua & micare fulgura, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, totusque mons Synai fumabat, *eo quod descendisset Dominus super eum in igne*, sicut Exod. 19. scriptum est: tamen fuit differentia in effectu, quia illa videntes & audientes terrebat: ista vero discipulos lætificabat & confortabat. Dicitur enim ibi, *Qua timuit populus & totus mons terribilis erat*, propter quod dixit populus Moysi: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, prout in 2. patet. Lex enim illa fuit timoris seruilis. hæc vero amoris filialis, iuxta Gal. 4. *Misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus*. Et ad Rom. 3. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*.

Propter quatuor causas. — *Primo.* — *Secundo.* — *August.* — *Tertio.* — *Quarto.* — *Exod. 19.* — *Gal. 4.* — *Rom. 3.*

Quare venit Spiritus sanctus in specie ignis & igneis linguis.

Cap. VIII.

Spiritus sanctus inflammans.

OCtauus effectus huius spiritus fuit quia venit inflammans: Ideo subditur, *tanquam*, scilicet *apparuerunt illis dispertitæ linguæ.* Aduertendum est, quod quatuor sunt notanda in hoc signo aduentus Spiritussancti. Primo, quod apparuerunt linguæ igneæ: secundo, quod apparuerunt dispertitæ: tertio, quod apparuerunt pyramidales: quarto, quod apparuerunt visibiles.

Quatuor notanda in aduentu Spiritus sancti.

Primo, quod apparuerunt linguæ igneæ, & hoc propter tria quæ Spiritus sanctus operatus est. Primo vt linguam igneam & ardore spiritus sui plenam Apostolos habere ostenderet: secundo vt legem igneam Apostoli igniti prædicarent: tertio, vt verba ignea ex se proferrent. Secundo vero apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ex vno ingenti igne per quandam partialem diuisionem fuissent deriuatæ, vt mystice innuatur quod totalis plenitudo Spiritussancti existens in capite nostro Christo, participatiue in Apostolos & in nos deriuatur, & quasi partialiter & sub determinata distributionis mensura, sicut primæ Cor. 12. Apost. attestatur dicens: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.* Et sequitur, *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij prophetia, alij discretio spirituum*, &c. Et subdit, *hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis, prout vult.*

1. Cor. 12.

Ignis apparuit in forma pyramidali.

Tertio species ignis fuit quasi pyramidalis, & quasi instar linguæ. Vnde ad litteram aduertendum secundum Bedam: quod ibi ignis est in genitiuo casu. Nam in Græco non est pyr, sed pyros. Ex quo intelligit, quod linguæ istæ fuerunt diuisæ, quemadmodum linguæ ignis, seu eius flammæ, quæ longè acutiores sunt, quam linguæ nostræ: propter quod pyramidales fuisse probantur. Et hoc mysticè propter tria. Primo in signum, quod Spiritussancti ardor mentem acuit & profunda Dei penetrare facit. Secundo in signum, quod corda discipulorum subtilissimè & acutissimè penetrabat & subintrabat. Tertio signum, quod linguis eorum ad inflammandum corda auditorum admirandam efficaciam ministraret, sicut Luc. 21. promiserat eis dicens: *Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.*

Luc. 21.

Quarto vero species istæ ignis & linguæ apparuerunt visibiles propter tria. Primo, vt à discipulis viderentur: secundo, vt sic per intermediam visionem significatio eorum aduerteretur ab eis, tertio, vt mystice innuatur, quod ignis Spiritussancti illuminat & illuminare venerat mentes discipulorum. Vnde in ista apparitione ignearum linguarum Spiritussanctus eos illuminauit, & intelligere fecit quæcunque fecerat aut dixerat Christus, sicut Ioa. 16. promiserat eis dicens: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit*, id est, *clare facta & dicta mea vobis monstrabit*, Et iterum Ioan 14. ait: *Paraclitus autem Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*

Ioan. 12.

Ioan. 14.

Conuenienter igitur non solum in igne, sed etiam in linguis igneis voluit Dominus Spiritum sanctum discipulis apparere. Nam sicut lingua exprimimus quicquid est in corde verbo conceptum: ita Spiritus sanctus tanquam ipsius æterni Verbi ad fidelium corda vehiculum & expressiuum testimonium perfecte manifestauit Iesum, quantum status requirebat Apostolorum. Vnde sicut ignis congregatis lignis in aceruum magnum, quando aduenit, omnia inflammat atque incendit: sic Spiritus sanctus in Apostolis operatus est: quia omnia dicta & facta Christi Iesu tanquam ligna congregata in cordibus eorum statim spiritali modo fecit clarescere & ardere: atque ostendit ex immensurabili amore procedere.

Quare super singulos discipulos resedit Spiritus sanctus in aduentu suo.

Cap. IX.

Nonus effectus.

NOnus effectus Spiritussancti fuit, quia venit tranquillans. Quapropter subiungitur, *seditque supra singulos eorum*, id est vna flammæ lingua super caput vnius, & alia super caput alterius: ad litteram solidè & quiete resedit. Quod quidem mysticè factum est in signum triplex. Primo superioritatis, secundo tranquillitatis, tertio grauitatis.

Signum Primum.

Primo quidem in signum superioritatis, id est quod Spiritus sanctus regnaret in eis solidè & quietè: ita quod ipsi sedes eius erant; & ipse quoque sedens in eis quietè regnabat carne subiecta rationi & ratione subiecta Deo. Proinde ipsi Spiritui sancto dicere poterat illud Apoc. 5. ca. *fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes & regnabimus super terram.* Dicunt enim, *fecisti nos Deo nostro regnum*, scil. in quo Deus per iustitiam regnet, & *sacerdotes*, à quibus gloriam in conuersione populorum recipiat. *Et regnabimus super terram*, id est, super mundanam terrenitatem, quia tunc reges totius mundi constituti sunt.

Secundo.

Secundo in signum tranquillitatis. Nam menti, in qua regnat Deus, inest pax exuperans omnem sensum & semper tranquilla est: quia iuxta Propheticum sensum, *In pace factus est locus eius.* Et in hac pace tunc positus est discipulorum cœtus.

Tertio.

Tertio in signum grauitatis & maturitatis, seu stabilitatis. Vnde Propheta in persona Spiritus sancti ad Deum ait, *In populo graui laudabo te*, id est in populo discipulorum non cedenti omni vento persecutionum, per populorum conuersionem laudem & gloriam tibi dabo.

Psalm. 34.

Quanto ardore amoris inebriati sunt discipuli Domini ad aduentum Spiritus sancti.

Cap. X.

Spiritus sanctus spiritualiter inebrians.

DEcimus Spiritus sancti effectus fuit, quia venit inebrians, & de hoc subditur, *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto*, id est inebriati sunt omnes diuino amore. Sic enim prophetauerat Psalmista dicens, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, id est, de plenitudine dulcedinis tuæ inebriabis eos. *Quoniam apud te est fons vitæ*, id est fons, qui est vita.

Psalm 35.

Scimus autem omnes, quod qui plenè ebrij sunt, loquuntur insanias, irrisiones suas sæpe nec quidem aduertunt, atque circunstantia pericula, nec declinare, nec saltem attendere norunt. Cum enim legamus Apostolos inter conuicia, ludibria, opprobria, verbera, pericula & rerum damna exultasse, quid habemus illos, nisi fuisse diuino spiritu ebrios iudicare? Act. 5. scriptum est: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Act. 5.

Audi ebrium Apost. Rom. 8. de aliis Apostolis, & de se dicentem. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Ecce ebrietas admiranda.

Rom 8.

In quo ebrietas spiritualis consistit.

Talis ebrietas in hoc consistit, quod homo tanto amore erga Deum continue inardescat, vt non solum fastidiat creaturæ solatium, sed etiam quærat & delectetur inuenire tormentum, pro solatio, sibi reputans omnem pœnam; opprobrium & flagellum, vt configuretur similitudini & morti eius, quem diligit anima sua.

Quomodo

Quomodo & quare in aduentu Spiritussancti discipuli Domini variis linguis cœperunt loqui.

CAP. XI.

Spiritus sanctus redundans. Matth.

VNdecimus effectus Spiritussancti fuit quia venit redundans, scilicet per feruentem prædicationem, quia, vt dicitur Matth. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur*: vnde subditur, *Et cœperunt loqui variis linguis.* Nam donum diuersarum linguarum susceperunt, atque per euidens locutionis opus manifestauerunt, eo quod susceperunt illius doni habitum vt suo actui coniunctum.

Tria notanda circa donum linguarum.

Circa hoc linguarum donum tria notanda sunt. Primo enim notandum est, quod hoc donum includebat tria. Primum est scientia vocum huiusmodi vel alterius idiomatis. Secundum est scientia significationis earum, quod quidem ad primum addit, quia quidam sciunt ipsas voces, qui nesciunt significationes earum, sicut patet in pueris, qui norunt legere Latinum vel Græcum, & nihil de Grammatica sciunt. Tertium est habituatio potentiarum motiuarum & organorum ad voces diuersorum idiomatum rectè & promptè formādas, per quam quidem habituationē habebant habitualem facultatem debite componendi seu coordinandi & proficiendi huius vel illius idiomati voces. Secundo vero notandum est, quod communiter tenetur quod hoc linguarum donum, non erat quod loquendo vna sola lingua, puta Hebræa, à gentibus diuersarum linguarum intelligerentur, quia hoc esset ponere scientiam diuersarum linguarum in omnibus auditoribus Apostolorum pro hora, qua linguas extraneas audissent ab eis potius quam in Apostolis.

Quomodo locuti sunt variis linguis.

Sed quando aliquis Apostolorum vni congregationi prædicabat, tunc tota aut maior pars erat vnius linguæ communis, puta Hebrææ vel Græcæ. Et quamuis in illa haberent aliquas proprias differentias, nihilominus se intelligebant. Quod vero Petrus in hoc 2. c. dicitur diuersarum linguarum turbis insimul prædicasse. *Act. 2.* Aduertendum est, quod omnes illi Iudæi erant sicut ad literam loquitur textus dicens: *Erant in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cœlo est.* Propterea sciebant Hebræum, licet præter hoc haberent diuersas & proprias linguas diuersarum terrarum & regionum, in quibus fuerant dispersi vel nati.

Donum linguarum datū quintuplici ratione.

Tertio notandum est, quod donum linguarum datum fuit Apostolis quintuplici ratione. Primo propter vtilitatem prædicandi ac conuertendi & regendi diuersas regiones mundi. Secundo in signum: quod in omni & ab omni lingua & gente Deus esset colendus & laudandus, & prædicandus & quod Ecclesia esset ex omnibus gentibus & linguis constituenda. Tertio ad monstrandum potestatem Spiritus sancti eis dati, & ad obstupefaciendum & conuertendum conuentes hoc admirabile signum, iuxta illud primæ Corint. 14. *Linguæ datæ sunt in signum non fidelibus, sed infidelibus conuertendis.*

1 Cor. 14. Linguarum diuersitas à superbia diabolica.

Quarto ad monstrandum, quod sicut diabolica superbia linguam vnam confudit, & diuisit in plures: sic humilitas Christi & sui humilis collegij linguas plures in vna & eadem persona coadunauit. Et etiam ad demonstrandum proprietatem æterni Verbi, cuius isti discipuli erant, & à quo procedit ipse Spiritus sanctus. Nam verbum illud in se continet veritatem omnium etiam infinitorum verborum & est expressibile omni voce atque fons & Dominus omnis vocis.

Spiritus sanctus omnem veritatem scit.

Quinto est euidens signum, & argumentum, quod non solum Spiritus sanctus scit omnem veritatem voce significabilem: sed etiam quod omnem veritatem Apostolico magisterio pro illo tempore condecentem & expedientem sanctis Apostolis largitus est: tum quia scire omnes voces & significationes earum non est solum signum scientiæ omnium rerum, sed etiam continet illam perfectè quidem, si sit perfecta natura: & mediocriter, si sit mediocris: tum quia si dedit accessorium instrumentum docendi orbem, veritates diuinas & salutares, ergo multo magis dedit ipsum principale, quod est motor & fons talis doctrinæ: hoc est autem clara fides & contemplatio veritatis humanæ saluti expedientis.

Quomodo operabatur Spiritus sanctus in cordibus & linguis discipulorum post suum aduentum.

CAP. XII.

Duodecimus effectus. Matth. 10.

DVodecimus Spiritus sancti effectus extitit, quia venit cooperans, scilicet ad loquendum: vnde subditur, *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Prædixerat enim illis Dominus Matthæi 10. *Non enim vos estis qui loquemini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Glossa interlinearis, velut in organis: quia sicut organa emittunt modulationes ad motum temperantis: sic bonum quod prædicator loquitur, ortum habet à voluntate patris inspirantis.

Psal. 144.

Vnde de Apostolis Propheta inquit: *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ*, id est abundantissimam suauitatem, quam in Spiritus sancti aduentu in memoriam retinebant, *Eructabunt*, id est populis prædicabunt. *Et in iustitia tua*, id est in Spiritu sancto, quem iuxta promissum iuste misisti.

Iustitia sumitur pro Spiritu sancto.

Exultabunt, id est exultanter prædicabunt. Ait enim *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, eo quod ipse Spiritus sanctus illustrabat eos, vt scirent & intelligerent, Quis, quare, quid, quibus, quando, quomodo: & quantum deberent loqui & prædicare.

Sapient. 8. Spiritus sanctus multiplex datus est quare. Bernard.

Proinde Sapientiæ 8. c. Spiritus sanctus multiplex datus est, eo quod hanc multiplicitatem seruare Apostolos fecit, & seruare facit alios veros prædicatores verbi Dei. Vel secundum Bernardum in quodam sermone, multiplex datus est: quia multipliciter filiis inspiratur. Conceditur enim ad vsum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, & ad feruorem, ad vsum vitæ, bonis & malis, communia bona abundantissime tribuens.

Ad miraculum. Ad salutē. Ad auxilium. Ad solatiū. Ad feruorē.

Ad miraculum, in signis & prodigiis. Ad salutem, cum in toto corde reuertimur ad donum Domini. Ad auxilium, cum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem nostram. Ad solatium, cum testimonium perhibet spiritui nostro quod filij Dei simus. Ad feruorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans validum ignem charitatis accendit, vt non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur contumeliam gloriam reputantes. Præclara igitur ista dies est & gloria solemnitas, quando in ea celebratum est gaudium cœli & terræ, dum diuini charismatis interuentu cœlum pacificatur, & terra. Impletum enim est hodie illud vatis eximij, Psal. 71. *Suscipiant montes pacem populo & colles iustitiam.*

Psa. 71.

Pluuia montes attingit. Apostoli montes. Psal. 67.

Solet enim altiora collium vehementior aura perflare. Solet primo montes pluuia cœlestis attingere, & sic per eos ad ima vallium deriuari. Montes vtique nostri, siue colles, Apostoli sunt qui virtutum cumulis de terra sursum euecti primi vtpote cœlo viciniores donis cœlestibus occurrerunt: *& pluuiam voluntariam, quam segregauit Deus hereditati suæ*, in corde bono & optimo concipientes, per omnes Ecclesiæ terminos diuiserunt. Non licet igitur hodie mutos esse in terris: quando gloriam Domini sonus narrauit è cælis, quando visibiliter ille ignis diuinus aduenit: non comburens, sed illuminans, non ardens, sed lucens: qui sic corda discipulorum inflammat, vt appetitum in eis concupiscentiæ carnalis extinguat, Sic æstus refrigerat temporales, vt perpetuum in illis amorem æternitatis accendat, quando prolatis è cœlo linguis in terram, primitiua cœpit Ecclesia loqui magnalia Dei: quando ad superni luminis claritatem, & sonum vocis ætheree, diuersarumque dona linguarum:

cæcorum oculns, ſurdorum aures; & clauſa partus, reſerata ſunt ora mutorum. Nun ergo fas eſt hodie laudes tacere diuinas, quas cœlum ſono, coruſcationibus aer, Apoſtoli ardentiſſimo ſermone declamaur: quin potius clamemus & nos, & hodierna cœleſtium virtutum inſignia non voce tantum: ſed ardentiſſimis affectibus extollamus, nunc per gratiam & in futuro per gloriam collaudantes Patrem & Filium cum Spiritu ſancto per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

In die Pentecoſtes.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone, *Qui eſt de duodecim fructibus Spiritus ſancti, & ligni vitæ, quique continet tres articulos, quorum vnuſquiſque duo habet capita.*

Articuli primi, Quod in duobus anima ordinatur in ſemetipſa,

Cap. 1. Quod per tres fructus Spiritus anima in bonis ordinatur in ſemetipſa.

Cap. 2. Quod per duos fructus Spiritus mens bene ordinatur in malis.

Articuli ſecundi, Quod per quatuor fructus anima ad proximum ordinatur,

Cap. 1. Octauus fructus manſuetudo.

Cap. 2. Nonus fructus fides, ſeu fidelitas.

Articuli tertij, Quod per tria anima bene ordinatur ad ea quæ ſunt infra ſeipſam,

Cap. 1. Vndecimus fructus continentia.

Cap. 2. Duodecimus fructus caſtitas.

De duodecim fructibus Spiritus ſancti, & ligni vitæ.

Sermo VII.

Apoc. vlt. EX vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per ſingulos menſes reddens fructum ſuum. Admirandæ quippè ſunt ſuauitates, atque delectationes, quas experimentaliter guſtant & ſentiunt animæ, quas transformantur in ſpiritum Chriſti, ſicut Ioan.

Ioan. 15. 15. cap. Chriſtus Apoſtolis ſuis prædicauit dicens: *Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit. Ille teſtimonium perhibebit de me*, ait enim *Paraclitus*, id eſt Spiritus ſanctus humanarum mentium conſolator, *quem ego mittam vobis à Patre*, id eſt quem ego & pater dabimus vobis ſic tamen quod pater habet hanc vim dandi, primo ex ſe, ego vero ab ipſo. Ad quod deſignandum ait, *quem ego mittam vobis a Patre.* Et addit, *ſpiritum veritatis*, id eſt qui in veritate, non ſimulatè ſentire ſe facit, *qui a Patre procedit*, ſcilicet primo & principaliter, & tanquam à primo termino à quo, quamuis a me procedat per vim, quam accepi a Patre. *Ille teſtimonium perhibebit de me*, ſcilicet vobis, videlicet, quod ſpiritus meus ſuauiſſimus ſit, & quod alij per eos participaturi, ſint dulcedinem ſpiritus ſui, ſubiungit dicens, *Et vos teſtimonium perhibebitis* ſcilicet de ſuauitatibus ſpiritus mei *quia ab initio mecum eſtis*, ſcilicet & experti eſtis dulcedines meas. Videlicet dulcedinem diuini timoris, omnem alium repellentem timorem, dulcedinem diuinæ pietatis in diuino cultu dulcedinem diuinæ ſcientiæ cauendo mala, & faciendo bona: dulcedinem diuinæ fortitudinis tolerando aduerſa & aggrediendo ſublimia, dulcedinem diuini conſilij præter errorem ſecundum iuſtitiæ libertatem: dulcedinem diuini intellectus ad cognitionem veri & falſi: dulcedinem diuinæ ſapientiæ in guſtu ſuauiſſimo diuinorum, dulcedinem Dei in inuiſibili proximorum dilectione: dulcedinem altiſſimæ charitatis: quia vnuſquiſque cordialiter ſentit, quod debet ſemetipſum deſpicere, & in nihilum ſe redigere propter Deum. Hoc quoque myſtice inſinuat Ioan. in verbo propoſito dicens, *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum.* In quibus ſacratiſſimis verbis oſtendit, quod ſpiritus Chriſti, primo eſt arbor amoroſa: ibi *lignum vitæ*: ſecundo eſt arbor gratioſa: ibi *ex vtraque parte fluminis*, tertio eſt arbor fructuoſa: ibi, *afferens fructus duodecim per ſingulos menſes reddens fructum ſuum.* Hæc quoque tria etiam eodem ordine tanguntur in Pſal. 1. cum dicitur, *Erit tanquam lignum.* Ecce arborem amoroſam, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, Ecce arborem gratioſam, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Ecce arborem fructuoſam. Et poteſt eſſe aliud rhema in præſenti ſermone. Primo inquam eſt arbor amoroſa, quia illam nominat *lignum vitæ.* Nam amor ſpiritus Chriſti præſtat vitam gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro. Vnde Geneſ. 2. myſticè ſcriptum eſt: *Lignum vitæ in medio paradiſi*, id eſt, in medio Eccleſiæ militantis & triumphantis. Spiritus enim Chriſti in præſenti in refectionem ſe tribuit per ſenſum ſpiritualem. Proinde Matth. 11. ad hanc refectionem inuitans ait, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Atque de præſenti in futura refectione, 1. Cor. 13. Apoſtolus ait; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, id eſt ſentimus quaſi in vmbra de ſpiritu Chriſti. *Tunc autem facie ad faciem*, id eſt in gloria habebimus experimentalem & glorioſam notitiam ſpiritus eius, Secundo eſt arbor gratioſa, *qui ex vtraque parte fluminis.* Præmiſerat enim Ioan. in principio 22. c. dicens; *Et oſtendit mihi*, ſcilicet Angelus *flumen, vel fontem aquæ viuæ*, vel vitæ, *ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei & agni.* Fluuius quippè iſte procedens à ſede, id eſt à Maieſtate Dei: eſt ipſe Spiritus ſanctus, vt tota ſubſtantia gratiæ & gloriæ, per quam, & in qua tota ſubſtantia ſummæ Trinitatis deriuatur, ſeu communicatur in præſenti omnibus iuſtis, & in futuro omnibus glorioſis? Quæ quidem ab agno etiam ſecundum quod homo meritorie & diſpenſatiue procedit. Nominat eum fluuium propter eius copioſitatem & continuitatem, atque fœcunditatem. Et addit aquæ, quia refrigerat, reficit, atque lauat. Viuæ etiam ſubdit, quia ſecundum Richardum nunquam deficit, ſed ſemper fluit. Alij habent aquæ vitæ quia verè eſt vitæ gratiæ, atque gloriæ. Dicit etiam ſplendidum tanquam cryſtallum, quia in eo eſt lux omnis & ſummæ ſapientiæ, atque ſumma ſoliditas, & perſpicuitas, quaſi ſolidi cryſtalli & tranſparentis. Hic eſt fluuius, de quo Propheta ait, *Fluminis impetus*, id eſt inundatio chariſmatum à fonte Spiritus ſancti emanantium. *Lætificat ciuitatem Dei*, id eſt Eccleſiam militantem & triumphantem. Ex vna ripa, ſcilicet huius fluminis eſt ſpiritus Chriſti gratia: Et altera quaſi dextera ſpiritus Chriſti gloria. In vtraque enim iuſtis, atque, beatis occurrit ſpiritus ipſius, eos reficiens, atque paſcens. Tertio vero eſt arbor fructuoſa, vnde Ioan. ſubdit, *afferens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum*, quia ſcilicet ſpiritus Chriſti hic, & in patria continue & ſuperabundanter fructibus gratiæ & gloriæ paſcit, quod per duodenarium, qui numerus eſt abundans, ſignificatur. In præſenti quidem paſcit iuſtos duodecim fructibus ſpiritus, de quibus Apoſt. agit ad Galat. 5. c. In futura vita paſcit etiam Beatos alijs duodecim fructibus, de quibus dictum eſt in Quadrageſimali de Euangelio æterno, ſermone vlt. c. & art. vlt. per totum. Sed ibi vocantur lapides pretioſi glorioſæ coronæ omnium Beatorum, hic autem fructus. Ad præſens igitur tantum de duodecim fructibus ſpiritus diſſeramus, de quibus vbi ſup. Apoſtolus ait: *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax,*

Varia dulcedines Spiritus ſancti.

Spiritus ſanctus comparatur arbori, in qua tres ſunt qualitates. *Pſal. 1*

Amor Spiritus ſancti vitam gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro præſtat. *Matth. 11.* *1. Cor. 13*

Spiritus ſanctus arbor gratioſa. *Ioan. 22.*

Spiritus ſanctus fluuius dicitur, & quare.

Pſalm. 45.

Ripa gratiæ & gloriæ

Spiritus ſanctus arbor fructuoſa.

Duodenarius numerus eſt abundans *Galat. 5.*

Galat. 5. Fructus

pati.n·ia

duodecim Spiritus sancti: quinam.

patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides modestia, continentia, castitas Hæc duodecim opera bona fructus spiritus nuncupantur. Et sicut in tractatu de Beatitudinibus sermone 1. art. 7. & c. 1. patet, fructus spiritus delectat post opus. Vnde tædium & fatigationem purgat, quæ ex opere sentiuntur. Aduertendum est autem, quod singulorum horum fructuum nomine intelligitur ipsum opus cum delectatione cum ipso consequente, vel ipsa delectatio ex opere sequens. Huiusmodi siquidem opera fructus denominantur quadruplici ratione. Primo quia de spiritu Christi, quasi de ligno vitæ suauiter colliguntur. Secundo quia propter se à spiritu rationali desiderátur. Nam secundum August. frui, est amore alicui rei propter seipsam inhærere, vel adhærere. Tertio, quia spirituali delectatione & gaudio habentur. Nam secundum Aug. frui, est vti cum gaudio. Quarto, quia spirituales humores, id est boni mores: ex eis generantur. Hi igitur fructus dupliciter ordinari possunt, vt primi tres altius & immediatius ferantur in Deum siue ad Deum: secundi tres ad animum proprium: tertij tres ad proximum: quarti tres ad corpus proprium modeste, & continenter gubernandum & caste. Secundo modo distingui possunt secundum diuersum processum Spiritus sancti in nobis. Hic processus attenditur secundum hoc, quod triplicem habet ordinationem. Oportet enim quod mens hominis primo ordinetur in semetipsa: secundo quod ordinetur ad ea, quæ sunt iuxta se: tertio, quod ordinetur ad ea, que sunt infra se. Et hanc distinctionem intendimus obseruare, quæ est Alexandri de Ales.

Opera bona fructus Spiritus sancti denominantur quadrupliciter.

Quid est fruitio Augusti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod in duobus anima ordinatur in semetipsa.

PRimo enim disponitur anima, & ordinatur in semetipsa, quando mens hominis in duobus bene se habet. Primo in bonis, secundo in malis.

Quod per tres fructus Spiritus anima in bonis ordinatur in semetipsa.

CAP. I.

Amor omnium affectuum radix.

PRima dispositio & ordinatio humanæ mentis est in bonis. Hoc autem bonum fit per amorem, qui est affectio prima & omnium affectionum radix: & ideo primus fructus. Primus igitur fructus est charitas, in qua spiritus sanctus datur, sicut in prima similitudine, cum, & ipse sit amor. Proinde ad Rom. 5. c. Apost. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Dicitur autem charitas, quasi chara vnitas, hinc ad Col. 3. c. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, id est perfectæ vnionis. Per hunc siquidem fructum mens gustat Deum in quolibet proximo suo: & quemlibet proximum in ipso Deo, sicut in imagine sua, & in seipso. Magna igitur est perfectio charitatis, quæ quidem primatum tenet: Primo omnium fructuum spiritualium, vt hic patet. Secundo omnium virtutum. 1. Cor. 13. *Maior autem horum est charitas.* Tertio omnium viarum, 2. Cor. 12. in fine. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et sequitur in principio 13. c. dicens: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Quarto omnium mandatorum, vnde Mat. 22. Dominus ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, in his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Et iterum Ioan. 15. c. Dominus ait: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c.* Secundus fructus est gaudium. Omnis quippe amans gaudet ex coniunctione amati: Charitas enim semper habet præsentem Deum, iuxta illud, quod 1. Ioan. 4. c. ait: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, Vnde charitatis sequela gaudium est, hoc est iuxta primum fructum sentire quandã eleuationem spiritualem spiritus exultantis, & delectationem amantis. Quod quidem fit in conscientia pura. Proinde Tob. 5. dixit Angelus ad Tobiam: *Gaudium tibi sit semper.* Ad hoc hortatur Apost. Phil. 4. c. *Gaudete in Domino semper. Iterum dico gaudete.* Primum pertinet ad gaudium interius, secundum vero ad gaudium exterius. De hoc duplici gaudio Propheta ait Psal. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iusti, &c.* Et 1. Prou. 15. scriptum est: *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* Et secundum Alex. de Ales: Gaudium est exultantis animi super bonis in conscientia habitis. Tertius fructus est pax, quæ quidem est gaudij perfectio, quantum ad duo. Primo quantum ad quietem ab exterioribus, secundo quantum ad quietem ab interioribus. Primo quantum ad quietem ab exterioribus, quæ conturbant. Non enim potest perfecte gaudere mens de bono amato, quæ in eius fruitione ab alijs conturbatur. Et iterum qui perfecte cor habet in vno pacatum, à nullo alio molestari potest, cum alia quæcumque reputet nihil. Proinde de talibus Propheta inquit: *Pax multa diligentibus legem tuam & non est illis scandalum*: quia scilicet ab exterioribus non perturbatur, quin ipso Deo perfecte fruatur. Secundo quantum ad quietem ab interioribus ad sedationem desiderij fluctuantis. Pax necessaria est, qua mens quiescat in vno. Non enim perfecte de aliquo gaudet, cui non sufficit id de quo gaudet. Hæc siquidem duo importat pax, scilicet, vt neque ab exterioribus perturbetur, & vt desideria nostra tantum requiescant in vno. Proinde post charitatem & gaudium merito pax locatur. Secundum enim Alex. de Ales. Pax secundum quod est perfecta concordia ad Deum, & ad proximum beatitudo est. Fructus autem spiritus, secundum quod est refectio consistens in delectatione, est etiam extra propter pacem ad proximum. Et de hac Col. 3. c. *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* & Philip. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Iesu Domino nostro.* Hæc siquidem pax est quies & tranquillitas conscientiæ & concordiæ ad proximum absque amaritudine & æmulatione.

Rom. 5. — *Charitas chara vnitas.* — *Coloss. 3.* — *Charitas tenet primatum.* — *1. Cor. 13.* — *2. Cor. 12.* — *1. Cor. 13.* — *Math. 22.* — *Ioan. 15.* — *Ioan. 4.* — *Philip. 4.* — *Gaudium spirituale.* — *Psal. 31.* — *Prouer. 15.* — *Psal. 118.* — *Quid pax* — *Coloss. 3.* — *Philip. 4.*

Quod per duos fructus spiritus, mens bene ordinatur in malis.

CAP. II.

SEcunda dispositio humanæ mentis est, cum bene ordinatur in malis: & maxime quo ad duo. Primo quidem vt non turbetur mens propter imminentiam malorum: quod pertinet ad quartum fructum. Quartus fructus, qui est patientia, id est tolerantia tribulationum cum lætitia, & sine murmure, quia sentit hoc quasi custodiam bonæ vitæ. Vnde Luc. 21. Dominus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et beatus Greg. ait: Dum nobisinetipsis dominari discimus: hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus, & Prou. 16. iterum scriptum est: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Et iterum Greg. ait: Quantum mens lata fuerit per amorem, tantum erit & patiens per longanimitatem. Secundo vt non perturbetur in dilectione bonorum, quod pertinet ad quartum fructum, Quintus fructus, qui est longanimitas. Nam carere bono habet rationem mali, vt dicitur 5. Ethic. hæc autem longanimitas est, & certa remunerationis cœlestis expectatio, quasi eam sentiens imminentem, de qua Iac. vlt. *Exemplum sumite fratres exitus & patientiæ & longanimitatis Prophetarum, qui fuerunt ante nos.*

Tolerantia tribulationum cum lætitia. — *Luc. 21.* — *Prou. 16.* — *Iacob. vlt.*

ARTICVLVS SECVNDVS,

Quod per quatuor fructus anima ad proximum ordinatur.

Bonitas quid. *Psal. 118.* *2. Corint. 9. Ecclef. 18.*

SEcundo principaliter necesse est, quod mens hominis ordinetur ad ea, quæ sunt iuxta hominem, scilicet ad proximum, ad quem per quatuor bene disponitur homo, vt ad eum integre disponator. Primo quantum ad voluntatem benefaciendi: & ad hoc pertinet sextus fructus, qui est bonitas, scilicet in affectu, quæ est quasi quædam animi dulcedo ad omnes. Et per hanc dicitur aliquis bonus homo, quia nulli noxius, siue malus. Vnde gloss. Bonitas est animi dulcedo. De hac Propheta ait: *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine.* Secundo quantum ad beneficentiæ executionem, & ad hoc paret septimus fructus, qui est benignitas. Dicuntur autem benigni, quos bonus amoris ignis ad benefaciendum proximis feruere facit. Talis quippe benignitas est in affectu: quasi larga, atque prompta beneficentia rerum. Vnde benignitas, secundum gloss. est largitas rerum, quæ fieri debet cum mansuetudine animi, quæ est bonitas, sicut prædictum est. Proinde 2. Corint. 9. Apostolus ait: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Eccles. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros; sic & verbum melius quam datum.*

Octauus fructus mansuetudo.

CAP. I.

Octauus fructus mansuetudo *Gregor.* *Iacob. 1.* *Verbum Dei hamo simile.* *Verbo Dei homo fit arbor ferens fructum.*

TErtio quantum ad hoc, quod æquanimiter tolerentur mala ab aliis illata. Et ad hoc pertinet octauus fructus, qui est mansuetudo, quæ cohibet iras, & qua fit homo tractabilis, atque mitis, non inflatus & superbus. De hac Propheta ait: *Mansueti autem hæreditabunt terram.* Et Greg. ait, Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, sed ita dissipat. Qui autem imaginem patris non portabit ad iudicium, hæres Patris non recognoscetur. Vnde Iacob. 1. c. nos hortatur dicens: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Verbum quippè Dei hamo simile est, qui tantum dum capitur, capit. Proinde necesse est cor mansuetum esse tenerum, atque suaue, & molle, scilicet vt verbum Dei possit in eo infigi. Nam cor lapideum illi ineptum est. In hoc quoque quod ait insitum, verbi Dei in anima vtilitas demonstratur. Sicut enim ramusculus, qui trunco agresti inseritur, totum truncum operari facit secundum suam naturam, & cum prius non ferret, nisi fructus agrestes solis porcis conuenientes, postea ferat fructus hominibus delectabiles & suaues: sic homo, qui ante susceptionem diuini verbi inutilis erat faciens opera quibus infernales porci pascebantur: post susceptionem ipsius verbi fit arbor ferens fructum Deo & Angelis & hominibus gratum.

Nonus fructus fides, seu fidelitas.

CAP. II.

Nonus fructus fidelitas. Fidelitas quid. *Heb. 11.*

QVarto quantum ad hoc, vt non solum per iram non noceamus proximis nostris, sed etiam neque per fraudem, neque per dolum. Et ad hoc patet nonus fructus, qui est fides, si pro fidelitate sumatur. Si autem sumatur pro fide, qua creditur in Deum: sic per hanc ordinatur homo in Deum, id est ad id, quod est supra se: vt scilicet homo intellectum suum subiiciat Deo, & per consequens omnibus, quæ ipsius sunt. Et sic fides est constantia certa de visibilibus, & fiducia de credendis. Vnde ad Heb. 11. c. Apostol. ait, *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Quod per tria anima bene ordinatur ad ea, quæ sunt infra seipsam.

Decimus fructus modestia. *Modestia.* *Phil. 4.* *Coloss. 3.*

TErtio principaliter necesse est, quod mens hominis ordinetur ad ea, quæ sunt infra hominem, & sic benè ordinatur per tria. Primo enim ordinatur quantum ad actiones exteriores per decimum fructum, quæ est modestia. Hæc in omnibus dictis, ac factis modum seruat: ponit enim debitum sensuum moderamen. Et de hac Phil. 4. c. Apost. ait: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, id est rationabilis conuersatio vestra in exemplum omnibus innotescat, & Coloss. 3. c. iterum ait: *Induite vos viscera misericordiæ*, id est affectuosa, misericordia. *Viscera* ait, quasi dicat non pellem solam, id est simulatam misericordiam: *benignitatem*, id est dulcedinem animi: *humilitatem*, scilicet cordis & operis: *modestiam*, scilicet ad modum in omnibus operibus vestris seruandum.

Vndecimus Fructus continentia.

CAP. I.

Vndecimus fructus continentia. *2. Mac. 14.* *1. Cor. 10.*

SEcundo quantum ab abstinentiam à licitis, & hic est vndecimus fructos, qui continentia nuncupatur. Vnde gloss. Continentia quidem à licitis se abstinet. Proinde 2. Mach. 14. scriptum est, quod *Rasias quidem de senioribus ab Hierosolymis delatus est Nicanori, & vir amator ciuitatis, & bene audiens, qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusque & animam tradere contentus pro perseuerantia.* De hac continentia, 1. Cor. 10. Apostolus ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,*

Duodecimus fructus castitas.

CAP. II.

Castitas. *1. Tim. 2.* *Sex sunt quæ incorruptam seruant castitatem.*

TErtio quantum ad abstinentiam ab illicitis, & hic est duodecimus fructus, qui castitas nominatur, quæ est in liciti recto vsu. Per hanc enim ab illicitis amplexibus abstinemus, & delectationes indebitas abhorremus. Et de hac 1. Tim. 2. Apostolus ait: *Vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*, hoc enim bonum erit: & acceptum coram Saluatore nostro. Secundum enim Chrysost. super Matth. sex sunt quæ incorruptam seruant castitatem, scilicet sobrietas, operatio, asperitas, cultus, inhibitio sensuum, raritas sermonis cum honestate, euitatio opportunitatis, & personæ, & loci, & temporis. Dici etiam potest, quod continens cocupiscentias patitur, sed non deducitur. Castus vero non patitur, neque deducitur: ij sunt duodecim suauissimi fructus ligni vitæ, de quibus nos pasci, & refici misericorditer largiatur ipse, qui est cibus & vita viuentium, Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto, hic per gratiam: & in futuro per, gloriam pascit electos suos, inter quos nos connumeret misericordia eius, qui est gloriosus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentor præcipuè in hoc Sermone,

Qui est de manifestatione Spiritus sancti per duodecim signa continet tres articulos, quorum singulus quatuor habet capita.

Articuli primi, Quod per quatuor signa cordis manifestatur in anima esse spiritum Dei,

Cap. 1. Per contritionem clarescit, quod in anima Spiritus sanctus est.

Cap.

De manifestatione Spiritus sancti, per duodecim signa.

Sermo VIII.

1. Cor. 12.

Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. 1. Cor. 12. c. Post præpositâ verba Apostolus immediate subiungit: *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis, pro vt vult.* In his sacratissimis verbis enumerat Apostolus 9. charismata, id est 9. sacratissima dona, quæ tripliciter ordinat. Primo enim ponit dona pertinentia ad vitæ nouæ gubernationem, secundo pertinentia ad fidei confirmationem, tertio pertinentia ad vtramque operationem. Primo quidem ponit dona pertinentia ad nouæ vitæ gubernationem dicens: *alij quidem datur*, scilicet gratis per spiritum, non per meritum, *sermo sapientiæ*, scilic. in loquendo de contemplatione cœlestium, quod pertinet ad contemplatiuam: *alij datur sermo scientiæ*, scilicet loquendo de temporalium actione. & hoc secundum eundem spiritum, hæc sunt duo luminaria magna, scilicet sapientia quæ est sicut sol: & scientia, quæ est sicut luna. Secundo ponit dona pertinentia ad fidei confirmationem dicens, *alteri fides*, id est constantia, vel *sermo fidei*, scilicet datur in eodem spiritu: fides enim est donum Spiritus sancti. Proinde August. ait, Posse credere natura est omnium: sed credere gratia est fidelium: *alij gratia sanitatum*, id est curandi infirmos, scilicet datur in vno spiritu: *alij operatio virtutum*, quæ sunt contra, vel supra naturam. Tertio ponit dona pertinentia ad vtramque operationem, vnde ait, *alii prophetia*, id est prædictio futurorum: *alii discretio spirituum*, id est gratia discernendi, quo spiritu dicuntur quæ dicuntur: *alii gratia linguarum*, id est loqui diuersis linguis: *alii interpretatio sermonum*, id est scientia interpretandi diuersas linguas, vel interpretatio sermonum, id est visorū somniorum, aliàs visionum, sicut Ioseph. Gen. 44. vel interpretatio sermonum, id est obscuritatum sacræ Scripturæ, hæc omnia scilicet & multa alia, vt patebit, licet diuisa sint, *operatur vnus*, scilicet in substantia cum Patre & Filio, *atque idem* inuariabilis *spiritus diuidens singulis*: manens nihilominus indiuisus, *pro vt vult*, id est gratis: & sicut vnicuique nouerit expedire. Nam vt Ioan. 3. c. scriptum est: *Spiritus vbi vult spirat.* Quod verbum potest esse aliud rhema in præsenti sermone: hoc est, quod in verbo proposito Apost. ait, *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem.* Dicit n. *vnicuique datur manifestatio spiritus*, id est gratia, quæ spiritum manifestat in homine esse *ad vtilitatem*, scilicet Ecclesiæ. Proinde sequendum est consilium B. Petri, qui prima canonica sua, c. 4. ait: *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ex hoc vero proposito clarescere potest, quod gratia, quæ spiritum manifestat, tripliciter datur. Primo communiter, secundo euidenter, tertio vtiliter. Primo communiter, scil. sine personarum acceptione, quia vnicuique datur: secundo datur euidenter, scilicet sine aliqua simulatione, quia manifestatio spiritus: tertio datur vtiliter: scilicet sine aliqua inordinatione, quia ad vtilitatem. Aduertendum est tamen, quod vt prætactum est, sunt multa alia dona vltra prædicta, nouem quæ supra Apost. numerauit multiformiter & multipliciter diuinitus dispensata, quæ manifestant in anima esse spiritum Dei. Et vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: & possunt reduci vniuersaliter ad 12. signa, prima quatuor sunt signa cordis, secunda quatuor sunt signa oris, tertia quatuor sunt signa operis: prima pertinent ad animum, secunda ad verbum, tertia ad factum.

Margin notes: Dona noua Spiritus sancti exponuntur ab Apostolo. — August. — Genes. 44. — Ioan. 3. — 1. Petr. 4. — 1. communiter. 2. euidenter. 3. vtiliter. — Spiritus sancti manifestatio per 12 signa dignoscitur.

Articvlvs primvs.

Quod per quatuor signa cordis manifestatur in anima esse spiritum Dei.

Prima sunt signa cordis. Quorum primum est contritio, secundum suspiratio, tertium illuminatio, quartum assaporatio.

Margin note: Quatuor signa cordis ad manifestationem Spiritus sancti.

Per contritionem clarescit: quod in anima Spiritus sanctus est.

Cap. I.

Primum signum, quod animam inhabitet Spiritus sanctus est contritio, & lachrymosa compunctio cordis: profecto quamdiu animal gemit, tamdiu perpenditur in eo esse spiritus vitæ. Proinde Apost. ait, 8. c. ad Rom. *Spiritus postulat prò nobis*, scilicet effectiue, id est postulare nos facit misericordiam pro peccatis, *gemitibus inenarrabilibus*, hoc est de re inenarrabili: videlicet sicut sunt nostra sceleratissima vitia, & eius inenarrabilis misericordia, quod maxime contingit verè contrito cordi. Vnde Propheta in persona talis animæ ait: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Et alibi ait: *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*

Margin notes: Primum signum, Contritio. — Rom. 8. — Psal. 50. — Psal. 37.

Quod sit Dei spiritus in anima, sic cordis suspiria manifestant.

Cap. II.

Secundum signum est suspiratio: ad flatum profecto stupæ positæ ante os, aut nares percipitur adhuc esse in homine spiritum vitæ, dum putatur mortuus. Dum enim recolit homo, & beneficia Dei, videlicet creationem, redemptionem, & glorificationem, seu beneficia temporalia, corporalia & spiritualia, atque recogitat & recognoscit suam præteritam vitam, & ingratitudinem suam, iam cupiens reformari in Christo & præcepta Dei seruare: tunc quodammodo attrahens spiritum per desiderium bonum erumpere cogitur in suspirium sanctum. Hoc quippe asserit se fecisse Propheta, cum ait: *Os meum aperui*, scilicet Domino meo inspiranti: *& attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Et de suspirio, Ioan. 13. c. mysticè scriptum est, *Spiritus vbi vult spirat*: hoc est in mentem, quam vult

Margin notes: Secundum signum, Suspiratio. — Psal. 118. — Ioan. 13.

vult ſpirat, *Ex quo*, ſcilicet ſuſpirium generetur in corde. *Et vocem eius non audis.* ſcilicet in ſuſpirio aperte emiſſam: *ſed neſcis*, ſcilicet tu audiens, quandoque etiam illud emittens, *vnde veniat, aut quò vadat.*

Quod illuminatio cordis oſtendit Deum in anima habitare.

Cap. III.

Tertium ſignum, illuminatio dicitur.

TErtium ſignum illuminatio nuncupatur. Cum enim mens poſſidet in ſe ſpirituale lumen, & lucem veræ cognitionis: hoc eſt quando diſcernere nouit, inter agenda & non agenda: ſcit cognoſcere inter credenda & non credenda: ſcit diſcrete eligere inter exequenda & non exequenda: ſcit cauere, quæ ſunt ſpernenda, & appetere, quæ ſunt ſperanda, ac timere, quæ ſunt horrenda & ſimilia. Signum euidens eſt, quod in eo eſt ſpiritus vitæ. Proinde 1. Cor. 2. Apoſt. ait: *Nos autem non accepimus ſpiritum huius mundi, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus* ſcilicet per eum, *quæ à Deo donata ſunt nobis.* Et infra ſubdit, *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi*, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur *ſpiritualis autem homo omnia diiudicat*, id eſt intelligit, & diſcernit. Non omnia, vt Auguſt. ait, quæ continet ipſa ſcientia Dei: ſed quæ ſufficiunt ad iuſtam vitam. Duplici quippè modo dicitur homo ſpiritualis, vel vita, vel ſenſu. Vita, vt qui ſpiritum Dei rectorem habens, ſecundum ipſum ſpiritum viuit. Senſu, vt qui de Deo non ſecundum imagines corporum, aut humanam Philoſophiam ſentit, & ſapit. Et addit: *Et ipſe à nemine*, ſcilicet homine carnali & animali *iudicatur*, id eſt intelligitur, videlicet an bene iudicet, an male. Vnde Sap. 1. c. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate*, ſcilicet hominum impiorum. Talis quippè cognitio, ſeu diſcretio euidens ſignum eſt, quod Spiritus ſanctus talem inhabitat animam, ſicut de infirmo contingit, quando diſcernere poteſt inter vtile, ſeu delectabile, & læſiuum: vtpote quando pungitur, ſignum eſt, quod in eo eſt ſpiritus vitæ.

1. Cor. 2. — Auguſt. — Homo ſpiritualis dupliciter dicitur. — Homo ſpiritualis vita ſenſu quid. — Sapient. 1. — Diſcretio ſignum vitæ. Similitudo infirmi.

Quod experimentalis guſtus, & ſenſus ſpiritualis oſtendunt, quod Deus eſt in intimo cordis.

Cap. IV.

Quartum ſignum. Aſſaporatio.

QVartum ſignum eſt aſſaporatio. Cum enim affectui, & ſpirituali palato ſapiunt cœleſtia & diuina, atque deſipiunt carnalia & terrena: lætatur de ſpiritualibus, ac de carnalibus contriſtatur: ſignum euidens eſt, quod in tali anima inhabitat ſpiritus Dei. Proinde ad Rom. 8. c. Apoſt. ait: *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt:* quia pro ſummis bonis carnalia concupiſcunt, & in eis tanquam in vltimo fine conquieſcunt. Qui vero ſecundum Spiritum, ſcilicet ſunt, quæ ſunt ſpiritus, id eſt ſecundum illuminatam fidei rationem ſentiunt. Hinc Galat. 5. c. Apoſtolus ait: *Fructus autem ſpiritus eſt charitas gaudium*, &c. ſicut in præcedenti ſermone plenius dictum eſt. Qui ideo, vt ibi patet, fructus denominantur, quia cum ſpirituali delectatione & gaudio deguſtantur.

Rom 8. — Galat. 5. — Fructus Spiritus ſancti quare fructus dicti.

Articvlvs Secvndvs.

Quod quatuor ſigna oris oſtendunt Deum in anima habitare.

Quatuor ſigna Oris. Matth. 12.

SEcundo ſunt ſigna oris, & verbi. Sicut enim Matth. 12. Dominus ait, *Ex abundantia cordis os loquitur, bonus homo de bono theſauro cordis, qui eſt ſpiritus Dei, profert bona*, id eſt verba vera & ſancta. Quatuor etiam ſunt ſigna, ex quibus per verba cognoſci poteſt, ſi eſt in homine ſpiritus Dei. Primum eſt confeſſio propriæ iniquitatis, ſecundum commendatio diuinæ bonitatis, tertium pronunciatio ſinceræ veritatis, quartum eſt increpatio mundanæ iniquitatis.

Quod vera confeſſio monſtrat Deum in anima eſſe.

Cap. I.

Primum ſignum. Confeſſio iniquitatis propriæ.

PRimum ſignum eſt confeſſio propriæ iniquitatis. Cum enim præſentia Spiritus ſancti per donum intellectus illuſtrauerit hominis intellectum, replet animam cogitatione Dei & ſui: & tunc in ſpeculo veritatis nihil ſe eſſe noſcit. Et de tali ſui cogitatione ait de ſe Propheta, Pſal. 72. *Ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui.* Et merito quidem hoc ait, quia vera humilitas, & cognitio ſui bona propria homini ipſi abſcondit. Proinde Greg. ait: Soli Sancti bona ſua non vident, quæ videnda aliis præbent. Iob quoque 30. c. de ſe inquit: *Redactus ſum ad nihilum, abſtuliſti quaſi ventus deſiderium meum.* Et iterum Prou. 12. cap. ſcriptum eſt: *Verte impios, & non erunt.* De hoc patet exemplum in ſancta Elizabeth, Lucæ primo capit. quam cum mater Dei viſitaret, *Et factum eſt vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth, & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Ecce cognitio Dei. Et de cognitione ſui ſubiungit, *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ex prima quippe cogitatione, ſcilicet Dei: conſurgit cognitio ſui teſte Propheta, qui ait: *In lumine tuo videbimus lumen*, ſcilicet ad nos illuminandum.

Humilitas vera bona propria homini abſcondit. — Iob. 30. — Prou. 12. — Luc. 1. — Ex cognitione Dei cognitio ſui conſurgit. — Pſal. 35.

De hac duplici cognitione diuina & deuota laus quod Deus ſit in anima teſtimonium eſt.

Cap. II.

Secundum ſignū Bonitatis diuinæ commendatio. Luc. 1.

SEcundum ſignum eſt commendatio diuinæ bonitatis. Merito quippè conſurgit in laudem Creatoris, qui lumine Spiritus ſancti repletus eſt. Patet exemplum in Zacharia patre Ioannis Baptiſtæ, de quo dicitur Lucæ primo, *Zacharias repletus eſt Spiritu ſancto*, ſcilicet & lumine eius, & prophetauit dicens, *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Rectus ſiquidem ordo prius Spiritu ſancto repleri, & poſtea prophetare. Prius debet homo fieri concha, demumque canalis. Sed quomodo diuinam bonitatem commendet, audiamus: ait enim, *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* Nominat Dominū illum omnium iure creationis, Dominum ſimiliter omniū iure poſſeſſionis, ſed Dominum Deum Iſrael, id eſt Beatorum ſpecialiter beneficio glorificationis. Et addit, *quia viſitauit*, ſcilicet carnem aſſumendo, tanquam pixidem plenam medicamentis, vt ſanaret infirmum infirmitate longiſſima tabeſcentem. *Et fecit redemptionem plebis ſuæ*, ſcilicet mortem patiendo, & proprium ſanguinem effundendo, vt nos efficeret plebem ſuam.

Homo concha ſibi ſit, alijs canalis. — Caro Chriſti pixis medicamentis plena.

Quod veritatis Zelus teſtis eſt quod anima grata ſit Deo.

Cap. III.

Tertium ſignum, Sinceræ veritatis pronunciatio. Eccleſ. 3.

TErtium ſignum eſt pronunciatio ſinceræ veritatis. Cum enim veritatis lumen in mente fulget per præſentiam ſpiritus Dei: licet non ſemper homo proximo ſuo proferat veritatem: quia ſicut Eccleſiaſt. 3. ſcriptum eſt, *tempus tacendi, & tempus loquendi*, tamen pro loco & tēpore huiuſmodi ſincere pronunciat eam. Et de tali homine Propheta loquitur, dicens: *Qui loquitur veritatē in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.* quaſi dicat, licet quādoque ſit neceſſe, vt taceat veritatē: nunquam tamen loquatur dolum, vel falſitatem in hoc ſiquidem verſu omnis duplicitas viri iuſti eliminatur.

Pſal. 14.

Nam

Duplicitas à viro iusto eliminatur. Nam in hoc, quod ait : *Qui loquitur veritatem in corde suo*, notatur sincera consonantia cordis eius & oris. Atque per hoc quod inquit, *Qui non egit dolum in lingua sua*, exprimitur consonantia oris & operis. Praeterea tria sunt, per quae maximè innotescit, quod in anima habitat spiritus Dei, videlicet vitare iuramenta, blasphemias & mendacia. Ac econtra si opposita ab homine frequentantur, eum clarum testimonium sint conscientiae malae. De talibus quippe Ieremias 9. c. ait: *Sagitta vulnerans lingua eorum*, scilicet cum blasphemant seu peierant. *Dolum locuta est*, videlicet cum mendacia loquuntur. Sequitur, *in ore suo pacem cum amico suo loquitur & occulte ponit ei insidias*, & de mendacibus iterum Propheta ait, *loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*. Quod autem pronunciatio sincerae veritatis signum sit, quod in anima habitat spiritus Dei, Actuum secundo in Apostolis patet, qui vt ibi dicitur, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & coeperunt loqui*, scilicet Euangelicam veritatem.

Testimonia bona vel mala conscientiae. Ierem 9. Psalm. 27. Act. 2.

Quod Zelus increpans scelera & peccata ostendit quod Deus in anima sit.

Cap. IV.

Quartum signum, Mundana iniquitatis increpatio. Quartum signum est increpatio mundanae iniquitatis. Cor enim, in quo spiritus Dei est, abhorret omnem diuinam offensionem, cum aduersetur Deo dilecto suo, & zelo charitatis, & diuini honoris, atque animarum salutis excandescens: & pro loco & tempore increpat mundanas iniquitates. Vnde diuinus spiritus, qui inhabitat talem animam, ad zelum excitans illam inquit prophetice illud, *Increpa feras arundinis*, hoc est superbos, *Congregatio taurorum in vaccis populorum*, id est luxuriosi à te scilicet increpentur, supple labora, *vt excludant eos, qui probati sunt argento*, id est cupidos & auaros, & maximè vsurarios & raptores. Et de hoc feruido Spiritus S. zelo exemplum patet in Paulo, Act. 9. ad quē veniens Ananias, *Saule frater, Dominus IESVS misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas vt videas & implearis Spiritu sancto*. Et subdit *quod baptizatus cōtinuo ingressus in synagogas conualescebat & confundebat Iudaeos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus*. Denique quantum ad haec quatuor supradicta, Actuum. 1. mysticè ait Dominus discipulis suis, *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos*. Ait enim virtutem potius quam dulcorem aut splendorem & similia, quia maximè praedicta quatuor signa Spiritus sanctus virtute sua in anima operatur.

Psal. 67. Act. 9.

Articulus tertius.

Quod per quatuor opera innotescit, quòd Spiritus sanctus in anima est.

Quatuor signa operis. Tertia vero sunt signa operis, seu facti. Quatuor quoque signa circa hoc possumus assignare. Primum est diuini verbi auditio, secundum auditorum obseruatio, tertium proximorum aedificatio, quartum aduersorum supportatio vel toleratio.

Quod libenter audire diuina verba signum salutis est.

Cap. I.

Primum signum, verbi auditio. Primum est diuini verbi auditio. Res enim spiritu carens non audit, libenterque audit homo loqui de eo quod amat. Sic profectò qui libenter audit verbum Dei, manifestum signum ostendit quod in eo est spiritus Dei, & quod afficitur ipsi Deo. Proinde Ioan. octauo. Dominus ait : *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, ait enim, *Qui ex Deo est*, scilicet per fidem & gratiam, non tantum per naturam, *verba Dei audit*, scilicet aure cordis, id est affectuosè & obtemperanter suscipit, credit & amat. Profectò quilibet libenter audit doctrinam, ad quam afficitur : quia est ei connaturalis. Propterea cum Propheta inquit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam*. Signum quippè mortis instantis est infirmum non sumere cibum. Proinde August. ait : Sicut nullum est maius signum praedestinationis aeternae, quam Dei verba libenter audire : sic nullum peius est signum, quam illa contemnere. Vnde meritò post Ioannis praedicta verba Dominus subdit, *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* : & per consequens sequitur, quod sitis ex diabolo, non per creationem, sed per imitationem, de tali reprobo homine Propheta ait, *Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene ageret*, Et Eccles. 6. est scriptum, *Quam aspera est nimium sapientia in doctis hominibus*. Quomodo autem de necessitate salutis homo teneatur audire diuinum verbum patet in Quadragesimali de Euangelio aeterno, art. 3. c. 2.

Ioan. 1. Psal. 84. Mortis instantis signum non sumere cibum. August. Psalm. 35. Eccles. 6.

Quod obseruatio auditorum sermonum Dei, salutationi testimonium praestat.

Cap. II.

2. Signum Auditorum obseruatio. Galat. 5. Fetus motus signum est vitae. Gregor. Secundum signum est auditorum obseruatio, & ad hoc hortatur Apostolus Galat. 5. dicens : *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*, scilicet proficiendo de die in diem per opera bona. Cum enim vtero foetus mouetur, manifestum signum est quod animatus sit, profectò contingit in homine. Nam cum in via iustitiae mouetur per opera bona apparet quod Spiritu sancto viuit. Gregorius enim ait, probatio dilectionis, exhibitio est operis, & sequitur : Nunquam est amor Dei ociosus : operatur enim magna si est ; si vero operari renuit, amor non est, de Ioan. Baptista legitur, Lucae primo, quod repletus Spiritu sancto adhuc in vtero matris coepit moueri ad praesentiam Saluatoris & matris eius. De beata quoque Virgine legitur vbi supra, quod postquam à Spiritu sancto obumbrata est, *abiit in montana cum festinatione*. Quid enim prodest audisse diuinum verbum, si bona opera non sequantur? Proinde Apocalyps. tertio capit. admonet spiritus veritatis, dicens, *In mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris & serua*, pro obserua. Nam sicut Dominus. Matth. 7. cap. *Omnis ergo, qui audit verba mea hac, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificauit domum suam super arenam*. De Christo quoque dicitur Lucae quarto, *quia plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane. Et agebatur à spiritu in deserto*. Ex quibus omnibus luculenter apparet, quod sicut motus naturalis sequitur formam naturalem : sic motus operationis bonae necessario sequitur inhabitationem Spiritus sancti.

Amor Dei operatur. Luc. 1. Apoc. 3. Matth. 7. Luc. 4. Similitudo.

Quod salutis testimonium est bonorum sanctitas exemplorum.

Cap. III.

3. Signum. Tertium signum est proximorum aedificatio, scilicet per exemplum : sicut enim rubeus color in facie hominis arguit in eo spiritum vitae : sic color conuersationis honestae arguit in homine spiritum diuinae gratiae. Secundum enim Bernard. Postquam Spiritu sancto repleta est beata Virgo propter irradiationem & claritatem procedentem a facie eius, Ioseph vix ausus erat in faciem respicere eam, gloss. quoque Matth. 1. ait, quod Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam Spiritus sanctus in conceptione penitus repleuerat : & ideo non agnoscebat eam ad faciem, quam sponsauerat, donec illius vterus euacuaretur. Actuum quoque sexto cap. de sancto Stephano scriptum est, *quod erat plenus Spiritu sancto : & quod videbant astantes faciem eius tanquam faciem Angeli* stantis inter

Bernard. Matth. 1. Act. 6.

inter illos. Hoc quippè præceperat Dominus, Matth. 5. cum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Et ad Tit. *In omnibus teipsum præbe exem-*
Matth. 5. *plum bonorum operum.*

Quod patienter tolerare aduersa est signum salutis.

Cap. IV.

QVartum & vltimum signum est aduersorum toleratio, seu supportatio. Quod quidem probat omnia supradicta, ad tactum siquidem pulsus uoscit medicus, si homo habet spiritum vitæ. Iob quoque 2. c. scriptum
4. Signum. est, quod diabolus ad Dominum de Iob ait: *Tange os eius & carnem, quod in faciem benedixerit tibi.* Cum igitur Dominus dat aduersa, tanquam medicus summus tangit
Iob 2. nobis pulsum: probans si benedicimus eum patienter
Aduersa infliguntur à Deo tanquam à medico. hilariter sustinendo aduersitates, quemadmodum Act. 5. c. scriptum est, quod Apostoli postquam Spiritu sancto repleti sunt, *Ibant gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.*
Act. 5. Luc. quoque 8. Dominus ait, de verbo Dei: *Quod autem cecidit in terram bonam. Hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent & fructum offerunt in patien-*
Luc. 8. *tia*: quia, vt dicitur Iac. 1. *Patientia autem opus perfectum habet.* Exponens autem verbum Lucæ Greg. ait: Terra bona fructum per patientiam reddit, quia scilicet
Iacob. 1. nulla sunt bona, quæ agimus, si non æquanimiter pro-
Gregor. ximorum mala toleramus. Quanto enim quisque altius
Terra bona fructum per patientiam reddit quando. profecerit, tanto in mūdo inuenit, quod durius portet: quia cum præsenti sæculo mentis nostræ dilectio deficit, eiusdem sæculi aduersitas crescit. Hinc est enim, quod plerosque cernimus bona agere: & tamen sub graui tribulationum fasce desudare. Terrena namque iam desideria fugiunt, & tamen flagellis grauioribus fatigantur. Sed iuxta vocem Domini fructus per pa-
Similitudines vuæ, oliuæ, granorum. tientiam reddunt, quia nimis humiliter flagella suscipiunt. Sic vua calcibus tunditur & in vini saporem liquatur: sic oliua contritionibus expressa amaritudinem suam deserit: & in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perueniunt. Ex his igitur duodecim signis innotescere potest in quibus habitat spiritus Dei. Quæ participare nos faciat Dominus IESVS Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto manifestat opera sua sancta. Hic per gratiam & in futuro per gloriam, quam nobis concedat ipse Deus trinus & vnus benedictus, & benedicibilis per infinita sæcula sæculorum, Amen.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone,

Hic sermo, quomodo quilibet præparare se debet ad sacram communionem, continet tres articulos, quorum quilibet seorsim sumptus tria habet capita.

Articuli primi, De triplici reconciliatione, qua quilibet suscepturus hoc Sacramentum se præparare debet.

Cap. 1. Quod ad cordis contritionem tria sunt necessaria ei, qui vult communicare.

Cap. 2. De integra & vera confessione, & quomodo præcedere debet sacram communionem.

Cap. 3. Quomodo qui vult dignè communicare tripliciter proximo suo reconciliari debet.

Articuli secundi, Quod tria maximè necessaria sunt, vt homo se benè & dignè disponat ad Sacram communionem.

Cap. 1. Quod ad sumptionem corporis Christi triplex plena fides requiritur.

Cap. 2. De maxima munditia, & puritate conscientiæ, quæ requiruntur ad sacram communionem in linea corporali mysticè demonstrata.

Cap. 3. Quantum deuota oratio necessaria est ad sacram communionem.

Articuli tertij, De præparatione, quam debet homo facere ad hoc Sacramentum in Paschali Agno mysticè demonstrata.

Cap. 1. De triplici ritu secundum quem in mysterium Sacramenti manducandus erat Paschalis Agnus.

Cap. 2. De triplici cultu secundum quem in mysterium corporis Christi Agnus Paschalis manducatus est.

Cap. 3. De triplici ferculo quo corpus Christi varie signatur.

De præparatione Sacramenti, & quomodo quilibet præparare se debet ad Sacram communionem.

Sermo IX.

PRæparate corda vestra Domino, primæ Regum septimo. Iam ad illud sacrosanctū corporis, & sanguinis Sacramentum appropinquantes, toto studio, & affectu, tota vigilantia, atque deuotione conari debemus, ne indignas se animarum nostrarum inueniat mansiones. O quanta cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia, & timore, quanta corporis castitate, atque animi puritate, illud diuinum mysterium assumendum est, vbi caro Christi in veritate sumitur, vbi sanguis eius in veritate bibitur; vbi summis ima, humanis diuina iunguntur: vbi est Angelorum societas, Sanctorum præsentia: vbi sacerdos Christus, & sacrificium nobis mirabiliter & ineffabiliter dispensatur. Quis dignè sacramentum sumere potest, nisi tu Domine IESV Christe dulcedine tua, misericordia, & pietate feceris dignum? non requirit à nobis misericors Deus, quod nobis impossibile est. Et si omnino insufficientes sumus ad tam admirabile bonum nostras conscientias præparare: tamen si negligentiam, & torporem abiiciemus, & puritatem conscientiæ præparemus, atque piæ deuotioni, ministrabit ipse Dominus noster IESVS Christus, quod deerit insufficientiæ nostræ. Ad hoc ergo nos hortatur in verbo proposito spiritus veritatis, seu Ecclesia sancta, vt perficiamus in nobis, quod nostrum est, dicens, *Præparate corda vestra Domino* IESV *Christo.* Insuper hoc idem in figura, Num. vndecimo, ait Moyses ad populum, id *Num. 11*
est, ad nos omnes: *Sanctificamini*, scilicet per condignam præparationem, *cras comedetis carnes*, id est, sanctissimum Sacramentum: quod verbum potest esse aliud thema in præsenti materia. Triplex ergo ad hoc Sacramentum præparatio esse debet. Prima est reconciliatiua, secunda dispositiua, tertia consummatiua.

1. Reg. 7. De præparatione ad sanctissimum Sacramentum. Quanam dispositione ad Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Encomia Eucharistiæ. Quis hoc Sacramentum dignè sumere potest.

ARTICVLVS TERTIVS.

De triplici reconciliatione, qua quilibet suscepturus hoc Sacramentum se præparare debet.

PRima quidem præparatio est reconciliatiua, quæ in *1. Præparatio est reconciliatiua.*
hostia sumenda considerari potest. Sicut enim frumenti grana gradatim arte humana proficiunt ad panis complementum: sic anima peccatoris per Dei gratiam proficit ad iustitiæ statum, vt hoc sacramentum dignè suscipere possit. Tria enim in se habent prædicta grana. Primo enim sunt dura, secūdo furfure sunt operta, tertio ab inuicem sunt distincta. Ad hoc autem, quod de eis panis, & hostia fiat. Primo enim durities eorū conteritur, & in minimas partes deducitur: secūdo à furfure emundatur: tertio admixta farina adinuicem per aquam demū per ignem decocta, in panē seu hostiā

solida

solidatur. Sic quilibet peccator, qui concupiscit dignè accedere ad hoc sacrosanctissimum Sacramentum, per tria in prædictis signata reconciliare se debet. Primo per cordis contritionem, secũdo per oris confessionem, tertiò per fratris dilectionem. Prima fit Deo, secunda Ecclesiæ, tertia vero fit proximo.

Ut suscipiens Sacramentum pro tria reconciliare se debet.

Quod ad cordis contritionem tria sunt necessaria, ei qui vult communicare.

Cap. I.

PRimo se reconciliare debet Deo per cordis contritionem. Est enim peccatoris cor durum quasi lapis, sicut testatur Iob. 14. *Indurabitur cor eius quasi lapis.* Si enim vsque ad vltimum finem in tali perseuerat, verè irremediabiliter parit, sicut Eccles. 3. dicitur: *Cor durum male habebit in nouissimo, & qui amat periculum, peribit in illo.* Necesse est ergo quod talis durities conteratur, & veluti frumenti granum in subtilissimas partes quasi farina mutetur. Tria quidẽ maxime necessaria sunt ad hoc, quod ex frumento perficiatur farina. Primum est mola superior, secundum est mola inferior, tertium est aqua superueniens ac currens, quæ mouet molam superiorem. Primum designat timorem, secundum vero spẽ, tertium vero gratiam Dei. De prima mola timoris, Isa. 47. dicitur. *Descende, sede in puluere virgo filia Babylonis.* Et sequitur, *Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam.* Ait enim, *Descende,* scilicet per humiliationem, quæ caput erexisti contra creatorem tuum: *sede in puluere,* id est quiesce in consideratione tuæ vilis miseriæ, *virgo,* scilicet per contrarium, id est anima polluta, quæ est *filia Babylonis,* idest confusionis: *tolle molam,* id est timorem Dei: *& mole farinam.* Molere enim farinam, est vsque ad minima subtilissime discutere cõscientiam tuam. Tres nempe timores inducunt ad hanc discussionem. Primus est timor iudicij, secundus est timor iudicij, tertius est timor supplicij. Primus enim est timor iudicij. Duplex enim potest esse iudicium irati Dei. Primum est aduersitas, vnde Deuteronom. 29. dicitur: *Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, eiiciet eos Dominus de terra sua in ira, & furore, & indignatione sua maxima.* Secundum periculosius est prosperitas: nam tunc furor Domini maximè contra homines sæuit, quando eos mala operari permittit: sicut testatur Propheta in persona Domini dicens: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Secundus est timor iudicij de quo 1. Petr. 4. dicitur, *Iustus quidem vix saluabitur: impius, & peccator vbi apparebit?* Tertius est timor supplicij: vnde Iob 21. de impio dicitur: *Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet.* Secundo necessaria est inferior mola, & hæc est spes sursum eleuans, quæ triplex est. Prima est spes veniæ, secunda est spes gratiæ, tertia est spes gloriæ De prima Isa. 50. dicitur. *Quis ambulat in tenebris, & non est ei lumẽ. Speret in nomine Domini, & innitatur super Dominum Deum suum.* De secunda dicitur in Psal. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* De tertia etiam Psalm. ait: *Benefac Domine,* scilicet in gloria sempiterna: *bonis, & rectis corde. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus,* id est operantes peccata *cum operantibus iniquitatem.* Nec tamen vna istarum molarum sufficit ad salutem. Proinde præcepit Dominus Deut. 24. dicens, *Non accipies loco pignoris superiorem, & inferiorem molam.* Superiorem molam, hoc est timorem solum accepit Iudas, & Cain, qui desperauerunt de misericordia Dei. Insuper quidam accipiunt tantum inferiorem, id est spem de misericordia Dei, sicut fecit Adam comedens de pomo vetito. Sic tales peccantes sperant, non se corrigendo, misericordiam Dei: talem enim fingunt Deum, qualem ipsi volunt: sed ipse est talis, qualis ipse vult. Sed audiant quod de eis Dominus per Prophetam dicit: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Si vero iustitias, quanto amplius iudicabit nequitias, & condemnabit:

Iob. 14. Tria sunt necessaria, ad hoc vt ex frumẽto perficiatur farina. Eccles. 3.

Isa 47.

Discutienda conscientia vsque ad minima

Deut. 29.

Periculosa est prosperitas Psalm 80. 1. Petr. 4. Iob. 21.

Triplex est spes.

Isa. 50.

Psalm 36. Psal. 124.

Deut 24.

Psalm. 74. Deus index

Et iterum Apocalyp. 2. *Scient,* scilicet in die iudicij, *omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo vnicuique secundum opera sua.* Vtramque siquidem molam accepit Magdalena, Luc. 7. & Publicanus Luc. 18. Ideo gratiam per veram contritionem adepti sunt. Tertia vero necessaria est ad perficiendum farinam de frumento, decurrens aqua, quæ significat gratiam Spiritus sancti: de qua aqua Ioan. 7. Dominus ait: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina fluent de ventre eius aquæ viuæ: hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum:* hæc quidem aqua operatur duplicem molam ad complementum farinæ veræ contritionis. Vnde Bonau. in dist. 17. ait: Ad hoc n. quod gratia infundatur, necesse est quod homo se præparet ad acceptionẽ gratiæ, & detestationem culpæ: nam necesse est in gratiæ infusione quatuor esse. Primum est gratiæ infusio, secundum est liberi arbitrij commotio, tertium est cordis contritio, quartum peccati expulsio. Dominus n. expellit culpam, infundendo gratiam: sed non infundit eam, nisi ei qui suæ gratiæ se conformat: ideo necesse est, promptæ gratiæ autem sic aduenienti se cõformare per motum liberi arbitrij: Gratiæ vero vt peccatum expellenti conformare gratiæ aduenienti, & peccatum expellenti se conformare per motum contritionis: vnde duo sunt à Deo, sc. gratiæ infusio, & peccati expulsio. Et duo à nobis his duobus modis, consona: hæc autem quatuor simul coniunguntur in illo versiculo Psalm. qui ait, Psalm. 59. *Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est.* Gratia enim adueniens in animam commouet rationẽ, secundum quod est pars liberi arbitrij: & conturbat voluntatem per contritionem, & post modum sanat per peccati expulsionẽ. Et ratio huius redditur, quia præcessit duplex cõmotio, per quam ipsa anima gratiæ iustificanti se conformauit: ideo subdit, quia cõmota est.

Apoc. 2.

Luc 7. Luc. 18.

Ioan. 7.

In infusione gratiæ quatuor necessaria.

De integra, & vera confessione, & quomodo præcedere debet sacram communionem.

Cap. II.

SEcundo recepturus hoc sacramentum, se reconciliare debet ecclesiæ per oris veram confessionem. Nam cum quis accedit ad sacram communionem si mortaliter peccauit, non sufficit quòd sit tantum corde contritus: nisi etiam sit ore confessus, Ecclesiæque reconciliatus. Circa hoc tamen, secundum Richar. in 4. distinguendum est: quia aut talis habet copiam confessoris idonei, & confitendi sufficiens tempus, & liberam loquelam: tunc peccat communicando sine confessione, quia ad hoc sacramentum requiritur reconciliatio, etiam secundum iudicium Ecclesiæ: vnde Hugo de S. Victore, in lib. de potestate ligandi, & soluendi, c. at. ait: Si absque sacerdotis absolutione criminosus ad corporis Christi communionem accedat: pro certo sibi iudicium manducat & bibit, etiam si eum ante multum pœniteat, & se vehemẽter doleat, & ingemiscat. Aut talis copiam sacerdotis, & cætera supradicta non habet: & tunc distinguendum est, quia aut imminet aliqua necessitas celebrandi, vel communicãdi: vt puta ortum scandalum personæ suæ non communicet, aut populi: vel incœpit mysterium sacramẽti, vel amisit loquelam: & tunc non peccat cum proposito confitendi, quando poterit. Aut non imminet necessitas, & tunc peccat, secundum Scotum, Richardum, Petrum de Candia: sed de hoc plenius dictum est in Quadragesimali de Christiana religione. serm. 54.

Oris veram confessionẽ debet facere, qui vult accedere ad hoc sacramentum.

Scotus.

Quomodo qui vult digne communicare, tripliciter proximo suo reconciliari debet.

Cap. III.

TErtio autem recepturus hoc sacramentum reconciliare se debet proximo per fraternam dilectionẽ, & vnionem, exẽplo farinæ, quæ in granis distincta,

3. Proximo suo reconciliari debet.

demum per aquam, & ignem simul vnita in hostiam formatur: vt mysticè innuatur, quòd ad hoc sacramentum nemo præsumat accedere, nisi sit proximo suo dilectione vnitus: vnde tripliciter debet talis proximo suo vniri. Primo corde, secundo ore, tertio opere. Primo debet cum proximo, etiam dum quolibet inimico, vnitus esse corde. Vnde de conse. dist. 2. c. hoc sacramentum, Augustin. ait: hoc sacramentum pietatis, signum est vnitatis. Qui vult viuere, accedat, credat, & incorporetur. Per hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Ecclesia in prædestinatis. Hæc ille. Et iterũ 1. Cor. 10. Apostolus inquit. *Vnus panis, & vnum corpus, multi sumus, Omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus*, scilicet dignè, Et iterum Aug. ait: Qui acceperit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum charitatis: non mysterium accipit pro se, sed contra se. Eccles. 27. etiam dicitur: *Dilige proximum tuum, & coniungere fide cum eo*, scilicet non pacifico & maleuolo corde. Vnde Augustinus de verbis Domini ait: ne dicas cum lingua, ignosco, & differas corde: nouit enim Dominus, cui dicas: vocem tuam homo audit, conscientiam tuam Deus inspicit; melius est cum clamas ore, & dimittis corde: quàm sis blandus ore, & crudelis corde. Secundo suscepturus sacramentũ hoc, debet habere cum proximo pacem, & vnitatem oris. Circa hoc autem aduertendum est, quod quædam sunt signa dilectionis, & illius ad quam omnes necessario obligantur: quia in eorum omnimoda negatione prætenditur signum odij, seu iræ. Huiusmodi autem signum videtur esse salutatio, aut ad aliqua interrogata aliqualis responsio. Proinde qui inimico suo omnino denegat verbum suum, aut qui in præsentia eius semper auertit faciem suam, vel subito fugit: signum prætendit mortalis odij, & rancoris. nisi hoc faciat ex causa multum rationabili; vt pote si probabiliter timet, ex hoc aliquid peius accidere, & tunc rationem, & intentionem sui facti debet intuentibus propter vitationem scandali declarare, si bono modo facere hoc potest. Quod ad prædicta signa homo necessario obligatur, ostendit Dominus Matth. 5. dicens. *Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne Ethnici hoc faciunt?* Per salutationem nempe intelligit quæcunque extrinseca amoris signa: quia in actu est prima communicatio, & ostensio humanæ affabilitatis, & societatis. Ad reliqua vero quam quæ dicta sunt signa, homo non obligatur nisi in casu necessitatis: sed de hoc plenius dictum est supra, sermone 7. art. 1. c. 3. Tertio, quomodo communicaturus debet ad proximum habere dilectionem operis, quia quantum ad effectum subuentionis necessariæ omnes tenentur habitu, & actu, & inimico pro loco, & tempore prouidere. Hinc August. super illud Matth. 6. *Dimitte nobis*, &c. inquit. In hac oratione si mentitur, totius orationis nullus est fructus: pecuniam aliquando repetere conceditur, sed debitam peccatorum petenti veniam nunquam iustè negatur. Et iterum de cons. dist. 2. c. panem, idem ait: Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare: peccata, & si sint quotidiana, & non sint mortifera, antequam accedatis, illa dimittite debitoribus vestris: si dimittis, dimittentur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis, non mentiaris Deo, quẽ non fallis: mentiri Deo potes, fallere non potes. Sed aduertendum est, quod sicut communicaturo necessarium est offendenti veniam donare: multo fortius necessariũ est ab offenso veniam postulare, quod mysticè insinuãs Dominus Matth. 5. ait. *Si offers munus tuum*, id est cor tuum *ad altare*, scilicet ad sacram communionem, *& ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare*, id est serua propositum communicandi, *& vade prius reconciliari fratri tuo*. Ad litteram si possibile est: sin autem, habeas propositum illud agere quàm citius fieri potuerit sine mora, & tunc veniens offeres munus tuum, id est sumes sanctissimum Sacramentum. Ex dictis patet, quod communicare non possunt omnes sequentes sectas, & partialitates, sicut Guelphi, & Gebellini, & consimiles alij, qui eas corde tenent, aut ore profitentur, aut opere exequuntur, & sic de aliis mortalibus culpis, sicut de partialitatibus supradictum est, serm. 25. per totum.

Debemus tripliciter proximo nostro spirituali or vniri. — *August.* — *1. Cor 10.* — *August.* — *Eccles. 27.* — *Pacificus accedat ad hoc sacramentum* — *Quædam sunt signa dilectionis.* — *Matth 5.* — *Matth 6.* — *In oratione dominica qui mentitur nullam accipit fructum.* — *Mentiri Deo potes, fallere non potes.* — *Matth. 5.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod tria maximè necessaria sunt, vt homo se bene, & dignè disponat ad sacram communionem.

SEcunda est præparatio dispositiua. Indignum equidem est, vt ad tam admirabilem communionem, id est ad eum, qui est Sanctus Sanctorum, & omnis sanctitatis origo: hoc est ad regem cælorum, & Dominum Angelorum, quis indeuotè, & incuratè accedat. Proinde de sacerdotibus, & de quolibet accedente ad hoc sacramentum, Exo. 19. scriptum est præceptum Domini, in quo dicitur, *sacerdotes, qui ascendunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiam eos*. Triplex enim dispositio præparatiua præcedere debet sumptionem huius sacramenti. Prima est fides plena, secunda est puritas magna, tertia oratio deuota.

Præparatio dispositiua. — *Exod 19.* — *Triplex dispositio præparatiua susceptionis Eucharistiæ.*

Quod ad sumptionem corporis Christi, triplex plena fides requiritur.

CAP. I.

PRima dispositio præparatiua est fides plena: tunc enim plena est, si habet tria. Primo, si est clara: secundo, si est feruida: tertio, si erit solida, seu firma, id est si est clara in intellectu seu capacitate, feruida in voluntate, & firma in facultate: quia talis fides totam animam replet. Primo, quod fides ad hoc sacramentum debet esse clara in intellectu, & capacitate, vt intelligat quid recepturus sit, scilicet verum Deum, qui fecit cœlum & terram, & verum hominẽ, qui amore nostri pependit in cruce. Ad hanc quidem hortatur Apost. ad Hebr. 10. dicens. *Accedamus vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala*: cum vero corde accedit, qui hoc sacramentum sine errore credit, qui non quod videt, sed quod fides tenet, scilicet sub specie panis, & vini esse totum Christum verum Deum, & verum hominem fide intelligit, & ore confitetur, quod credit. Et merito quidem: nam fides intellectum capacem diuini consilij efficit, & verbo Christi credit, qui ait: *Hoc est corpus meum*: immo quantum fides proprio sensu detrahit, tanto amplius intellectum diuini sensus capacem facit. Hinc ait Dominus Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, id est proprium sensum, quod maximè accedẽs ad hoc sacramẽtum efficere debet. Proinde de talibus Ioan. 20. Dominus ait: *Beati, qui non viderunt & crediderunt*. Secundo autem fides ad hoc sacramentum debet esse feruens in voluntate. Ad hunc feruorem excitandum, & inflammandum duo maximum fomentum præstant, sci. consideratio propriæ nihileitatis, & Christi ardẽtissimæ charitatis. Primum humiliat, secũdum vero inflammat: maximè si consideretur charitas illa immensa, & inexplicabilis amoris ardor, quo pro nobis impiis tam sæua, & impia voluit sustinere. Talis est fides, de qua Matt. 17. Dominus ait. *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit*: vbi gloss. ait: Fidẽ tam perfectam grano synapis comparat, quæ sit in facie humilis, in pectore feruens, vilis videntibus, nec vllarum virium apparens, sed pressuris trita, quod intus ostendit.

Tertia autem fides ad hoc sacramentum debet esse solida seu firma in facultate, io tantum quod viribus suis castra humanæ sapientiæ, atque sensuum humanorum eneruat hostes. Isti in sapiẽtibus huius mundi fortissimi sunt contra sanctissimum sacramentũ atque per

1. Dispositio præparatiua est fides plena. — *Fides trifaria.* — *Hebr. 10* — *Fides intellectum capacem diuini consilij efficit.* — *Matt. 16.* — *Ioan. 20.* — *2 Fides feruens.* — *Matth 17.* — *Fides sit solida.*

Exod. 8. cynifes mysticè designantur, quorum plaga, Exod. 8. curata non legitur. Dicitur enim ibi. *Extendit Moyses manum, virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt cynifes, tam in hominibus quam in iumentis, & dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei est hic.* Cynifes enim de puluere terræ educti, sunt argumenta philosophorum de terreno ac subtili sensu prodeuntia: quæ circa hoc sacramentum occultum, oculum puræ fidei lædunt. Vnde gloss. Origen. ait: hoc animal, corpus cui insederit, acerbissimo transfodit stimulo: vt quem volantem quis videre non valet, sentiat stimulantem: hoc siquidem animal arti diabolicæ comparatur, quæ minutis ac subtilibus verborum stimulis animas obtenebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus non videat nec intelligat vnde decipiatur: sed hæc plaga etiam nostris his temporibus non curatur: quia sicuti quidam ait, idola philosophantium remanserunt, cum idola gentium destructa fuerint. Hi sunt qui canonibus fidei, quæ sunt Dei, naturales rationes, quæ sunt hominum anteponunt, propterea huic sacramento suis manufactis rationibus aduersantur. Contra quos Bern. in quadam epistola ait: Sacramentum Dei altissimi suscipiendum est, non discutiendum: venerandum, non diiudicandum: fide formatum, non ratione: traditione scitum, non ratione inuentum. Hæc ille.

Hic locus Exodi explicatur. Origen.

De maxima munditia, & puritate conscientiæ, quæ requiruntur ad sacram communionem in linea corporali mysticè demonstrata.

Cap. II.

2. Dispositio præparatoria est puritas magna. Exod. 16. Heb. 9.

SEcunda dispositio præparatoria ad hoc sacramentum, est puritas magna. Verum vtique est, vt vas si mundum, quod debet suscipere hoc sanctissimum sacramentum: vnde mysticè Exodi 16. dicit Moyses ad Aaron: *Sume vas vnum, & mitte ibi manna*: vas vnum, quasi singulariter, & excellenter mundum. Quod apertius declarat Apostolus ad Hebr. 9. dicens quod in arca testamenti *erat vrna aurea habens manna*: vt mysticè innuatur, quod qui debet suscipere hoc cœleste manna, teneatur habere cor mundissimum, quasi aurum fulgorosum; vnde de conse. dist. 2. cap. nihil. Alexander ait: nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus, & sanguis Christi: nec vlla oblatio potior est hac; sed omnes hæc præcellit, quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est cæteris, ita etiam potius excoli, & venerari debet. Proinde Chrys. Homil. 5. super Matth. ait: Sicut corporalis cibus cum ventrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, amplius lædit, magisque nocet, & nullum præstat auxilium: sic etiam iste spiritualis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum magis eum perdet: non sui natura, sed accipientis culpa. Quæ autem sit pura conscientiæ, quæ requiritur ad huius sacramenti susceptionem declarat Hugo de S. Vict. dicens: Pura conscientia est, quæ non habet de præterito iustam accusationem; de præsenti iniustam delectationem, de futuro iniustam voluntatem. Insuper hoc idem Matt. 27. mysticè figuratur, cum dicitur, quod *Ioseph accepto corpore* IESV, *inuoluit illud in syndone munda, & imposuit illud in monumento suo nouo.* Vbi glo ait, in syndone munda IESVM inuoluit, qui pura mente eum suscepit. Hinc etiam mos Ecclesiæ habet, vt sacrificium altaris non serico, non panno tincto, sed puro lineo celebretur. In tribus enim, quæ producunt linteum corporale candidum, tria intelliguntur, quæ faciunt ad nostram munditiam spiritualem. Primo enim lauatur, secundo torquetur, tertio desiccatur. Sic qui vult ad Dominum diligenter suscipiendum mundificari: Primo debet per aquam lachrymarum lauari: vnde Apostolus ad Heb. 10. ait, *Accedamus vero corde in plenitudine fidei*

Pollutus nõ accedat.

Matth. 27.

Tria ad munditiam spiritualẽ.

Hebr. 10.

aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, id est mundati lachrymis à peccatis cordis. Proinde Exod. 30. mysticè dicitur: *Lauabunt Aaron, & filij eius manus suas, & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare.* Et sequitur, *ne forte moriantur.* Lauare quidem manus, & pedes, est aqua compunctionis, & confessionis purgare, & mundare immundas operationes, & affectiones ab omni impuritate culparum, scilicet ne in sumptione huius sacramenti anima moriatur. Et Hieremiæ. 4. ait, *Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias.* Quæ necessaria fore Propheta intelligens, ait de se ipso, *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, id est mundabo pro singulis culpis conscientiam meam: *lachrymis meis stratum*, &c. Secundo autem accessuros ad hoc sacramentum per opera pœnitentiæ debet torqueri, sicut Exod. 17. figuratum est, vbi dicitur: *Facies tentoria tabernaculi*, id est animæ ornamentum *de bysso retorta*, id est de operibus pœnitentiæ, scilicet de ieiuniis, orationibus, afflictionibus, & consimilibus. Et iterum, 1. Cor. 9. Apostolus ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Tertio quoque qui sumere debet hoc sacramentum, necesse est ei per feruorem diuini amoris à carnali desiderio desiccari. De huiusmodi enim exemplum Propheta ponit dicens, *In sole posuit tabernaculum suum*, scilicet, ad siccandum per diuinum amorem, vt fiat scilicet valde mũdum, & pulchrum. Tali si quidem animæ Dominus, ait, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te*, scilicet alicuius culpæ mortalis, sed benè lota, torta, & exsiccata es. Quod etiam sumenti hoc sacramentum necessaria sit discretio, probatio, & deuotio, dictum est supra ser. 55. art. 3. secundum Bonau. in principio. Circa hoc quæritur, verum grauius peccet communicans in peccato spirituali, quam in peccato carnali? Ad hoc respondet Alexander de Ales in quarto distinction. Sine præiudicio dicendum est, quod qui communicat in peccato carnali, secundum quod peccatum carnis comprehendit peccatum luxuriæ, & peccatum gulæ, & qui communicat in peccato spiritus, secundum quod peccatum spiritus cõprehẽdit omnia alia peccata à peccatis carnalibus prædictis: tales se habẽt, vt excedẽtes, & excessi in demerito, vel peccato: Minus enim peccat qui manducat corpus Christi existens in peccato gulæ, quã qui manducat existens in peccato desperationis, vel inuidiæ fraternæ dilectionis. Et magis peccat existens in peccato luxuriæ, quam existẽs in peccato iræ, vel alterius peccati spiritualis. Et hoc triplici ratione. Primo per oppositionem, secũdo per despectionem, tertio propter inquinationem. Primo inquam propter oppositionem, scilicet, contrarietatis in affectu, quia hoc sacramentum efficit hominem spiritualem: illud vero peccatum, carnalem. Præterea hoc sacramentum vnit membra cum capite, & membra adinuicem: & hoc inter omnia peccata amplius diuisum est, quia in huiusmodi opere duo peccant. Secundo propter despectionem, quia maior contemptus ibi accidit ex certitudine, & vilitatis reputatione. Qui enim peccãt peccato luxuriæ, certi sunt quod mortaliter peccant, & peccati vilitatem agnoscunt, & viles se reputant, quæ raro accidunt in spiritualibus culpis. Raro enim contingit, quod aliquis sciat, quod mortaliter peccat ex commissione actus spiritualis: vt pote ex actu superbiæ, iræ, inuidiæ, aut consimilium. Tertio propter inquinationem: nam ex commissione carnalis operis, non solum anima efficitur immundior per immunditiæ appetitum, & immundarum cogitationum occursum: verumetiam caro ipsa propter pronitatem ad opera immunda. Propterea dici potest, quod accedens in hoc peccato ad sacram communionem grauius peccat, quàm accedens in peccato spirituali: quia maiorem contumeliã quantũ est de se, facit altissimo sacramẽto. Insuper aduertẽdũ est, quod nõ est aliquis actus vitiũ animæ, cuius delectatio ita suffocet opera vitiũ superiorũ, sicut actus

Exod. 30.

Hier. 4.

Psalm 6.

Exod. 17.

1. Cor. 9.

Qui suscipit Eucharistiam à carnalibus desideriis abstineat.

Discretio necessaria in hoc sacramento.

Magis peccat existens in peccato luxuriæ accipiens hoc sacramentũ triplici de causa. Prima.

Secunda.

Tertia.

Actus generationis alienat vires animæ.

generationis: quia in actu isto omnino ordo virium peruertitur. Nam quod secundum ordinem rectum debet esse superius, est inferius, & econuerso. Vnde secundum August. in huiusmodi opere anima fit tota caro, quia corruptio prævalet ipsi naturæ. De pollutione nocturna, secundum Landulphum, hoc seruandum est.

De pollutione superueniente ante sumptionem Eucharistiæ quid sentiendum. Primo, si pollutio prouenit ex crapula mortali, & homo hoc sciat, vel probabiliter dubitet, à perceptione, vel celebratione debet necessario abstinere. Secundo, si pollutio veniat ex crapula veniali cum turpi imaginatione, tenetur à perceptione, & à celebratione de congruo non de necessitate. Tertio si pollutio veniat ex crapula veniali sine turpi imaginatione, non impedit à perceptione, sed prohibet de congruo à celebratione, nisi necessitas immineat. Quarto autem, si profluit ex superfluitate naturæ, non impedit ab vtroque. Quinto, si prouenit ex turpi imaginatione mortali sine crapula, prohibet ab vtroque de necessitate. Sexto, si prouenit ex turpi imaginatione veniali, prohibet de congruo, nisi necessitas appareat. De his sex. dist. c. testamentum.

Septimo vero, si prouenit ex mera illusione dæmonum: de congruo prohibet ab vtroque, quod probatur, quia videtur quod propter aliquam culpam nostram huiusmodi fœda diabolus permittatur prouocare in nobis. Sed nunquid, quando quis polluitur aliqua prædictarum causarum, maxime vltimarum, semper debet à celebratione cessare? Dicendum est, quod si sentit inquinationem illam multum animam inquinasse, *Homo actu venereo fit caro.* quia in actu illo fit homo caro, siue in somno, siue in vigilia: abstinere debet, & facere & reuerentiam Sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam, & vlterius deuotio trahit ipsum ad perceptionem, & solemnitas, vel aliquid tale, multum rem impendet, scilicet necessitas, & deuotio populi, & familia, secure celebrare potest. Si autem probabiliter appatet quod diabolus fructum spiritualem in nobis impedire conetur: non est abstinendum, distinct. 6. non est peccatum. Hæc ille.

Quartum deuota oratio necessaria est ad sacram communionem.

Cap. III.

3 Dispositio est oratio deuota. Tertia dispositio præparatiua ad hoc Sacramentum est oratio deuota. Tria vero bona operatur in anima deuota oratio, quæ maxime conuenientia, & dispositiua sunt ad Sacram communionem. Primum est intellectus illuminatio, secundum affectus delectatio, tertium est animi iucundatio. *Tria operatur in anima deuota oratio.* Primum est intellectus illuminatio. Ideo à Damasc. sic diffinitur oratio. Oratio est ascensus intellectus in Deum. *1. Est intellectus illuminatio.* Ascensio enim, quidam est motus. Omnis autem motus est ad aliquam perfectionem. Et sic intellectus ascendendo ad Deum, ad perfectionem tendere comprobatur. Talis quidem ascensus in Deum per creaturas fit quasi per quandam scalam. *Ascensus ad Deum per creaturas fit quasi per quandam scalam.* Nam considerando magnitudinem vniuersi, ascendit in potentiam creatoris: atque stupens admiranter ait illud Apoc. 15. *Magna, & Mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.* *Apoc. 16.* Considerando vniuersi ordinem, ascendit in sapientiam ordinatoris, atque admiratione tantæ sapientiæ plenus, eam cum Prophera extollit, dicens. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* *Psal. 118.* Considerando insuper conseruationem atque subsistentiam vniuersi, ascendit ad beneuolentiam gubernatoris, totum conatum ponens, vt diligat Deum, iuxta Domini præceptum, Matth. 22. dicens. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est super exteriora, *& in tota mente tua*, id est super interiora, *& ex omni mente tua*, id est supra superiora, & sic ascendendo ad attributa, ascendit intellectus quodammodo ad personas, ibique quiescit affluens deliciis sempiternis, licet non permansurus. *Matth. 22.* *Para oratio magna virtus.* Vnde Augustinus. Fecisti nos Deus ad te, & est inquietum cor nostrum, donec requiescamus in te. Et iterum idem supra Psalm. ait: Para orationis magna est virtus, & velut fidelis nuncius mandatum peragit, & penetrat, quò caro non peruenit. Vnde Bernard. ait: Quando fidelis, & humilis, & & feruens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit. Vnde certum est, quod vacua redire non poterit. Secundum vero orationis bonum, est affectus delectatio. *2. Est affectus delectatio.* Vnde ab aliis oratio diffinitur sic. Oratio est pius affectus in Deum directus. Siquidem imperfectus affectus obliquatur in creaturas, nec purè delectatur in eis, eo quod delectatio inquantum in creatura experitur, semper commisceatur amaritudini. Nam si delectatur in diuitiis laborat nec acquirendo eas, timet in custodiendo, & dolet in amittendo: si delectatur in filiis, non tantum delectatur in eorum generatione, quantum amaricatur in eorum amissione. *Momentanea delectatio terrenorum.* Insuper si delectatur in deliciis, momentanea est hæc delectatio: sed æterna est cruciatio eius. Ideo August. ait. Iussisti Domine, & sic est: vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus. *August.* Fugiam itaque, & libenter fugiam, vt tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax: dulcedo felix, & secura. Hunc quidem affectum per peccatum sic distortum oratio dirigit in Deum, in quo est delectatio consummata, sicut Psal. testatur dicens, delectationes in dextera eius vsque in finem. Illa vero dulcedo nulla amaritudine admiscetur. Vnde Cassiod. super Psal. Oratio serenat, cor abstrahit à mundanis, mundat à vitiis, sublevat ad cœlestia, reddit capaciorem, & digniorem ad suscipienda spiritualia bona, sicut conuenit huic sanctissimo Sacramento. *Oratio serenat.* Tertium orationis bonum est iucundatio. *Oratione bonum est iucunditas.* Ideo alio modo diffiniri solet. Oratio est deuotio quædam ex compunctione procedens. In tali quidem deuotione, inexplicabili modo animus iucundatur. Vnde cum mens orantis per deuotionem accenditur in fletus, & suspiria, in iubilos, atque voces inconsideratè prorump. t. Hæc si quidem orationis bona sunt aromata illa, de quibus Marc. 16. dicitur, mysticè scriptum est. *Maria Magdalene, & Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent* IESVM. *Marc. 16.* Et si forte aliquid deficit ad dignam præparationem ad hoc Sacramentum, suppleamus per spiritualium aromatum: id est, orationum oblationem: iuxta quod 2. Paral. 3. mysticè dicitur. *Magna pars populi Ephraim, & Manasse, & Isachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase.* *2. Paral.* Iuxta quod scriptum est, *& orauit pro eis Ezechias dicens: Deus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum patrum suorum, & non imputabitur, quod minus sanctificati sunt, quem exaudiuit Dominus.* *2. Paral.* Vnde de conse. dist. 2. c. quotidie, August. ait. Quamuis quis pro peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus, confidens de Domini miseratione, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Hoc de illo dico, quem peccata mortalia non grauant. Hæc ille. Sed contra hoc obiicit Scot. in 4. dist. 9. dicens: Ex his igitur verbis videtur, quod ad hoc sacramentum quis securus non potest accedere, nisi fit sine voluntate peccandi venialiter, & de præteritis lachrymis, & orationibus satisfecerit. Et respondet dicens, quod potest intelligi de mortali peccato, non quod iam inest: neque de præterito sine omni pœnitentia, sed iam confesso. Sed si mordeatur quod non complete satisfecit, & tunc intelligitur de mortali culpa, quod sequitur, quem peccata mortalia non grauant, supple in actu, vel præterita sine pœnitentia subsequenti: quia de peccato veniali non necesse est pœnitere. Sed hic punctus est valde prudenter prædicandus. *Licet non absoluerit confessor non minimum est.* Supradicta tria orationis bona miro modo disponunt totam animam ad debitam, & deuotam susceptionem huius sacramenti, si debito modo fiant. Ad hunc debitum modum duo maximum præstant adiumentum, scilicet mentis recollectio, & mentis retentio, scilicet ne per illicitas cogitationes vagetur, Et de his duobus,

Matthæi

Matth. 6. Matthæi sexto Dominus inquit: *Tu autem si orauerís, intra in cubiculum tuum*, scilicet per mentis recollectionem: *& clauso ostio*, scilicet per mentis retentionem: *ora patrem tuum in abscondito*, Quod etiam ad litteram vtilissimum est seruare ei, qui hoc sacramentum suscepturus est. Sed quid illis: qui indeuote accedunt ad hoc sanctissimum sacramentum? dicendum quod indeuotio duplex esse potest; vna actualis, alia habitualis. *Indeuotio duplex est.* Prima quidem actualis est, scilicet cum quis habitualiter est deuotus, habens in consuetudine cum reuerentia, attentione, & deuotione debita, frequentate sacram communionem, & tamen aliquando cum aliqua distractione accedit: talis inquam non mortaliter, sed venialiter peccat. Secunda autem est indeuotio habitualis, cum quis sacramentum frequentat sine deuotione: vel sine sui cognitione condigna, & deuotione condigna: & tanti beneficij attentione, & mentis in Deum eleuatione condigna. Et talis grauiter peccat, quia omittit illud, quod tenetur. Peccat, autem propter tria. *Cum quis sacramentũ frequentat sine deuotione grauiter peccat.* Primo propter diuinitatis summam altitudinem, secundo propter humanitatis excellentiam singularem, atque illius admirabilem passionem, quæ in hoc sacramento repræsentatur. Tertio propter tantam dignationem tanti, & tantæ gratiæ nobis factæ. Quæritur etiam verum habenti voluntatem accedendi ad hoc sacramentum, sit melius frequenter accedere, quàm tardè, vel rarò? *[Utr]um frequens susceptio sacramenti sit vtilis.* Dicendum quod cum sacramenti perceptio debitam requirat peccatorum purgationem, & mentalem eleuationẽ, seu reuerentiam, atque deuotionem: si quis qualibet die paratus sit prædictis modis, & aliud impedimentũ non habeat, vtile est hoc sacramentum frequentare. Cuius ratio est, quia ex hoc conuenienter dispositus semper reportat aliquem fructum alicuius gratiæ singularis, & aliquam spiritualem gratiam seu consolationem atque refectionem, & virtutum atque meriti augmentationem, eo quod amplius firmet, & continuet mentis suæ ad Deum deuotam, & debitam vnionem: necnon etiam propter huiusmodi sacramenti efficaciam acquirit maiorem amorem atque feruorem, sicut patet sermo 54. artic. 3. quasi per totum. Si autem homo non sentiat congruam deuotionem, aut habeat aliquod spirituale impedimentum: vtilius est aliquando dimittere: nec nimium frequentare: *Vtilis est aliquando recessus ab hoc sacramento.* quia absque deuotione, & præparatione congrua frequentare, modicum reportat fructum: sicut ad sensum de multis patet: In his vero quilibet potest seipsum examinare, & statum atque cõditiones suas pensare. Et in omnibus hinc inde pẽsatis sentit notabilem fructum in anima sua ex frequentatione illius, tali expedit frequentare illud; dum tamen semper sit absque mortali culpa, & cum deuotione accedat. Si quis autem sentit ex tali frequentatione ad hoc sacramentum irreuerentiam augmentari, aut ad se præparandum maiorem contemptum, vel negligentiam generari, expedit ei assumere illud raro. Concor. *D. Thom. Alensis.* Tho. in 4. dist. Alexand. vero de Ales in 4. ait, quod talis quæstio de frequentatione communicationis, determinanda est habita consideratione ad fidem, & deuotionem accedentis. Si enim ex continua deuotione, & desiderio continuo, & confidentia de assequendo effectu huiusmodi sacramenti aliquis in singulis diebus accederet, existimò quod valeret ei frequentatio talis. Si vero qui ex reuerentia tanti sacramenti, & ex timore tantæ indignitatis frequenter desisteret: æstimo quod ex illa reuerentia, & timore proficeret. Vnde dico, quod determinatio huius casus relinquenda est piæ credulitati accedentis. *August.* Vnde August. de conse. dist. 2. c. quotidie ait. Quispiam non quotidie Eucharistiam accipiendã, alius affirmat quotidie: faciat vnusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum, neque enim litigauerunt inter se, aut quisque eorum se alteri præposuit, Zachæus, & ille centurio: *Luc 7.* cum alter eorum *gaudens in domo sua susceperit Dominum*, alter Domino dixerit, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum:* Ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo: Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam sunt consecuti. Hæc ille. *Quare Anachoritæ raro communicant* Quæri etiam potest, quare Anachoritæ rarò communicabant, & maxime illi, qui multis annis in desertis solitarij habitabant. Dicendum est, quod Anachoritæ aliquando communicabant, secundum quod hoc magis eis erat conueniens, & expediens ad vitam illam continuandam. Quidam vero rarissimè, quia continuè diuinitus reficiebantur: & hoc sacramentum spiritualiter manducabant. Et hoc quidem expediebat eis amplius, quam contrarium, secundum statum suum, & secundum regimen, quo diuinitus regebantur. Si tamen absque distractione, vel sui status periclitatione, aut cùm gentibus implicatione, hoc sacramentum paratum fuisset eis; credendum vtique est, quod illud amplius frequentassent: nam spiritus in his regebat atque ducebat eos, secundum quod eis expediebat. Quod enim nos ex frequentatione colligimus, ipsi habebant in spiritu altiori, & vniuersali à mundo sequestratione, & continua in Deum suspensione, & ardenti deuotione.

ARTICVLVS TERTIVS.

De præparatione, quam debet homo facere ad hoc sacramentum in Paschali Agno mystice demonstrata.

TErtia est præparatio consummatiua, quæ Exod. 12. in agno Paschali mysticè figuratur. *3. Preparatio est consũmatiua.* Nam quantum ad id, per quod sumens dignè præparare se debet, in illo agno monstratum est, quia ipse Christus est verè *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, Ioan. 1. *Ioan. 1.* Porro circa illam agni figuram, & comestionem eius, tria contemplanda sunt. Primo manducandi ritus, secundo manducandi cultus, tertio manducandi gustus.

De triplici ritu, secundum quem in mysterium Sacramenti manducandus erat paschalis agnus.

CAP. I.

PRimo manducandi ritùs contemplandus est. Circa quem tria consideremus. *1. Manducandi ritum circa quem tria consideremus.* Primo, quando erat manducandus: secundo, qualis erat manducandus: tertio, quid erat in eo manducandum. Tempus enim erat mensis primus, dies decima, luna decima quarta, & hora vespertina. In his omnibus mysticus sensus quærendus est. *Locus Exo. 12. de agno manducando mysticè exponitur.* Nam primus mensis significat perfectam reformationem pœnitentiæ, dies decima perfectam obseruationem legis diuinæ, luna 14. perfectam significat obseruationem operis virtuosi, hora vespertina perfectam obseruationem perseuerantiæ. Sola enim perseuerantia, secundum hoc, inter cæteras virtutes triumphat. Proinde licet in aliis temporibus sit præparatio agni: in sola tamen vespertina hora est sumptio eius: quia semper cum nunquam mortaliter peccandi proposito sumi debet, quasi tali menti semper occidat sol omnis gloriæ temporalis, ac si in vespera mortis existeret, sic ad amorem Domini Iesu omnis ei mundi claritas obscuretur. Secundo consideremus, qualis erat comedendus. Nam præceptum erat, quod nihil sumeretur crudum, nihil lixum, nihil frixum, totum assum, incensum totum. Crudum sumit desidiosa indiscussio, id est qui mentem suam diligenter non discutit. Vel qui non cogitat, quod recipiti aut purum hominem Christum credit. Lixum sumit accidiosa indeuotio, id est, qui mente distracta ac terreno affectu humida, & insipiditate tota aquea, ad sacramentum dissolutus accedit. Frixum sumit præsumptuosa perscrutatio, hoc est, qui de sacramento

præsumptuosè inquirit. Assum & incensum sumit lachrymosa deuotio, atque studiosa gratiarum actio. Tertio consideremus, quid in eo erat comedendum: quia præceptum erat, quod caput agni cum intestinis, & pedibus vorari deberet. In quo mystice designatur, quod in hoc sacramento totus Christus cum diuinitate, & anima, & corpore ibi continetur, & sumitur: caput, diuinitas: intestina, anima: pedes vero, sunt corpus Christi.

Cur caput agni cum intestinis & pedibus comedendum.

De triplici cultu, secundum quem in mysterium corporis Christi Agnus paschalis manducandus est.

Cap. II.

2. Contemplandus est manducandi cultus qui triplex est. Primus.

Secundo contemplandus est manducandi cultus qui triplex erat. Debebat enim esse manducans agnum, primo calceatus pedibus, secundo accinctus renibus, tertio tenens baculum in manibus. Ex his omnibus aliquid morale intelligendum est. Primo in pedum calceatione duo intellige, sc. conculcationem concupiscentiæ, & obseruationem disciplinæ. Ad talem animam loquitur sponsus, Cant. 7. dicens, *pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Secundo in renum accinctione: duo quoque comprehende, sc. abiectionem immunditiæ, & exemplum boonum munditiæ, sicut Luc. 12. Dominus ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Quod exponens Gregor. ait, Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Et sequitur: Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera, proximis nostris lucis exempla monstramus. Tertio vero in baculi sustentatione, etiam duo intelligenda sunt, scilicet toleratio patientiæ, & peregrinatio gratiæ, vt posset dicere cum Iacob illud Genes. 32. *In baculo meo transiui Iordanem.*

Cant. 7. Secundus. Luc. 12. Tertius. Gen. 32.

De triplici ferculo, quo corpus Christi varie saporatur.

Cap. III.

3. Manducandi gustus, qui ex tribus ferculis generatur. Primum ferculum.

Tertio considerandus est in sacramento manducandi gustus, qui ex tribus ferculis generatur. Primum ferculum est lactucæ agrestes, secundum panes azimi: tertium est sanguis agni. In primo ostenditur dolor offensionis, in secundo rectitudo intentionis, in tertio gustus communionis. Primum enim ferculum, sunt lactucæ agrestes: id est, dolor offensionis, cum quo comedendus est iste sacratus panis: quia in sumptione eius compungi debemus de peccatis nostris, vt amaritudo pœnitentiæ abstergat amorem peruersæ vitæ, vt cum Isa. 38. dicere valeat, *ecce in pace* id est in conscientiæ quiete, *amaritudo mea amarissima.* Amara quidem, quia æternam damnationem incurri: amarior quidem, quia paradisum amisi: sed amarissima, quia Deum offendi. Et iterum in eodem cap. idem ait, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Secundum vero ferculum, sunt panes azimi, id est, puritas intentionis, & rectitudinis. Proinde 1. Corin. 5. Apostolus ait, *itaque epulemur non in fermento veteri*, id est, non in corruptione peccati superbiæ, quæ fit in Deum, *neque in fermento malitiæ*, quod fit in proximum: *& nequitiæ*: quæ fit in seipsum: *sed in azimis sinceritatis, & veritatis.* In sinceritate à corruptione vitiorum, & in veritate, scilicet operum bonorum, hoc est studeamus esse in nouitate vitæ sine omni fraude. Vnde cum Dominus Exod. 12. cum agni, id est huius sacramenti mysteria ordinasset subdit statim: *Quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel.* Fermentum quidem comedere, est in sumptione huius sacramenti simolatam habere intentionem. Sunt namque, qui vt videantur iusti, aut ne reputentur aliis deteriores: cum praua conscientia consumunt Dominicum sacramentum. Sed audiant sententiam Dei per Apostolum 1. Corint. 11. promulgatam, qui ait: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*: plane sequendum est consilium Augustini, qui ait, Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde iudicio, assistat accusatrix cogitatio, & testis conscientia, & iudex ratio, & carnifex timor Domini. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lachrymas defluat, & sic cesset diuina vindicta, cum confessio, & correptio præcedat humana, ac per hoc dignus erit homo sumere hoc venerabile sacramentum. Tertium ferculum: est sanguis Agni, qui significat gustum communionis. Hic ponendus est super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, In quibus triplex communio figurabiliter demonstratur. Prima est spiritualis, secunda est sacramentalis, tertia vero est exemplaris. Prima vero spiritualis est, quando Christus sumitur ore cordis: de qua Dominus ait Ioan. 6. dicens: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: & hoc est ponere sanguinem supra ostij dextrum postem.

Ibidem. Secundum ferculum. 1. Cor. 5. Exod. 12. Hypocrisis longe sit à communicantis. 1. Cor. 11. Tertiũ ferculum. Primus spiritualis.

Secunda communio est sacramentalis, quod est sumere hoc venerandum sacramentum ore corporis: ad quam obligat nos Ecclesia, extra de pœn. & remiss. cap. omnis vtriusque sexus: vbi dicitur: Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. Et sequitur: Alioquin, & viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Et taliter sumere corpus Christi est ponere sanguinem Agni supra sinistrum postem ostij domus. De hac duplici communione habetur de cons. distin. secunda, cap. quid sit: Vbi Gregorius inquit, quid sit sanguis agni: non iam audiendo, sed bibendo didicistis, Quia sanguis supra vtrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Bonauentura vero in 4. distin. 12. addit, quod quilibet non tantum in anno semel, sed etiam in morte tenetur homo suscipere corpus Christi: aliter mortaliter peccat.

Secundus sacramentalis. Pœna pœnitentiæ qui suo tempore non recipiunt Eucharistiæ sacramentum.

Tertia est communio exemplaris, quia communio saltem in pascha, non in secreto, nec in abscondito: sed coram populo assumenda est in aliorum exemplum, cum hoc sacramentum communio nuncupatur, seu synaxis Græcè. Nam secundum Damascenum libro quarto: ideo dicitur communio, quia communicamur per ipsam in Christo, & quia participamus eius carnem, & diuinitatem, & quia communicamus, & vnimur adinuicem per ipsam, & hoc est ponere sanguinem agni in superliminaribus ostiorum, & in manifesto, iuxta sententiam Saluatoris, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.*

Tertius est exemplaris. Matth. 5.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de his quæ male se habent circa dominicum sacramentum, continens tres articulos, quorum primus & vnicus septem capita.

Articuli primi, de septem obligationibus quibus homo diuersimode male habet erga domini Sacramentum.

Cap. 1. *De obligatione ad communionem & quadruplici vario tempore huius obligationis.*

Cap.

De his qui se male habent circa dominicum sacramentum.

Sermo X.

Psal. 55. Tria hominum genera qui male se habent ad corpus Christi.

AB *altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Psal. 55. Quia iam instat sacratissimum tempus, quo quilibet se præparare debet ad sumendum dominicum Sacramentum. Ideo vt quilibet innotescat quid ei necessarium est considerare debet quod tria sunt hominum genera, qui male se habent ad sanctissimum corpus Christi. Primo sunt quidam, qui illud non suscipiunt. Secundo sunt quidam qui male suscipiunt. Tertio sunt quidam qui male eiiciunt. Primi male. Secundi peius. Tertij vero pessime operantur. Primum est peccatum cæcitatis. Secundum fragilitatis. Sed tertium iniquitatis. Contra hæc tria in persona veri fidelis Propheta ait, *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* In quibus sacratissimis verbis Propheta respondit contra tria prædicta, tres esse necessitates circa hoc sacramentum, ad quas homines obligantur.

Tribus obligatur homo ad hoc sacramentum.

Prima est amoris. Secunda est timoris. Tertia est vigoris. Prima est amoris obligantis contra non suscipientes: ibi, *ab altitudine diei.* Secunda est timoris retrahentis contra male suscipientes: ibi, *timebo.* Tertia est vigoris stabilientis & perseuerantis contra male illud eiicientes ibi, *ego vero delectabor in te & sperabo.*

Articulus primus.

De septem obligationibus quibus homo diuersimode obligatur erga dominicum sacramentum.

Prima necessitas est amoris obligantis. Resurrectio dies alta dicitur & qua de causa.

PRima necessitas est amoris obligantis. Et hoc contra quosdam qui hoc sacramentum non suscipiunt. Et de hoc Propheta ait, *Ab altitudine diei.* Ad litteram vocat diem altam resurrectionis dominicæ diem, quia tunc iam incipitur magni dies, atque solis calor fortius inualescit. Alta quoque, dies allegorico dici potest feruens dilectio Christi, quia sic ardenter nos dilexit quod nobis in cibum tradidit semetipsum, vt nos in se per charitatem totaliter transformaret. Spiritualiter tamen & specialiter resurrectionis dies ab affectu alta merito nuncupatur, quia ex sacra communione quæ in tali die a fidelibus sumi debet, quasi in alto feruore spiritualis intelligentia illustratur, & affectio inflammatur, & humana facultas in Domino roboratur.

Septem obligationes homini in hoc sacramento.

Circa autem hanc necessitatem septem obligationes subdistinguamus. Prima est communionis, secunda inductionis, tertia expulsionis, quarta priuationis, quinta orationis, sexta confessionis, septima dilationis.

De obligatione ad communionem, & quadruplici vario tempore huius obligationis.

Cap. I.

2. modus sumendi hoc sacramentum.

PRima obligatio est communionis. Cum enim principaliter duplex sit modus sumendi, hoc sacramentum scilicet spiritualiter, & sacramentaliter. Omnes de necessitate salutis tenentur saltem spiritualiter manducare: quia hoc est Christo incorporari, vniri, & in eum tanquam legitimum membrum per gratiam transformari. Talis nempe manducatio spiritualis percipiendi hoc sacramentum obligat & includit desiderium, seu votum. Propterea sine voto percipiendi hoc sacramentum non potest homini esse salus. Sed frustra quoque esset votum, nisi opere impleretur, quando opportunitas aduenirer. Et ideo obligatur, atque tenetur homo hoc sacramentum sumere, etiam si de hoc præceptum aliter Ecclesia nullum daret, cum hoc ipsum à Domino sit præceptum, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et cum hoc concord. Tho. Aliter tamen dicit Bonau. Ex hoc nihilominus Christi præcepto varia statuta & consuetudines in Dei Ecclesia sunt exortæ. Primo enim in Ecclesia primitiua, quando feruor Dei flammescebat, & deuotio sanguinis Iesu Christi recenter effusi in fidelium mentibus bulliebat, statutum fuit, quod fideles quotidie sumerent Dominicum sacramentum, sicut patet Act. 2. & de consec. dist. 2. c. peracta, dicit Papa Calixtus Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus, sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. Hæc ille. Secundo autem tempore iam feruore diminuto, communicabant quidam quotidie, & quidam quolibet die Dominico, sicut patet in libro de Ecclesiasticis dogmatibus & habetur de conse. dist. 2. quotidie, vbi satis innuit August. hoc etiam suo tempore à multis obseruatum, dicens. Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus Dominicis diebus communicandum hortor. Tertio vero tempore adhuc magis frigescente deuotione fidelium præceptum est, vt ter in anno quilibet catholicus sumeret Dominicum Sacramentum, sicut patet de cons. dist. 2. c. & si non frequentius, vbi Papa Fabianus ait: Et si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis maioribus criminibus impediatur: in Pascha videlicet, in Pentecoste: & in Natali Domini. Et ex Concilio Agathensi, ead. dist. c. sæculares, præceptum est, Sæculares, qui in natali Domini, Pascha, & Pentecostes non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Et idem in c. omnis ho. ea. di. Soter quoque Papa dixit, in cœna Domini esse communicandum ea, d. c. in cœna Domini. Sed hoc erat consilium non præceptum. Quarto autem tempore frigescente charitate multorum propter abundantiam iniquitatum, statuit Innocentius III. quod saltem semel in anno scilicet in Pascha, fideles communicent, sicut patet ex. de Pœn. & rem. c. omnis vtriusque. Et qui saltem semel in anno non communicat, obduratur in corde sicut patet 82. dis. presbyter. in medio. Concor. Richar in 4. dis. 12. in fine pœn. quæst. Et Bonau. vbi supra.

Ioan. 6.
Matth. 26.
Varia statuta de sumendo corpore Christi.
Varia consuetudo de sumptione sacramenti.

Quod parentes & curam habentes familiarum, tenentur reducere filios & subditos suos ad sacram communionem, & qua ætate sit communicaadum.

Cap. V.

Secunda obligatio inductionis.

SEcunda obligatio est inductionis. Quilibet enim pater & mater: imo quilibet paterfamilias ex præcepto

cepto diuinæ & fraternæ charitatis tenetur, non dico cogere, sed rationabiliter inducere quemlibet de familia sua ad sacram communionem sumendam, saltem semel in anno: & filios & filias, & famulos & famulas, & alios quoscunque habet in cura familiari. Ratio huius est, quia debet diligere proximum suum, sicut seipsum, sicut Luc. 10. præceptum est. imo non solum ex hoc præcepto tenetur ad hoc inducere illos: sed etiam quod diebus præceptis audiant Missam, sanctificent festa, confiteantur, ieiunent, sicuti obligantur: vnde præcepit Ecclesiast. c. dicens: *Filij tibi sunt, erudi illos, & incurua illos à pueritia illorum, ne quos non incuruasti cum potuisti, merito incuruare non possis, cum velis.* Et Ecclesiast. 38. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum, in illo gloriabitur.*

Luc. 10.

Dominorum obligatio erga familiam.

Eccles. 7.

Eccles. 38.

Qua ætate debent pueri communicare.

Multa in pueris consideranda.

Si autem quæratur, qua ætate debent induci pueri ad hoc sacramentum suscipiendum. Dicendum, secundum Alex. de Ales, quod iuxta iudicium boni viri pensanda sunt in puero tria. Primum est ætas, secundum est discretio, tertium est deuotio. Primo quidem considerandа est pueri ætas, scilicet 10. vel 11. annorum, secundum Alex. & Tho. & Pet. de Tharantasia. Secundo consideranda est eius discretio id est cum est doli capax, sicut dicit glossa c. omnis vtriusque sexus ext. de pœn. & rem. tunc enim peccare potest, ext. del. pue. c. pueris, quod quidem ante prædictam ætatem etiam euenire contingit. Sed postquam pueri peccare possunt, immo communiter peccant: ideo remedium debent suscipere peccatorum, quod est, hoc suscipere sacramentum, de cons. dist. 2. ante benedictionem, vbi dicitur: Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, vbi glossa venialium, vel etiam mortalium: Nisi enim puer discretionis iudicium habeat, & maxime quod discernat differentiam inter hoc sacramentum, & communem panem, nondum est inducendus suscipere sacram communionem: licet quidam Græci contrarium faciant propter hoc, quod Dion. c. 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ dicit baptizatis esse sacram communionem dandam: non intelligentes, quod Dionysius de baptismo loquitur adultorum Nec tamen aliquod detrimentum patientur propter hoc, quod Dominus inquit Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quia dicit August. Bonifacio scribens: Tunc vnusquisque fidelissimè corporis & sanguinis particeps fit spiritualiter, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur. Hæc est sententia Thomæ. Tertio consideranda est pueri deuotio. Nam si in eo apparet, quod cum deuotione suscipiet sanctam communionem inducendus est ad illam.

Explicatur B. Dionysius dicens baptizatis esse dandam communionem.

Ioan. 6.

Quod expelli debet de Ecclesia, vel excommunicari, qui monitus semel in anno suscepit sacramentum.

Cap. III.

Tertia obligatio exclusionis.

TErtia obligatio exclusionis. Quicunque enim taliter obligatus semel in anno ad minus in Pascha noluerit suscipere sacramentum ab ingressu Ecclesiæ arcendus est, sicut patet extr. de pœ. & re cap. omnis vtriusque sexus, & de conse. dist. 2. c. si quis, vbi dicitur: Si quis intrat ecclesiam Dei, & sacras scripturas audit, & pro luxuria sua auertit se à communione sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ: istum talem proijciendum de ecclesia catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, vt possit communione percepta, indulgentia promereri. Secundum autem Aug. Greg. & Host. si presbyter habet aliquem parrochianum peccatorem, qui nolit confiteri neque pœnitere: primo illum arguat opportunè scilicet monendo: secundo importunè scilicet suspendendo & interdicendo: tertio autem crescente contumacia excommunicandus est, vel superiori denunciandus, arg. de hoc 32. q. 5. cap. præceptum. Qui autem sint illi, qui hoc ordine puniendi sunt, declaratur, 6. q. 1. c. illi qui vbi assignantur omnes illi de quibus Apost. ad Galat. 5. cap. ait, *Manifesta sunt opera carnis*, Inter quos sunt publici fornicatores, seu adulteri venefici, tenentes odia & inimicitias, contentiosi, æmulatores, irosi, rixosi, ponentes dissensiones & sectas, inuidiosi, homicidæ, & his similes, sicut sunt periuri, vsurarij, incantatores, blasphemi, lusores, partiales, raptores, & consimiles omnes, qui per prælatos & per parrochiales prædicto ordine corrigendi sunt, & excommunicandi, si incorrigibiles fiant. Ad hoc 12. q. 1. prædicandum 24. q. 3. itaque & c. tam sacerdotes 2. q. 1. multi: nam ad Ecclesiam pertinet decernere de peccato & corrigere delinquentes, ext. de iud. c. nouit, hæc quasi omnia notat glossa in c. ad audientiam, extra de sponsa. Si autem non posset hoc commode fieri propter multitudinem, vel propter potestatem hominum; eos verbis quantum potest sacerdos vel prælatus moneat & terreat, & quantum in se est, quicquid potest faciat, & sic animam suam saluet.

Quid facere debet sacerdos aduersus eum, qui sacramenta Christi abstinet.

Quod qui semel in anno non suscipit corpus Christi, priuandus est Ecclesiastica sepultura.

Cap. IV.

Quarta obligatio est priuationis.

QVarta obligatio est priuationis: quilibet enim, qui ad minus non communicat in Paschate, si sine signis pœnitentiæ decedit, priuatur Ecclesiastica sepultura, sicut patet in præalleg. c. omnis vtriusque sexus. Sed tales tanquam bruta animalia sepeliri debent in cimeterio asinorum, sicut Hier. 22. c. scriptum est. *Sepultura asini sepelietur.* Imo si ecclesiastica sepultura sepelietur, ad cumulum est eius damnationis 13. q. 2. cum grauia, &c. quibus. Ac etiam si sepulti sunt ibi, omnino sunt exhumandi, quando eorum ossa ab aliis secerni possunt, ext. de sepult. sacris est canonibus institutum, & cimiterium, seu ecclesia reconcilianda est ext. de cons. eccl. consuluisti. Ratio horum est, quia deuotæ sepulturæ officium, bonæ fidei testimonium est 13. q. 2. non æstimemus ante finem. Propterea ne clerici sint falsi testes animæ impœnitenti, sancitum est ne talium intersint sepulturæ, extra de rapt. c. 2. Ex quo satis innuitur, quod qui talem impœnitentem scienter sociat ecclesiasticæ sepulturæ, à labe falsi testimonij non est immunis.

Deuota sepultura officium bonæ fidei testimonium est.

Quod & pro illo qui non suscipit dominicum sacramentum in illo anno si decedit sine pœnitentiæ signis non orandum nec oratio porrigenda est.

Cap. V.

Quinta obligatio est orationis.

QVinta obligatio est orationis, scilic. quia nullus orationes vel oblationes potest pro illo, qui ad præceptum ecclesiæ intra spatium vnius anni noluerit suscipere Dominicum sacramentum, si absque signis pœnitentiæ decedit, De huiusmodi impœnitente, secundum Bonau. in 2. dist. 14. dicit Ioan. 1. canon. sua c. 5. Est peccatum ad mortem, non dico vt pro eo quis roget. Et iterum hoc idem perhibetur extra de sta. mo. cap. 1. & c. super quodam extr. de fur. c. 2. & 13. q. 2. pro obeuntibus, & 13. q. 2. placuit.

Quod sine proposito communicandi semel in anno confessio non valet.

Cap. VI.

Sexta obligatio est confessionis.

SExta obligatio est confessionis. Nam qui confessus est semel in anno, & cum obligaretur suscipere corpus Christi, tunc non fuit dispositus statuto

tempore

tempore sinnere illud, confessio eius non valet, & iterum confiteri & satissacere obligatur, licet de hoc sint variæ opiniones. Est enim sententia diuersorum Doctorum, & maximè Host. & Ray, & plurium aliorum Doctorum, qood qui confitetur cum proposito non abstinendi in posterum: vel qui vult abstinere ab vno peccato, & non ab alio, sicut hic supradictus, qui ab inobedientia ecclesiæ non proponit abstinere ipsum teneri iterum confiteri & satisfacere, cum talis confessio non fuerit facta in charitate, remanente in eo mortali culpa, impossibile fuit peccatum sibi dimitti. Ergo si non fuit dimissum, debet iterum confiteri & satisfacere. Vnde Aug. Scio Domnum omni criminoso: quomodo ergo, qui vnum crimen sibi reseruat, de alio recipiet veniam? & de pœ.d.3. c. sunt plures. vbi Aug. inquit: Quædam impietas infidelitaris est, ab eo qui iustus est & iustitia dimidiam sperare veniam. Sed talis reseruat sibi peccatum inobedientiæ ecclesiæ sanctæ, quod est idololatrare. 8. dist. si qui. Non enim est dispositus suscipere corpus Christi, secundum quod præcipitur in præalle. cap. omnis vtriusque sexus. Præterea existens sine mortali membrum efficitor corporis mystici Iesu Christi: sed membrum sustentari debet alimento corporis Christi veri, alioquin aridum necesse est fieri, sicut & corporeum membrum, ad quod corporalis cibi non transmittitur nutrimentum. Item quod grauius est, talis maledictionem incurrit, de quo Ecclesiastes quartu cap. dicitur: *Væ soli: quia si ceciderit, non habet sublenantem.*

Nota diligenter ne contingat error.

Impietas infidelitatis est dimidia sperare veniam.

Eccles. 4.

Quod ex pluribus causis sacra communio est differenda, vel deneganda.

CAP. VII.

Septima obligatio est permissionis.

SEptima obligatio est permissionis, vel dilationis: non tamen quilibet peccator, licet pœnitens, potest statim suscipere corpus Christi: sed dilatio quandoque debet ex diuersis rationalibus causis à confessore discreto pœnitentibus dari. Circa hoc autem aduertendum est. quod diuersimodè debent aliqui abstinere à sacra communione. Quidam per aliquod breue, tempus, quidam per triennium, quidam nunquam debent communicare. Primo enim quidam sui discreti confessoris consilio ob aliquam rationabilem causam, ad tempus à communione abstinere debent, sicut patet in præallegato c. omnis vtriusque sexus. Et merito: nam nulli notorio & manifesto infami danda est statim Eucharistia post eius conuersionem, sicut patet de pœn. dist. 1. in actione. Debet enim primo apparere aliqua emendatio peccatoris ante communionem. Huiusmodi sunt histriones, incantatores, seu magi, & publicæ meretrices, lusores, lenones, publici vsurarij, publici fornicatores, adulteri, homicidæ, partiales, & consimiles. Fit autem hoc propter tria: primo propter reuerentiam sacramenti, secundo vt probetur eius conuersio, an sit vera vel ficta: tertio, ne proximus scandalizetur, qui intima cordis non videt. Posset tamen talibus communio sine dilatione administrari, vbi necessitatis articulus cogeret, seu aliqua pietas suaderet: puta, quia intrat religionem. Hæc secundum Ric. in 4. dist. 9. quæst. penult. Secundo sunt quidam alij, qui abstinere debent per tres annos, licet pœnitentiam agant: sicut matricidæ: maximè si notorii sunt & manifesti, sicut patet 33. q. 2. c. latorem. Et idem intellige de parricidis, potest tamé Episcopus suadéte feruida pœnitétia delinquentis mitius relaxare pœnitentiam, sicut in fine c. patet. Tertio vero sunt qoidam, qui longiori tempore, id est per plures, hoc est, per quatuor annos, debent cessare à sacra communione: sicut sunt, qui per horridum sacrilegium Ecclesiam scandalizant: sicut fuit ille, de quo 12. quæst. 2. c. de vito. Quarto etiam sunt, qoi licet pœnitentiam agant, tamen vsque ad vitæ finem carere debent sacra communione: sicut sunt vxoricidæ, maximè si sunt notorij & manifesti: sicut patet 33. quæ. 2. admonere: si tamen intraret religionem posset ante communicare, sicut satis innuitur in præalle. c. admonere. Nam cum ibi detur illi vxoricidæ consilium de religionis ingressu, & quælibet religio habeat præcepta de communione sumenda, satis videtur indultum, quod sicut cæteri illius religionis possit communicare. Item si professa monialis contrahit matrimonium manifestum, nunquam suscipere potest corpus Christi, nisi in vltimo fine, vel nisi defunctus fuerit, cui nupsit: sicut dicit glossa 27. q. 1. de filia. Cuius ratio est, quia præfiguratur esse in mortali. Sed credo, quod communicare posset, si separaretur ab adulterio, & veram pœnitentiam ageret de commissis. Regulariter autem tenendum est, quod in fine vitæ omnibus verè pœnitétibus hoc sacramentũ est dandum, sicut dicit glossa extra de rap. c. super eo. Item colligitur, eo. tit. c. quod in te. & 26. q. 6. si quis, & 5. dist. pœnitentes Quinto nulli obstinato & impœnitenti etiam in fine vitæ aliquo modo sacra communio exhibenda est, quia tanto sacramento omnino indignus est. Nam sicut 1. Corin. 11. scriptum est: *Qui manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*, scilicet secundum Glossam, ac si Christum occiderit punietur. Et qui tali hoc sacramentum ministrat, mortaliter peccat, cum det illi occasionem æternæ damnationis. Sed de hoc latius sabbato futuro in vlt. c. secundi art.

Debent aliqui abstinere à sacra communione & quare.

Quibus non danda sacra communio.

Si monialis contraxerit matrimonium quando possit suscipere sacramentum.

1. Cor. 11.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod ex peccati occasione tripliciter sit homo indignus sumere corpus Christi.

Secunda necessitas est timoris retrahentis. Peccatum indignum reddit sacra communione tribus modis.

SEcunda necessitas est timoris retrahentis, & hoc contra malè sumentes, qui communicant in mortali: propterea in persona discretæ animæ Propheta subdit, *& timebo*: quia sicut 1. Corint. 11. Apostolus ait: *qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Tribus etenim modis peccatum indignum reddit hominem sacra communione. Primo, quando est in habitu; secundo quãdo est in actu: tertio, quando est in proposito, seu in affectu. Primo, quando peccatum est in habitu, vt puta, quando quis accedit non contritus, nec confessus de præterita culpa. Secundo quando peccatum est in actu: vt quando quis habet præsentiam sacramenti, & irreuerenter pertractat illud, vt puta, quia ad illud accedit sine conscientiæ discussione, secundum Bona. Tertio quando peccatum est in proposito, seu in affectu: vt quando quis habet in futuro voluntatem peccandi, seu à peccato non abstinendi. Quanti autem periculi sit quolibet prædictorum modorum suscipere Corpus Christi, futuro sermone, in fine secundi artic. latius apparebit, vbi ponuntur 12. maledictiones malè sumentium corpus Christi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quod tripliciter periculosum sit iterum recidiuare post communionem assumptam.

Tertia necessitas est vigoris stabilientis.

TErtia necessitas est vigoris stabilientis & perseuerantis & contra tantum sacramentum à se male eiicientes. Plerique etenim post sacram communionem redeunt subito ad vomitum præteritarum culparum, & contumeliosè eiiciunt à se Dominum Iesum Christum. Propterea vigor stabiliens assumendus est. Sed ne quis ex pusillanimitatis timore de recidiua inaniter timens ab hoc sacramento se retrahat, vel de seipso confidens de sua firmitate ac stabilitate præsumat, conuenienter Prop. subd. *Ego vero in te*, non in me, *sperabo*, confidens quod ad vomitum non reuertar. Tria etenim mala incurrit qui post sumptam communionem à peccatis se non custodit. Primum est peruersionis

Tria mala incurrit qui poſt ſumptã communionem à peccatu ſe non cuſtodit. ſionis, quia videlicet ordinem honeſtatis peruertit: venturo enim reuerentiam præbet, præſenti vero iniuriam offert. Secundum malum eſt proditionis. Talis namque ſimilitudinem gerit Iudæ, qui poſtquam cum Chriſto cœnauit, ipſum ſuis prodidit inimicis. Vnde de talibus, ſicut de Iuda, Ioan. 13. ait dominus: *Qui manducat panem meum, leuabit calcaneum ſuum contra me.* Tertium eſt malum confuſionis, quia confundunt Chriſtum ad priora ſcelera redeuntes. Sed verum eſt prouerbium, quod dici ſolet. *Ioan. 13.*

Turpius eiicitur, quam non admittitur hoſpes:

Matth.21. Tales ſimiles ſunt populo Iudæorum, qui, vt dicitur Matth. 21. & Ioan. 12. cum oliuarum, & arborum ramis in Hieruſalem Dominum ſuſceperunt: Sed vix paucis elapſis diebus eum de Hieruſalem contumelioſè eiicientes in cruce crudeliter affixerunt. Qui igitur per recidiuam iterum cum diabolo, carne & mundo pacem reſarcire tentant, ſumant ſimilitudinem de muliere, cui cum interemptus eſſet maritus, conſeruatam, laceratam, & ſanguinolentam camiſiam eius filio ſemel, bis, & tertio multorum ſuaſione volenti pacificari cum interfectoribus patris, ante oculos expandebat filio dicens: Vide fili mi, quam cauſam habes inire pacem cum his, qui ſic atrociter patrem tuum interfecerunt. Quam camiſiam filius videns, licet pluries de pace facienda eſſet rogatus, nunquam nihilominus acquieuit. Mater tua eſt Eccleſia ſancta, quæ camiſiam laceratam & ſanguinolentam Chriſti patris tui nunc expandit, ante oculos cunctorum in Eccleſiis ponit, vt viſa iniuria & morte crudeli eius cum interfectoribus ſuis, qui ſunt diabolus, caro & mundus, nunquam pax, ſed continuè bellum à filio legitimo fiat. Ex prædictis, igitur patet, quod tam mirificum ſacramentum ex charitate ſuſcipiendum, cum puritate amplectendum, & cum fidelitate conſeruandum eſt: vt per illud anima noſtra in præſenti vita in gratia perſeueret, & tãdem per virtutem eius non ſub accidentium panis, ſed reuelata facie gloriam Domini contempletur, qui in trinitate perfecta viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Eccleſia mater noſtra.

Bellum continuum cũ mundo carne, & diabolo.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui incipit, Eſcam dedit timentibus ſe, *continet tres articulos, quorum primus ſeptem habet capita, ſecundus ſeptem, tertius denique totidem.*

Art. primi de ſeptem conditionibus mannæ præfigurantibus ſanctiſſimum ſacramentum,

Cap. 1. *Quod circa hoc ſacratiſſimum ſacramentum requiratur fides.*

Cap. 2. *Quod Euchariſtia ſacramentum non niſi Eccleſia catholica concedatur.*

Cap. 3. *Quod hoc ſacramentum ſub accidentibus occultum tantummodo in præſenti vita donatur.*

Cap. 4. *Quod non minor Ieſus continetur in hoſtia parua quam in magna nec plus in pluribus quam in vna.*

Cap. 5. *Quod feruenti deuotione credibile eſt hoc ſacramentum non autem curioſitate inani.*

Cap. 6. *Quanti periculi ſit ex cupiditate celebrare.*

Cap. 7. *De vario ſaporationis guſtu huius ſanctiſſimi ſacramenti.*

Articuli ſecundi, Quanta charitate Dominus nobis ſeipſum in cibum dedit & de ſeptem generibus hominum qui tantæ charitati diuerſimode aduerſantur,

Cap. 1. *Quod non debent abſtinere a ſacramento qui habent conſcientiam fantaſtice ſcrupuloſam.*

Cap. 2. *De his qui male communicant cum eſſe dubitant in mortali.*

Cap. 3. *Quoniam liceat hac confeſſione ſumere dominicum ſacramentum.*

Cap. 4. *De quibuſdam qui ex conſcientia groſſa ſumunt mortaliter corpus Chriſti.*

Cap. 5. *De his qui ex negligentia perquirendi conſcientiam ſuam communicant in mortali.*

Cap. 6. *De temeraria conſcientia eorum, qui ſcienter communicant in mortali & de duodecim maledictionibus, quas tales incurrunt.*

Cap. 7. *Quibus denegandum eſt ſanctiſſimum ſacramentum.*

Articuli tertij, Quomodo quilibet præparare ſe debet ad ſumendum hoc ſacramentum, vbi ſeptem præparationes ponuntur.

Cap. 1. *De ſumptione huius ſacramenti qua diſcuſſione examinanda eſt conſcientia.*

Cap. 2. *Quanta puritate mentali & corporali hoc ſacramentum ſumendum eſt.*

Cap. 3. *Quod ſumptione huius ſacramenti omnis negligentia abeſſe debet.*

Cap. 4. *Quanta reuerentia ſumi debet ſanctiſſimum corpus Chriſti & de noua indulgentia data ſociantibus ipſum dum portatur infirmis.*

Cap. 5. *Quanta diſcretione debet quilibet communicare.*

Cap. 6. *De oratione cum qua ad ſacramentum hoc quilibet præparare ſe debet.*

Cap. 7. *Quod feruida deuotione ſuſcipiendum ſit hoc diuinum ſacramentum.*

Sermo XI.

Eſcam dedit timentibus ſe. Pſal. 110. Sentio ad ſuſcipiendum Domini ſacramentum ſe multitudinem populi præparare: ſed vt hoc fructuoſius perficere poſſit conſiderent propheticum verbum quo dicitur. *Eſcam dedit timentibus ſe.* In quibus ſacratiſſimis verbis Propheta oſtendit circa ſumptionem huius ſacratiſſimi ſacramenti tria eſſe attentiſſime ponderanda. Primum eſt cibus ſuauiſſimus ad guſtandum: ibi *eſcam*. 2. actus amoroſiſſimus ad donandum, ibi, *dedit*. 3. locus conuenientiſſimus ad præparandum, ibi, *timentibus ſe.* Primum vt conſideremus quid detur. 2. vt cogitemus à quo detur. 3. vt examinemus cui detur. Ex primo affectio inflammatur. ex 2. intelligentia illuſtratur, ex 3. memoria humiliatur, vt per hæc tria anima dignum fiat receptaculum ſaluatoris.

Pſal. 110. Circa ſumptionem Euchariſtia tria conſideranda.

ARTICVLVS PRIMVS,

De ſeptem conditionibus mannæ præfigurantibus ſanctiſſimum ſacramentum.

PRimum ſiquidem quod ponderari debet circa hanc ſacram ſuſcipiendam communionem, eſt ipſe cibus ſuauiſſimus ad guſtandum: quia Propheta nominat illud eſcam, hæc enim eſt eſca figurata per illud mirificum manna quod pluit Deus patribus in deſerto, ſicut Exod. 16. c. ſcriptum eſt. Quantum autem propriè præfiguraret hoc ſanctiſſimũ ſacramentũ ex ſeptem clareſcere poteſt, quæ conſideranda ſunt circa illud, ſecundũ Exo. textum primo generationis modus. Secundo deſcenſionis locus. Tertio recollectionis tempus. Quarto menſurationis terminus. Quinto præparationis ritus. Sexto reſeruationis auſus. Sexto ſaporationis guſtus.

Per manna denotatur cibus Euchariſtia.

Quod circa hoc ſacramentum ſolum requiratur fides.

CAP. I.

PRimo conſiderari debet generationis modus, quia in nocte de cœlo inuiſibiliter deſcendebat. Quid enim deſignatur in nocte niſi fidei noſtræ ſtatus, ſicut enim in regno cœlorũ nulla eſt obſcuritas tenebroſa, & in inferno nulla poteſt luciditas apparere: ſic in præſenti peregrinatione non eſt lux clara deificæ viſionis, ſicut in cœlo, nec obſcura tenebroſitas æternę damnationis ſicut in inferno: ſed nocturna fidei lux ſtellari & lunari non quidem ſolari lumine illuſtrata, quibus luminibus videmus & cognoſcimus per fidem hoc ſanctiſſimum ſacramentum: ſicut de hoc Eccleſia atteſtatur: *ad firmandum cor ſincerum ſola fides ſufficit,*

In hoc ſtatu non eſt lux clara.

Quod Eucharistia sacramentum non nisi Ecclesiæ catholicæ concedatur.

Cap. II.

Hoc sacramentum in sola Ecclesia Catholica.

SEcundo debet considerari descensionis locus: quia videlicet in deserto circa castra solummodo filiorum Israel apparebat, eisque defecit cum intrauerunt terram promissionis: sic & hoc sacramentum non nisi intra Ecclesiam & in eius fide veraciter consecratur, atque in deserto præsentis vitæ tantummodo frequentatur. Cum autem ad repromissam viuentium terram ventum fuerit, iam non amplius hoc sacrificium offertur: sed gloriosus Iesus in consummato fœlicitatis loco conspicietur ineffabiliter exaltatus.

Quod hoc Sacramentum sub accidentibus occultatum tantummodo in præsenti vita donatur.

Cap. III.

In futuro seculo hoc sacramentum non amplius sub speciebus gustabitur.

TErtio considerãdum est recollectionis tempus: sex enim diebus poterat reperiri, sextaque feria præcepit ex parte domini Moyses pro sabbatho colligi. Sabbatho autem egressi quidam de populo, vt colligerent non inuenerunt: sic & istud viuificum sacramentum non nisi 6. diebus peregrinationis præsentis nos reficere habet. Sed sabbatho sempiternæ quietis inuenietur rex noster Iesus Christus non mysticis sacramentis velatus, sed manifestus & decore regio gloriosus.

Quod non minor Iesus continetur in hostia parua quam in magna, nec plus in pluribus quam in vna.

Cap. IV.

Nec maior nec minor Christus Dominus in parua vel magna hostia.

QVarto consideretur mensurationis terminus: quia per singula capita mensuram gomor ex parte domini colligi instruerat Moyses: *& qui plus collegit plus habuit: nec qui minus minus inuenit*, sic istud benedictum sacramentum nequaquam continet minorem Iesum in minori hostia quam in maiori: nec plus in pluribus quam in vna contra quosdam simplices, qui à sacerdote propter populi multitudinem ad sacram communionem proinde diuisis hostiis in plures partes eis hostia integra non ministretur, conturbantur indignati non credentes Christum integrum suscepisse.

Quod feruenti deuotione credibile est hoc sacramentum, non autem curiositate inani.

Cap. V.

Omnis curiositas ab hoc sacramento remoueatur. Cur sub speciebus velatum hoc sacramentum.

QVinto consideretur præparationis ritus: quia illud manna ignem optime sustinebat: *cumque incaluisset sol liquefiebat & contabescebat*. Sic & illud benedictum sacramentum perfecte sustinet ignem deuoti & feruentis amoris, atque rationes ab amoris fornace procedentes perfecte concludunt huius sacramenti irrefragibilem veritatem. Scilicet sol curiositatis humanæ & phãtasticæ rationis, quæ procedit secundum experimenta paganæ philosophiæ ad perscrutationem sacramẽti per perfidiã, liquescere eum facit atque semetipsum deludit: vt sibi sacramentum euanescere videatur: propterea mire dispensauit sapientia Dei quod sub accidentibus esset velatum & occultatum hoc sacramentum: & maxime propter tria. Primo propter fidelitatẽ. Secundo propter indignitatem. Tertio propter imbecillitatem. Primo propter fidelitatem: & hoc quo ad bonos scilicet vt habeant, vnde mereantur per fidem: qui credit articulis & factis fidei credit Deo, & ex hoc meretur homo. Credere autem rationi humanæ est credere homini, quod quidem absque merito est: vnde Greg. ait. Fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum. Secundo propter indignitatem &

Credere Deo actus meritorius.

hoc quo ad malos, in hoc enim misericorditer dispensat benignitas redemptoris, vt non condescendat curiositati & vanitati cordium inflatorum, dum procaciter & præsumptuose nituntur inuestigare sola ratione naturæ mysteria incomprehensibilia sacramenti. Si enim nudum Christi corpus conspicerent ex ipso aspectu subito interirent: sicut mystice præmõstratum est 1. Reg. 6. in Bethsamitibus qui percussi & interempti sũt, eo quod arcam Domini, quæ sacramentum præfigurabat temerarie conspexissent: quod non licebat sicut patet Num c. 4. Tertio propter imbecillitatem & hoc quo ad omnes: nam claritatem corporis domini Iesu Christi nullus posset sustinere aspectus: quod præfiguratum extitit Exo. 34. per claritatem vultus Moysi: nam propter radiositatem videbatur facies eius cornuta ita quod, *filij Israel claritatem vultus eius non poterant sustinere: scilicet operiebat ille faciem suam si quando loquebatur ad eos.*

Quanti periculi sit ex cupiditate celebrare.

Cap. VI.

SExto consideretur reseruationis casus. Nam præcipiens Moyses ait, *nullus relinquat ex eo in mane, qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane & scatere cœpit vermibus atque computruit*: sic & hoc sacramentum reseruatum ad temporalium quæstum scatet vermibus diabolicæ simoniæ.

De vario saporationis gustu huius sanctissimi sacramenti.

Cap. VII.

SEptimo quoque considerari debet saporationis gustus: quia vnicuique sapiebat iuxta sui desiderij appetitum: sic & hoc sanctissimum sacramentum sumentibus diuersimode sapit secundum varias dispositiones quas in eis format desiderium charitatis, Nam iuxta Prophetæ sententiam Iesus in hoc sacramento latens est: qui dat omni carni, id est omni menti fideli; in carne peregrinanti non vtique cibum huius mundi. Propterea Isa. 55. cap. omnes ad hunc cibum hortatur dicens, *Comedite bonum*, id est corpus Christi quod antonomasticè dicitur bonum, *& in crassitudine delectabitur anima vestra*.

Hoc sacramentum diuersimode sapit.

Isa 55.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quanta charitate dominus nobis seipsum in cibum dedit, & de septem generibus hominum qui tantæ charitati diuersimode aduersantur.

SEcundum quidem quod ponderari debet circa sumptionem huius sacramenti, est actus scilicet Christi amorosissimus ad donũ: quia dedit scilicet semetipsũ in cibum vt nos in seipsum per amorem totaliter transformaret: nam sic cibans & cibus inuicem vniuntur, sic eum digne suscipiens per amorem ardentissimum in ipsum totaliter tranformatur, & efficitur deiformis: Propterea Ioan. 6. ipse ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*: & vt emphatice inexplicabiliter sui ad nos exprimeret vnionem Ioan. 17. alloquitur patrem dicens: *Tu in me & ego in eis*, assimilat modum quomodo in nobis est: modo quo pater in ipso est. Atque dilectionem sui ad nos assimilat dilectioni paternæ 15. c. eiusdẽ dicẽs. *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Contra hanc tamen inexplicabilem dilectionẽ plurimi in sumẽdo hoc sacramentũ ei diuersimode aduersantur: & multipliciter se opponũt secundũ varias consciẽtias deformatas: Possumus autem distinguere circa sumptionem huius sacramẽti septemplicẽ conscientiã deformatã. Prima dicitur scrupulosa.

Christi amor erga hominem.

Ioan. 6.

Ioan 17.

Ioan. 15.

Conscientia non recta, varia in sumendo.

Euchariſtiæ ſacramento. Secunda timoroſa. Tertia indiſcreta. Quarta groſſa. Quinta cæca. Sexta temeraria. Septima mꝰerecunda.

Quod non debent abſtinere à Sacramento qui habent conſcientiam phantaſtice. ſcrupuloſam.

CAP. I.

PRimi in ſumendo huc Sacramentum habent conſcientiam ſcrupuloſam: ſicut qui irrationabiliter & phantaſtice atque de leui timent delectationem ne fuerit mortaliter culpa: & hi communicando cum tali conſcientia minime peccant: ſecundum Pe. Ratio autem eſt quia talis conſcientia vana & erronea, debet abiici: vnde de talibus ſcriptum eſt. *Trepidauerũt timore vbi non erat timor.* Talis enim de dæmonis tentatione dicitur *Pſal 90.* nocturnus timor: de quo Propheta ait. *Non timebis à timore nocturno.* De nocte ſi quidem timet homo errare amplius quam in die eo quod ſæpe rupes & arbores creduntur hoſtes & folij caſus phantaſma putatur, ſic illi conſcientiæ euenire ſolet: quia non timenda timet: *Pſal 142.* vnde in perſona huius ſcrupuloſi Propheta ait, *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi*, id eſt ſicut qui in ſæculo mortaliter peccant *& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus in me turbatum eſt cor meum*, ſcilicet ex timore inani.

De his qui male communicant cum eſſe dubitant in mortali.

CAP. II.

Qui dubitat de mortali probabiliter, non accedat ad Sacramentũ.

SEcundi in communicando habent conſcientiam timoroſam: circa hoc enim regulariter tenendum eſt: quod quandocunque homo timet eſſe in mortali culpa, & ſumit ſanctiſſimum Sacramẽtum mortaliter peccat: quia diſcrimini ſe exponit: vt puta cum quis rationabiliter veretur delectationem carnalem fuiſſe mortale: quia ſcilicet moroſe delectatus eſt: atque mortalẽ conſenſum timet communicandu mortale committit crimen: ſecundum Pet. Talis quoque timor, timor nocturnus etiam diei poteſt: nam ſæpe euenire ſolet, quod de nocte ſicut recta itinera videntur deuia: ſic deuia videntur recta: rupes quoque & arbores ſicut quandoque de nocte creduntur hoſtes: ſicut econtrario hoſtes rupes & arbores reputantur: & ſic in talibus euenire ſolet: quia à contrario ſenſu Propheta. *Illic non trepidauerunt timore, vbi veraciter erat timor.*

Quando liceat ſine confeſſione ſumere dominicum Sacramentum.

CAP. III.

Qui non eſt confeſſus ſed contritus quomodo poteſt accedere ad ſacramentũ.

TErtij habent cõſcientiam indiſcretam: vt puta cum quis accedit ad Sacram communionem de mortali contritus, ſed non confeſſus. Circa quod aduertendum quod talis aut habet copiam confeſſoris idonei & confitendi ſufficiens tempus & liberam loquelam: tunc peccat communicando ſine confeſſione, quia ad hoc ſacramentum requiritur reconciliatio etiam ſecundum Eccleſiæ iudicium: vnde Hu. de S. Vict. lib. de poteſtate ligandi & ſoluendi c. 21. Si abſque ſacerdotis abſolutione criminoſus ad communionem corporis Chriſti accedat pro certo iudicium ſibi manducat & bibit, etiam ſi eum ante multum pœniteat, etſi vehementer doleat & ingemiſcat: Aut talis copiam confeſſoris &c. ſupradicta non habet: & tunc etiam diſtinguendum eſt: quia aut imminet aliqua neceſſitas celebrandi vel communicandi: vt puta quia timet ſcandalum perſonæ ſuæ: niſi communicet aut populi: vel incepit myſterium ſacramenti, vel amiſit loquelam: & tunc non peccat cum propoſito tamen confitendi quando poterit: & ſecundum Scotum in 4. diſt. 9. ſimiliter de aliquo communicaturo qui non celebrat: vtpote quia conſuetudo eſt in aliqua religione, vel Eccleſia, vt omnes non ſacerdotes communicent. In ſimili caſu, ſcilicet ſi tunc quando debet communicare non habet idoneum confeſſorem: poteſt tunc non confeſſus communicare. Et addit ibi rationem. Idem quoque dicendum eſt de eo qui conſtitutus cum populo ante ſacerdotem confeſſione generali iam facta: iamque dicto, *Domine non ſum dignus*, &c. dum ei porrigi debet ſanctiſſimum ſacramentum, recolit alicuius peccati confeſſi, qui ſimiliter tunc communicare debet, & demum ſine mora de illo oblito crimine confiteri: Aut non imminet neceſſitas & tunc peccat ſecundum Scot. Ric. & Pe.

De quibuſdam, qui ex conſcientia groſſa ſumunt mortaliter corpus Chriſti.

CAP. IV.

Qui ſufficienter certum eſt ſe eſſe in peccato mortali non communicet.

QVarti habent conſcientiam groſſam, ſcilicet cum homo habet ſufficientem certitudinem, quod ſit in peccato mortali vt puta, quia moroſe delectatus eſt: tamen non timet, ſed ſecure communicat. Talis inquã mortaliter peccat, quia diſcrimini ſe exponit: quia & timere debet, & conteri, & confiteri? & talis etiam à tentatione nocturna, ſicut præcedentes, deluſus eſt, quia non timet vbi timere debet.

De his qui ex negligentia perquirendi conſcientiam ſuam communicant in mortali.

CAP. V.

Triplex conſcientia examinatio excellens ſufficiens & deficiens.

QVinti habent conſcientiam cæcam. Sunt nempe plerique qui ſunt in mortali culpa, nec tamen aduertunt. Propterea de huc nullam conſcientiam habẽt. & ſic communicant: vbi aduertendum eſt, quod triplex eſt conſcientiæ examinatio, ſ. excellens, ſufficiens, & deficiens. Nam aut talis volendo cõmmunicare præparauit & diſcuſſit ſufficienter conſcientiam ſuam, diligentiſſime illam examinando, & peritos conſulendo: Aut probabiliter examinando & diſcutiendo & confitendo. Aut talia fecit negligenter in primo caſu: quia illud fuit examinatio excellẽns non peccat, & remiſſionem ſuſcipit peccatorum: propter deuotam ſacramenti ſuſceptionem: aut virtute ſacramenti oblita peccata ad memoriam reducuntur, & meretur. In 2. caſu quia ibi fuit examinatio ſufficiens etiam neque peccat mortaliter: quia fecit ſatis quod ſuum eſt & de duobus prædictis vnum meretur. In 3. caſu quia fuit ibi examinatio deficiens ſecundum Ric. de me vil. mortaliter peccat. Idem Sco. in 4. d. 9. Sed obiicitur quod Eccleſ. 9. c. ſcript. eſt. *Nemo ſcit vtrum dignus ſit odio vel amore*, & Pſalmiſt. ait, *Delicta quis intelligit*: ex quo ſequitur quod nemo ſcit vtrum ſit in mortali culpa vel non: vnde ſi mortaliter peccat, qui accedit cum ignorantia conſcientiæ ſuæ: ergo quicunque accedit diſcrimini ſe committit. Ad quod dicendum quod non requiritur ad diſcriminis periculũ præcauendum conſcientiæ certitudo: ſed probabilis coniectura quæ conſiſtit maxime in hoc quod homo ſufficienter ſaltem examinet conſcientiam ſuam, cuius examinationis ſufficientis, ſecundum Bona. quattuor poſſunt apparere ſigna. Primum, cum homo de offenſis præteritis pœnitet. Secundũ, cum abſtinendi ſe à peccato propoſitum habet. Tertium, cum quis ad bene operandum ſe promptum inuenit. Quartum, cum quis Dei verbum deuote audit. Hæc ſecundum Ric. & Pe.

Eccleſ 9. Pſal. 18.

Sufficientis examinationis quatuor ſigna.

De temeraria conſcientia eorum, qui ſcienter communicant in mortali & de duodecim maledictionibus, quas tales incurrunt.

CAP. VI.

Grauiſſime peccat ſciens ſe eſſe in pec-

SEcundi habent conſcientiã prauam, ſeu temerariam, ſcilicet cum quis ſumit hoc ſacramentũ cum conſcientia mortalis culpæ: & talis mortaliſſime peccat, propter indignitatẽ, quæ eſt in ipſo per comparationem

rato mortali & communicat.

1.Cor.11.

tam ad Sacramentum exterius quod est sanctum, quam ad rem contentam interius, quæ est Sanctus Sanctorum, quam ad rem significatam tantum, quæ est sanctitas; contra quem Apostolus 15. Cor.11. ait. *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Nullius etenim hominis opus placet Deo, nisi placeat ipse prius: quanti autem periculi sit cum conscientia mortalis culpæ, suscipere dominicum Sacramentum ostendit Psalm.68. qui incipit.

Psalm.68.

Saluum me fac Deus: vbi dicit. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam: & furor ira tua comprehendat eos, Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam. Deleantur de Libro viuentium: & cum iustis non scribantur.* In quibus Sacratissimis verbis duodecim maledictiones ostendit propheta multiplicari super male sumentes dominicum Sacramentum. Nam primo peccatis illaqueat. 2. retributionem grauat. 3. proximum scandalizat. 4. mentem excæcat. 5. mundanis incuruat. 6. Dei misericordiam irritat. 7. Dei iustitiam conturbat. 8. vitam abbreuiat. 9. gratuitis priuat. 10. iniquitatem multiplicat. 11. mentem indurat. 12. quoque damnatum in fine demonstrat. Primo peccatis illaqueat. Vnde dicit. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, id est fiet dominica mensa tanquam laqueus peccati quo in gula per quam transit corpus Christi à diabolo illaqueetur 1. Cor. 11. *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* Secundo retributiones grauat. Ideo subdit: *Et retributiones.* Nam sicut ipsi deuorant Christum: Ita diabolus in qualibet indigna communione per gradum grauioris damnationis deglutit & deuorat illos. In huius testimonium 1. Cor.11. Apostolus ait. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles* quod etiam ad litteram verum est. Tertio proximum scandalizat. Ideo addit. *Et in scandalum*, scilicet aliorum propter malam vitam communicantium & quia multa scandala superueniunt illis: contra tales ait Apostolus Rom.14. *Iudicate ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Quarto mentem excæcat. De quo subdit. *Obscurentur oculi eorum ne videant*: Propter mentis enim cæcitatem nequeunt intelligere stultitiã suam & nequitiam. Nam vt dicitur Sap.3. *Excæcauit eos malitia eorum.* O infelix qua temeritate audes labiis illis osculari filium Virginis, quibus osculatus es labia meretricis. Hoc mundanis incuruat. Io. subdit. *Et dorsum eorum semper incurua.* Excæcato vtique intellectu statim sequitur ad terrena incuruatio in affectu. In persona talis, Psalm. ait, *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Sexto Dei misericordiam irritat: pro quo ad Dominum loquitur dicens, *Effunde*, id est effundes *super eos iram tuam*, sicut scilicet funditur feruens aqua super depilandos porcos, Psal. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt.* Septimo, iustitiam Dei conturbat, ideo, *Et furor ira tua comprehendet eos*, quasi dicat. Sicut ipsi Indigne comprehendunt te, sic & tu per furorem iustitiæ tuæ comprehende eos. Nam quasi lamentabiliter corpus Dominicum clamat cum à talibus sumitur. Heu mi, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Sed sæpe euenit quod idem Psal. dicit, *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum. Et ira Dei ascẽdit super eos.* Octauo vitam abbreuiat. De quo subdit, *Fiat habitatio eorum deserta*, scilicet per mortem & pestilentiam, 1. Cor.11. *Inter vos dormiunt multi*, loquitur de male communicantibus ad litteram. Nono gratuitis priuat, vnde subdit. *Et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*, id est palatiis seu habitaculis villarum, ita quod in eis non remaneat quisquam. Et subdit prædictorum, & sequentium rationem dicens. *Quoniam quem tu Deus percussisti persecuti sunt.* Deus filium suum propter nostrum, amorem percussit in passione & in morte, sicut ipse testatur Isa.53. dicens, *Propter scelus populi mei percussi eum.* Sed male communicantes hunc persequuntur, Iuda deteriores effecti: Nam sicut ille tradidit illum persecutoribus Iudæis, sic isti illum tradunt infernalibus diabolis, quia ponunt eum in loco, qui est sub potestate diaboli constitutus. Propterea August. dicit, Magis peccant qui tradunt Christum peccatoribus membris, quam qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis. Vnde merito subinfertur. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* De hoc Ambrosius inquit. Qui indigne Christum sumit idem est ac si interficiat. Contra quos ad Hebr.6.c. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*, O si aliquis panem in lutum proiiceret quam impius putaretur. Nonne etiam si talis temerarius frustum panis reperiret in terra, statim quasi lamentabiliter illum recolligeret, atque reponeret in loco honesto. Nec tamen veretur in latrinam spurcissimam conscientiæ suæ ponere diuinissimum & sacratissimum Sacramentum. Decimo iniquitatem multiplicat. Ideo subditur, *appone*, id est permittes apponi *iniquitatem, super iniquitatem eorum*: vt scilicet iterum, atque iterum in mortalibus communicando, & iniquitates multiplicando semper in iniquitatibus crescant. 11. mentem indurat. Propterea subinfertur. *Et non intret in iustitiam tuam*, licet intrent in iustitiam suam. Iustitia enim Dei est veritatis via quam intrat homo per spiritualia bona: sed hi intrant in iustitiam suam cum formant sibi conscientiam secundum beneplacitum suum sub spei pallio præsumentes de misericordia Dei contra quos Apostolus, Rom.10.cap. *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere iustitia Dei non sunt subiecti.* Duodecimo damnatum in fine demonstrat. Et de hoc subditur. *Deleantur de libro viuentium*, id est per apertissima signa pessimæ conuersationis & horribilis finis appareant de libro vitæ deleti. Loquitur primo tropo quo res dicitur fieri quando exterius innotescit, *& cum iustis non scribantur*, scilicet sicut nec per talia signa scripti esse monstratur.

Duodecim maledictiones in male communicantes.

Demon male communicantes deuorat.

2.Cor.11.

Psal.37.

Psalm.68.

Psal.77.

1.Cor.11.

Isa.53.

Qui male communicat quantum in se Christum interficit.

Iustitia Dei est via veritatis.

Rom.10.

Quibus denegandum est sanctissimum Sacramentum.

Cap. VII.

SEptima est conscientia impudica, seu inuerecunda, Illi sunt qui secundum Bernardum, nec Deum timent, nec homines reuerentur, sed inuerecundi infames, & celesti comparentes coram Domino maiestatis, atque Domini maiestate cum multorum scandalo hoc tremendum suscipiunt Sacramentum. Sed quid debet facere sacerdos in tali casu dicendum secundum Rich. in 4. distinct. 9. quod quando ante sacerdotem comparet peccator postulans suscipere corpus Christi, aut illius mortalis culpa est manifesta aut occulta. Primo enim si est manifesta tunc Presbyter grauiter peccaret si sibi ministraret Dominicum Sacramentum: quia coadiutor, & participator sui sceleris esset, vnde Matth. 7. Dominus præcepit, dicens, *Nolite sanctum dare canibus.* Habet enim contra eum legitimam exceptioné quã sibi publice obiicere potest. Sumo tamen hic manifestũ non pro eo quod probari potest per duos aut tres testes quod magis meretur dici manifestabile, quã manifestũ, sed sumo manifestũ pro notorio iuris vel facti, & cũ est notoriũ per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut euidentia rei quæ tergiuersatione aliqua celari non potest extra de coha. cle & mu. c. vltimo, vnde si sacerdos sciret suum parrochianũ fore in aliqua culpa quam legitime contra eum probare posset per duos aut tres testes, nec aliter notorium foret, non potest nec debet ei Eucharistiam denegare si publice petit, quia ante criminis probationem iam sibi pœnam inferret quod fieri nequaquam debet 11.q.3. Eorum qui a. autẽ si sit culpa occulta: tũc aut petit in occulto: aut petit in publico. Primo enim si petit in occulto tunc si sacerdos

Quid agere debet Sacerdos cum volunt communicare in peccato mortali.

Matth.7.

Quando communio, & quibus potest negari.

sibi daret culpabilis esset, quia contra eum legitimam exceptionem habet quam sibi occulte obiicere potest, atque ipsum monere debet ne in publico petat sicut habetur de consecr. dist. 2. Non prohibeat. Secundo si publicè petit debet tunc illi sacerdos dare quia contra eum non habet legitimam exceptionem quam ei in publico obiicere possit extra de offic. iu. or. Si sacerdos. Hæc secundum Richard. in 4. Sed secundum Henricum de Gandauo. Hoc intellige verum quando qui petit est presbytero subditus, secus si sit extraneus quia contra talem legitime excipere potest quod ei dare non debet. De consecrat. dist. 2. cap. tribus vbi præcipitur quod extraneo non detur Eucharistia de cuius conscientia nihil constat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quomodo quilibet præparare se debet ad sumendum hoc Sacramentum. vbi septem præparationes ponuntur.

Timens accedens ad Sacramentum.

TErtium vero quod ponderari debet circa sumptionem huius Sacramenti est locus conuenientissimus ad præparandum, quia dicit *timentibus se*. Timentes enim Deum tanto Sacramento à Deo misericorditer fiunt digni. Ad hoc autem quod homo disponat se digne ex parte sua ad sumptionem huius Sacramenti necesse habet præparare cor suum quasi alterum sepulchrum Christi per vigilem circumspectionem. Et circa hoc ordinate distinguere possumus septem debitas præparationes, vt verificetur quod de hoc Zach. 3. cap. ait: *Oculi septem super lapidem vnum.* Nam, & cor lapideum esse necesse est, non ex obstinata peruersitate, sed ex sancti propositi firmitate. Et super hunc lapidem septem oculi esse debent quia septemplici luminosa, atque discreta præparatione muniendus est. Nam sicut Propheta ait, *Præparationem cordis eorum audiuit*, id est, audiet auris tua. O clementissime Deus. Prima autem præparatio est examinatio conscientiæ, secunda extirpatio omnis immunditiæ, tertia excussio omnis negligentiæ, quarta exclusio omnis irreuerentiæ, quinta præmeditatio discreta, sexta oratio deuota, septima deuotio feruida.

Septem præparationes. Zach. 3.

Psalm. 10.

In sumptione huius Sacramenti qua discußione conscientia examinanda est.

CAP. I.

Prima præparatio conscientiæ examen. Ioann. 12.

PRima præparatio est examinatio conscientiæ: debet enim homo examinare conscientiam suam, & nullum ibi angulum relinquere indiscussum: quia verè sicut Ioan. 12. c. Dominus ait, *Nunc iudicium est mundi*, scilicet microcosmi. Et merito quidem quia sicut Propheta ait: *Honor regis*, scilicet Christi *iudicium diligit*: videlicet in sumptione corporis eius. Discutienda est enim conscientia quasi homo ex hoc mundo sit transiturus ad patrem. In cuius mysterium. Exod. 12. dictum est populo Iudæorum ad agni comestionem: *Renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus*, quæ quidem sunt tria necessaria peregrino; hoc nempe in variabili lege sancitũ est, vel quod homo se examinando iudicet semetipsum, vel quod à Domino iudicetur. Si te iudicas non iudicaris à Deo, si te non iudicas, à Domino iudicaris, vno vero & sancto iudicio contentus est Deus. Nam sicut dicitur Naum. 1. *Non iudicabit Dominus bis in idipsum.* Propterea nosipsos iudicemus. Oseas 2. c. hortatur, dicens, *Iudicate matrem vestrã*, scilicet ne iudicetur à Deo. Recole quæ superius dixi in 2. art. & 5. c. scilicet quod qui ex negligẽtia perquirendi & examinandi consciẽtiam suam obliuiscitur alicuius mortalis culpæ sumendo hoc Sacramentum mortaliter peccat, quia non seruat præceptum. Apost. 1. Cor. 11. c. ait: *Probet autem seipsum homo, & sic*, supple non aliter, *de pane illo edat & de calice bibat*. Et quasi tubicinando Dei iudicium talibus annunciat, dicens, *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.*

Psalm 96.

Exod. 12.

Naum. 1. Osee 2.

1. Cor 11.

Quanta puritate mentali & corporali hoc Sacramentum sumendum sit.

CAP. II.

Secunda præparatio omnis immunditia. 1. Cor. 5. Hebr. 10.

SEcunda præparatio est extirpatio omnis immunditiæ, scilicet tam mentalis quam corporalis, vnde 1. Cor. 5. Apostolus ait: *Expurgate vetus fermentum vt sitis noua conspersio sicut estis azimi.* Et ad Heb. 10. iterum ait, *Accedamus*, scilicet ad hoc Sacramentum *cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda à conscientia mala & abluti corpus aqua munda* Leuitic. quoque 7. in mysterio scriptum est, *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis vel iumenti, siue omnis rei quæ polluere potest, & comederit de huiusmodi carnibus interibit de populis suis.* Quæ autem munditia circa matrimonij actum requiratur sumentibus hoc Sacramentum in Quadragesimali de Christiana Religione, cap. vlt. latius dictum est.

Leuit. 7.

Quod sumptione huius Sacramenti omnis negligentia abiici debet.

CAP. III.

Tertia præparatio excussio negligentiæ.

TErtia præparatio est excussio omnis negligentiæ. Omnis nempè negligentia abiicienda est a mente quæ tantum Dominum susceptura est. O si expectares in domo tua cuiusdam magni Domini temporalis aduentum, quanta solertia, quanta munditia, quantaque diligentia, totam disponeres domum, quantomagis præparandum est hospitium conscientiæ Regi cœlorum & Domino Angelorum. Hinc ad te loquitur, Isaiæ quinquagesimo secundo, c. dicens, *Excutere de puluere*, scilicet negligentis vitæ. *Consurge*, scilicet per vigilantiã mentis & corporis, *sede Hierusalem*, scilicet per tranquillitatem cordis. Impossibile est enim peruenire ad perfectionẽ cuiusdam gratiæ & virtutis aut cuiuscunque deuotionis, & gustus dulcedinis Dei, nisi multa existimatio altitudinis eius præcedat. Res enim neglecta & parui pensa non multum curatur haberi. Quid est enim negligentia nisi quædam neglectæ rei paruipensio & contemptus. Contẽptoribus autem nunquam largiri dignatur Deus spiritualia, & sublimia dona cum negligens ab eis quodammodo se elonget. Quapropter consulo omnibus qui crastina die communicare intendunt, quod futura nocte vestiti dormiant, atque euntes hoc sero bona hora dormitũ: futuro mane occasionem habeant vigilandi, & surgendi ante diem, necnon & Domino mentem præparandi deuotam.

Isa. 52.

Negligentia excutienda.

Negligens Dei dono indignus.

Quanta reuerentia sumi debet sanctißimum corpus Christi, & de noua indulgentia data sociantibus ipsum dum portatur infirmis.

CAP. IV.

Quarta præparatio est exclusio omnis irreuerentiæ. Eccles. 32.

QVarta præparatio est exclusio omnis irreuerentiæ. Quanta autem reuerentia etiam corporali debeat mens deuota occurrere saluatori ipsa ratio manifestat insuper Eccles. 32. scriptum est, *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia*, id est Eucharistia quæ bona gratia interpretatur, quasi dicat. Si per reuerentiam te digne præparaueris obuians Christo, ipse quoque gratiam multiplicando occurrens tibi honorabit te. Vt autem cum debita reuerentia suscipiaris tam altissimum Sacramentum talis cras de manè obseruetur ordo si fieri potest. Viri plures, & quicunque patresfamilias cum omnibus maribus domus suæ, qui iam digne confessi

Qua reuerentia adhibenda.

fuerint

fuerint præparati ad ſuam parrochiam ſummo mane accedant, atque integre, & deuote prius audita miſſa, honeſtis veſtimentis induti, omnino diſcalciati, & capite diſcooperto genuflexi, coram Rege Regum, & Domino Dominorum ſe deuote præparent ſuſcipere hoc ſanctiſſimum Sacramentum, deinum velato capite, habituque honeſto audita iam Miſſa accedant mulieres, cum filiabus, cæteriſque puellis, & famulabus ſuis; quæ digne fuerunt præparatæ. Hanc reuerentiam ſuadet Apoſt. 13. c. Ad Hebr. dicens. *Itaque regnum immobile ſuſcipientes habemus gratiam per quam ſeruiamus placentes Deo cummetu, & reuerentia.* Nec quoque ſine vtilitate fiet ſi pueri, & puellæ qui ad ætatem non peruenerunt à quinquennio ſupra ad hæc perſpicienda, & contemplanda ducantur, vt in puerili ætate diſcant quod tempore ſuo libeat imitari. Sed quia Dominus ait, 1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ideo vt ad honorandum hoc ſanctiſſimum Sacramentum omnes animentur fideles nuper per ſanctiſſimum Papam Martinum. 5. anno. 12. Pontificatus ſui, & ab Incarnatione Domini, anno 1430. ſancitum eſt, & per bullam quæ incipit. Ineffabile Sacramenti ſicut hic ad litteram ſubinfertur, Singulis verè pœnitentibus, & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto ieiunium, vel loco illius aliud pium iuxta ſuorum conſilia confeſſorum opus fecerit centum. Et qui præmiſſis in Eccleſiis quibus illa celebrari contigerit officiis, interfuerint. Necnon Epiſcopis, & aliis Prælatis Superioribus qui dictis officiis libenter intereſſent, ſed quominus eis in ipſis Eccleſiis intereſſe poſſint, pro conſeruandis ſuarum dignitatum iuribus, & aliis legitime tūc impeditis pro matutinali ducentos, & pro miſſa totidem. Atque pro qualibet veſperarum ducentos. Reliquarum videlicet 1. 3. 6. 9. & Completorij Feſti. 80. Rurſus autem in quibuſlibet octauarum dierum per ſingulis Matutinalium, Miſſarum & Veſperarum, ſimiliter centum necnon & reliquarum horarum officioū huiuſmodi 40. Illis prætereà qui proceſſiones in quibus ipſum viuificū Sacramētū in dicto feſto iuxta præfatarum ritus Eccleſiarum defertur continuo ſequuti fuerint, ac quibuſlibet in feſto, & octauarum diebus huiuſmodi pro pace & tranquillitate Eccleſiæ Miſſas deuote celebrantibus pro ſingulis ipſarum necnon aliis in eodem Feſto Euchariſtiæ Sacramentum deuote ſumentibus etiam, centum ſingulis annis profecto vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandis defertur infirmis, illud cum incenſo luminari procedendo, vel ſequendo venerantur ſimiliter, centum. Et qui tunc illud alias deuote ſecuti fuerint etiam, 50. dies de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

1. Reg. 2.

Indulgentia profeſto corporis Chriſti.

Quanta diſcretione debet quilibet communicare.

Cap. V.

Quinta præparatio eſt præmeditatio diſcreta

QVinta præparatio eſt præmeditatio diſcreta & circumſpecta. Oportet enim ſumentem hunc cibum ab aliis diſcernere per fidem. Nam qui inconſiderate ad hoc Sacramentum accedit teſte Apoſt. 1. Cor. 11. *Iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*, Ille nempe non diiudicat corpus Chriſti, qui ad hunc diuinum panem tanquam ad alium corporalem cibum inconſiderate accedit. Nam cum capacitas mea ad IESVM ſuſcipiendum efficaciter, ſit à Spiritu non à carne, ſit in mente non in ventre, & mens non poteſt Chriſtum attingere niſi per cognitionem, atque dilectionem, id eſt per fidem & charitatem, ita quod fides illuminat ad recognitionem, & charitas inflammat ad deuotionem, ideo ad hoc quod aliquis digne accedat oportet quod ſpiritualiter comedat, vt ſic per recognitionem fidei maſticet, & per deuotionem amoris ſuſcipiat & deglutiat per quam non in ſe Chriſtum transformet, ſed ipſe potius traijciatur in myſticum corpus eius. Ad hoc Ambroſius ait, Cibus iſte non vadit in ventrem, ſed in mentem. Propterea ſicut qui indiſcrete corporalem cibum in ſinum ſuum proijceret, non in ventrem, potius ſe inficeret quod ei proficeret, ſic qui non ſpiritualiter tantum Sacramentaliter ſuſcipit hunc cibum, non ſe reficit ſed ſe inficit. Ex quo manifeſte apparet quod qui inconſiderate ad hoc Sacramentum accedit, iudiciū ſibi mãducat & bibit, quia non diiudicat corpus Chriſti. Hæc ſentit Bonau. in breuiloquio ſuo.

1. Cor 11.

Non attingitur Chriſtus niſi per cognitionē, & dilectionem.

De oratione cum qua ad Sacramentum hoc quilibet præparare ſe debet.

Cap. VI.

Sexta præparatio eſt oratio deuota.

SExta præparatio eſt oratio deuota, Cum enim oratio ſit eleuatio mentis in Deum quando mens deuote orat, obuiam pergit Chriſto ad ſe venturo: vt verè cum Propheta dicere poſſit. *Et ego ad te clamabo, & mane oratio mea præueniet te.* Et verè dignum & iuſtum eſt, vt poſtquam creator omnium, & ſaluator tuoc ad te de cœlo tanta benignitate deſcendit: & tu ei per eleuationem quantum tua valitudo permiſerit obuiam pergas: quod quidem efficere potes, cum in deuota tua oratione & mentem ab exterioribus reuocas, & eam ne extra vagetur, in ſeipſam coarctas: Hinc Dominus Matth. 6. ait: *Tu autem cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum*, ſcilicet ad te venturum: quod exponens Hieronym. ait: Ingreſſus in cubiculum eſt cordis retentio: propter hæc enim duo mens facile eleuatur in Deum.

Quid oratio.

Matth. 6. Exponitur ab Hieronymo.

Quod feruida deuotione ſuſcipiendum ſit hoc diuinum Sacramentum.

Cap. VII.

Septima præparatio eſt deuotio feruida.

SEptima præparatio eſt deuotio feruida quæ ex oratione ortū habet. Eſt enim deuotio ſecundum quoſdam teneritudo cordis, qua quis de facili in lachrymas reſoluitur, vel ſecundum alios, deuotio eſt feruor bonæ voluntatis, quam cohibere non valens, certis indiciis manifeſtat. Deuotio nempè holocauſtorum Dei dicitur eſſe medulla, ſine qua omnia holocauſta arida ſunt & ſicca: nullum vtique opus eſt in quo tantum neceſſaria ſit menti, deuotio ſicut in Sacra communione. Nam ſicut ex 5. præcedenti, cap. patet. Neceſſe eſt hoc Sacramentum non ſolum Sacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter manducare. Talis autem manducatio minimè poteſt fieri niſi per fidem & charitatem, ſed ſicut ex fide diſcretio: ita ex charitate deuotio ortum habet per intermedium & adiutorium orationis feruentis. Ex hoc enim colligitur manifeſte quod ſicut qui indiſcrete: ita & qui indeuote ad hoc Sacramentum accedit, iudicium ſibi manducat & bibit: non diiudicans corpus Domini, id eſt non deuotius ſumens ſanctiſſimum Sacramentum quam alium cibum, hoc ſentit Bonauentura vbi ſupra. Deinque cum cras fueris conſtitutus ante Domini Sacerdotem, & coram hoc diuiniſſimo cibo mentalibus oculis eleuatis, corde deuoto: humilique tui recognitione: ardenti Dei dilectione atque feruenti affectione. Dic ſaporatiſſime verbum illud. *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantū dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Sēti affectuosè, quis dicit *Domine.* Senti hic diuinam maieſtatē, *non ſum dignus*, ſenti hic tuam indignitatem, tuam vilitatem, tuam nihilitatem, *vt intres*, ſcilicet, tu qui es bonitas infinita, *ſub tectum meum*: communicando te ipſum, *ſed tantum dic verbo:* per quod omnia facta ſunt, id eſt dic verbo, id eſt ſalutem dona ex gratia: *& ſanabitur anima mea* in præſenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Ad quam nos perducat Saluator mundi IESVS, Qui cum Patre, & Spiritu ſancto, viuit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quid eſt deuotio.

Maxime neceſſaria eſt deuotio in ſuſceptione huius Sacramēti.

Indeuotus indignus hoc Sacramento.

Quid dicendum cū ſuſcipitur Sacramentum.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone,

Qui est de duodecim fructibus ligni vitæ sanctissimi Sacramenti continens tres articulos, quorum vnusquisque quatuor habet capita.

Articuli primi, De quatuor primis fructibus Sacramenti,

Cap. 1. *Primo quod vita est anima Dominicum Sacramentum.*

Cap. 2. *Quod virtute Sacramenti oculi mentales illuminantur.*

Cap. 3. *De suauitate & dulcedine Sacramenti.*

Cap. 4. *Quanta fortitudine anima roboratur ex sumptione Sacramenti.*

Articuli secundi, De aliis quatuor fructibus sanctissimi Sacramenti,

Cap. 1. *Et primo quod illud peccata venialia, & quandoque mortalia purgat.*

Cap. 2. *Quod per hoc Sacramentum remouentur à peccatoribus condigna pœna.*

Cap. 3. *Quod per hoc Sacramentum à cunctis nostris aduersariis defendamur.*

Cap. 4. *Quod ex virtute huius Sacramenti facilior est reuelatio post ruinam.*

Articuli tertij, De vltimis quatuor fructibus Sacramenti.

Cap. 1. *Primo quod per hoc Sacramentum charitas cæteraque virtutes crescunt.*

Cap. 2. *Quod virtute huius Sacramenti bona in homine diuersimode conseruantur.*

Cap. 3. *De perseuerantia in bono acquisita virtute sanctissimi Sacramenti.*

Cap. 4. *Quod virtute huius sanctissimi Sacramenti homo glorificatur.*

De duodecim fructibus ligni vitæ, sanctissimi Sacramenti.

Sermo XII.

Psal. 1.

ET *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, Psalm. 1. Iam appropioquamus mysteriis sanctissimi Sacramenti appropinquemus ei quoque deuotione, & fide. Sumamus exemplum magni & illuminati Prophetæ, qui ab hoc Sacramento longo tempore distans, fidei adhæsione propinquus erat. Vnde illud in spiritu videns, ac nobis communicandum prænuncians ait: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod fructum suum dabit in tempore suo.* In quibus sanctissimis verbis describitur sanctissimum Sacramentum sub triplici mysterio contemplandum, primo sub mysterio ligni gratiosi ibi, *Erit tanquam lignum.* Secundo sub mysterio ligni amorosi ibi, *quod plantatum est secus decursus aquarum.* Tertio sub mysterio ligni fructuosi ibi, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hæc autem tria, quæ Psalm. prænunciat esse futura, Ioann. Euangelista in principio vltimi cap. suæ Apocal. nunc esse præsentia manifestat, cum dicit: *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos reddent fructum suum.* Quod verbum potest in præsenti materia esse aliud thema. Primo contemplandum est hoc sacratissimum Sacramentum sub mysterio ligni gratiosi. Propterea Psalm. inquit, *Et erit tanquam lignum.* Quod tamen Ioann. apertius manifestat, cum illud nominat *lignum vitæ.* Et quidem hoc Sacramentum lignum vitæ appellatur, quia in præsenti vita gratiam præstat, siue vitam gratiæ: in futuro gloriam vitæ, siue vitam gloriæ donat; sicut infra latius apparebit. Secundo contemplandum est sub mysterio ligni amorosi. Et de hoc Psalm. subdit, *quod plantatum est secus decursus aquarum.* Quid enim significant aquæ, nisi multitudinem electorum? quæ sunt vtique membra Christi, sicut Apoc. 17. c. scriptum est *Aquæ multæ, populi multi.* Harum quidem decursus aquarum est labilis vita præsens, quæ continuè labitur sicut aquæ fluminis. Secus autem istas aquas plantatum est lignum vitæ, id est sanctissimum Sacramentum: quia in præsenti vita electis donatur in cibum, vt verè, iubilatiuè ac regratiatiuè dicere valeamus illud Deuteron. 4. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Deus noster.* Sed quod Psalm. de mystico corpore ait, Ioan. de suo capite inquit, *Ex vtraque parte fluminis.* Quid per flumen, nisi Christus conuenientius designatur? cum per ipsum, id est per merita eius à datore cunctorum bonorum Deo tanquam ab originali aquarum fonte in electos in præsenti omnis gratia, & in futuro omnis gloria deriuetur & fluat, teste Propheta, qui de vtrisque ait, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Ex vtraque autem parte huius fluminis est vtique lignum vitæ: quia in hoc Sacramento, quod verus est Christus, deitas, & humanitas simul fideliter reperitur. Nam, sicut dicitur Ioann. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, scilicet in hoc sanctissimo Sacramento. Tertio quoque contemplandum est hoc Sacramentum sub mysterio ligni fructuosi. Hinc Psalm. loquitur, *Quod fructum suum dabit in tempore suo*, id est in tempore gratiæ reuelatæ, quod est à Christo vsque in finem mundi. Ioannes verò, quibus & quantum fructificare debeat, apertius manifestat, cum ait: *Afferens fructus duodecim per menses singulos reddent fructum suum.* Duodenarius autem abundantis perfectionis numerus est. Mensis vero, qui dicitur a mene, quod est defectus, defectum significat vitiorum: vt in hoc mysticè ostendatur, quod quanto mens in sumptione huius Sacramenti perfectissimi à peccatis & vitiis longinquior & purior reperitur, tanto hoc Sacramentum vberiores fructus sumentibus affert. Sed qui sint huiusmodi fructus duodecim, per ordinem distinguamus. Primus dicitur viuificatio, secundus illuminatio, tertius refectio, quartus fortificatio. Addantur alij quatuor: primus dicitur purgatio, secundus satisfactio, tertius defensio, quartus reuelatio. Vltimi quatuor superaddantur: primus dicitur augmentatio, secundus conseruatio, tertius perseueratio, quartus glorificatio.

Psalm. Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ligno gratioso fructifero figuratur. Psalm. 1. Apoc. vlt.

Prima contemplatio. Sacramenti Eucharistia lignum vitæ, & qua de causa.

Secunda est contemplatio.

Apoc. 17. Vita nostra comparatur propter labilitatem.

Deut. 4.

Fluminis Christus designatur & quare.

Psal. 45.

Ioan. 1.

Tertia contemplatio.

Duodenarius numerus abundantiæ perfectionis denotat.

Duodecim fructus Sacramenti.

ARTICVLVS TERTIVS.

De quatuor primis fructibus Sacramenti,

Et

Primo quod vita est anima dominicum Sacramentum.

CAP. I.

PRimus quidem fructus viuificatio dictus est, eo quod animæ vitam præstet. Et hoc triplici ratione. Primo ratione contenti, secundo ratione repræsentati, tertio ratione modi sumendi. Primo autem confert animæ vitam ratione contenti. Nam in hoc Sacramento continetur veraciter ipse Christus: vnde quemadmodum ipse carnem nostram assumens contulit mundo ipsam gratiæ vitam, sicut Ioann. 1. scriptum est, *Gratia & veritas per* IESVM *Christum facta est*: sic in homine Sacramentaliter viuens vitam gratiæ operatur, secundum quod ipse Dominus, Ioann. 6. c. attestatur, dicens: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*, atque Ioan. 14. de se ait, *Ego sum via, veritas & vita.* Propterea quandoque virtute huius sanctissimi Sacramenti fit homo de attrito contritus. In cuius mysterium Genes. 2. cap.

Sanctissimi Sacramenti fructus duodecim.

Primus fructus, est viuificatio, triplici de causa.

Ioann. 1.

Ioann. 6.

Ioann. 14.

Genes. 2.

Virtute huius Sacramenti sit quasi de aterno aeternitatem. Ioan 6. Prou 3. Sap 3.

cap. scriptũ est, quod lignũ vitæ comestũ vitã sumẽtibus conferebat: vt verificetur quod Ioan. 6. scriptũ est: *Panis enim verus est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* Et iterum Prou. 3. c. scriptum est: *Lignum vita est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Et meritò quidem vita per cibum restauratur, vt sicut per cibum mortiferum, Sap. 3. *Mors introiuit in orbem terrarum;* sic per cibum viuificum vita mundo restituatur: vt vnde mors oriebatur: inde vita resurgeret: Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Iesum Christum Dominum nostrum. Hinc diligenter attendant plerique quam perniciosè renuunt hoc vitale sumere Sacramentum, com Dominus dicat, Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo*: quia sicut corpus indiget refectione corporali, sic anima spirituali recreatione opus habet. Et addit: *Sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei*, quod quidem est hoc sanctissimum Sacramentum. Secundo quoque confert animæ vitam ratione repræsentari. Repræsentatur enim in eo Christi passio. Propterea, quod Christi passio fecit in mundo, hoc efficit sanctum Sacramentum in homine dignè & humiliter præparato. Vnde super illud Ioan. 9. *Continuo exiuit sanguis & aqua*, Chrysost. ait: Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria: Cum accesseris ad tremendum Calicem, vel ad ipsum bibendum Christicola, ita accedas, sicut & ipse Dominus Matth. 6. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Tertio etiam confert animæ vitam ratione modi sumendi. Sumitur enim per modum cibi & potus: propterea omnem effectum, quem cibus materialis & potus facit, quantum ad vitam corporalem, quia videlicet sustentat, auget, reparat & delectat: idem efficit hóc Sacramentum sanctissimum quantum ad vitam spiritualem. Propterea ait Ambrosius in libro de Sacramentis: Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Et iterum Ioa. Chrysost. inquit: Præstat se nobis desiderantibus, & palpare & comedere & amplecti, vt verificetur sententia Saluatoris, qui Ioan. 6. c. dicit, *Caro mea vere est cibus & sanguis meus verè est potus.*

Perniciose vitatur hoc Sacramentũ. Matt. 4. Sacramentũ vita animæ. Ioan. 9. Matth. 26. Sacramentũ alterius confert vitam animæ, & quomodo. Ioan. 6.

Quod virtute Sacramenti oculi mentales illuminantur.

Cap. II.

Secundus fructus illuminatio. Quomodo mens illuminatur. 1. Reg 14. Ioan. 1. Sacramentũ fel Tobiæ. Tob. 11. Piscis Tobiæ, quid significat. Luc 23. Psal. 68. Apoc. 3. Collyrio Sacramentum denotatur, & qua de causa.

SEcundus fructus, illuminatio dictus est. Per deuotam enim sumptionem huius sanctissimi sacramenti, atque per deuotam auditionem missæ, in qua Christus spiritualiter manducatur, mentales oculi illuminantur. In cuius mysterium 1. Reg. 14. scriptum est, *quod cum Ionathas mel gustasset, illuminati sunt eius oculi* in signum quod per deuotum gustum huius sacramenti mentales oculi illustrantur: vt verificetur quod Ioan. 1. c. scriptum est, *Gratia & veritas*, id est gratiosa veritas, *per Iesum Christum facta est*, scilicet in huiusmodi sumptione. Hoc quidem est fel piscis, quo Tobias illuminabatur, Tob. c. 11. Et merito quidem hoc sacramentum in felle mysticè demonstratur, cum in eo passionis amaritudo rememoretur. Piscis autem, in quo extitit hoc fel, est ipse filius Dei Christus, qui sin mari magno & spatioso amaritudinum & dolorum ab exordio suæ conceptionis immorans vsque ad littora paterni sinus per acerbissimam mortem lactatus est, cum Luc 23. c. ait, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et iterum Propheta in eius persona inquit: *Veni in altitudinem maris, & tempestas*, scilicet durissimæ passionis, *demersit me.* Hoc insuper est Collyrium, quo mentales oculi expurgantur: hinc Dominus menti in tenebris ambulanti, Apoc. 3. c. ait: *Collyrio inunge oculos tuos*, vt videas. Collyrium enim ad litteram vnctio est, ex quodam puluere & aqua confecta, vt per suam acrimoniam abstergat albuginem oculorum. Albugo vtique mentalium oculorum, vita est sensualis, quæ visum humanæ mentis ad spiritualia contuenda omnino non tollit, sed obnubilat & obtundit. Quid per hoc collyrium ex puluere & aqua confectum, nisi hoc Sacramentum conuenientius designatur, quod ex aqua diuinitatis, & puluere nostræ humanitatis per verbum assumens humanam naturam, ad illuminationem gentium per acrimoniam passionis olim confectum est: nunc vero in consecratione conficitur, atque commemoratione eiusdem in sacra communione & deuota missæ auditione mentis oculi inunguntur & expurgantur, vt virtus eius gratiæ lumen in Ecclesia quotidie operetur.

De suauitate & dulcedine Sacramenti.

Cap. III.

Tertius fructus est refectio, seu delectatio.

TErtius quoque fructus, refectio, seu delectatio nuncupatur. Delectatur enim & reficitur mens deuota in sumptione huius melliflui Sacramenti. Circa quod aduertendum est, quod Deus misericordiarum, & Deus totius cosolationis, non tantũ instituit Sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, sicuti est Baptismus: vel quod generatos in gratiis roboraret, sicuti Confirmatio operatur: verumetiam quod roboratos nutriret, & omni spirituali delectatione repleret, quod efficit hoc sanctissimum Sacramentum. Et hæc tria sunt Sacramenta, quæ omnibus qui ad fidem accedunt, necessario conferuntur: Propterea Sacramenta necessitatis merito nuncupantur. Igitur hoc est Sacramentum, quod vt mens spiritualiter delectetur, saginetur & impinguetur, à Domino misericorditer largitum est. Et licet in eo sit amaritudo propter memoriam passionis: tamen est ibi summa dulcedo propter experientiam consummati amoris, quem Christus nobis ostendit moriens in acerbissima cruce. Quid enim dulcius quam sentire a Deo sic inæstimabiliter se amari, vt filium suum vnigenitum daret pro nostra redemptione in acerbissimam mortem? Vnde sicut passio Christi visa mentes amantium debuit inflammare & transformare, & in eis charitatem continuè augere: sic & hoc sanctissimum Sacramentum, si cum deuotione sumatur. Ideo Damascenus comparat illud carboni, quem Isa. 6. c. vidit: nam sicut carbo simplex lignum non est, sed igni quidem vnitum: sic hoc mysticum Sacramentum, non simplex est panis, sed diuinitati vnitum: propterea prægustata dulcedine eius, stupens Propheta clamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti*, id est in hoc Sacramento abscondito tribuisti timentibus te. Hic siquidem panis est, qui de cœlo descendit, de quo Propheta ait: *Panem Angelorum manducauit homo.* Et iterum Sap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Ideo hoc est sanctissimum manna quod vt scribitur Exod 16. *Deus pluit patribus in deserto, omnem suauitatem in se habens.* Ergo vt dicitur Cant. 5. *Comedite & bibite, & inebriamini charissimi*, quod & fieri præcipit Dominus per Prophetam, cum ait: *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.*

Quæ Sacramenta necessitatis dicuntur. Maximus in nos Dei amor. Eucharistia Sacramentũ auget charitatem. Isa. 6. Carboni assimilatur Sacramentum. Psal. 30. Psal. 77. Sap. 16. Exod. 16. Sacramentũ panis Angelorum. Cant. 5. Psal 67.

Quanta fortitudine anima roboratur ex sumptione Sacramenti.

Cap. IV.

Quartus fructus, roboratio. Hoc Sacramentum mentem & carnem roborat. Psal. 103. Act 9.

QVartus fructus fortificatio, seu roboratio nominatur. Roborat enim mentem & quodammodo carnem hoc sanctissimum Sacramentum. Mentem, vt persistat in bono: carnem vero, ne ruat in malum. Primo enim roborat mentem, vt persistat atque crescat in bono. Nam per hoc quod mens, per gratiam coniungitur in sacra communione Christo, spiritualis eius vita roboratur & confirmatur, sicut corpus roboratur per cibum: vnde Propheta ait: *Panis confirmat*

Pſal. 103. Act. 9.

cor hominis. Hinc myſticè Act. 9. c. *Paulus cum accepiſſet cibum, confortatus eſt*: vt myſterialiter innuatur, quod qui dignè hoc ſuſcipit Sacramentum in concepto virtutum propoſito roboratur & augmentatur. Secundn quoque roborat quodammodo carnem, iuxta ſententiam Saluatoris, qui Matt. 12. c. ait: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.* Quis enim melior theſaurus in corde hominis eſſe poteſt, quam corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti humili deuotione ſuſceptum? De hoc theſauro bonus homo tunc ſiquidem exterius profert bnna, cum robur gratiæ per hoc Sacramentum diffuſum in mentem redundat in carnem, tantaque caro fortitudine roboratur, vt nec aduerſitate frangatur, nec proſperitate ad noxia prolabatur.

Matth. 12. Hoc Sacramentum theſaurum optimum.

3. Reg. 19.

In coius myſterium 3. Reg. 19. cap. ſcriptum eſt, quod cum Helias, ſub vmbra iuniperi obdormiſſet, *Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede, Reſpexit Helias, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aqua: comedit ergo, & bibit.* Et ſequitur, quod *ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus vſque ad montem dei Oreb.* Quid per iuniperum, cuius cinis per annum conſeruat ignem, niſi in hoc Sacramento memoria & meditatio Chriſti paſſi, cuius humilis ſenſus ſuper omnia in corde conſeruat ignem diuinæ dilectionis? Habet quoque iuniperus multitudinem pungentium foliorum, vt innuatur, quod ab hora conceptionis in vtero matris ſuæ, vſque ad vltimam horam mortis, filius Dei infinitas in anima ſuſtinuit punctiones & dolores & paſſiones. Sub hac quidem iunipero per fidem anima dormit: ſed per feruorem deuotionis euigilans ad ſuſceptionem tanti Sacramenti fiducialiter ab Angelo inuitata manducat ſubcineritium panem, id eſt hoc myſticum Sacramentum: ſub cinere accidentium occultatum. Bibit quoque aquam, cum intellectus tanto munere illuſtratur, quia in hoc Sacramento, ſicut ex præcedentibus patet, non tantum per comeſtionem affectus, ſed etiam per potationem reficitur intellectus. His igitur non ſolum anima, ſed etiam ipſa humana caro tanta ſtabilitate fulcitùr, quod illam proſpera non ſeducunt, nec aduerſa confringunt: ſed per vitam actiuam & contemplatiuam gradiens ſemper ſtabilitur, & vſque ad vltimum finem perſeuerat. Et ſic ambulat in fortitudine iſtius cibi, quadraginta diebus in proſperis, & quadrag. noctibus in aduerſis. Quadragenarius autem numerus ex qoatuor & decem dimenſus eſt, vt in quaternario virtutum mortalium actiua vita ſignificetur, & in denario præceptorum contemplatiua myſticè demonſtretur, quæ per virtutem huius Sacramenti peregrinantibus firmam perſeuerantiam præſtant.

Iunipero quid denotatur.

Aduerſa non confringunt nec proſpera ſeducunt eum qui rectè percipit hoc Sacramentum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De aliis qaatuor fructibus ſanctiſsimi Sacramenti.

Et

Primo quod illud peccata venialia, & quandoque mortalia purgat.

CAP. I.

Quintus fructus, purgatio.

PRimus fructus purgatio dici poteſt: quia per hoc Sacramentum peccata purgantur, ſicut patet in fine cóſecrationis ipſius ſanguinis, & de conſecr. diſt a. c. cum omne. & c. ſpecies, & c. ante benedictionem, vbi Amb. ait: Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum vbi gl. Io. inquit, ſcil. venialium, vel etiam mortalium. Ad horum tamen intelligentiam notandum, quod duplex dicitur eſſe peccatum, quod per hoc Sacramentum abluitur, vt dicit prædicta glo. Primum eſt veniale, ſecundum eſt mortale. Primo enim hoc Sacramentum vim haber venialia remittendi, ſi duo couſiderentur. Primo ſi conſideretur Sacramentum: ſecundo ſi conſidetetur res Satamenti. Ptimo ſi conſideretur Sacramentum, ſumitur autem hoc Sacramentum ſub ſpecie cibi uutrientis: nutrimentum autem cibi corpori neceſſarium eſt ad reſtaurandum id, quod quotidie deperditur ex vi naturalis caloris. Spiritualiter autem in nobis quotidie aliquid deperditur ex vi & calore concupiſcentiæ naturalis per peccata venialia, quæ diminuunt charitatem. Sed per hoc Sacramentum, quod eſt animæ ſpirituale nutrimentum, reſtauratur id, quod perdit anima per veniale peccatum, in hoc quod per huiuſmodi ſumptionem peccata venialia dimittuntur, & in ſuſcipiente charitas augetur. Vnde Amb. in libro de Sacramentis. Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. Ad hoc de conſ. diſt. 2. c. verum, & c. iteratur, & c. ſi quoties. Secundo autem, ſi conſideretur ipſa res Sacramenti, quæ eſt charitas, non ſolum quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actú, qui exercitatur in boc Sacramento. Inſuper venialia dimittuntur & anima clarificatur atque purgatur. Non tamen oportet, quod ſemper omnia venialia deleantur, ſed tantum ſecundum variam menſuram deuotionis. Contingere tamen poteſt, quod tanta deuotione mens per ſumptionem Sacramenti in Domino abſorbeatur, quod ab omnibus venialibus expurgetur, ac perfectè configuretur ſolari claritati dulciſſimi I. Chriſti. Hunc tamen perfectionis effectum plurimum impedit vaga diſtractio mentis, & acceſſus ad Sacramentum cum propoſito venialia committendi. Secundo hoc Sacramentum vim habet contra mortales culpas. Circa quod tamen diſtinguendum eſt, quod tripliciter homo in mortali ſuſcipit corpus Chriſti. 1. cum nouit habere culpam: 2. cum errans credit habere culpam: 3. cum ignorat habere culpam. Primo n. contingit in mortali hoc ſuſcipere Sacramentum cum qui in ſe nouit habere culpam, quia videt ſe non pœnitere de peccato commiſſo, quod eſt mortale, vel eſt in propoſito aliud committendi. Et tunc qui in tali ſtatu communicat, propter duo mortaliter peccat. 1. propter abuſionem, 2. propter inobedientiam: 1. quia abutitur Sacramento, & maxime propter tria. Primo ex eo, quod eſt ibi Sacramentum tantum. Hoc n. Sacramentum proponitur ibi in cibum: cibus autem non datur conuenienter niſi viuenti, ſicut nec etiam corporalis. Secundo ex eo, quod eſt ibi Sacramentum, & res Sacramenti, quod eſt ipſe Chriſtus Sanctus Sanctorum: ſanctum etenim eſſe debet receptaculum tanti Sancti. Tertio ex eo, quod eſt ibi res tantum, quod eſt myſticum corpus Chriſti, ex eo nempè quod aliquis ad Sacramentum accedit, vel vnitatem corporis myſtici ſe tendere monſtrat. Et ideo ſi peccatum in conſcientia ſeruat, per quod à myſtico corpore ſeparetur, fictionis culpam manifeſte incurrit. Et ſic his omnibus tribus modis abutitur ſanctiſſimo Sacramento. Secundo autem peccat per inobedientiam, quia tranſgreſſor eſt Apoſtolici & Eccleſiaſtici præcepti, Apoſtolus enim 1. Corint. 11. ait: *Quicunque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Ad hoc quoque de conſecr. diſt. 2. c. qui ſcelerate, & c. & ſancta. & c. ſicut Iudas. Quanti autem ſacrilegij & periculi ſit in mortali communicare, oſtendit Propheta in Pſal. *Saluum me fac* &c. vbi infra dicitur. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* &c. Secundo contingit hoc Sacramentum ſuſcipere in mortali, cum homo errans credit habere culpam, quam tamen non habet: quia videlicet credit ſe eſſe in peccato mortali, cum non ſit, & tamen contra conſcientiam accedit ad Sacramentum, & tunc communicans peccat mortaliter: verbi gratia. In mane reſurrectionis Dominicæ homo ſufficienter confeſſus communionem expectans genuflectit cum pleriſque de populo coram Domini ſacerdote.

Peccatum veniale minuit ardorē charitatis.

Nemo in mortali tripliciter ſuſcipit corpus Chriſti. Primo. Qui in mortali communicat propter duo peccat.

1. Cor. 11.

Pſal. 68.

Secundo.

Qui cum conſcientia erronea communicat peccat mortaliter.

dæ. Interim antequam hostia ei consecrata porrigatur, recolit alicuius mortalis criminis non confessi.

Qui in eo instanti quo sumpturus est eam vatitiam, memor est alicuius peccati mortalis quid agere tenetur.

Tunc autem si suscipit Sacramentum à conscientia stimulatur, quia illud sumit non plenè confessus, tamen surgere & communionem relinquere erubescit. Denique in hac perplexitate confusus contra conscientiam Eucharistiam sumit, & per consequens peccat mortaliter, quia contemptor est reuerentiæ debitæ Sacramento. Quid igitur tunc agendum? Respondit Scotus, quod in hoc & consimili casu debet talis conteri & cordialiter pœnitere cum proposito quam citius fieri poterit confitendi, & sic sumat Dominicum Sacramentum, & hac prudenti discretione homo euadit hanc perplexitatem.

Tertio Duplex causa ignorantiæ.

Tertio quoque euenit hoc Sacramentum suscipere cum mortali, quando homo ignorat habere culpam, quam tamen habet. Huius nihilominus ignorantiæ duplex causa esse potest. Prima est negligentia, secunda est insufficientia. Prima causa huius ignorantiæ negligentia potest esse, quia homo negligit audire doctrinæ verbum: vnde possit illuminari de malis commissis & bonis omissis: vel negligit quærere recta consilia & confessorem peritum atque discretum, qui eum erudiat & examinet de peccatis: vel quia negligit examinare conscientiam suam, sed impræparatè, & intricatè, ac quadam inani leuitate, & perniciosa tarditate eligit in fine Quadragesimæ confiteri: propter quæ omnia, vel peccata propria non cognoscit, vel eorum ex negligentia sua non recolit, & per consequens non plene confitetur ex culpa. Et quia secundum Scotum, hæc est ignorantia crassa & affectata: talis suscipiens corpus Christi mortaliter

1.Cor.11.

peccat, quia facit contra illud Apoc. 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Secundo etiam ignorat homo habere culpam ex sufficientia: nam licet sufficienter examinauerit conscientiam suam, & quæsierit discreta consilia, & confessorem peritum, atque plenè quantum valuit, doluit de commissis: tamen quandoque in eo remanet mortalis culpa, cuius omnino recordatur, vel forte non plene contritus est: Et talis sufficientia excusabilis est, quia homo de communi lege certus esse non potest, vtrum pœniteat di-

Eccles. 9. Psal. 18.

gne, iuxta illud: quod Eccles. c. 9. scriptum est, *Nemo scit vtrum sit dignus odio vel amore.* Propheta etiam ait: *Delicta, quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis*, id est à culpis, *parce seruo tuo.*

Qui accedit cum peccato in ignorantia inuincibili ad Eucharistiam non peccat mortaliter.

Accedens igitur ad sacram communionem cum mortali ex huiusmodi insufficientia non peccat, immo consequitur duo vel tria bona. Primum est meritum, quia sic communicando meretur: secundum est recordatio peccatorum, quia virtute huius Sacramenti dignè hoc modo suscepti recolit quandoque peccatorum suorum: tertium est dimissio oblitorum, videlicet quia si homo recolit prius oblitorum, Deus tamen indulget. Propterea, secundum Thom. hoc Sacramentum ablutio scelerum nominatur: vel quia futura impedit, vel quia virtute illius Sacramenti Deus illa, quæ non sunt in hominis conscientia, vel sunt oblita, dimittit. Alio quodammodo operatur hoc Sacramentum remissionem mortalis culpæ, sc. perceptum non actu, sed voto: vt puta cum quia ex conscientia culpæ ad hoc se abstinet Sacramento timore & reuerentia ductus, & tamen amore Sacramenti sumere concupiscit: propter quod de congruo aliqualiter meretur contritionem. Ad hæc notat August. in sermone de consecr. Ecclesiarum. Prædictus Concor. Rich. & Scotus in 4.9. dist. & in c. plerisque etiam Thomas.

Quod per hoc Sacramentum remouentur à peccatoribus condigna pœnæ.

Cap. II.

Sextus fructus, satisfactio.

Secundus autem fructus satisfactio nominatur, quia per hoc Sacramentum pœnæ condignæ pro peccatis misericorditer remouentur. Circa quod tamen aduertendum est, quod hoc Sacramentum, simul est sacrificium & Sacramentum. Rationem quidem sacrificij habet inquantum sumitur. Inquantum n. in hoc Sacramento repræsentatur passio Christi, qua Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis, vt dicitur ad Ephes. 5. ha- *Ephes. 5.*

bet rationem sacrificij. In quantum vero in hoc Sacramento traditur inuisibiliter sub visibili specie occultatum, habet rationem Sacramenti. Primo enim hoc Sacramentum, inquantum est sacrificium per oblationem habet propriè vim satisfactiuam, immo inter omnia sacrificia istud est summum pro remissione tam culpæ, quam pœnæ. De excellentia huius sacrificij, de consecr. distinct. 2. cap. nihil scriptum est: Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est: sed hæc omnes præcessit. Et merito quidem: quia omnia sacrificia antiquorum vmbra fuerunt, præfiguratiuaque istius. Atque hoc sacrificium est veritas, & omnia alia terminantur & concluduntur in eo. Aduertendum est tamen, quod in hac satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, quæ est infinita. In cuius mysterium Luc. 21. de vidua, quæ *Luc. 21.*

obtulit duo minuta, Dominus ait, *Quod plus omnibus misit suo ponderato affectu.* Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna: est tamen satisfactoria illis, pro quibus offertur: vel etiam pro offerentibus secundum quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota debita pœna. Secundò autem in quantum est Sacramentum, habet ex vi

Quid habet Eucharistia inquantum Sacramentum.

Sacramenti directè effectum illum, ad quem est institutum. Non est vtique institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum, augendum, in Christo viuendum, & in ipsum totaliter transformandum & vniendum, sicut & nutrimentum nutrito vnitur. Sed quia hæc vnitas habet fieri per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ. Inde est, quod ex consequenti per concomitantiam quandam ad principalem effectum homo consequitur pœnæ remissionem: non quidem totius, sed secundum modum suæ deuotionis & feruoris.

Hæc Eucharistia & inquantum Sacramentum & inquantum sacrificium diuersimode est satisfactoria.

Aduertendum est quoque, quod hoc Sacramentum in quantum est sacrificium per oblationem, & in quantum est Sacramentum per sumptionem, diuersimode est satisfactiuum. Nam in quantum est Sacramentum, satisfacit & prodest ipsis sumentibus. Vnde in canone Missæ scriptum est: Quotquot ex hac altaris perceptione, vel participatione sacrosanctum corpus & sanguinem filij tui sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur. Inquantum vero est sacrificium, id est per modum sacrificij, prodest & satisfacit his, pro quibus offertur, tam viuentibus quàm defunctis. Vnde & in canone Missæ scriptum est. Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, &c. Et vtrumque Iesus.

Matth. 25.

Matth. 25. exprimit dicens, *Qui pro vobis*, scilicet sumentibus: *& pro multis aliis effunditur in remissionem peccatorum.* Quia vero sacerdos est persona publica, & quasi os vniuersalis Ecclesiæ: propterea non solum inquantum est sacrificium, pro multis, sed etiam inquantum est Sacramentum à sacerdote sumptum, dicitur totum corpus Ecclesiæ vegetare. Et sic pro eadem est satisfactiuum.

Quod per hoc Sacramentum à cunctis nostris aduersariis defensamur.

Cap. III.

Septimus fructus defensio.

Tertius vtique fructus defensio nuncupatur: quia hoc Sacramentum illud digne sumentes ab omnibus inimicis, & aduersariis protegit & defendit. Tres

quidem

Tres aduerſary noſtri.

quidem ſunt aduerſarij noſtri, qui quotidie contra nos pugnare non ceſſant, ſcilicet diabolus, caro, & mundus, & ab omnibus his deuote communicantes defenſat. Primo quidem defenſat à dæmone: Nam in quantum eſt ſignum paſſionis Chriſti, per quam dæmones ſunt deuicti, repellit omnem dæmonis poteſtatem, atque illius impugnationem effugat: & ſicut armatura Dei præmunit ab offenſa futura per diabolum inſpirata. Quapropter fortiſſimè dæmones timent mentem deuota ſumptione huius Sacramenti munitam, Vnde in perſona talis animæ Propheta ait: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Hic quidem eſt panis, qui Iud. 6. cap. *a Gedeone viſus eſt, qui deſtruxit Madian*, id eſt dæmones infernales, terræque proſtrauit. Cur enim dæmones expaueſcat, qui ſe ſentit ſocium & defenſorem habere Deum? Hinc quoque Iob. 27. c. confidenter poſtulat, dicens; *Pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contra me.* Atque Propheta intrepidus ait: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo: Dominus protector vita mea, à quo trepidabo?* Sequitur, *ſi conſiſtant aduerſum me caſtra*, ſcilicet dæmonum, *non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium*, ſcilicet eorum: *in hoc ego ſperabo*, ſcilicet victoriam triumphalem. Secundo vero defenſat à carne, Mitigat enim atque refrigerat fomitem atque concupiſcentiæ æſtum, ſicut aqua refrigerare ſolet calorem. Hinc Pſalm. in perſona eius, qui deuotè ſumpſerit hunc cibum inquit: *Super aquas refectionis educauit me*: animam meam conuertit, ſcilicet ad ſpiritualia bona, quæ prius per carnem trahebatur ad iſta terrena. In huius quoque myſterium Exod. 16. ſcriptum eſt, *quod deſcendente manna de cœlo deſcendebat pariter & ros*, in ſignum, quod eum manna Sacramenti in animam deſcendente, pariter deſcendat in carnem, & ros gratiæ refrigerantis. Tertio quoque defenſat à mundo. Nam hoc Sacramentum roborat habitum gratiæ, ex quo tanquam ex medicina mors interior & exterior ſuperatur & propulſatur: propterea Pſal. ait: *Nam & ſi ambulauero in medio umbra mortis*, id eſt tenebroſi mundi, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Hoc Sacramentum à dæmone nos defendit.

Pſal. 22.

Pſal. 26.

Euchariſtia à carne protegit.

Pſal. 22.

Exod. 16.

Euchariſtia tuetur à mundo.

Pſal. 22.

Quod ex virtute huius Sacramenti facilior eſt releuatio poſt ruinam.

Cap. IV.

Octauus fructus eſt releuatio.

QVartus autem fructus releuatio dici poteſt. Releuatur autem velocius humana fragilitas poſt ruinam virtute ſanctæ communionis. Habet enim, vt ex præcedentibus patet, mentem roborare in propoſito bono: Sicut ſi homo robuſtus & leuis cadat, reſurgere poteſt facilius quam debilis & infirmus? ſic ſpiritualiter poſt ſactam communionem ſi ex fragilitate, non ex malignitate decidat mens humana, ſanctæ communionis virtute diuina reſurget velocius. Plerique enim quadam inani puſillanimitate decepti, licet intendant poſt communionem abſtinere à culpis: tamen quodam timore nocturno deluſi abſtinent ab hoc vitali cibo, dicentes in ſe vel in aliis, per experientiam didiciſſe poſt ſumptionem tanti Sacramenti ruiſſe in culpam, aſſerentes periculoſiorem eſſe recidiuationem poſt Sacramentum aſſumptum, quam fuerit prior caſus. Et vt firmior ſtare videatur ſententia, aſſumunt verbum Domini Ioannis quinto dicētis paralytico: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*, non intelligentes, quod non ait vlterius iam non pecces, ſed iam noli peccare docens neceſſarium omnino eſſe in confeſſione & ſacra communione propoſitum non peccandi. Demumque ſi vltra hoc propoſitum ex fragilitate ſuperueniat caſus, ad reſurrectionis remedium recurrendum. Quod quidem per virtutem ſanctæ communionis velocius fiet his, qui confidunt in virtute ſua. Vnde Auguſtinus ſuper Ioann. ait: Securus accede, panis eſt, non venenum, huiuſmodi enim homines dicere aſſolent: Quid mihi prodeſt confiteri aut communicare, cum demum videam quod non potero me continere? non intelligentes, quod Prouerbiorum vigeſimo quarto capite ſcriptum eſt, *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Tales enim pro eodem habent ſæpe cadere, & nunquam reſurgere, cum in tanta differentia diſtent, vt primum ſit infirmitatis, ſecundum vero non qualiſcunque malignitatis: ſed illius, quæ blaſphemia in Spiritum ſanctum appellanda eſt. Primum quidem eſt peccatum humanæ fragilitatis: ſecundum vero diabolicæ peruerſitatis. Primi volunt eſſe homines conditione fragilitatis, ſecundi vero dæmones inemendabiles: quia humanum eſt peccare, diabolicum vero perſeuerare. Si enim duæ ornatæ mulieres per viam pergentes ſimul in lutum caderent, & veſtimenta ſua turpiter inquinarent: & vna de luto ſurgente, & domum pro veſte abluenda redeunte in luto altera remaneret, atque timore recidiuandi nunquam reſurgere vellet; nonne putaretur vltima inſania laborare? Sic euenit huiuſmodi inaniter timoratis: propterea de illis Pſalm. ait: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Debet enim homo de recidiua timere, & iuxta poſſe illam cauere: non tamen ſemper ex hoc in ruina permanere, ſed in diuina miſericordia confidere & ſperare, ſicut in perſona veri fidelis in præcedenti ſermone Propheta ait: *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te ſperabo.* Altitudo diei eſt dies Dominicæ reſurrectionis, quando homines communionem ſuſcipere debent. Ecce iam debitus reuerentiæ timor, ſed demum concludendo quieſcit, *Ego vero in te ſperabo.* iuxta quod alibi idem ait: *Spera in Domino & fac bonitatem*, id eſt ſperando in Dei miſericordia cum propoſito non peccandi, ſuſcipe bonitatem ſanctiſſimi Sacramenti.

Aliqui timide abſtinent ab hoc vitali cibo.

Ioan. 5.

Prou. 24.

Cadere infirmitatis, non reſurgere maxima impietatis.

Pſal. 13.

Pſal. 55.

Pſal. 36.

Articvlvs Tertivs,

De vltimis quatuor fructibus ſanctiſſimi Sacramenti.

Et

Primo quod per hoc Sacramentum charitas cæteraque virtutes creſcunt.

Cap. I.

Nonus fructus eſt augmentatio.

PRimus igitur fructus augmentatio, ſcilicet virtutum & meritorum nominandus eſt. Cum enim hoc Sacramentum requirat gratiam primam, ſcilicet charitatem: ipſam proprie nequaquam donat, ſed multiplicat & dilatat. Ideo Euchariſtia dicta eſt: ſecundum Dyoniſ. 3. de Angelica Hierarchia, gratiam perficit iam collatam. Et quia charitas eſt aliarum virtutum forma: ideo per augmentum charitatis virtutes cæteræ in anima augentur, vel quantum ad eſſentiam, vel quantum ad perfectiorem modum eſſendi in ſuo ſubiecto: vel quantum ad actus perfectionem, ſeu quantum ad omnia iſta ſimul. Vnde Innoc. de officio miſſæ 3. part, vlt. c. ait: Per huius Sacramenti virtutem vniuerſæ virtutes augentur, & omnium virtutum fructus exuberat. Augentur in deuote communicante tria. Primum eſt deuotio ad Deum, ſecundum dilectio ad proximum, tertium vero delectatio intra ſeipſum. Ideo hoc Sacramentum tripliciter appellatur, videlicet oblatio, communio vel ſynaxis, & viaticum. Primum reſpectu præteriti, ſecundum reſpectu præſentis, tertium reſpectu futuri. Primo enim augetur deuotio ad Deum. ideo oblatio ſeu ſacrificium nominatur. Cum enim mens in hoc ſacrificio tantæ dilectionis recolit, quod pro peccatoribus Chriſtus in cruce ſe obtulit, id eſt in mortem tradidit ſemetipſum: quis tam frigidus eſt, quod ad eius dilectionem non incendatur? vnde in perſona inflāmati affectus propter ſacram oblationem

Cur hoc Sacramentū Euchariſtia dicitur.

Charitas aliarum virtutum forma.

Per virtutē huius Sacramenti vniuerſæ virtutes augentur.

Primo.

Hoc Sacramentum tripliciter appellatur.

Propheta

Psal. 22.

Propbeta ait : *impinguasti in oleo*, scilicet feruentis deuotionis, *caput meum*, id est mentem meam lætitia spirituali. *Ex calix meus*, id est per amplexum transformationis, *inebrians quam præclarus est*, quia nulla spurciria mundani amoris miscetur in ea. Et Io. 6. c. Dominus ait : *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ioan 6.

Secundo. Augetur dilectio ad proximum.

Secundo autem augetur dilectio ad proximum, propterea communio, vel synaxis Græce noncupatur : quia in vnum conueniunt membra capiti suo, iuxta illud prophericam : *Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum*, id est per sacram communionem, secundum enim Damas. communio dicta est, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus eius carnem & deitatem, & quia communicamus ad inuicem per ipsam. Vnde dicitur communio, quasi communis vnio. Charitas enim vnitiua est, quæ maximè in hoc Sacramento monstratur, in cuius mysterium exhibetur in cibum.

Psal. 132.

Tertio. Augetur delectatio.

Tertio quoque augetur delectatio intra seipsum, ideo viaticum appellatur, quia præbet nobis viam perueniendi ad cœlum. Insuper viaticum dictum est, quia præfiguratiuum est diuinæ fruitionis, quæ erit in patria : & fortificatiuum debilitatis nostræ, dum sumus in via, vt illuc peruenire possimus. Ideo itinerantibus & morientibus exhibetur, quia nobis in præsenti vita peregrinantibus in cibum cœlestis participationis datur. Hinc Propheta in persona animæ sic refectæ iubilando ait : *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascua ibi me collocauit.* Hoc eodem respectu Eucharistia, id est bona gratia nuncupatur : quia secundum Apost. 6. c. ad Rom. *Gratia Dei est vita æterna*, vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia & veritate quam in præsenti participamus. Et quia omnia hæc abscousa continentur in eo, quæ sunt sacratissima & secretissima, ideo antonomasticè etiam dicitur Sacramentum, quia omnia prædicta mysticè & spiritualiter præfigurat.

Cur hoc Sacramentū viaticum.

Psal. 22.

Rom. 6.

Quod virtute huius Sacramenti bona in homine diuersimode conseruantur.

Cap. II.

Duodecimus fructus conseruatio.

Secondus fructus conseruatio nominatur, quia conseruat in homine spiritualia dona. Sicut enim alimentum corporale habet vitam corporis seruare : sic hoc Sacramentum, cum sit animæ cibus habet ipsam in gratia solidare, quæ ipsius animæ vita est, propterea datur sub similitudine cibi & potus. Vnde Ioan. 6. c. Dominus ait : *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* In mysterium huius conseruationis, Exod. 12. sanguine illius agni assandi postes & superliminare signabant, & ex hoc fructum duplicem obtinebant, scilicet consternationem hostium exterius, & defensionem ac conseruationem omnium interius. Sic qui digne sumit sacram communionem virtute sanguinis huius agni, & hostes consternuntur, dum superantur tentationes : & omnia conseruantur, dum augentur & roborantur virtutes. Superliminare vero signatur, dum imago mentis ipsi Deo assimilatur. Sed vterque postis, in quo voluitur ostium, tunc inringitur, cum custodia Angelica & diuina, inquam vita nostra defenditur. Vigoratur dum virtute huius sanctissimi Sacramenti, & Deus magis est nobis propitius & Angelus circa nos est magis sollicitus : & sic spoliatis Ægyptiis liberi à seruitute egredimur, crucis Christi sequentes triumphum, qui nobis diuidit mare rubrum, & in terram viuentium introducit.

Hostes virtute huius Sacramenti superantur.

De perseuerantia in bono acquisita virtute sanctissimi Sacramenti.

Cap. III.

Vndecimus fructus perseuerantia per sacramentum altaris perseuerantia in bono datur.

Tertius autem fructus perseuerantia dici potest : facit hoc Sacramentum perseuerare in via Dei vsque ad finem vitæ. Omnes quippe virtutes sine perseuerantia contra vitia pugnare possunt, sine perseuerantia autem vincere nequaquam possunt. Vnde Dominus Matt. 10. c. ait : *Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Cum enim hoc Sacramentum, sicut in præcedentibus patet, in itinere Dei roboret & confirmet, ex consequenti sequitur, quod per illud anima perseueret. In cuius mysterium prædictum est de Helia, qui in fortitudine cibi illius peruenit vsque ad montem Dei Oreb. Oreb enim similitudo interpretatur, & significat mortem, in qua spiritus seiunctus à carne solus relinquitur sine ea, vt innuatur quod virtute sanctæ Communionis spiritus in bono vsque ad talem solitudinem perseuerat.

Matth. 10. 3. Reg. 19.

Oreb, quid significat.

Quod virtute huius sanctissimi Sacramenti homo glorificatur.

Cap. IV.

Glorificatio est fructus Sacramenti Altaris duodecimus

Qvartus enim fructus glorificatio dictus est. Causat enim apertionem ianuæ & consecutionem gloriæ paradisi. Si enim consideretur in hoc Sacramento & id, ex quo habet effectum : scilicet ipse Christus contentus, & passio eius in libro repræsentata, & id, per quod habet effectum, scilicet vsus Sacramenti, & species eius, quantum ad omnia ista competit ei, vt causet adeptionem gloriæ. Nam ipse Christus per suam sacratissimam passionem aperuit nobis aditum paradisi, iuxta illud Apo. ad Heb. c. 9. *Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem præuaricationum, qui erant sub priori testamento repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Vnde in forma consecrationis huius Sacramenti dicitur, *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti.* Similiter etiam refectio spiritualis cibi, & vnitas significata per species panis & vini, habentur quidem in præsenti per gratiam contemplationis in gloriæ gustu : Sed post mortem possidebuntur per gaudium in gloria consummata. Vnde August. super illud Ioan. 6. c. *Caro mea vere est cibus*, sic ait : Cum cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant : hoc veraciter non præstat, nisi ille cibus & potus, qui eos, à quibus sumitur, immortales & incorporales facit in societate Sanctorum, vbi pax erit plena atque perfecta. Hinc Ioan. 6. c. Dominus ait : *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et iterum Psal. ait : *edent*, scilicet hoc Sacramentum, *pauperes*, id est humiles, *& saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum*, scilicet sæpe communicando : Viuent corda eorum in sæculum sæculi. Inter quos viuentes viuere nos faciat ipsa Beatorum consummata vita Dominus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Heb. 9.

Alij duo eximij de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento reperientur in quadragesimali de Euangelio æterno à fol. 847. vsque ad folium 859., & à fol. 861. vsque ad fol. 870. qui cum a Lutetia Parisiorum abfuissem, prælo mandati fuere ex obliuione cuiusdam, cui eos commiseram, vt autem quid in eis continetur, tibi sit compertum, Articulos, & eorum Capita tibi subijcio.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de Corpore Christi, & de mirabilibus eius, quæ contingunt circa hoc Sacramentum, habet tres articulos, quorum primus tria continet capita, secundus vero diuiditur in tres partes vnaquaque pars tria includit capita, tertius denique tria habet capita.

Articuli primi, Quod propter tria est hoc Sacramentum nostræ memoriæ reformatiuum.

Cap.

Cap. 1. *Quod hoc Sacramentum eſt memoriale ſuæ dilectionis qua Chriſtus dilexit nos.*

Cap. 2. *Per Dominicum Sacramentum continuè recolitur, & innouatur memoria paſſionis Chriſti.*

Cap. 3. *Quod Dominicum Sacramentum datum eſt nobis in medicina noſtra ſpiritualis infirmitatis.*

Articuli ſecundi, De tribus mirabilibus, in quibus apparet admiranda Dei potentia in inſtitutione Sacramenti,

Cap. 1. *Quadruplici ratione probatur poſſibilem eſſe conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti.*

Cap. 2. *De quatuor mirabilibus, quæ interueniunt in hoc Sacramento circa eius extenſionem, & quomodo poſſibilia ſunt.*

Cap. 3. *Quomodo quatuor mirabilia circa localitatem huius Sacramenti poſſibilia ſunt.*

Articuli tertij, De tribus mirabilibus in quibus miranda, apparet ſapientia Dei in inſtitutione huius Sacramenti,

Cap. 1. *Vt appareat admiranda ſapientia Dei propter tria dedit corpus ſuum venerabile in alimentum,*

Cap. 2. *Vt admiranda appareret ſapientia Dei propter tria dedit corpus ſuum ſub accidentibus velatum.*

Cap. 3. *Inſuper, vt appareret admiranda Dei ſapientia propter tria dedit corpus ſuum ita occultatum.*

Articuli quarti, De tribus mirabilibus in quibus admiranda apparet clementia Saluatoris perceptione huius Sacramenti,

Cap. 1. *Quantum admiranda appareat largitas Dei: ſi in hoc conſideremus magnitudinem dati.*

Cap. 2. *Apparet admiranda Dei clementia in hoc Sacramento, ſi magnitudo dantis conſideretur.*

Cap. 3. *Quanta ſeueritas ſit Dei contra tria genera hominum indignè recipientium corpus Chriſti.*

Articuli quinti, Quod per triplicem delectationem hoc Sacramentum reformat voluntatem humanam,

Cap. 1. *Quod delectatio huius venerabiliſſimi Sacramenti liberat voluntatem ſumentis à triplici malo.*

Cap. 2. *In triplici virtute Theologica huius Sacramenti delectatio proficere facit.*

Cap. 3. *De triplici fructu perfecto quem conſequuntur dignè ſuſcipientes.*

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur præcipuè in hoc Sermone,

Qui eſt de Cœna Domini infra dies de triplici varia ſumptione, qua tam mali, quam boni aſſumunt corpus Chriſti, continet tres articulos, quorum ſunt tria capita.

Articuli primi, De triplici genere hominum male ſumentium corpus Chriſti,

Cap. 1. *De triplici malo quod incurrunt qui voluntate peccandi ſumunt corpus Chriſti.*

Cap. 2. *De hypocritis ſimulatis, qui hoc Sacramentum præſumunt accipere, quomodo tripliciter peccant.*

Cap. 3. *De hominibus ſceleratis, qui communicare præſumunt, & quomodo tripliciter a Deo puniuntur.*

Articuli ſecundi, De modo ſpiritualiter manducandi hoc ſanctiſſimum ſacramentum,

Cap. 1. *De triplici genere hominum qui ſpiritualiter Sacramentum recipiunt.*

C 2. *Quod tria concurrere debent ad hoc quod Sacramentum ſpiritualiter manducetur.*

Cap. 3. *De triplici fructu ſpiritualiter manducantium hoc ſanctiſſimum Sacramentum.*

Articul tertij, De Sacramentali & ſpirituali manducatione Dominici corporis,

Cap. 1. *Quod deuota ſumptio Sacramenti ad deteſtationem peccatorum tripliciter valet.*

Cap. 2. *Quod per hoc Sacramentum dignè ſumptum tria bona ſpiritualia in homine augmentantur*

Cap. 3. *De perfecta vnione animæ cum corpore, quā efficit hoc Sacramentum, quod in triplici ſimilitudine demonſtratur.*

SERMONES

SERMONES PRO FESTIVITATIBVS SANCTISSIMÆ ET IMMACVLATÆ VIRGINIS MARIÆ.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de glorioso nomine Mariæ, scilicet, quod dicitur stella maris, habet tres articulos, quorum primus tria, secundus totidem, tertius demque tria similiter continet capita.

Articuli primi, quod Beata Virgo comparatur stellæ cœli, & maxime propter tria.

Cap. 1. *Quod B. Virgo dicitur stella maxime propter suam duplicem stabilitatem.*

Cap. 2. *De duplici altitudine perfectionis Beatæ Virginis.*

Cap. 3. *De septem operationibus stellæ, quæ spiritualiter fuerunt in Virgine benedicta.*

Articuli secundi, quod B. Virgo stellæ poli assimilatur, & maxime propter tria,

Cap. 1. *De quadruplici vicinitate, quam habuit B. Virgo ad filium suum.*

Cap. 2. *De multiplici intelligibili sphæra & quod B. Virgo supra omnes creaturas propinquior est Christo.*

Cap. 3. *Quod beata Virgo in gloria excedit omnes alias creaturas.*

Articuli tertij, de triplici natura stellæ maris, quæ B. Virgini conuenire probatur,

Cap. 1. *Quod B. Virgo est stella mundum illuminans & inflammans.*

Cap. 2. *Quod per Virginem benedictam, fideles in periculis huius sæculi diriguntur.*

Cap. 3. *Quod B. Virgo Maria est stella in portum salutis æternæ introductiua.*

De glorioso nomine Mariæ, scilicet, quod dicitur stella maris.

Sermo I.

Oratio ad Virginem. NOMEN *Virginis Mariæ.* Lucæ 1. Da mihi Virgo gloriosa virtutem, ingenium & sermonem, vt fidelibus & deuotis tuis valeam enunciare gloriam nominis tui. Non quantum est, aut quale: sed vt tantillum ego paruulus tuus de laudibus tuis immensis enunciem ad gloriam tuam & deuotionem meam & solamen omnium legentium, aut audientium me. Quippe interpretatione sua Mariæ nomen sonat in illuminationem, in amaricationem, & in dominationem. Neque *Quare Angelus non nominauit Mariã proprio nomine.* immerito, non vnam tantum nominis habet interpretationem: nullum enim nomen vnum puto Virginis gloriam posse enunciare. Proinde forte non nominauit eam Angelus in Euangelio hodierno, volens potius venerari silentio, quod non potuit eloquio. Si quidem reuerentiæ indicium est, quando que non proprio nomine nominare vel designare, sed per circumlocutionem nominandum insinuare. Personam quippe tantum proprium nomen enunciat: sed non circumstantias dignitatis & status. Propterea Maria non vnam tantum, sed multiplicem interpretationem habet: vt sicut Deum ipsum non vno tantum nomine nominamus: sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enunciemus: sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, & nunc solem, & huiusmodi nominare solemus, vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquantulum pertingagamus. Immensitas quidem gloriæ eius omnis humani sermonis excedit inopiam. Vnde prætermittens laudem eius Anselm. lib. de ortu Virginis subdit. Quid amplius dicere possum Domina: Immensitatem quippe gratiæ & gloriæ tuæ considerare cupienti sensus deficit, lingua fatiscit. Denique, prout nostra possibilitas se extendit, per has tres interpretationes in vnum nomen eius benedictum tendamus. Primo enim sonat Maria in illuminationem: Nam interpretatur stella maris, quia est illuminata & illuminatrix. Secundo *Nomen Mariæ à tribus deducitur.* sonat in amaricationem, quia interpretatur amarum mare. Tertio vero sonat in dominationem: quia domina interpretatur. Fuit quippe stella maris in eius natiuitate propter in vtero sanctificationem seu præseruationem. Fuit amarum mare in eius conuersationem. Fuit domina in eius morte propter in gloria assumptionem. Vel fuit stella maris propter integritatem virginalem. Domina propter honorem & reuerentiam coniugalem. Amarum mare propter sollicitudinem vidualem. Quia igitur stella, à Deo fuit illuminata & illuminatiua. Quia amarum mare, fuit amaricata, & per compassionem ad amaritudinem incitatiua. Quia Domina, fuit consummata & consummatiua. De primo, scilicet *Maria tripliciter comparatur stellæ.* quod beata Virgo stellæ assimilatur, ad præsens tantummodo sermo fiat. Potest enim stellæ tripliciter comparari. Primo stellæ cœli, secundo stellæ poli, tertio stellæ maris,

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod beata Virgo comparatur stellæ cœli, & maximè propter tria.

PRimo inquam comparatur stellæ cœli, & maxime propter tria. Primo propter suam nominationem. Secundo propter suam sublimationem, vel situationem. Tertio propter suam operationem.

Quod B. Virgo dicitur stella cæli, maximè propter suam duplicem stabilitatem.

CAP. I.

PRimo comparatur B. Virgo stellæ cœli, scilicet propter suam denominationem. Stella quidem à stando denominatur, quia in cœlo stat fixa. Propterea Mariam designat, eo quod fixa stetit in filio suo. Et primo in vita eius per omnium virtutum irradiationem, *Maria dicitur stella cœli propter denominationem.* secundo in morte eius per mortis compassionem. De

Pſal. 44. prima ſtatione illius Propheta, *Aſtitit regina à dextris tuis*, ſcilicet Maris, *in veſtitu deaurato*. De ſecunda *Ioan. 19.* ſtatione Ioan. 19. *Stabat iuxta crucem Ieſu mater eius.* Immobiliter quidem ſtetit, ſicut ſtella in cœlo, ideſt in filio ſuo, quia cadentibus de cœlo reliquis ſtellis, *Abacuc. 3.* id eſt Apoſtolis, ipſa ſola ſtetit, iuxta quod Abacuch 3. dictum eſt, *Sol & Luna*, ideſt Chriſtus & Maria, *ſteterunt in habitaculo ſuo*, vel ſecundum aliam translationem: *Eleuatus eſt Sol*, id eſt Chriſtus, in Cruce: *Luna*, ideſt Virgo beata *ſtetit in habitaculo ſuo*, Et hæc ſtatio fuit lugubris & dolore plena. Propterea inducit Auguſt. humanum genus ad Chriſtum loquentem. Mihi ridens congaudet Eua, tibi plorans compatitur *Iſa. 63.* Maria. Quippe vt filius Dei ait: Iſa 63. cap. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*, ſcilicet, ſed tu ſola Maria mihi vere compaſſa es.

De duplici altitudine perfectionis beatæ Virginis.

Cap. II.

Maria ſtellæ cœli propter ſitum comparatur. SEcundo comparatur beata Virgo ſtellæ cœli propter ſuam ſublimationem, ſeu ſituationem. Nam ſtella locatione eſt alta eo quod in firmamento poſita eſt quod eſt altum. Vnde Eccleſiaſt. 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius eſt.* Sic beata Virgo altiſſima eſt, eo quod poſt filium omnibus aliis excelſior *Eccleſ. 43.* ſit. Profecto Luc. 18. ſcriptum eſt. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Et quia Maria humillima fuit: igitur & *Eccleſ. 24.* altiſſima. Proinde Eccleſ. 24. ipſa ait. *Ego in altiſſimis habito.* Item alta eſt, quia inter Chriſtum & eccleſiam, creatorem & creaturam, media eſt. Quippe ipſa eſt, *Ioan. 12.* de qua Ioan. Apoſt. 12. cap. ait: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius.* Mulier inter ſolem & lunam eſt: Virgo beata *Eccleſ. 40.* inter Chriſtum & eccleſiam. Vnde Eccleſ. 40. *Ædificatio ciuitatis*, ideſt eccleſiæ, *confirmabit nomen* ideſt firmiter credet in Chriſtum. *Et ſuper hanc*, ſcilicet ciuitatem, *mulier immaculata*, ideſt Maria, *computabitur.* Quod autem ipſa ſit omnium creaturarum altiſſima, patet: Quippe illa creatura in dignitate eſt altior, quæ eſt in gradu bonitatis ſublimior: igitur omnium creaturarum optima eſt & altiſſima. Sed hæc eſt beata Virgo: quia ſecundum menſuram amoris, eſt gradus *Amoris menſura eſt gradus bonitatis.* bonitatis. Vnde quærere, quantum bonus eſt iſte: eſt quærere, quantum diligit iſte, ſecundum Auguſt. Sed conſtat quod hæc exceſſit omnem creaturam in menſura amoris, tam naturalis quam gratuiti. Naturalis, quia in illo exceſſit homines & Angelos. Homines, quia ſimilitudo & propinquitas, eſt cauſa natu- *Eccleſ. 13.* ralis amoris. Vnde Eccleſ. 13. cap. ſcriptum eſt. *Omne animal diligit ſibi ſimile*: ſic & omnis homo proximum ſibi ſimilem. Profecto inter filium & quamcunque aliam matrem tanta propinquitas & ſimilitudo non fuit, quia totus fuit de ſola ſubſtantia matris. Igitur inter nullos tanta dilectio fuit. In hoc quoque *Hebr. 2.* exceſſit Angelos: Nullus enim Angelus Dei filium naturalem ſibi habuit, ſicut beata Virgo: quia *nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Quod *Menſura gratiæ eſt amoris gratuiti menſura.* Maria in amore gratuito tranſcendat vtroſque, videtur: quia ſecundum menſuram gratiæ, eſt menſura gratuiti amoris; ſed ſuper omnes creaturas fuit gratia plena, igitur & amore ſuperplena fuit. Vnde de hac plenitudine eius beatus Ignatius in epiſtola ad beatum Ioannem inquit: Referunt Mariam omnium gratiarum abundantem, & omnium virtutum fœcundam. Et ſic in amore cunctas ſuperat creaturas, prout dicit Anſelmus. Superat quippe etiam omnium creaturarum amores, atque dulcedines magnitudo amoris Virginis in filium ſuum & dilectionis immenſitate qua liqueſiebat anima eius in eum. Verè igitur eſt dignitate altiſſima, quæ ſic eſt in bonitate optima. Proinde myſticè figuratur Dan 4. cap. in arbore, de qua inquit, *Ecce arbor in medio terræ*, id eſt Maria in medio omnis creaturæ. *Altitudo eius nimia*, quia incomprehenſibilis eſt omni puræ creaturæ.

De ſeptem operationibus ſtellæ, quæ ſpiritualiter fuerunt in Virgine benedicta.

Cap. III.

TErtio beata Virgo comparatur ſtellæ propter ſuam operationem. Septem profecto operationes operatur ſtella. Primo ſignat, ſecundo illuminat, tertio purificat, quarto viuificat, quinto temperat, ſexto ornat, ſeptimo ordinat. Primo quidem ſignat. *Maria ſtellæ cœli propter ſuam operationem comparatur.* Vnde de ſtellis Geneſ. 1. c. ſcriptum eſt. *Sint in ſigna.* Proinde Albumaſar in principio inquit, Laus Deo, qui creauit ſtellas & poſuit ornamentum & lucernas in ſignificationes, vt præberent ductum rationabilibus. Et ratione huius operationis conuenit Mariæ nomen ſtellæ: quia ipſa fuit in ſignum, ſicut de illa Iſa. 41. cap. ſcriptum eſt. *O radix Ieſſe, qui ſtas in* *Iſa. 45.* *ſignum populorum* Signum quippe eſt, quod ſe offert *Signũ quid* ſenſui aliquid relinquens intellectui. Maria autem incarnatum Deum ſenſui præſentauit, quia *in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*, vt dicitur *Baruch. 3.* Baruc. 3. c. Sed aliquid intellectui derelinquit, quia per hoc quod Dei filium in carne ſua viſibilem exhibuit, diuinitatem per fidem intellectui patefecit. Propterea vere fuit ſignum, quemadmodum Iſa. 7. c. ait, *Iſa. 7.* Dominus ad Achaz *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo*, & ſequitur. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuel.* De hoc quoque ſigno Apoc. 12. cap ſcriptum eſt. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus pedibus eius, in capite eius corona ſtellarum 12. Et in vtero habens.* Merito quidem in vtero habere dicitur, quia ab extra in vterum virile ſemen non traxit, ſed operatione Spiritusſancti concepit. Secundo autem ſtella illuminat, *Secunda operatio ſtellæ.* ſcilicet, noctis obſcuritatem, ſic etiam beata Virgo. Profecto ante aduentum huius Virginis peccati nebula totum mundum occupauerat: vt non eſſet, qui verum lumen videre poſſet. Erant enim omnes gentes quaſi *nebula turbinibus exagitata*, vt dicitur 2. Pet. 2. *2. Pet. 2.* Proinde in tenebris morabantur. Vnde merito de ta- *Nahum. 1.* libus, Nahum 1. cap. ſcriptum eſt *inimicos eius perſequentur tenebræ.* Tandem proceſſit beata virgo, ſicut fulgida ſtella effugans illas tenebras, vt de ea dici poſſit illud Eccleſiaſt 50. cap. *Quaſi ſtella matutina in medio* *Eccleſ. 50.* *nebulæ*: vnde Bernard. ſuper Miſſus eſt, inquit, Ipſa eſt nobilis ſtella ex Iacob orta: cuius radius vniuerſum mundum illuſtrat: cuius ſplendor in ſupernis præfulget & inferos penetrat. Proinde in perſona eius, Eccleſiaſt. 24. cap. ait. *Penetrabo inferiores partes terræ*, *Eccleſ. 24.* ſcilicet quæ ſunt frigidæ atque obſcuræ: & *aſpiciam*, ſcilicet oculo miſericordiæ *omnes dormientes*, id eſt cæcos & negligentes, *& illuminabo omnes ſperantes in Domino*, id eſt illuminatione mea faciam quod cognoſcant Deum & ſperent in eo. Tertio noctem purificat: *Tertia ſtellæ operatio.* ſiquidem per radios ſuos nocturni frigoris denſitatem ſerenat, & rarefaciendo purificat: ſimiliter & Maria. In tota ſiquidem terra ante aduentum huius ſtellæ tenebræ erant, ſicut Iſa. 6. cap. ſcriptum eſt. *Iſa. 6.* *Ecce tenebræ operient terram; & caligo populos.* In huius myſterium, Exod. 4. *Factæ ſunt tenebræ horribiles* *Exod. 4.* *in vniuerſa terra Ægypti.* Tandem *orta eſt ſtella ex Iacob*, ſcilicet Maria, quæ has tenebras purificauit & ſeruauit. Quippe ipſa eſt emanatio quædam ſincera omnipotentis Dei, vt dicitur Sapient. 7. Vnde *Sap. 7.* de ipſa Bernard. inquit: Tolle hoc corpus ſolare, quod illuminat mundum, vt ſit dies. Tolle Mariam maris ſtellam vtique magni & ſpatioſi, quid niſi caligo inuoluens, & vmbra mortis atque denſiſſimæ tenebræ relinquentur? Quarto ſtella viuificat, ſicut *Quarta ſtellæ operatio.* philoſophus atteſtatur: propterea orbis primus plures

babet

habet stellas: quia ipse est præcipuè causa vitæ in istis inferioribus: propter hoc etiam Maria stella est. Siquidem mors regnauit ab Adam, secundum Apostolum ad Rom.5. adeo quod dicatur 2. Reg. Omnes morimur, & Psal. *Quis est homo, qui viuet & non videbit mortem?* Veniente autem hac stella, omnia mortua vitæ sunt restituta. Quippe ipsa est lignum vitæ proferens benedictum fructum, Genes.2.cap. de quo gustans mortem non gustabit in æternum, quinimmo in æternum viuet, vt dicitur Ioan.6.c. Ipsa est, quæ protulit panem vitæ Iesum Christum: vt dicitur vbi supra. *[Quinta stellæ operatio.]* Quinto stella temperat, seu modificat, scilicet terrenum orbem. Si quidem stella temperat gelidum frigus noctis, & sic terræ nascentia fouet & modificat: propter hoc autem etiam Maria stella est. *[Ierem.6.]* Malitia quippe huius mundi frigida est: vnde Ierem.6. c. Dominus ait. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam*, sic scilicet mundus frigidam facit malitiam suam. Tempore igitur, quo processit beata Virgo, malitia *[Isa.40.]* humani generis quasi completa fuit, iuxta illud Isa 40. *Completa est malitia eius*, propterea magnum frigus erat *[Ioan.18.]* in mundo. Ioan.18. *Frigus erat*: vnde *& Petrus calefaciebat se*: quoniam frigidus ventus Aquilo, id est diabolus, *flauit, & congelauit crystallus ab aqua*, vt *[Eccles.43.]* dicitur Eccles.43. Hoc prænunciauit Zach.14 cap. *[Zach.14.]* dicens, *In die illa non erit lux, sed frigus & gelu*. Processit autem Maria quasi stella calefaciens, & præfulgens & per consequens fouens. Proinde Bernard. super Missus est, homilia 2. inquit. Ipsa est nobilis stella terras perlostrans, calefaciens magis mentes quam corpora, fouens virtutes, excoquit vitia. Ipsa est mulier fortis, de qua Prou. vlt. *Non timebit sibi in die frigoris. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*, scilicet Dei & proximi charitate: vel quia *promissionem habent vitæ, quæ nunc est, futuræ.* Hæc sunt indumenta valde bona, quæ Rebecca induit filium suum Iacob. *[Gen.27.]* vt patris benedictionem obtinere posset, Genes.27. *[Sexta stellæ operatio.]* Sexto, ornat, scilicet cœlum: vnde Eccl.43. *Species cœli gloria stellarum mundum illuminans.* Maria autem splendidissimum ornamentum est cœli. Sic enim inferiora temperat, quod superiora ornat. Proinde de ea *[Eccl.26.]* antonomasticè scriptum est, Eccles.26.c. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic bonæ mulieris species in ornamentum domus eius.* Si etiam superiorem orbem dicamus Angelicam creaturam: patet quod tunc orbem superiorem ornauit: quia præruptos silices & inaccessas rupes Angelorum muneris integritate reformauit, & hoc modo ornauit. Quod quidem Isa.60. prædictum erat: ait enim, *Gloria libani*, id est beata Virgo Maria *ad te veniet* ad ornandum locum sanctificationis meæ. *[Septima stellæ operatio.]* Septimo stella ordinat & conciliat, scilicet orbem. Nam orbem inferiorem sublimat, & virtuti superiori pro sui stabilitate assimilat, & sic quodammodo reconciliat. Sic hæc mundi Domina & Regina ecclesiam militantem tanquam inferiorem orbem, ecclesiæ triumphanti tamquam orbi superiori reconciliauit: pacem iis, qui prope, & pacem iis, qui longe, id est ecclesiæ triumphanti & militanti annunciauit. Profecto ipsa est arcus fœderis sempiterni positus in nubibus cœli, vt non interficiatur omnis caro. Gen.9. Nam ipsa nobis illum genuit, qui *fecit vtraque vnum*: faciens pacem vt reconciliet ambos in vno corpore, Eph.2.

Articvlvs Secvndvs.

Quod beata Virgo stella poli assimilatur, & maxime propter tria.

SEcundo beata Virgo comparatur stellæ poli & maxime propter tria. Primo, quia ipsa stella polo est vicinissima: secundo, quia est poli descriptiua: tertio, quia est stellarum poli primaria, seu prima.

De quadruplici vicinitate, quam habuit beata Virgo ad filium suum.

Cap. I.

PRimo quidem beata Virgo comparatur stellæ poli, quia ipsa stella polo siue cardini cœli est vicinissima. *[Virgo Maria stella poli quia vicinissima.]* Ad dicendorum intelligentiam aduertendum est, quod duplex est polus in mundo isto. Vnus est inuisibilis, scilicet meridionalis: reliquus vero visibilis, scilicet aquilonaris, & vterque immobilis est, super quorum immobilitate innititur totus mundus in suo circulari motu. Merito ergo per vtrumque polum intelligitur ipse filius Dei & verbum patris, qui est principium omnium quo ad vnum: & finis omnium quo ad reliquum, qui in meridie, id est in suæ maiestatis claritate à nobis omnino inuisibilis est, sed in aquilone nostræ humanitatis visibilis factus est: *[Filius Dei polus inuisibilis & visibilis quando.]* propterea Apoc. vlt. ipse ait, *Ego sum alpha & omega, principium & finis.* *[Apoc.vlt.]* De illa quippe meridie dicitur Cantic. c. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie.* De hoc Aquilone Iob.37. cap. ait. Ab Aquilone aurum venit. *[Iob 37.]* Quia ex Christo incarnato splendor sapientiæ processit. Ipse quippe immobilis est: super cuius immobilitatem innituntur omnia in suo motu, immobilisque manens dat cuncta moueri. Huic si quidem polo fuit hæc stella scilicet Maria, vicinissima in quatuor maxime. Primo in incarnatione, secundo in conuersatione, tertio in compassione, quarto in assumptione. Primo inquam fuit ei vicinissima in incarnatione, scilicet per carnis identitatem: quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris: facta est caro Filij Patris & in vnitate personæ à Deo suscepta est: igitur ei adeo vicina fuit. Merito ergo propter hanc vnitatem dictum est ei. *Dominus tecum.* Secundo fuit Christo vicinissima in conuersatione per administrationem. Vnde hæc est, quæ in vltimo cap. Ruth. mystice figuratur in Noemi, *[Ruth.vlt.]* de qua ibi dictum est, quod natum puerum suscepit & posuit in sinu suo & nutricis ac gerulæ fungebatur officio. Hæc est, quæ absentiam eius sustinere non potuit. *[Maria Christi absentiam non poterat sustinere.]* Nam & dolens eum in templo quæsiuit atque inuenit, Luc.2. Hæc est, quæ cum fratribus suis foris stans eum quæsiuit, sicut dicitur Mat.3. circa finem. Tertio fuit ei vicinissima in passione per compassionem, quia recedentibus discipulis non recessit. Ioan.19. *Stabat iuxta Crucem Iesu mater eius.* *[Ioan.19.]* Quarto autem fuit ei vicinissima in assumptione per gloriæ susceptionem. Quod autem ipsa sit exaltata super omnes Angelorum choros, nulli dubium est, & nefas est dubitare, sicut Bernar. ait. *[Bernard. Sap.6.]* Si enim incorruptio Deo proximum facit, vt dicitur Sap.6. Hæc autem incorruptissima, quia mater incorruptionis, ipsa est polo, id est filio suo vicinissima. Si etiam eorum, quorum est eadem natura, idem est locus, ipsius autem & filij eadem est natura, ergo idem locus erit. Quapropter & merito & loco erit vicinissima filio suo, hoc est polo suo.

De multiplici intelligibili sphæra, & quod B. Virgo supra omnes creaturas propinquior est Christo.

Cap. II.

SEcundo autem comparatur beata Virgo stellæ poli, quia ipsa stella est poli descriptiua, cum sit breuissimi circuli circa polum. *[Maria stella poli quia descriptiua comparatur.]* Sed consideremus hoc, qualiter esse potest. Totus si quidem mundus describit quandam intelligibilem sphæram, cuius centrum est filius Dei Iesus Christus, quoniam ipse est sicut centrum in circulo, à quo exeunt omnes lineæ, id est vniuersæ creaturæ, sicut ostendit beatus Dionys. de diuinis nominibus 4. cap. Sed hæc sphæra multos circulos habet intra se inuicem ordinatos. Vnde tanto circulus est breuior, quo centro vicinior. Maximi

vero circuli circa hoc centrum intelligibile ipsa corporalia sunt, siue cœlestia, siue terrestria sint: & complent omnia circulum suum secundum maiorem vel minorem distantiam & participationem primi. Consequenter alium circulum complent vitam habentia vegetatiua. Et dehinc tertium vitam habentia intellectiua. Et inter hæc omnia breuissimum facit circulum beata Virgo Maria, quæ per mentis deuotionem arctius eum constrinxit, & intra beata viscera clausit & portauit, vt ipsa sit iam facta quasi orbis, Propheta attestante, qui ait: *Illuxerunt coruscationes tua orbi terræ*, quæ facta est orbis filij Dei: qui est terra, quæ *in æternum stat*. Eccles. c. 1. hoc quidem de ea Eccles. 24. in persona illius ait, *Gyrum cœli circuiui sola*.

Maria orbis Filij Dei facta est. Eccles. 24.

Quod beata Virgo in gloria excedit omnes alias creaturas.

Cap. III.

Maria stellarum primaria.

TErtio vero comparatur stellæ poli: quia hæc stella est stellarum primaria, seu prima, siue stellæ sint sempiternæ apparitionis, vt quæ circunstant polum Aquilonarem: siue sempiternæ occultationis: vt quæ sunt in interioribus austri, siue sint vicissim apparitionis & vicissim occultationis, vt quæ sunt in medio sitæ. Sic beata Virgo primaria, seu primatiua est quo ad gloriæ magnitudinem & dignitatis celsitudinem. Inter omnia inferiora corporalia, quæ sunt visibilia: aut inter omnia intellectualia. quæ sunt inuisibilia: aut etiam inter illa cœlestia luminaria, quæ sunt quædam media, quia enim primis participant corporalitatem, cum aliis perpetuitatem: respectu priorum primitiua est, sicut Sapient. 7. c. scriptum est. *Nec comparaui illi lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectum illius.* Et hæc sunt inter visibilia preciosiora. Respectu aliorum, scilicet intellectualium & inuisibilium, ipsa est primitiua, quoniam omnium spirituum transcendit excellentiam. vnde Eccl. 24 ipsa ait, *Omnium excellentium & sublimium colla virtute calcaui.* Respectu cæterorum, scilicet luminarium cœlestium, ipsa etiam primitiua est: hoc patet quia luci comparata inuenitur prior, vt dicitur Sapient. 7. Posset autem hoc distingui aliter, vt stellæ sempiternæ occultationis sint contemplatiui, qui semper Deo assistunt. Stellæ sempiternæ apparitionis sint actiui, qui semper actionibus intendunt. Per vicissim vero apparentes & vicissim se occultantes, medij siue mixti, qui aliquando contemplantur, & aliquando operantur. Respectu enim omnium horum beata Virgo primitiua est. Proinde Eccles. 24. c. inquit, *In omni populo & in omni gente primatum habui.* Admiranda igitur hæc stella. Vnde merito, Sap. 7. in fine, de ea sic Spiritus sanctus ait. *Est enim hæc speciosior sole:* & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior.

Sap 7.

Maria spirituum omniũ excellentiã transcendit.

Eccl. 24.

Sap. 7.

Articvlvs Primvs.

De triplici natura stellæ maris, quæ beatæ Virgini conuenire probatur.

TErtio vero beata Virgo comparatur stellæ maris. Hæc siquidem stella tres habet proprietates, quæ beatæ Virgini Mariæ probantur conuenire. Est enim primo frigoris temperatiua, secundo nauigantium in periculis directiua, tertio in portum introductiua, seu perductiua.

Quod beata Virgo est stella mundum illuminans & inflammans.

Cap. I.

Stella maris frigoris temperatiua.

PRimo enim stella maris est maximi frigoris temperatiua: Respectus enim eius semper est super mare per radiorum directionem, & per consequens per caloris immissionem. Sic & respectus Mariæ semper est super mundum per æterni splendoris, scilicet filij sui, illustrationem & per consequens per caloris Spiritus sancti communicationem. Quippe ipsa est via, *per quam spargitur lux & diuiditur æstus super terram.* Iob. 38. Lux enim æterna est super tenebrosum mundum per ipsam sparsa, id est manifesta. Quippe ipsa est, *per quam noua lux Iudæis*, id est confitentibus, *oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Esther. 8. Et ideo æstus diuisus est super terram, id est calor charitatis Spiritus sanctus partitus est, vt non sit iam qui se abscondat à calore eius, immo quod non sit adeo durum & lapideum cor, quod hoc calore non dissoluatur. Vnde Iob. 28. c. scriptum est. *Lapis solutus calore in æs vertitur*, id est qui durus & obstinatus antea fuit, per Mariæ dulcedinem emollitur. Merito ergo competit ei hoc nomen, scilicet stella maris.

Iob. 38.

Iob. 28.

Quod per Virginem benedictam, fideles in periculis huius sæculi diriguntur.

Cap. II.

Stella maris nauigãtium in periculis directiua.

SEcundo stella maris est nauigantium in periculis directiua. Per ipsam quippe sciunt nautæ quo velificant, an ad aquilonem, aut ad meridiem, aut ad Occidentem, aut ad Orientem: quoniam in Aquilone situata est. Sic etiam per Mariam omnia pericula & discrimina euitantur. Omnia itinera certificantur: vnde Bernard. super Missus est Homil. 2. inquit. Quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam ambulare per terram, ne auertas oculos tuos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Nec inconuenienter situs stellæ maris, cum sit in Aquilone, conuenit Mariæ. Quippe per Aquilonem persecutio vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam. Ideo locus Mariæ in Aquilone est, vt per eam austeritas persecutionis inflictæ humanis temperetur & mitigetur. Solet etiam per Aquilonem peccatum significari. Vnde Ierem. 1. c. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Ideo conuenienter locus Aquilonaris ei appropriatur eo quod ipsa media inter peccatores & filium statuatur, vt ex vna parte iram eius mitiget, & ex alia peccatum exterminet. Vnde, secundum Alexand. de Ales super psalterium Beata Virgo iuxta crucem pingi debet ad sinistram Christi, qui stans in cruce faciem tenebat ad Orientem: & sic ad sinistram, id est ad Aquilonem stabat Virgo Beata, vt oraret pro peccatoribus, qui sunt ex parte sinistræ Christi. Vnde Propheta in persona Christi in cruce pendentis inquit, *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me*: quia ibi non erat Virgo, sed in sinistra parte perfectissimè cognoscens Christum. Proinde dicitur ei à peccatore illud Cant. 4. in fine. *Surge Aquilo & veni auster: Perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Cum enim surgit Maria per piam intercessionem, tunc venit auster, id est Spiritus sanctus per gratiæ immissionem, & perflatur hortus per dulcedinis susceptionem. Et fluunt aromata per multiplicium beneficiorum deriuationem. De hoc Aquilone, & Austro Isa. 43. *Dicam Aquiloni da: & Austro, noli prohibere*, rogabo Mariã, vt de gratia sua tribuat: & per hoc Austro, id est Spiritui sancto,

Ierem. 1.

Peccatũ per Aquilonem significatur.

Cant. 4.

ſancto, vt noo prohibeat, quin potius abundantios per ipſam de ſuis charíſmatibur immutar. Hæc eſt virga Moyſi, qua vnda maris rubri percutiiur, & per conſequens diuiditur, & inter fluctur Dei populur tranſiturur deſerium ingreditur. Exod. 14 c.

Quod beata Virgo Maria eſt ſtella in portum ſalutis æternæ introductiua.

Cap. III.

Stella maris in portũ introductiua eſt. TErtio etiam ſtella maris eſt in portum iotroductina: quia Maria multas ſeditiones ſedat, & ad terram promiſſionis docarom præſtat: vnde Bernard. ſuper Miſſus eſt. Homil. 2. inquit, ipſam ſequens non deuias, ipſam rogans ooo deſperas, ipſam cogitans oon erras, ipſa tenente, non corruis: ipſa protegente, non metuit: ipſa duce, non fatigarit: ipſa propitia, peruenis, & ſic io temetipſo expetitis: quod merito dictum ſit nomen Virginis Maria, ipſa in nocte huiur vitæ loce virtutum radiat, vt viam veritatis oſtendat, & ad portum ſalutis perdocat. Quippe ipſa eſt porta cœli, vt dicitur Gen. 28. *Non eſt hic* ſcilicet io Maria aliud *niſi domus Dei & porta cœli.* Ipſa eſt ſcala Iacob. Gen. vbi ſupra, cuius ſummitas cœlum tangit, & per conſequent ad ipſam ducit. In qua deſcendunt Angeli & aſcendunt, quia per ipſam aſcenduot homines ſancti ad gloriæ cœli ſoſceptionem. Et, vt *Bernard.* verbis beati Bernard. viar: oportet vniuerſos Christicolas inter fluctus huius ſæcoli nauigantes aſcendere hanc maris ſtellam, quæ ſupremo cardini, ideſt Deo proxima eſt, & reſpectu exempli eius curſum vitæ dirigere. Qood qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento: nec frangetor ſcopulis aduerſorum: nec abſorbebitur Scyllea voragine voluptatum, ſed proſpere veniet ad portum quietis æternæ, vt cum ipſa glorioſa Virgine fruatur æternis deliciis filij eius, qui cum Patre & Spiritu ſancto glorioſum eſt præmium ipſios Virginis benedictæ, atque deuotorum eius per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui eſt de glorioſo nomine Mariæ, quod interpretatur amarum mare, tres habet articulos, & ſinguli eorum quatuor capita continent.

Articuli primi, qood quadruplici ratione amariſſimum fuit beatæ Virgini tempore paſſionis ſeparatio Filij ſui,

Cap. 1. Amarum fuit beatæ Virgini tempore paſſionis Filij ſui conſiderata eius conditione.

Cap. 2. Propter cognitionem Filij ſui amariſſima fuit, & ſeparatio eius.

Cap. 3. Maxime propter quinque diligebat beata Virgo Ieſum, ex quibus ſeparatio ſibi amariſſima fuit.

Cap. 4. Propter delectationem; quam beata Virgo de Chriſto habebat, amariſſima erat ei ſeparatio eius.

Articuli ſecundi, de quatuor affectibus ſeu paſſionibus ſecundum quas beata Virgo ſummam amaritudinem paſſa eſt propter mortem Filij ſui.

Cap. 1. Cor Virginis in morte Filij ſui miro modo contenebratum & per conſequens amaricatum eſt.

Cap. 2. De omnibus quæ circa mortem Chriſti beata Virgo videbat, ſummam amaritudinem ſuſtinebat.

Cap. 3. Viſio, conſideratio & recordatio eorum, quæ affligebant Chriſtum in Virgine Maria maximam amaritudinem cauſabant.

Cap. 4. Tantus erat amor Beatæ Mariæ ad Filium, quod infinities pro eo mori voluiſſet.

Articuli tertij, de quatuor quæ inuicem miſcebantur, ex quibus in Virgine cauſabatur maxima amaritudo.

Cap. 1. Multa ſtupenda quæ videbat in filio cauſa fuerunt in Virgine amaritudinis ſummæ.

Cap. 2. Magnam amaritudinem præſtiterunt Beatæ Virgini ea, quæ vidit in diſcipulis & amicis Chriſti, tempore paſſionis eius.

Cap. 3. Magnam amaritudinem præſtiterunt ea, quæ vidit fieri à perſequentibus Chriſtum.

Cap. 4. Quia beata Virgo paſſioni filij præſens erat, nec illum poterat adiuuare, aut ei modo aliquo ſubuenire, ideo maxime cruciabatur.

De glorioſo nomine Mariæ quod interpretatur amarum mare.

Sermo II.

NOmen *Virginis Mariæ.* Iterum Luc. 1. & in Euangelio hodierno. Noo eſt facultatit humanæ dilectiſſimi fratres, quandiu in hoc mortali corpore viuitur, plenè pertingere ad laudem glorioſæ Virginis matris Dei, quæ omniom hominum & vocer excellit & ſuperat intellectum. Quir enim mortalium niſi diuino illuſtratus oraculo, de vnica Dei & hominis genitrice quicquam modicum ſeu grande præſumat edicere: imo ooo timeat hanc pollutis labiis nominare, quam pater miſericordiarum & ante ſæcula Deus, perpetuam prædeſtinauit in Virginem digniſſimam, filius præelegit in matrem, Spiritusſanctur nouæ gratiæ domicilium præparauit. Quibus laudibus ſeruitus hominum reginam efferet Angelorum? Quæ præconia dilatet mortalis auguſtia vel officia ſubminiſtret, cui cœleſtia pareot & famulantur obſequia? Qui dignam hooonibur plauſur hominum acclamabit in terris, quam ſpirituum agmina beatorum iugiter venerantur in cœlis? Sed quia illam, vt meretur, non poſſumus laudare, ſaltem nomen eius extollere procuremor, Diximus in præcedenti ſermone quod, nomen Mariæ ſtella maris interpretatur: Iam ergo ſubiungamor, quare interpretetur amarum mare. Maris quippe amaritudo ad litteram eſt per ſolir feruidam io ipſo incidentiam partes ſubtiliores ſubleuantir & extrahentis: Nec non & partes terreſtres relictas adurentir, & per conſequent amaricantis. Proinde in amaritudine marir tria notari poſſunt. Primum, dulcis ab amore ſeparatio, ſecundum partium relictarum aduſtio, tertium, aduſtarum adinuicem permixtio. Profecto beata Virgo fuit in paſſione Filij ſui amarum mare, quia ibi fuit dulciſſimi filij ſubtractio, relictæ partis aduſtio, omnium amaritudinum admixtio.

Maria amarum mare.

Quare Maria amarum mare.

Amaritudo maris, vnde naturaliter proueniat. Ariſt. 2. Meth.

Articulus Primus.

Quod quadruplici ratione amariſſimum fuit Beatæ Virgini tempore paſſionis ſeparatio Filij ſui.

PRimo ſiquidem in mari eſt dulcis ab amaro ſeparatio. Sic in paſſione Domini fuit beatæ Virgini dulciſſimi elongatio & ſeparatio: quoniam fuit ei dilectiſſimi filij ſubtractio, & hoc illi amariſſimum fuit quadruplici ratione. Primo ratione conditionis, ſecuodo ratione cognitioois, tertio ratione dilectionis, quarto ratione delectatiooir. Hæc gradatim ſibi inuicem connectuntur & ſubſequuntur.

Quod amarum fuit beatæ Virgini tempore passionis separatio Filij sui considerata eius conditione.

C A P. I.

Separatio Filij à dulcissima matre in passione eius fuit illi amara. PRimo enim in passione Domini fuit amarum beatissimæ Virgini dulcissimi filij separatio, & subtractio: & hoc ratione suæ conditionis, scilicet filij sui. Quid mirum, si in ea fuit amaritudo maxima, cum filius eius totus esset dulcis atque totus desiderabilis, vt dicitur Cant. 5. Et iterum Propheta inquit: *Dulcis & rectus Dominus.* Insuper propter hanc subtractionem idem Propheta in persona Virginis ait. *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Vel secundum aliam translationem apertius inquit. Cor meum fluctuauit, dereliquit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum. Equidem filius eius virtus illi erat & fortitudo in omnibus aduersitatibus. Lumen oculorum & lætificatio cordis in omnibus prosperitatibus. Talis si quidem dolor fuit in ea maximus. Intensiuè, extensiuè & ostensiuè. Primo enim fuit maximus intensiuè, quia vsque ad animum penetrauit, sicut ei prædixerat Simeon, Luc. 2. c. *pertransibit gladius*, Quod verbum antrorsum & retrorsum consideratum, illarum duarum animarum, scilicet Christi & Virginis, mitam doloris indicat participationem & transformationem. Vt si dicatur, ipsius animam tuam: aut tuam ipsius animam pertransibit gladius. Secundo fuit maximus extensiuè, quia per quatuor dies continuos se extendit. Nam maxime incœpit dolor eius feria quarta, quia tunc mors Christi fuit tractata & confirmata. Continuatus autem fuit feria quinta, eo quod in nocte fuit captus, colaphizatus atque delusus. Augmentatus autem fuit vsque ad feriam sextam, quia tunc filius eius crucifixus est. Dilatatus vero fuit vsque ad diem sabbati, quia tunc filius suus in sepulchro clausus est. Tertio fuit maximus ostensiuè, eo quod dolorem suum ostendebat & demonstrabat cordis singultu, abundantia

Cant. 5.

Psal. 24.

Psal. 37.

Luc. 2.

Amaritudo Mariæ maxima quare. lachrymarum, lamentatione clamorosæ vocis, pectoris tunsione & manuum allisione. profecto maxima fuit in ea amaritudo, eò quod per turpissimam mortem facta est ei talis subtractio filij sui.

Quod propter cognitionem filij sui, amarissima fuit & separatio eius.

C A P. II.

Tria faciunt ad compassionem compatientis. SEcundo fuit beatæ Virgini amarum dulcissimi filij separatio ratione cognitionis. Tria si quidem faciunt ad compassionem ex parte compatientis ad illum, cui compatimur. *Primum.* Primum passionis vehementia, secundum ipsius vehementiæ in compatiente notitia, tertium ipsius ad compatientem amor & amicitia. Primum inquam passionis vehementia. Quanta fuit acerbitas passionis Christi, inexplicabile est omni linguæ Angelicæ vel humanæ. Superat enim omnis puræ creaturæ capacitatem, quod Thren. 1. cap. per Hieremiam Dominus insinuat dicens, *O vos omnes, qui transitis per viam: attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* *Secundum.* Secundum huius passionis apud matrem piam, maxima fuit notitia, quia astabat filio suo morienti, quem nouerat esse filium Dei. Proinde Ioan. 19. c. ait: *stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* *Tertium.* Tertium est ipsius ad compatientem amor & amicitia: quia secundum intensionem amoris, intensio est doloris, sicut infra dicetur. Propterea sommè compassa est, quia summè dilexit eum. Non tantum quippe afflicta fuisset, si illius cruciatus non vidisset. Sed *Anselm.* eum, vt dicit Anselmus, prolatam suæ mortis sententiam audiret: cum crucem, cum qua suspendi debebat, humeris ad locum passionis subuehere gemebunda aspiceret, immo cum iam liuidum, verberatum, vulneratum, cruentum, in cruce pendentem videret. Est ne precor quis, qui percipere posset qualitatem doloris pectoris eius? Vnde dicere poterat. Quid, dilecte mi? Quid, dilecte votorum meorum? Quid, dilecte vteri mei? Quid dilecte mi, amicam, filiam, matrem tuam tibi assistentem iam iamque ex mœstitia corruentem & patientem non attendis? Quid dilecte vteri mei, matrem tuam lachrymantem & dolentem iam iamque angustia deficientem non respicis? Quid, dilecte vteri mei famulam tuam, ministram tuam, te ad crucem sequentem, ac gemitus, suspiria, lachrymas amarissimas producentem iam iamque ex tristitia expirantem non aduertis? vt permittas te impijssimis manibus sic trahi, in patibulo eleuari, omnibus membris extendi, totis visceribus patefieri, vt sic animam meam pertranseat gladius? Verè igitur amarum mare Maria, vt de ea merito dici possit illud Thren. 1. *Et ipsa oppressa amaritudine*, scilicet fuit.

Quod maxime propter quinque diligebat B. Virgo Iesum, ex quibus separatio eius, sibi amarissima fuit.

C A P. III.

TErtio vero ipsi Virgini Mariæ fuit amara dulcissimi filij separatio ratione dilectionis. Sicut enim superius tactum est, secundum intensionem amoris, intensio est doloris. Proinde Ioan. 11. cap. Iudæi comprehenderunt erga Lazarum amorem Christi ex dolore & fletu: vnde & dixerunt de illo, *Ecce quomodo amabat eum.* Sed Christus à matre sua summè fuit dilectus: igitur subtractio sua, summa fuit ei amaritudo. Similitudo quippe, dilectionis causa est. Propterea Eccles. 13. c. inquit. *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum suum.* Christus enim beatæ Virginis simillimus fuit, quia totus de substantia matris genitus est. Propterea ab ea fuit summe dilectus. Profecto in eo fuerunt omnes conditiones propter quas mater diligit filium, & habuit eas in summo. Erat quippe Dominus Iesus Christus præ cæteris omnibus potentior, sapientior, generosior, formosior atque melior. Ista sunt, propter quæ matres maxime diligunt filios suos. Primo quidem erat cæteris potentior. 1. Mach 15. *Est Dominus vnus, ipse est in cælo potens.* Et Propheta etiam inquit, *Dominus fortis & potens.* Et Iosue 24. c. scriptum est, *Dominus enim stans & fortis amulator est.* Secundo autem erat cæteris sapientior. Ipse est, qui sedet in cathedra Dauid mysticè, id est in cruce sapientissimus, vt dicitur 2. Reg. 23. c. Tertio erat cæteris generosior, quia vt dicitur Isa. 53. cap. *Generationem eius quis enarrabit?* Quarto erat cæteris formosior: quia sicut Propheta ait, *Speciosus forma præ filijs hominum.* Quinto erat cæteris melior, quia, vt dicitur Sapient. 7. *Infinitus enim thesaurus est hominibus.* Propter hæc omnia & consimilia fuit matri ad filium dilectio immensa, & per consequens summa doloris amaritudo. Vnde Anselmus præmittens eius dilectionem ait: tantam igitur dilectionem perpendat, qui potest: quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspirijs cruciabatur, quando eum à se crudelium manibus auelli, quando ad condemnandum trahi, quando ad mortem subeundam iudicio iudicis iniqui tribunali consistere vidit.

Ioan. 11.

Intensio amoris ostendit intensionem doloris.

Quæ inducunt amorem matris in prolem.

1. Mach. 15.

Psalm. 23.

Iosue 24.

2. Reg. 23.

Isa. 53.

Psal. 44.

Anselm.

Quod propter delectationem, quam Virgo de Christo habebat, amarissima erat ei separatio eius.

C A P. IV.

QVarto insuper beatæ Virgini fuit amarum dilecti filij sui separatio ratione delectationis. Nam *Absentia filij contristabat matrem.*

quo

quo maius est gaudium de alicuius præsentia, eo maior est dolor de eius absentia. Sed constat, quod Christi præsentia matri suæ fuit summè gaudiosa. Dicit enim Anselmus de ortu Virginis. Quanto gaudio replebatur anima eius: quando eum, quem toto corde diligebat: quem creatorem & dominatorem esse omnium rerum sciebat, secum edentem, secundum quod volebat dulci affatu docentem habebat, quis capiet? Propterea eius subtractio summè amara & dolorosa fuit, vt dicere possit illud Ruth. 1. *Ne vocetis me Noemi, id est pulchra sed vocate me Mara, hoc est amara, quia valde amaritudine repleuit me Omnipotens.*

Anselm.

Ruth. 1.

Articvlvs Secvndvs,

De quatuor affectibus, seu passionibus, secundum quas beata Virgo summam amaritudem passa est propter mortem filij sui.

Solis adustio vrentē persecutionē vel tribulationem significat.

SEcundo in mari est partium relictarum adustio. Solis quidem adustio signat vrentem & æstuantem persecutionem vel tribulationem, iuxta illud Prophetæ, *Per diem sol non vret te.* In beata autem Virgine præter illam amaritudinem, quæ fuit per filij subtractionem, fuit maxima amaritudo propter affectionum, seu passionum suarum adustionem. Videns enim suum vnicum filium atque Dei vnigenitum tot & tanta indignè pati, vehementi tribulationis æstu interius percussa est, ac per consequens multum edolta, & sic in immensum amaricata. Sed vt hoc apertius capiatur, affectus doloris, qui sunt de morte amici, consideremus. Si quidem quatuor affectiones seu passiones sunt, quæ mortem amici sequuntur, secundum quod exemplo sui tradit August. lib. 4. Confessionum. Prima est cordis contenebratio, secunda mortis repræsentatio, tertia affligentium animaduersio seu consideratio, quarta inter mortem & vitam vacillatio, Et hæc quatuor conuenienter aptantur beatæ Virgini in filij sui morte & passione.

Quatuor affectiones sequūtur mortem amici.

August.

Quod cor Virginis in morte filij sui miro modo contenebratum, & per consequens amaricatum est.

Cap. I.

Prima affectio ex amici morte.

PRima affectio seu passio de morte amici est cordis contenebratio, sicut ait Augustinus, de socio suo mortuo. Contenebratum est cor meum: si igitur hoc fuit in amore sociali, quanto magis in amore maternali, naturali, gratuito & sociali. Si quidem beata Virgo filio suo per maternalem amorem vnita fuit: per naturalem amorem ei copulata fuit: per amorem gratuitum summè coniuncta fuit: per amorem socialem, ei per triginta annos sociata fuit. Quando igitur prospexit eum inter latrones suspensum tot plagis laniatum & prosetatum, & iam morti vicinum, nunquid cor eius non fuit obtenebratum? vnde merito dicere potuit illud propheticum, *Cor meum conturbatum est in me*, sicut supra, in 1. cap. præsentis sermonis dictum est. Proinde vbi fuit tanta cordis obtenebratio, maxima fuit amaritudo, vt merito dicere posset illud Thren. 1. *Subuersum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.*

Psal. 37.

Thren. 1.

Quod de omnibus, quæ circa mortem Christi beata Virgo videbat, summam amaritudinem sentiebat.

Cap. II.

Secunda affectio ex morte amici.

August.

SEcunda affectio, seu passio sequens ex amici morte est mortis repræsentatio: quicquid enim aspicit circa morientem, & causam mortis eius, qui de morte amici dolet, mors sibi videtur, secundum Augustinum in 4. Confessionum, ait enim: Quicquid enim aspiciebam, mors erat. Si igitur inter amicos, vbi tantum conuictus communicatio est, ex hoc tanta est impressa mortis similitudo, quanto magis fuit in Virgine benedicta & dilecto suo filio; inter quos tanta indiuidua & quoad ortum, & educatum, & famulatum, & amorem tenerrimum amicitia conuiuciturextitisse, vt videlicet summa mortis impressio esset in ipsa, ea his quæ circa morientem cernebat, ac per consequens maxima cordis amaritudo, vt verè conueniat illi præcipuè lamentabilis vox Eccles. 41. cap. *O mors quam amara est memoria tua.* Et illud 1. Reg. 15. *Siccine separat amara mors.*

Eccles. 41.

1 Reg. 15.

Quod visio, consideratio & recordatio eorum, quæ affligebant Christum, in Virgine Maria maximam amaritudinem causabant.

Cap. III.

Tertia passio ex amici morte.

August.

TErtia passio est affligentium inuentio seu consideratio aut recordatio. Quicquid enim meminerit, illi afflictio est. Vnde Augustinus vbi supra, ait: Et erat mihi patria supplicium, & paterna domus mira infœlicitas: & quicquid cum illo comederam, sine illo in cruciatum vertebatur. Quod si in dilectione puri hominis hoc fuit: quanto magis in dilectione Dei & hominis: & non tantum socij, sed vnigeniti hoc fuit? Nam quicquid occurrebat conspectui gloriosæ Virginis, afflictio & cruciatus fuit, & maxime quando tam amicum filium mortuum tanta crudelitate conspexit. Si enim *Rachel plorans filios suos noluit consolari*, vt dicitur Matth. 2. quanto magis nec Maria Virgo. Vnde Christo ascendente in crucem dici poterat ei illud Hierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.*

Matth 2.

Hierem. 6.

Quod tantus erat amor beatæ Virginis ad filium, quod infinities pro eo mori voluisset.

Cap. IV.

Quarta passio ex amici morte.

August.

QVarta passio est inter mortem & vitam vacillatio: ait enim August. in eodem 4. Confes. Nescio an vellem pro illo sicut de Oreste & Pilade traditur: vel vellem pro inuicem vel simul mori, quia morte peius erat non simul viuere. Iste quidem modus amantium est velle pro inuicem mori. Nec dubium hoc erat amoris in Virgine benedicta, vt infinities si fieri potuisset, se morti pro filio tradidisset. Si enim hoc voluit Dauid pro filio suo: quanto magis hæc pro suo, vt magis conueniat ei vox illa 2. Reg. 18. *Quis mihi det, vt ego moriar pro te fili mi?* Quippe quasi animam suam diligebat eum.

2. Reg. 18.

QVÆSTIO. Cur ergo non est mortua beata Virgo, si tanto dolore repleta fuit? Si quidem hoc audiuimus de vxore Phinees. 1. Reg. 4. quod in captione arcæ & viri sui morte præ dolore mortua est. Ad hoc respondet Ansel. quod mortua fuisset, si Spiritus sanctus eam non confortasset. Vnde ait. Pia Domina non crediderim te vllo puncto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere: nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus dulcedinis filij tui, pro quo moriente tantopere torquebaris: te confortaret, te consolaretur, te intus doceret non esse mortem eum assumentem, sed magis triumphum, omnia ei subiicientem, quod in ipso fieri coram te moribunda videbas. Patet igitur quātos affectus mors filij in Maria habebat, quæ tot amaritudinibus eam replebat. Vnde figurata est per Sunamitem. 4. Reg. 4. de qua mortuo filio Heliseus dicit. *Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est.*

Maria cum tanto dolore ob filij mortem repleta fuerit cur non mortua.

B. Ansel.

Bellensis.

Articvlvs Tertivs.

De quatuor, quæ inuicem miscebantur, ex quibus in Virgine causabatur maxima amaritudo.

In mari est adustarum partium adinuicem permixtio.

TErtio in mari est adustarum partium adinuicem permixtio. Sic & in passione Domini ex permixtione causarum doloris in beata Virgine amaritudo maxima causabatur. Quatuor fuerunt, ex quibus quasi quadam commixtione causabatur in beata Virgine maxima amaritudo, vel immensa. Primo ea, quæ vidit in filio. Secundo ea, quæ vidit circa filium in amicis fugientibus. Tertio ea, quæ vidit circa filium in inimicis persequentibus. Quarto ea, quæ considerabat in occurrentibus, quasi fuerunt in ea aspectus commixti. Primus respectu filij, secundus respectu amici, tertius respectu inimici, quartus respectu sui.

Multa stupenda, quæ videbat in filio causa fuerunt in Virgine amaritudinis summæ.

Cap. I.

Stupenda quæ vidit B. Virgo in filio amaritudine repleuerunt eam. Bern.

PRimo quidem fuerunt causa amaritudinis & doloris in Virgine ea, quæ vidit in filio. Vidit quippe in eo pretium mundi, pretio vili distractum: fortitudinem Sanctorum in agonia factam: speciosum forma præ filiis hominum, sudorem sanguineum: Dominum mundi vt latronem comprehensum. Virtutem cœlorum arctioribus vinculis constrictam: Columnas cœli contremiscere facientem, ad columnam vinctum: orbis conditorem, ictibus liuidum: in cuius manu vita & mors, flagellis diruptum & laniatum: Iudicem sæculi coram impiis vt iudicetur adductum. In cœlis glorificatum & honoratum, à scelestissimis spretum: Cælorum regem à sceleratis illusum: Caput omnium Principum & Potestatum arundine percussum, & sic riuulis sanguineis cruentatum, spinis coronatum: & tandem iniusto iudicio morti adiudicatum. Vidit summam altitudinem abiectam vilitate, summas delicias afflictas pœnalitate, summam opulentiam circundatam paupertate, summam lucem obscuratam tenebris: summum honorem confusum opprobriis: summum amabile afflictum improperiis: vidit insuper quod candet nudatum pectus: Rubet cruentatum latus. Quod tensa arent viscera, Quod decora languent lumina, Quod regia pallent ora, Quod procera rigent brachia, Quod crura pendent marmorea, Quod rigat terebratus pedes beati sanguinis vnda. Verè igitur in amaritudine erat anima Mariæ spectans hæc & contemplans omnia, vt dicere possit illud Thren. 3. *Repleuit me amaritudinibus & inebriauit me absinthio.*

Thren. 3.

Quod magnam amaritudinem præstiterunt Beatæ Virgini ea, quæ vidit in discipulis & amicis Christi tempore passionis eius.

Cap. II.

Fuga Apostolorum amaritudinem auxit. B. Virgini.

SEcundo quidem fuerunt causa doloris & amaritudinis in Virgine ea, quæ vidit circa filium suum in amicis fugientibus, quando, s. discipuli, Petrus & alij in apostolatum electi secretorum eius conscij atque familiares in cunctis effecti, instante passionis hora fugam inierunt: & eum, pro quo paulo ante se mori spoponderant, solum cum matre sola relinquerunt. Proinde inducit eam Anselmus sic loquentem. Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus: non tibi occurrit Petrus, qui dixit, pro te moriar, relinquit Thomas, qui ait, Cum eo omnes moriamur: & nullus ex his nisi tu solus diceris, qui me castam conseruasti filius meus. Sed dices; quod ei magnum solatium fuit, quod Ioannes recepit eam in matrem. Sed quæ in hoc consolatio, vbi æterni pro temporali, est commutatio? O commutatio deploranda, pro æterno & incommutabili Deo, purum & corruptibilem hominem: pro naturali & vnico filio, alium accepit in filium. O Domina, qui precor, cogitatus in te succedebant, quando tam ineffabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? Verè pertransiuit animam tuam gladius tanti doloris. Cogita ergo, quanta fuit amaritudo in corde Virginis benedictæ.

Anselm.

Maria pro æterno filio temporalem filium suscepit, Ioan. Ioan. habuit.

Quod magnam amaritudinem beatæ Virgini præstiterunt ea, quæ vidit fieri à persequentibus Christum.

Cap. III.

Inimicorum in Christum persecutio Mariam amaritudine replebat.

TErtio vero causa fuerunt amaritudinis & doloris in Virgine ea, quæ vidit circa filium in inimicis persequentibus. Magna profecto fuit in Virgine amaritudo, quando impios Iudæos vidit malignis minis vnicum filium suum impetentes, nefandissimis contumeliis afficientes, in quem desiderant Angeli prospicere alapis cædentes, immundissimis sordibus conspuentes, ligantes, flagellantes, beatos oculos velantes, & impiissimis verbis illudentes, spinea corona coronantes, crucifigentes, manus & pedes perforantes, inter latrones suspendentes, & hoc in solemni die, in regia ciuitate, in communi frequentia populorum, & in loco damnatorum. Intuebatur quod erat inter eiulatus vicinorum, quòd inter lamenta propinquorum, quòd inter opprobria exprobrantium, quòd inter insultationes inuidentium, quod inter irrisiones illudentium, quod inter oblocutiones maledicentium.

Quod quia Beata Virgo passioni filij præsens erat, nec illum poterat adiuuare, aut ei modo aliquo subuenire, ideo maxime cruciabatur.

Cap. IV.

Quæ augebant dolorẽ in Virgine in Passione Christi. Primum.

QVarto insuper fuerunt causa amaritudinis & doloris in Virgine ea, quæ considerabat in occurrentibus, s. in passione. Tria profecto in tunc occurrentibus maximè considerabat, quæ sibi augmentabant amaritudinem & dolorem. Primum erat præsentia, secundum impotentia, tertium erat nescientia. Primum erat præsentia: quia s. erat præsens ad videndum; eo quod sub oculis eius filium suum crucifigi & lacerari videbat. Multum si quidem dolet mater, quando audit morte horribili filium suum mori: sed maxime cruciatur, quando ante oculos suos videt filium suum vulnerari atque occidi. Quanto ergo dolore Virgo benedicta cruciabatur, quando videbat filium suum mortuum, tanta confusione & cruciatu, & ante oculos suos. Secundum erat impotentia, quia scilicet impotens erat ad adiuuandum. Magna consolatio est matri, quando assistit filio morienti, & in aliquo potest subuenire illi. Sed Virgo beata in nullo poterat subuenire filio suo. Audiebat illum sitire, nec poterat ei porrigere potum. Videbat corpus eius vulneribus laceratum, nec poterat eius vulnera alligare & aliquod remedium adhibere. Cernebat corpus illius cruentatum, nec poterat linteo abstergere & prouidere. Considerabit ipsum malè tenere caput, & illud non poterat sustentare. Conspiciebat eum in cruce flentem, & lachrymas eius tergere non valebat. Prospiciebat sanguinem eius in terram fluentem, & illum recolligere non poterat. Contemplabatur ipsum animam expirantem, & illum non poterat osculari & amplexari. Proinde dicere poterat illud, quod dicitur. 1. Reg. 1. *Mulier infœlix nimis ego sum.* Tertium erat nescientia: quia, scilicet inscia erat ad auxilium vel consilium postulandum

Maria amaritudine replebatur quia videbat omnia filij tormenta.

Secundum Maria amaritudine replebatur, quia filium adiuuare nõ poterat.

1 Reg. Tertium. Maria amaritudine.

[...]plabatur, [...] ad auxilium vel consilium postulandū in [...]scia. *Eccle. 51.* *Ps. 68.*

postulandum. Omnes quippe discipuli fugerant, nullumque in tanta tribulatione ipsa & filius eius auxiliatorem inuenit. Vnde in persona Domini vel Virginis Ecclef. 51. cap. ait: *Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.* Nullumque habuit compatientem: & de hoc etiam in persona Domini Propheta ait: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit.* Et quod admirabilius est, nullum habuit consolantem. Ideo sequitur, *& qui consolaretur, & non inueni.* Nullum insuper habuit associatorem. Vnde Iob 19. cap. in persona Domini inquit. *Dereliquerunt me propinqui mei: & qui nouerunt me obliti sunt mei.* Et iterum Propheta etiam in persona stupentis Christi ad Patrem ait.

Iob. 19. *Psalm. 87.*

Elongasti, id est, elongari permisisti, ô Pater, *à me amicum & proximum & notos meos à miseria*, vt sit interiectio dolentis vel admirantis, vel à miseria, scilicet amicus & proximus elongati sunt à me. Quando igitur Beata Virgo Maria hæc omnia perspexit & apud se de omnibus istis contulit, nunquid non summam amaritudinem habuit? Verè igitur amarum mare Maria, in quo tot fluctus & flumina amarissima intrauerunt. Singula quidem circunstantia passionis quasi flumen singulum est doloris & per consequens amaritudinis. Propterea ad eam merito dici potest illud Thren. 2. c. *Magna velut mare contritio tua.* Et hoc mare per impatientiam non redundabat, sed omnia ista flumina in se per sustinentiam absorbebat sicut Ecclef. 1. cap. mysticè scriptum est. *Omnia flumina intrant in mare*, id est in Mariam: *& mare non redundat*, scilicet per impatientiam: redundat tamen in nos per eam mare largitatis diuinæ, quia de plenitudine eius accepimus omnes in præsenti gratiam & in futuro gloriam, quam nobis misericorditer largiatur dulcissimus & dilectissimus filius eius, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto gloria est omnium beatorum, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Thren. 2.

Maria per impatientiā ob filij dolores non redundabat. *Maria largitatis diuinæ mare in nos redūdat.*

SYNOPSIS

Eorum quæ maximè continentur in hoc Sermone.

De Glorioso nomine Virginis Mariæ, & quomodo Maria Domina interpretatur.

Sermo III.

Quomodo nomen Mariæ significat Dominam. *Luc. 1.*

NOMEN *Virginis Mariæ.* Iterum vbi sup. Luc. 1. Testis est conscientiæ Deus, quod si quando cœlesti gratia largiente exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus, vel per horulam occupari, tanta mentis lætitia saucior: tanta interius suauitate perfundor, vt cunctis mundi vanitatibus & concupiscentiis conculcatis, nil malim, aut appetam quàm cum Ipso lætitiæ spiritu, si daretur exilire statim ad Dominum, antequam illud gaudij spiritalis curis iterum redeuntibus auferatur: & stimulante memoria delictorum cithara mihi vertatur in luctum: & iobilus, proh dolor, in lamentum. Vide igitur quantæ sit fœlicitatis & gloriæ in illa patria Dei Genitricem & Virginem benedictam stipatam ordinibus Angelorum, choris Virginum comitatam, vultu plenissimo gratiarum in suæ dignitatis solio præsidentem reuelata iam facie contemplari: quandoquidem in sordibus carnis adhuc & mundi luto degentibus iam læta contingit in eius nominis contemplatione sentire. Ad ipsum itaque Mariæ nomen iterum contemplandum, iterum atque iterum descendere libet. Satis igitur superius declaratum est, quomodo Maria interpretatur stella maris, & amarum mare: iam descendere libet ad tertiam contemplationem illius, secundum quod Maria Domina interpretatur. Et circa hoc tria consideremus. Primo dominij definitionem seu proprietatem, secundo eius dominij magnitudinem, tertio sui dominij multiplicationem.

In Mariæ nominis contemplatione læta sentiebat. D. Bern.

ARTICVLVS PRIMVS.

De vera dominij vel dominationis definitione, quæ Beatæ Virgini ostenditur conuenire.

Dominatio quid.

PRimo quidem consideremus dominij definitionem seu proprietatem. Nam illa vera dominatio est, quæ nulli prælationi est obnoxia, id est subdita: nullius adiutorio est inoixa: nullius est subiectionis indiga: Et in omnes per prouisam sui bonitatem affluentissimè largissima vel profusa est. Cum igitur hæ proprietates primo & per se in solo Deo reperiantur, consequenter in Maria inueniuntur. Quod sic patere potest, si de singulis subiungamus.

Quod Dominium Beatæ Virginis, seu Beata Virgo nulli pura creatura subiecta est.

CAP. I.

Primo. Maria Domina quia nulli puræ creaturæ prælationi subdita est Maria omnis creaturæ Domina. *Gen. 16.*

PRimo quidem dominatio est vera, quæ nulli prælationi est obnoxia. Sic & Beata Virgo. Nullius quippe puræ creaturæ prælationi obnoxia est. Quomodo enim subiiceretur creaturæ, quæ mater effecta est creatoris? immo mater Domini omnis creaturæ, effecta est Domina omnis creaturæ: igitur quia genuit creatorem, Domina facta est omnis creaturæ. Vnde merito dici potest ad quamlibet creaturam illud Genef. 16. *Reuertere ad dominam tuam & humiliare sub manu ipsius.* Ad litteram dicitur ad Agar de Sara. Quippe ipsa est verè Sara, quæ Princeps interpretatur: quæ

B. Virgo mystice dicitur Sara. Sara id est Princeps. Eccl. 24. Maria verum Isaac genuit. Maria Domina creaturæ quomodo. Luc. 2. Bern.

verum genuit Isaac, scilicet Filium Dei, in cuius semine benedicentur omnes gentes, per quem omnis creaturæ principatum habuit. Proinde Eccles. 24. in persona Virginis Mariæ ait. *In omni gente & populo primatum habui*, id est, si fas est dicere: non tantum facta est Domina omnis creaturæ, verum etiam ipsius creatoris, sicut Luc. 2. cap. scriptum est, *Et erat subditus illis.* Proinde hæc est vera: Deo subdita est omnis creatura & Beata Virgo, Beatæ Virgini subdita est omnis creatura & Deus. Vnde Bernard. super Missus est, Homil. 2. inquit. Deus cui seruiunt principatus & potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed & Ioseph propter Mariam. Hæc enim est humilitas sine exemplo, sublimitas sine socio, verè igitur Beata Virgo Domina est.

Quod dominatio gloriosæ Virginis nullius creaturæ adiutorio indiget.

CAP. II.

Secundo. Maria mystice Esther. Esther. 15. Ad Mariæ exilijs Rex de solio id est Filius Dei.

SEcundo nullius adiutorio seu auxilio est innixa, sic & Beata Virgo. Cui enim inniteretur, quæ ab æterno Rege Dei Filio sustentatur, ipsa mysticè est Esther: ad quam exiliit Rex de solio, id est Dei Filius de cœlo sustentans illam vlnis suis. Esther 15. Esther eleuata in populis interpretatur. Et merito significat Virginem benedictam, Dominam omnium populorum. Præterea cuius auxilio inniteretur Virgo benedicta, nisi super dilectum suum, in quo est omnium consolationum abundantia, omnium bonorum copia, & omnium delectationum & suauitatum affluentia. Vnde Cantic. 8. admirantur Angeli, atque dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum suum.* Vnde Bernardus in sermone de vigilia Natiuitatis ait. Plena est gratiarum, plena est rore cœlesti, innixa super dilectionem suum, delicijs affluens, puella præparata & prælecta altissimo filio, verè igitur domina est.

Quod dominatio gloriosæ Virginis nullius subiectionis indigentiam habet.

CAP. III.

Tertio. Roman. 2. Maria nullius rei indiget. Tob. 10. Luc. 2. Sap. 7. 3. Reg. 2.

TErtio nullius est subiectionis indigentia. Sic & Beata Virgo Maria: ipsa enim habet filium, in quo sunt omnia; secundum Apost. Roman. 2. Quia igitur omnia in filio possidet, quomodo alicuius rei indigere potest? Siquidem bonorum nostrorum non eget. Hæc mysticè Anna, quæ verissimè dicere potuit cum Ioseph, illud Tob. 10. *Omnia simul in te vno habentes non debuimus dimittere te à nobis*, quando scilicet reuersi à Hierusalem per iter diei & dolentes quærebant eum. Luc. 2. Præterea omnis indigentia alicuius est, vt aut id quod non habetur acquiratur, vel quod habetur custodiatur. Sed quid non habet hæc Domina mundi, quæ ab Angelo prædicata est gratia plena? Quippe omnium bonorum mater est. Sapient. 7. igitur nullius indiget. Cuius etiam custodiæ indiget, quæ Spiritum sanctum in se sentit superuenientem, virtutem Altissimi obumbrantem, Filium Dei ex ipsa nascentem: & post in cœlum ipsam assumentem & ad eius dexteram collocantem? Siquidem positus est thronus matri Regis, quæ sedebat ad dexteram eius, vt mysticè 3 Reg. 2. de Beata Virgine dictum est. Merito ergo Domina nuncupatur.

Quod Virgo Beata donorum, & beneficiorum largissima dispensatrix est.

CAP. IV.

B. Virgo benefactrix pia donorum. Esther 2. Bernard. Maria omnibus impleat vasa, nisi impediant recipientes. 10. Reg. 4. 3. Reg. 10.

QVarto in omnes per prouisiuam sui bonitatem affluentissimè largissima est sic & gloriosa Virgo Maria: hoc enim verè pertinet ad dominationem, vel principatum, scilicet larga donorum vel beneficiorum collatio. Vnde Esther. 2. de Rege Assuero dictum est, quod dona largitus est iuxta magnificentiam principalem. Sic & Beata Virgo largissima est. Proinde Bern. ibi ait, inuocantibus eam subuenit vniuersis. Denique omnibus omnia facta, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Quod si non recipiant aliqui, hoc est propter recipientium impedimentum, non propter largitatis eius defectum: quoniam adiuuante filio suo, quandiu affluunt vasa, ipsa oleo lætitiæ & misericordiæ, illa implet, vt mysticè 10. Reg 4. positum est: Hæc est Regina Saba, quæ preciosa aromata, id est, virtutum munera attulit Hierusalem, id est ad Ecclesiam sanctam. Vnde mysticè 3 Reg. 10. scriptum est. *Non sunt allata aromata, tam multa, quam ista, quæ dedit Regina Sabba Regi Salomoni.* Verè igitur domina dicenda est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De magnitudine dominij Virginis benedictæ, quod in quatuor Regina huius dominium apparet magnum.

V. Maria Dominij magnitudo. Eccl. 24.

SEcundo consideremus dominij Virginis magnitudinem: Siquidem tanto maior est Dominus, quanto maius dominium habet. De magnitudine dominij illius in persona eius Eccles. 24. cap. ait. *Gyrum cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti, & in omni populo & in omni gente primatum habui.* In quibus verbis exprimit magnitudinem dominij sui, videlicet quia dominatur in quatuor regnis. Primo in cœlo, secundo in inferno, tertio in purgatorio, quarto in mundo.

Quod Beata Virgo est Regina & Domina cœli, & in gloria superat omnes Sanctos.

CAP. I.

B. Virgo Dominatur in quadruplici regno. Maria Virgo est super omnem puram creaturam. Maria matter Regis ser per omnes ordines collocanda. Maternitas Virginis. Humanitas Christi transfendit.

PRimo enim inquit, quod dominatur in regno cœli, propterea dicit, *Gyrum cœli circuiui sola.* Ipsa quippe tanquam domina cœlorum cœlum circuiuit & vbique principatum eius accepit, vel dicitur circuire gyrum cœli, quia omnes Sanctos circuit atque gyrat & superat in gloria sempiterna: est enim mater Dei. Maius est enim quod ipsa sit mater Dei, quam quod sit domina creaturarum Dei. Hoc enim dependet ab illo, sicut ramus à radice sua. Proinde certitudinaliter tenendum est, quod ipsa sit super omnem puram creaturam in gloria exaltata, tanquam per se implens & continens vnum integrum & totalem statum, cui secundum tectam rationem altera persona congruè non potest addi, quia ipse status ex sui ratione propter dignitatem incommunicabilem exigit vnitatem. Sicut enim nullatenus decet plures esse Christos, nec Deum plures homines esse: sic nullatenus decet Dei Filium, nisi vnam solam matrem naturalem habere. Sed ratio naturalis ex gratuita lege apertè ostendit atque directè dictat, quod mater Regis omnium est in sede regia super omnes ministrorum ordines collocanda. Proinde quia est electa in matrem, est electa ad dignitatem transcendentem omnem dignitatem ministrorum, & famulorum: quia ratio materni amoris eius, qui fertur in Deum, vt in filium suum realem, à nullo alio affectu cuiuscunque, qui non est realiter mater Dei, præterquam ab illa vnquam participari potest. Præterea anima Christi, & Christus in quantum homo transcendit omnem ordinem naturæ creatæ. Gradus enim matris conformis est ipsi homini Christo: cuius humanitas in tantum transcendit totum ordinem primæ conditionis, quod omnino est extra, & supra integritatem ordinis

ordinis vniuersi : propterea non potuit contineri ab vniuerso. Sed dignitas maternitatis Dei sic operi incarnationis connexa est, quod omnino aliter non potuit dari. Vnde Ecclesia ad virginem ait. *Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Merito ergo ait Beata Virgo. *Gyrum cœli circuiui sola.* Ex hoc enim Bernard. in quodam sermone exclamans ait. O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit : & *qui tribus digitis molem terræ appendit.* Magnum est ergo dominium eius, vt merito per antonomasiam Domina nominetur. Sed de hoc latius in Quadragesimali primo, de Christiana Religione, sermone 61. art. 3. quasi per totum.

Bernard.

Isa. 40.

Quod Beata Virgo dominatur omnibus dæmonibus infernorum.

Cap. II.

Virgo dominatur in regno inferni

SEcundo dicit, quod dominatur in regno Inferni: propterea inquit, *Et profundum abyssi penetraui.* Non enim tantum dominatur dæmonibus, qui sunt in superficie ipsius inferni, nec insuper tantum mediocribus, qui quasi sunt in medio : sed insuper & maxime qui sunt quasi in profundo, propterea non ait, Penetraui superficiem seu medium, sed *profundum abyssi.* Merito ergo competit ei etymologia huius nominis, secundum enim Catholicon, & Papiam, Dominus vel Domina dicitur quasi domans manus, quia ipsa domat dæmonum manus, & potestates. Proinde Genesis 3. c. mysticè dæmoni dictum est, *Ipsa conteret caput tuum.* Et ipsa Ecclesiast. 24. c. ait : *Omnium excellentium, & humilium aliàs sublimium, colla propria virtute calcaui.* Sicut enim serpens vicit humanum genus mediante peccato Euæ inclinante Adam ad vetitum cibum, consummatio vero fuit in esu Adæ : sic per meritum Virginis inclinantis ad se Deum, vt assumeret carnem nostram inchoata est conculcatio Sathanæ, & reparatio nostra : & per Deum incarnatum consummata est. Proinde mysticè Apocal. 12. capite dicitur, *Mulier amicta Sole*, id est, veritate solari, sapientia, & charitate Christi, *habens sub pedibus Lunam*, id est temporalia, & creata, *& stans in cœlo.* id est in supercælestibus mente & contemplatione stabiliter fixa : *habens in vtero*, id est in viscerali, & maternali affectu filium Dei, & totum mysticum Christum : hoc est caput cum toto corpore electorum, atque triumphat de dracone ruso habente capita septem, & cornua decem, id est triumphat de diabolo, qui principium est omnis virulentæ malitiæ. Nam omnia capitalia vitia, & vniuersa præuaricatio præceptorum Dei ex eo initium sumpsit.

Dominus & Domina vnde.

Gen. 3.

Eccles. 24.

Incarnatione Dei reparatio generis humani consummata est.

Apoc. 12.

Quod Beata Virgo dominatur etiam ijs, qui in Purgatorio sunt.

Cap. III.

De dominio Virginis in regno Purgatorij.

TErtio subdit, quod in regno Purgatorij dominium tenet : propterea inquit, *Et in fluctibus maris ambulaui.* Pœna siquidem purgatorij, ideo dicitur *fluctus*, quia transitoria est : sed additur *maris*, quia nimium est amara. Vnde 25. dist. c. qui in aliud seculum. distulit fructum conuersionis, prius purgabitur igne purgationis, hic ignis, & si non sit æternus, miro tamen modo grauis est. Superat enim omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis in hac vita, vel pati potest Idem quoque ponitur de pœniten. d. vlt. in fine, vbi etiam subinfertur. Nunquam in carne inuenta est tanta pœna : licet mirabilia martyres passi sint tormenta, & multi nequam quanta sæpe sustinuerunt supplicia. Et ab iis tormentis liberat Beata Virgo, maxime deuotos suos. Et hoc est quod ait, *Et in fluctibus maris ambulaui*, scilicet, visitans, & subueniens necessitatibus, & tormentis deuotorum meorum : immo & omnium, qui ibi existunt, quia filij eius sunt, cum sint filij gratiæ, & in gratia confirmati, atque de gloria certificati.

Maria à pœnis purgatorij suos deuotos liberat.

Quod Beata Virgo omnium statuum animarum, quæ in mundo sunt, dominium habet.

Cap. IV.

QVarto subdit, quod dominatur in regno mundi. Et de hoc inquit, *In omni terra steti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui.* Tria genera hominum in regno mundi reperiuntur. Primi sunt carnales, secundi sunt spirituales, tertij sunt animales, seu primi sunt timentes, secundi feruentes, tertij negligentes, seu quidam sunt mali, quidam boni, quidam tepidi. Primo dominatur malis & terrenis, qui terrena sapiunt, eos ad pœnitentiam reducendo : ideo inquit, *In omni terra steti*, quia inter peccatores qui terra seu terreni sunt, non iacet neque sedet, sed erecta stat ipsos adiuuando, protegendo & à vitiis retrahendo. Merito ergo peccator, audi Bern. in quodam sermone dicentem, si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ anxietate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus, Mariam inuoca : non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans, non erras : ipsam sequens, non deuias : ipsa tenente, non corruis : ipsa protegente, non metuis : ipsa duce, non fatigaris : ipsa propitia, peruenis : & sic in temetipso experiri poteris, quàm merito dictum sit, Et nomen Virginis Maria. Secundo dominatur bonis, eos in gratia multiplicando, & conuersando, propterea subdit, *Et in omni populo*, populus enim dicitur à polis, quod est ciuitas. Est enim, secundum Catholicon, populus humanæ multitudinis cœtus iure, consensu & concordi communione sociatus. Et significat bonos, in quibus est vnio voluntatum. In ijs Beata Virgo primatum tenet, atque eos in Dei gratia fouet. Tertio dominatur tepidis, eos in charitatis feruore proficere faciendo, propterea subdit : *Et in omni gente primatum habui.* Gens dicitur à gigno, gignis : quia sunt sicut geniti exierunt : per baptismum siquidem generatur homo. Vnde 1. Cor. 4. Corinthiis ait. *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Sunt profectò homines quidam, qui in nullo bono proficiunt, & nullam virtutem apprehendunt : sed sicut geniti sunt, non in innocentia, sed in negligentia, & desidia viuunt. Tali enim Apoc. 3. c. à Domino dictum est : *Vtinam calidus esses, aut frigidus, calidus*, scilicet per amorem : *aut frigidus*, scilicet per timorem, sed quia tepidus es, id est à bono opere torpens, neque calidus, neque frigidus, id est, neque diligens, neque timens, scilicet tanquàm infans nuper baptizatus, *incipiam te euomere ex ore meo*, quia tales diuino iudicio abominabiles fiunt Deo & mundo. In talibus Beata Virgo primatum habet, quia eos ad amorem, aut ad timorem solicitat & inducit.

Dominatur in regno mundi B. Virgo.

Bernard.

Maria inuocanda.

Maria bonis dominatur.

Maria tepidis dominatur.

1. Cor. 4.

Apoc. 3.

Articvlvs Tertivs.

De multiplicatione dominij Beatæ Mariæ Virginis, & de quadruplici multiplicatione subditorum.

TErtio consideremus dominij Virginis multitudinem. Quippe quo maior est seruorum multiplicatio, eo excellentior est dominatio, multos equidem Maria habet subditos, quibus magnificè dominatur. Et hi in quatuor genera distingui possunt. Primi sunt serui, secundi sunt amici, tertij sunt filij, quarti vero sunt inimici. Pro quo Cantic. sexto capite mysticè scriptum est. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

V. Maria dominij multitudo.

Maria quatuor subditorum genera habet.

Cant. 6.

Quod

Quod merito Beata Virginis peccatores ad Dominum conuertuntur.

Cap. I.

Maria seruis Dominatur. Cant. 4.

PRimo dominatur seruis, id est, ad Dominum de nouo conuersis: & in hoc est quasi *aurora consurgens*, effugans atque expellens ab eis omnes tenebras præteritæ culpæ, & afferens lucem gratificantis gratiæ. Proinde Cant. 4. c. in die assumptionis Beatæ Virginis à Domino dictum est. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano: veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum*, ait enim. *Veni de Libano:* Libanus enim candidatio interpretatur: & significat mundum propter candorem vanitatis suæ. Vnde Isa. 10. c. de mundi vanitate inquit. *Libanus cum excelsis cadet*, & Nahum 1. *Flos Libani elanguit*. Et gloriam de conuersione peccatorum ei permittens, nominat diuersos Palestinæ montes, per quos conuersi de sceleribus merito Beatæ Virginis significantur. Vnde ait: *Coronaberis de capite Amana.* Amana enim interpretatur coangustatio opprimens, & significat per violentiam animorum oppressores. Sanir interpretatur nocturna auis: & significat per ignorantiam offendere. Hermon interpretatur anathema mœroris, vel tristitiæ, & significat omnes offendentes per prosperitatem, atque delitias. Per cubilia leonum intelliguntur raptores, atque violenti. Per montes vero pardorum, deceptores, proditores, & fraudulenti significantur. Pardus enim maculosum animal est, habens maculas multas varij coloris in pelle sua. Proinde merito antedicti significantur.

Isa. 10. Nahum 1. Pardus symbolum proditorū.

Quod nulla gratia ad animas de cœlo descendit, quæ non à Virgine Maria dispensetur.

Cap. II.

Maria amicis dominatur. Bernard. Hieron. Maria collū omnes gratias transfundens. Cant. 7.

SEcundo dominatur amicis, id est, spiritualibus & deuotis: & in hoc est *pulchra vt Luna*, quia dispensat eis diuinæ sapientiæ lucem & cœlestis gratiæ rorem. Vnde Bern. ait: Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. Hinc Hieronymus in sermone de Assumptione ait: in Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente: in Maria vero sicut in collo transfundente. Propterea Cant. 7. de Virgine ad Christum Salomon loquit, *Collum tuum sicut turris eburnea.* Nam sicut per collum spiritus vitales à capite diffunduntur per corpus: sic per Virginem à capite Christo vitales gratiæ in eius mysticum corpus, & specialius in amicos, atque deuotos continue transfunduntur. Vnde iste hierarchicus ordo, & defluxus, cœlestium gratiarum, vt prius à Deo defluat in Christi animam benedictam: quia vt dicitur Iac. 1. *Omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Deinde defluat in animam Virginis, inde in Seraphin, deinde in Cherubin: & sic successiuè in alios ordines Angelorum, atque Sanctorum: demum in ecclesiam militantem, & maxime in amicos Dei, & Virginis gloriosæ.

Ordo defluxus gratiarum. Iac. 1.

Quod Beata Virgo est domina Angelorum & incomparabilis superat in gloria totam multitudinem Beatorum.

Cap. III.

Angelis dominatur V. Maria. Maria omnem spirituū beatorum multitudinē irradiat. Hug. de sancto Vict.

TErtio dominatur filiis, id est, Angelis. Et in hoc est *electa vt Sol*, scilicet ad irradiandam totam multitudinem spirituum beatorum. Cum autem Beata Virgo Regina sit cœli, & mater filij Dei, tantum habet seruorum numerum, quantum filij sui implent mysterium, sed secundum Hug. de S. Victor. super 9. cap. de Angelica hierarchia, Sola diuina scientia, quæ omnia nouit, scit numerum supernorum virtutum, & sola discernit eas, & plene cognoscit. Vnde secundum quosdam, solus numerus Angelorum superat atomos in aëre volitantes. Si igitur tantus est numerus Angelorum, quantus erit aliorum spirituum supernorum? cum secundum quosdam pro quolibet Angelo sint decem Archangeli: pro quolibet Archangelo sint decem Principatus: & sic de singulis ascendendo. Huius quidem opinionis ratio est, quia secundum Apost. 1. c. ad Rom. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed secundum naturales, aqua in decuplo maior est quam terra: & aër in decuplo maior est, quam aqua: & ignis in decuplo maior est quam aër. Et secundum quosdam, de singulis recte est vsque ad empyreum cœlum. Ex his igitur visibilibus secundum regulam Apostolicam trahi potest, quod in decuplo sunt plures Archangeli, quàm Angeli: Principatus quam Archangeli, & sic de aliis cunctis. Omnes igitur Angelici spiritus sunt huius gloriosæ Virginis ministri, atque serui. Quomodo enim non essēt serui illius, per quam eorum quantum ad numeri integritatem reparatio facta est, per cuius filium eorundem facta est purgatio, illuminatio, & consummatio, id est, gloriæ consummatæ perfectio. Verè igitur Domina dici potest, atque merito habent de illa omnes cœlestes spiritus confiteri, & dicere illud 4. Reg. 10. *Serui tui sumus, quæque iusseris faciemus.* Merito ergo competit ei nominis etymologia: quia secundum Papiam, Dominus vel Domina dicitur, eo quod domui præsit, ipsa quippe præest domui Dei, id est, empyreo cœlo, Ecclesiastico teste, qui 26. cap. de ipsa ait. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.*

Pro Angelo quolibet sūt decem Archangeli & sic de singulis ascendendo. Rom 1. Aqua decuplo maior terra & sic ascendendo. Angeli omnes subiiciuntur B. Virg. imperio suo. 4. Reg. 10. Eccles. 26.

Quod Beata virgo omnes dæmones terret virtute sua.

Cap. IV.

V. Maria dæmonibus dominatur. Dominus dans minas dicitur. Belli apparatus quāti sit decoris.

QVarto dominatur aduersariis & inimicis. Dicitur enim Dominus vel Domina, quasi dans minas, secundum Papiam, & etymologia est. Ipsa enim inimico humani generis dominatur, & minas infert: propterea Salomon subdit, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Nouerunt illi, quorum vsus est in rebus bellicis exerceri, armatas acies, & in prælium ordinatas quanti sit decoris pariter & timoris aspicere, quantum apparatus delectet & exterreat armatura. Cum videas in campis patentibus digesta per ordinem hinc inde fortium agmina bellatorum vexilla fulgentia, scuta diuersi generis & coloris, rutilas cassides, & ferri species animatas, pugnantes eminus hastas, & longe minantia tela: acutos gladios & imbui cruore paratos: Armorum strepitus, hinnitus equorum, euentum belli saltu fremitúque monstrantium: pauescere singulos, & tamen virtutis signa prætendere. Alios impetum facere, alios obstare currentibus, alios turmas instruere, alios in cumulum cogere disgregatos. Omnes signum Ducis & vultum attendere indifferenter, vtrumque victoriam mortémque sperare. Quis hæc sine delectatione peruideat, sine terrore pertranseat? Sic & Virgo Maria gratiarum nomine plena, variísque virtutibus metuenda, domesticos fidei mulcet spe pietatis, & hostes iure potestatis exterret. Prima enim vitiis bellum indixit, prima contra carnis insultus virtutum acies ordinauit, dum & virginitatem elegit, & eam humilitatis custodia communiuit, per quod & diabolo terrorem incussit, & sanctis sponsa facta est, & suauis. Cum enim fortis armatus suum custodiret atrium in quiete, hominémque peccatis obnoxium iure tyrannico possideret, vbi solutis vitiis noua sensit virtute resisti, subito consternatus,

V. Maria contra carnis insultus virtutum acies ordinauit.

Bella mihi video, bella parantur ait.

Indeque cœpit hostes expauescere: vnde fidelibus datum est exultare. Et sic vna simul, & eadē pro diuersis effectibus

effectibus apparuit terribilis & decora: quando & illis fortem in prælio, & nobis ducem pacificum parturiuit. Hinc *speciosa* dicta est, *& suauis*: quia dum merito castitatis excelleret vniuersas vt pareret in forma serui Dominum maiestatis, humilitatem spiritus summa curauit diligentia custodire, ne quo fastu super hominem raperetur, quæ suscepturа erat ab Angelis minoratum. Intelleximus igitur dominæ Virginis proprietatem, magnitudinem, & multitudinem. Oremus igitur dilectissimi fratres, Dominam nostram Virginem benedictam vt quæ mater esse meruit iudicis sæculorum pro reatibus nostris, filio satisfaciat aduocata. Quid enim in causa potest esse periculi, vbi causas hominum illa perorat, quæ habet, vnde apud Deum pro filiis hominum orare præsumatur, quia mater est Dei, habet & ille vnde clementer hominibus ignoscat, quia filius hominis est. Ambo certatim causas miserantur humanas. Mater excusando mortales, ne pereant: filius ignoscendo peccantibus, vt resurgant. Omnes igitur genitrici eius deuotissime supplicantes vitam nostram emendemus & mores, communi voto, pari desiderio, ardenti affectu postulantes, vt ecclesiam suam exaltet, ministerium nostrum acceptet, patriam tueatur, protegat ciuitatem, fideles multiplicet, abigat hostes, domesticos foueat: & omnes qui triumphale nomen Iesu, ac matris eius Mariæ inuocant, & adorant, dirigat semper, & conseruet in Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat, &c.

V. Maria merito castitatis omnes excellit.

SYNOPSIS

Eorum, quæ præcipuè continentur in hoc Sermone.

Qui est de immaculata Virginis Conceptione, tres habet articulos, & quilibet eorum quatuor continet capita.

PRO CONCEPTIONE IMMACVLATÆ Virginis.

Sermo IV.

SICVT *sol oriens mundo.* Eccles. 28. Sacramentum gloriosæ Virginis Matris Dei sublimissimum ad reuerendum, deuotissimum ad tractandum, dulcissimum ad contemplandum, hodie dilectissimi proponitur nobis; gloriosa equidem dies ista, quæ iubar solaris luminis nobis affert, dum conceptam, nobis prænuntiat Dei matrem. Eleuemus igitur omnem pietatis affectum, afferamus omnem nostrum conatum, erigamus, & illustremus cunctis viribus intellectum, ad illam, quæ vigore, dulcore, atque splendore suo cunctas pias mentes inflammat, inflammatas illuminat, illuminatas roborat, vt sciant, velint, & & possint filij sui vestigia imitari: quia sicut supra Eccl. testatur, ipsa spiritualiter est sicut oriens in mundo. In quibus verbis sapientia Dei describit triplicem gratiosum B. Virginis statum. Primum Conceptionis, secundum Natiuitatis, tertium Annunciationis.

Eccl. 28.

Dies Conceptionis Mariæ præstantissima.

Triplex status B. Virginis. 1. Conceptionis.

Primum, scilicet eius Conceptionem dicit esse sicut solem, quasi cum est post montes in aurora, quia adhuc clausa erat in vtero matris suæ in tempore suæ Conceptionis: & de illo statu Virginis, Cant. 6. Angeli dicunt, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens?*

Cant. 6.

2. Natiuitatis.

Secundum eius statum scil. Natiuitatem, dicit orientem solem, scil. cum ascendit à montibus orientis, ac irradiat mundum in ortu suo, & de prædictis duobus Propheta ait dicens, *Tu fabricatus es auroram, & solem*, id est, Beatam Virginem in Conceptione eius, & Natiuitate.

Psal. 73.

Tertium eius statum, scil. Annunciationem, & obumbrationem Spiritus sancti, dicit esse quasi solem in mundo, id est, in altitudine cœli, cum ascendit super hemisphærium nostrum in summo caloris æstu. Sic fuit B. Virgo in Conceptione filij Dei.

3. Annunciationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quatuor admirandis gratiis, quibus repleta fuit B. Virgo in sua Conceptione.

PRimus status B. Virginis fuit suæ Conceptionis: & tunc fuit B. Virgo, sicut sol in aurora consurgens. In hoc statu contemplemur inter alios, quatuor eius splendores. Primus dicitur sanctitas, secundus claritas, seu luminositas, tertius charitas, quartus tranquillitas.

Primus status Virginis fuit sua conceptionis.

De triplici sanctificatione sanctificatorum, & de admiranda sanctificatione B. Virginis in sua Conceptione.

CAP. I.

Primus splendor eius sanctitas dici potest. Dimissis autem scholasticis bellis circa Virginalem conceptum, triplicem sanctificationem ad præsens discutiamus. Prima est generalis, secunda specialis dicitur, tertia maternalis.

Primus splendor B. Virginis in sua conceptione.

Triplex sanctificatio.

Prima est sanctificatio generalis. Et hæc quidem in illa, qua sanctificantur homines per ecclesiastica sacramenta, quod fit maximè per baptismum: & talis sanctificatio duo bona in homine operatur. Primo enim remouet culpam, secundo confert gratiam, tertio verò non remouet, sed remanet, scil. peccati fomes, & pronitas ad peccandum, quia & venialiter & mortaliter sanctificatus peccare potest.

1. sanctificatio est generalis.

Secunda est sanctificatio specialis, & talis per gratiam Spiritus sancti condonatur. Ponit autem hæc sanctitas animam in statu iustitiæ consummatæ. Et operatur in ea tria. Primo remouet culpam, secundo

2. sanctificatio specialis.

confert gratiam, tertio remouet pronitatem, ne possit faciliter homo mortaliter inquinari. Cum igitur omnes in iniquitatibus concipiantur: neminem vnquam mortalium inter materna viscera legimus sanctificatum, præterquam Hieremiam, & B. Ioan. Baptistam: quamquam de B. Virgine nulla sit ambiguitas, sicut dicetur infra, longè tamen maior sanctificatione Hieremiæ fuit sanctificatio Ioan. Baptistæ. Ille quidem in matris vtero sanctificatus fuit, sicut legitur. Hier. 1. vbi dicitur: *Priusquam te formarem in Vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Ioannes vero Spiritu sancto repletus annunciatur. Vnde Luc. 1. ait de Ioanne Angelus Zachariæ: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Multo quippe excellentius est Spiritu sancto repleri, quàm à Spiritu sancto sanctificari. Ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio vltra hoc gratiæ mundationem designat. Denique Apostoli, qui manibus suis tractauerunt de verbo vitæ, eum, vt dicitur Ioan. 20. Spiritum sanctum iam de Saluatoris accepissent afflatu, tandem quinquagesimo à resurrectionis die, ad illum gradum ascenderunt, vt Actor. 2. de eis diceretur, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Et licet Spiritus sanctus largiori tunc munere credentium corda repleuerit: hoc tamen Ioannes in vtero legitur assecutus, quod Apostolica celsitudo largiori promissione meruit obtinere, quamquam etiam Apostoli tunc fuerint tanta spiritus copiositate firmati, vt omne peccatum mortale faciliter potuerint vitare, & etiam frequentiam venialium: non tamen credo eos fore factos impossibiles ad peccandum, atque fideliter credo esse tenendum, quia illi duodecim athletæ, veri mundi expugnatores, tanta tunc gratia superuestiti fuerint, quod difficillimum fuisset eos ruere in mortalem culpam: firmiter asserendum est, quod postea nunquam mortaliter peccauerunt.

Hier. 1. *Luc. 1.* *Ioan. 20.* *Act. 2.* *Puritas Apostolorum.*

3. sanctificatio maternalis remouens culpam originalem.

Tertia vero fuit sanctificatio maternalis, Et hæc remouet culpam originalem, & confert gratiam: & hæc etiam remouet pronitatem ad peccandum tam venialiter, quàm mortaliter, & hæc fuit in B. Virgine Maria matre Dei. Sanè Deus ipse æternus, sicut mira sua sapientia creauit omnia: sic illam benedictam Matrem suam talem condidit & sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate. Et talem tam nobilitate naturæ, quam perfectione gratiæ condidit matrem, qualem eam decebat habere suam gloriosissimam maiestatem; quia in ea, & de ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat vnitum vnitate personæ, de quo exiret pretium totius liberationis, iustificationis, & beatificationis humanæ. Et de hac conceptione Anselmus in lib. de conceptu virginali sic ait: Decebat vt illius conceptio de Matre purissima fieret, ea puritate, qua puritate maior sub Deo nequit intelligi. Atque de hoc rationem subiungens ait: Cui Deus pater vnicum filium, quem de corde suo genuit æqualem sibi, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei patris, & Virginis filius, quam & substantialiter filius sibi matrem facere eligebat, & de qua Spiritus sanctus operatus est, vt de ea conciperetur, & nasceretur ille, de quo ipse procedebat, & per hoc decebat, vt illius hominis, scilicet Christi conceptio de matre fieret, qua puritate nulla maior posset intelligi sub Deo.

Virgo concepta sine peccato originali, quod probatur.

Quanto lumine illustrata fuerit Beata Virgo in vtero matris suæ.

CAP. II.

Secundus Virginis splendor. Maria interpretatur illuminata.

SEcundus Virginis splendor dicitur claritas, seu luminositas: quam in prima sanctificatione, illustrata fuit quantum ad rationē & intellectum. Tanta enim sapientiæ claritas à Deo superinfusa est, cū Maria interpretetur illuminata, quod hæc septem perfectè intelligebat, secundum quosdam. Primo naturam creatam irrationabilem, secundo naturam creatam rationabilem, tertio naturam creatam spiritualem, quarto naturam increatam diuinalem, quinto omnia quæ erant fugienda, & aspernanda: sexto omnia, quæ erant sequenda, & amplectenda: septimo per quem modum, & ad quantum gradum omnia essent odienda, vel diligenda. Hæc quidem distinctio comprehendit in se distinctionem creatoris, & omnium creatorum, necnon & cunctorum bonorum, & malorum. A quarta quippe, quæ erat cognitio creatoris & tres consequentes, & tres præcedentes habebant originem, sicut Propheta testatur, dicens: *In lumine tuo videbimus lumen.* Nam & de tribus sequentibus experimur etiam in his quæ habent magnum habitum diuinæ sapientiæ in vltimo gradu. Ex dictis sequitur, quod beata Virgo, etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu, & ratione. Proinde secundum quosdam, fuit tunc in sublimiori contemplationis statu, quam vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate. Et licet in vtero matris suæ, sicut & cæteri infantes, dormiret: attamen somnus, qui sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo, quod talia in ipsa fuerit operatus, sed anima sua liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum. Vnde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quam vnquam fuerit aliquis alius dum vigilauit. Vnde & Cant. 5. ipsa ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat,* scilicet contemplatione perfecta à nulla actione debilitata. Hoc tamen secundum alios, fuit post secundam sanctificationem; quod fortè verius est. Nec miretur quisquam, si Mater Dei, ante debitam ætatem habuit vsum liberi arbitrij, & fulsit tanto lumine rationis: cum & plerique alij Sancti in pueritia eorum, ante debitam ætatem, habuerunt virtutem, gratiam, atque lumen. De virtute in Sancto Nicolao reperitur exemplum, qui in quarta & sexta feriis, semel tantum sugebat mammas. Et de gratia in Sancto Benedicto exemplum patet, qui in pueritia cœpit miraculis coruscare. De lumine verò in Sancto Ioanne clarissimè comprobatur. Vnde Ambrosius ait: Verè Ioannes nouit Christum, non natura, sed gratia. Et super Lucam etiam ait idem. Nec enim vllam sensit infantiæ ætatem, qui supra naturam, supra ætatem, in vtero situs matris à mensura cœpit ætatis perfectæ plenitudinis Christi. Hæc siquidem nullo modo essent vera si infantilitas corporalis impedisset vsum liberum rationis. Quod insuper ait, quod à mensura cœpit ætatis perfectæ plenitudinis Christi, verificatur, non de corporis facultate, perfectione, atque vigore, quia tunc paruulus erat: sed quantum ad plenitudinem meriti, & per actum, & vsum liberi arbitrij, vt in hoc assimilaretur Christo ipsum sanctificanti, qui tunc in vtero Virginis plenius vsu liberi arbitrij merebatur. Ex verbis igitur Ambrosij elici potest, quod non solum pro tunc non sensit impedimenta infantiæ in ipso rationis vsu: verum etiam, quod nunquam senserit postea: quod satis rationabile esse videtur, quia misericors Deus datas gratias homini nō subtrahit sine culpa. Hoc quidem ex operibus Ioannis manifestè apparet, cum de eo legitur: Quia in ætate quinque annorum aufugit mundum, & intrauit desertum. Nec pensandum est, quod absque præuia consideratione illuc iuerit diutius moraturus. Si igitur de beato Ioanne talia credenda sunt: quanto etiam maiora de Virgine matre Christi sentire necesse est?

Psal. 35. *B. Virgo quando in sublimiori contemplationis statu.* *Cant. 5.* *Ioannis Baptistæ singulare priuilegium.* *Deus gratiam datam nō subtrahit sine culpa.*

Quanta charitate ardebat ad Deum, & ad proximum Virgo Beata, cum adhuc esset in vtero matris suæ.

CAP. III.

Tertius splendor

TErtius Virginis splendor fuit charitas, scilicet quantum ad voluntatem, in quam tanta plenitudine

quanta charitate ardebat.

nitudine diuinus amor infusus est, quod nihil elicere vellet, nisi quod Dei sapientia præmonstrabat. Proinde hac sapientia illustrata tantum Deum diligebat, quantum ad se diligendum illum intelligebat. Quis igitur exprimere posset, quanto ardore diligebat eum

Amor Virginis in Deum.

ex toto corde, id est super omnia temporalia mundi: ex tota anima, id est super corpus & animam suam: & ex omni mente sua, hoc est super omnia superiora, scilicet spiritualia, & cœlestia. Vnde in persona illius

Psal. 72.

Psalm. ait: *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt*, scil. per transformationem diuini amoris. Ex charitatis quoque ardore etiam humanæ salutionis toto affectu desiderabat Incarnationem filij Dei.

In vtero incarnationem desiderabat.

Nam & totus imperus primæ sanctificationis mentem huius sacratissimæ Virginis impellebat ad hoc desiderandum pro salute omnium electorum. Proinde omnes virtutes eius ardentissimæ mentis in id, quod postea factum fuit in ea, toto conanime inflammabant animam eius. Ipsa siquidem fuit fœlix clausula totius expectationis & desiderij ac postulationis aduentus filij Dei, in qua sicut in cono, id est in angulo, omnia desideria præcedentium electorum atque Sanctorum consummata & terminata fuerunt: ideo nobis inexpressibile est illud feruidum desiderium, & languentis orationis suspirium, quo suspirabat ad Deum, vt filium suum mittere dignaretur ad nostram assumendam naturam. Nec tamen credendum est, quod ad

B. Virginis humilitas.

recipiendum eum in carne sua existimaret se dignam. Nam gratia sanctificationis prædictæ, quæ eam omni virtute repleuit: sic à principio mentem eius in abyssso humilitatis fundauit: quod sicut nulla post filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitatem, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis pro-

Nulla Virgine humilior creatura.

funditæ. Nec insuper alicui puræ creaturæ in hoc sæculo est datum tantum gustare nihilum creaturæ: nec tantum se humiliare & annihilare sub volito maiestatis diuinæ sicut ipsi Virgini benedictæ. Merito ergo Bernard. in quodam sermone inquit. Ad beatam Virginem sicut ad medium, sicut ad arcanum Dei, sicut

Virgo ab omnibus inspicitur tanquam salutaris.

ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt qui in cœlo sunt, & qui in inferno habitant: & qui nos præcesserunt & nos qui sumus, & qui sequuntur & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt restaurentur, & qui in Purgatorio vt eripiantur, & qui præcesserunt vt Prophetæ fideles inueniantur, & qui sequuntur vt glorificentur. Hæc ille. Et iterum idem ait. Quis misericordiæ tuæ, ô Benedicta! longitudinem, latitudinem, & profunditatem: aut sublimitatem queat inuestigare. Nam longitudo eius vsque ad nouissimum diem inuocantibus eam subuenit vniuersis, latitudo eius repletorbem terrarum, vt tua misericordia plena sit omnis

Eximia Virginis excessia.

terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ, inuenit restaurationem & profundum eius sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis obtinet redemptionem. Insuper idem inquit. Maria omnibus omnia facta est sa-

Omnibus Maria facta est adiutrix.

pientibus, & insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, deinum tota Trinitas gloriam, filij persona humanæ carnis substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.

De tranquillitate carnis beatæ Virginis sub imperio rationis.

Cap. IV.

Quattuor Virginis splendor eius tranquillitas. Potentia

Qvattus splendor beatæ Virginis tranquillitas fuit, quæ quidem sequitur ex prædictis. Nam potentius apprehensiuis & sensitiuis illius tranquillitas erat. Quantum eria præcedentia abundabant, & cum hoc amoti sunc motus fantasmatum delusiui. Ex quo sensi-

tiuus appetitus in tanta Domini plenitudine sub voluntatis imperio subdebatur, quod in aliquod obiectum ferri non poterat contra imperium voluntaris &

Inferiores Virginis potentiæ subdebantur imperio superiorum.

rationis, necnon modo quo voluntas & ratio imperabat in sequendo & fugiendo. Hoc siquidem etiam apparet in iustis secundum quod iusti sunt amplius atque minus, videlicet quod sensitiuum appetitum refrenant, & hoc intantum quod homines qui sunt in raptu sic refrenant, illum quod impossibile est illis saltem pro quanto sunt in contemplatione tam alta quod per ipsum ad casum modu aliquo inclinentur. Et de hoc statu & de illo tempore loquitur libro de anima simplici atque de anima libera licet in illo libro multa nugatoria & plurium deceptiua atque periculosa & erronea contineantur. Hoc siquidem modo fieri potuit in Virgine benedicta in patria sua sanctificatione in tantum quod poterat per talem sapientiam, & amorem vitare omnem actualem culpam tam mortalem quam venialem: ita quod ipsa gratia permanente impossibilis fuit reddita ad peccandum. Et sic quantum ad appetitus prædictos plena concordia ad appetitum superiorem: & superior in plena obedientia ad ipsum Deum ex quo *factus erat in pace locus eius, & habitatio in Sion.* Prætere à quia veniale peccatum quandoque ex subreptione

Psal. 75. Peccatum veniale vnde oritur.

contingit ex hoc valet quod aliquis inordinatus concupiscentiæ motus insurgit, aut alterius passionis præueniens rationem, ratione cuius primi motus peccata esse dicuntur. Consequens est quod B. Maria nunquam venialiter lapsa est cum inordinatos motus non senserit passionum. Contingunt huiusmodi motus inordi-

Vnde motus inordinati contingunt.

nati ex hoc quod appetitus sensitiuus, qui est harum passionum subiectum, non sic subiicitur rationi quando interdum ad aliquid præter rationis ordinationem moueatur, & quinque etiam contra rationem in quo consistit peccati motus, sed in B. Virgine sic fuit sensitiuus appetitus rationi subiectus per gratiam sanctificantem, quod numquam contra rationem mouere su poterat. Poterat tamen secundum Thom. habere aliquos subitos motus non præordinatos à ratione. Porro in Domino Iesu Christo aliquid amplius fuit: nam sic

Excellentia Christi Domini super Virginem.

inferior appetitus in eo rationi subiectus erat, quod ad nihil mouebatur nisi secundum ordinem rationis hoc est secundum quod ratio ordinabat, vel permittebat appetitum inferiorem moueri à proprio motu. Hoc enim videtur ad primi status integritatem pertinuisse, vt inferiores vires subderentur totaliter rationi. Quæ quidem subiectio per peccatum primis parentibus sublata est: & non tantum in ipso, sed etiam in aliis qui contrahunt ab ipso peccatum originale In quibus etiam postquam mundatur à culpa per gratiæ Sacramentum remanet rebellio vel inobedientia vitium inferiorum ad rationem quæ dicitur fomes peccati, quæ nullo modo in Christo fuit, sed in B. Virgine non erant inferiores vires totaliter rationi subiectæ, vt scil. nullum motum haberent à ratione non præordinatum, tamen sic per virtutem gratiæ cohibebantur quod nullomodo moueri poterant contra imperium rationis. Propter hoc dici solet quod in B. Virgine post primam sanctificationem remansit fomes secundum substantiam sed ligatus. Hæc Thom.

Articvlvs secvndvs.

De aliis quatuor gratiis, quibus repleta est Beata Virgo à sua Natiuitate vsque ad Conceptionem filij Dei.

Secundus status Virginis fuit sua Natiuitatis.

Secundus status B. Virginis fuit suæ Natiuitatis & conuersationis, quia tunc verè fuit sol oriens mundo. Aquo quatuor radij inter alios in mundo egressi sunt ad mentes illuminandum & irradiandum. 1. autem fuit formositas, 2. puritas vel immunitas, 3. saporositas, 4. exemplaritas.

Quod Virgo Maria cum admiranda pulchritudine refulgeret non tantum quod ad lasciuiam non prouocaret: verum etiam in alios motus libidinis refrænabat.

Cap. I.

PRimus quidem radius formositas dictus est: proinde, Cant. 4. ad eam loquitur sponsus dicens, *Tota pulchra es, amica mea & macula*, scil. corporalis vel spiritualis *non est in te*, secundum enim Alex. de Hales in 3. Prima sanctificatio remouit à Virgine omne quod esse poterat inclinatiuum ad peccatum & quoscunque carnales motus, qui velut serpentes in carne humana serpunt. Hæc siquidem sanctificatio tanta fuit vt etiam ad alios extenderet virtutes suas ac extingueret in eis omnem concupiscentiam carnis. Proinde Eccles. 24 ipsa inquit. *Quasi cedrus exaltata sum in libano.* Quia sicut cedrus interficit serpentes odore suo: ita prima sanctificatio eius in alios redundabat, atque extinguebat in eis omnis carnalis concupiscentiæ motus in carne serpentes, ex hoc quoque assimilatur myrrhæ sicut Eccles. etiam 24: vbi ipsa inquit. *Ego sum myrrha electa, dedi suauitatem odoris.* Nam sicut myrrha interficit vermes: ita sanctitas eius interficiebat vermes concupiscentiæ carnis. Narrant secundum Bonauenturam etiam Iudæi quod Virgo Maria pulcherrima fuit, & tamen à nullo vnquam potuit concupisci. Et ratio huius erat, quia virtus suæ sanctitatis & castitatis in aliis aspicientibus eam, extinguebat omnes motus carnales. Et hanc quidem prærogatiuam habuit beata Virgo præ omnibus sanctificatis, & virginibus sanctis: quia sanctitas illarum non extinguebat in aliis concupiscentias, atque motus, nec ad alios hoc modo transfundebatur. Vltra autem antedicta, sicut ex verbis beati Bernard. dici potest, ex quatuor causis, vel ex aliqua earundem hoc potuit euenire. Primo propter impressionem. Secundo propter conuersationem. Tertio propter occultationem. Quarto propter irradiationem. Primo quidem potuit hoc fieri propter impressionem: quia omnibus qui inclinati erant ad concupiscendum eam, vt carnaliter concupiscibilis non apparebat. Sicut & mulier valde pulchra propter aliquod maleficium factum viro suo non potest ei, vt concupiscibilis apparere. Et sic Deus in bonum apertæ gratiæ hoc potuit operari. Secundo autem hoc potuit fieri propter conuersationem, quæ vtique admirabilem honestatem, & motum atque gestuum grauitatem in facie, & in toto corpore eam intuentibus ostendebat intantum, quod per extrinseca signa apparebat apertius, quod nullatenus posset ad fœdum aliquid inclinari: immo quod erat tota Deo dicata & singularissimum habitaculum Dei effecta, sicut contingeret de sanctissima muliere quæ esset continue quasi rapta. Tertio propter occultationem, scilicet pulchritudinis suæ omnibus qui eam concupiscere possent, sicut & claritas corporis Christi post resurrectionem discipulis celabatur. Quarto propter irradiationem procedentem à facie eius: ita vt secundum Bernard. Ioseph vix erat ausus illam in facie respicere, Glossa quoque Matth. 1. cap. inquit: quod Ioseph Mariam facie ad faciem videre non poterat, quam specie scilicet à Conceptione penitus repleuerat. Et ideo non agnoscebat facie ad faciem quam sponsauerat donec illius vterus euacuaretur.

[Margin: Eccles. 24.]
[Margin: Virgo pulcherrima.]
[Margin: Castitas Virginis extinguebat omnes motus carnales & quadruplex causa.]

Quanta puritate atque immunitate post primam sanctificationem ab omni culpa beata Virgo Maria fulgebat.

Cap. II.

SEcundus radius est puritas, seu immunitas nominatur. Fuit enim beata Virgo per gratiam perseuerationis, vel sanctificationis præseruata ab omni culpa actuali, tam mortali, quam veniali. Aliter fomes in ea non fuisset consopitus, seu secundum alios ligatus perfecte: vnde Aug. in lib. de natura & gratia inquit. De sancta Maria Virgine cum de peccatis agitur propter honorem Domini: nullam prorsus volo habere de virgine quæstionem. Per primam enim sanctificationem sicut fuit intemerata carne sic fuit immaculata mente ab omni culpa tam veniali, quam mortali: & hoc maxime propter tria. Primo propter fomitis repressionem. Secundo propter gratiæ inclinationem. Tertio propter diuinæ gratiæ præseruationem. Primo inquam propter fomitis repressionem. Sicut enim fuit in ea, in prima sanctificatione fomes repressus, quod penitus ad nullum incitabat malum. Secundo vero propter gratiæ inclinationem. Tanta enim in ea gratia erat quod licet liberum arbitrium in ea nondum esset in fine vltimo stabilitum: tamen semper eam ordinabat ad bonum sicut infra patebit. Tertio autem propter diuinæ gratiæ præseruationem. Diuina enim prouidentia sicut in statu innocentiæ hominem protexisset: sic etiam B. Virginem ab omni actuali protegebat culpa. Vnde Bernard. ad Lugd. Puto quod copiosius munus gratiæ in eam descenderat, quæ eius non solum sanctificaret ortum: sed eam deinceps ab omni peccato custodiret immunem. Præterea de nulla anima potest dici illud. Cant. 4. *Tota pulchra*, &c. congruentius quam de Virgine benedicta: vbi autem macula est, vel culpa actualis, vel venialis, vel mortalis, hoc de illa minime dici potest. Quod autem sic esset immaculata propter tria, secundum Bonau. in 3. dist. 3. congruum erat. Primo propter diaboli confusionem. Secundo propter nostram intercessionem. Tertio propter diuinam dispensationem. Primo inquam propter diaboli confusionem, Congruum quidem erat vt Virgo B. Maria, postquam auferebat nobis opprobrium, superaret & vinceret etiam diabolum: ita quod nec ei succumberet etiam ad monumentum. Proinde exponunt tam Aug. quam Bern. illud Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Si igitur suggestio in mente Virginis ingressum habuit: & sic tam à mortali quam à veniali immunis fuit. Secundo autem congruum fuit propter nostram intercessionem. Congruebat enim aduocatam humani generis tanta puritate fulgere, vt nullum peccatum haberet quod conscientiam eius remorderet. Tertio quomodo congruum fuit propter diuinam dispensationem: vtique congruebat vt illa quæ placuit altissimo Deo ita vt fieret illius sponsa & mater vnigeniti filij sui, sic esset immaculata mente sicut intemerata carne. Quod igitur gloriosa Virgo Maria aduocata est peccatorum: gloria & corona iustorum: sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium & spiritualissimum filij Dei reclinatorium. Hinc est quod speciali gratia Dei nullum in ea peccatum habuit locum.

[Margin: Secundus radius puritas.]
[Margin: Quomodo ab omni peccato, & qua ex causa.]
[Margin: Cant. 4.]
[Margin: Cur conueniens erat quod esset immaculata.]
[Margin: Gen. 3.]

Quanta suauitate delectabantur in Deo omnes spirituales beatæ Virginis sensus atque affectiones.

Cap. VI.

TErtius amorosæ Virginis Mariæ soporositas nuncupatur. Quinque namque sensus in anima hominis sunt, sicut etiam in corpore eius: qui omnes in B. Virgine mundo, & omnibus noxiis clausi erant, & aperti atque parati Deo. Sicut econtra mundani aperti sunt

[Margin: 3 radius soporositas. Sensus B. Virginis mundo clausi erant, & aperti Deo.]

sunt mundo, & clausi Deo. Primo enim patens Deo erat auditus, vt promptissime acceptaret omne spiraculum eius. Proinde Propheta in persona illius dicebat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus.* Secundo patebat ei illius gustus ad saporandum admirabiles dulcedines eius, quando experientia illius inebriata dicebat. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Tertio quoque patebat illi omnis oculus eius, & capacitas intellectua, quando iam per experientiam in affectum & intellectum Deo plena alios ad talia inuitabat dicens, *gustate & videte quoniam suauis est Dominus*, &c. Quarto patebat animæ Virginis odoratus, quando Cant. 1. Dominum suppliciter exorabat dicens. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Quinto quoque patebat tactus, vt strictè ac dulciter amplecteretur Dominum illam sæpius visitantem. Quod quia continue faciebat,

Psal. 72. cum Propheta dicebat *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* De his 5. portis

Psal. 80. tit Propheta dicens, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Sion enim locus erat in Hierusalem eminentissimus atque tutissimus Sic etiam Beata Virgo per virtutum eminentiam, altissima atque à vitiis tutissima erat. Diligit igitur Dominus portas Sion, id est quandoque sensus B. Virginis Mariæ super omnia tabernacula Iacob, idest plusquam corpora omnia aliarum virginum. Corpora enim tabernacula nuncu-

1. Pet. 1. pantur sicut 1 Pet. 1. ipse testatur dicens, *Velox est depositio tabernaculi mei.* Virgines enim merito dicuntur esse Iacob, quia luctatæ sunt, & supplantauerunt fomitem, qui in beata Virgine in prima sanctificatione fuit ligatus, atque consopitus. Quatuor etiam sunt elementa, ex quibus humanum corpus non tantum compositum est, sed etiam per quinque sensus de eis pascitur & nutritur Sic etiam quatuor humani affectus nutriunt animam per quinque suos spirituales sensus, sicut Matth 4. Dominus ait: *Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* His enim quatuor affectionibus nutriunt peccatores animas suas in transitoriis & mundanis, iusti autem in cœlestibus & diuinis.

Sicut 4. elementa ex quibus humanum corpus, non solum compositum sed etiam ex eis nutritur sic etiam 4. nutriunt animam.

Nonnulli etiam reperiuntur nunc, in quibus mentales & corporales virtutes diutius atque cumulatius habituatæ sunt, atque in eis perfecti status mentis per solemnissimas contemplationes fuerunt iam consummati, necnon & sublimium sensuum spiritus certam & longam experientiam habuerunt per diuinum influxum admirandos affectus multipliciter ex illis parturientes: experiuntur quandoque suauissimos atque cruciantes feruores, quandoque ex admiranda spiritus ebrietate distillant lachrymas amorosas: aliquando languido de corde miræ prorumpuntur voces. Stantes quodam spirituali somno insomnes à corpore quodammodo alienantur mente: quandoque insuper mentales sensus dum partim alienati sunt, anima propter aliquod spirituale obiectum à corpore quodammodo abstrahitur: aliquando etiam totum humanum esse in extasim eleuatur in anima resoluta diuino amore. Interdum quoque occurrunt subiti atque prolixi raptus, ex quibus tota anima transfertur in Deum. Contingit insuper aliquando, quod anima per penetrantes alterationes amoris ingreditur thalamum cœlestium secretorum, infunduntur quandoque inspirationes multiplices mirabilium virtutum per spiritualem consolationem animam excitando, Occurrunt insuper aliquando in diuino splendore reuelationes clarissimæ & apertæ: visiones quoque altissimæ non desunt, in quibus gustat anima, se esse in profundo &

Animæ nobilitas. infinito abyssu Dei ferè translatum. Contingit quoque quod quodammodo inconsiderabili atque feruentissimo amoris actu in breui gloriose cum Christo spirituale matrimonium consummatur. Tanta ac talis est realis animæ nobilitas, quæ per spiritualem delectationem quasi facta est gloriosa, quod non licet homini loqui. Si igitur hæc tam alta, tamque sublimia facta conspicimus in vilibus & quodammodo in indignis personis: quanto sublimiora & digniora, ac nobis omnino incomprehensibilia facta esse credenda sunt illi, quæ iam gratia erat plena, ab æterno Dei mater prædestinata, electa ex millibus, sublimata ex omnibus, etiam super omnes Angelos exaltanda.

De admiranda, & exemplari vita Virginis matris Dei.

Cap. IV.

QVartus radius est exemplaritas. Nam tota conuersatio eius, & vita omni refulgebat gratia & virtute. *4. radius exemplaritas.* Vnde Ambros. 2. lib. de virginitate ait: Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine contagione corporis generauit? & vt de cæteris eius virtutibus taceam. Virgo erat non solum corpore, sed & mente. Corde humilis, verbis grauis, animo prudens loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrium mentis non hominem, sed Deum quærens. *Virginis encomia.* Nullum lædere, omnibus bene velle: maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi, virtutem amare. Quando illa fastidiuit humilem? quando risit debilem? quando vitauit inopem? nihil in oculis toruum, *Virginis virtutes.* nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulacbrum fuerit mentis, figura probitatis. Talem hanc Euangelista demonstrat, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, quæ digna fuit, ex qua Dei filius nasceretur. Et iterum Hieronymus ait: Si diligenter attendis, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, nihil candoris, quod non resplendeat in Virgine gloriosa. Ad ipsam igitur Virginem tanquam ad speculum & exemplar Christianæ vitæ semper respicere debent, qui cum Christo regnare volunt. *Virgo vitæ Christianæ exemplar.* Proinde Bernard. ait: Oportet omnes Christicolas inter fluctus huius sæculi nauigantes attendere hanc maris stellam, quæ supremo cardini, ideo Deo proxima est. Et respectu exempli eius cursum vitæ dirigere, quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur syllea voragine voluptatum: sed prosper veniet ad portum quietis æternæ. Insuper idem ait: Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, nec ab ore. Nam ipsam cogitans non erras, ipsamque rogans non desperas ipsam sequens non deuias, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia ad portum peruenis, & sic in teipso experiri poteris, quam merito dictum sit nomen Virginis Maria, idest maris stella ideo merito in libro de Virginitate, Ambros. ait: Talis fuit Maria, vt eius solius vita sit omnium disciplina. *Ambros.*

Articvlvs Tertivs.

De quatuor ardoribus charitatis, quibus post filij sui conceptionem, mater Dei ardebat.

TErtius vero status beatæ Virginis erat suæ Annunciationis: in quo quasi meridianus fulgor & ardor hic Sol lucens quatuor à se fulgurabat ardores. *3. status B. Virginis erat suæ Annunciationis.* Primus dicitur largitas, secundus est impeccabilitas, tertius est vnitas, quartus vero est securitas.

Quod beata Virgo in conceptione filij Dei, & nouis, & incomprehensibilibus virtutibus, & gratiis repleta est

Cap. I.

Primus ardor largitas dicitur.

PRimus enim ardor largitas dicitur. Nempe in illa Spiritus sancti obumbratione, qua beata Virgo concepit filium Dei, tantam largitatem, & copiam Spiritus sancti accepit: quantum potest creatura viatrix recipere non Deo vnita vnitate personæ. Nam secundum Hieronymum in sermone de assumptione, tota gratiæ plenitudo, quæ est in Christo, in Mariam venit, quamquam aliter, & merito quidem, quia in Christo sicut in homine personaliter deificato: in Maria sicut in templo Christi verbo singulariter dedicato. In Christo vt in capite influente, & in Maria vt in collo corpori ecclesiæ transfundente. In Christo fuit vt in supposito subsistente, ac ex vniuersali fonte omnis boni lumen gratiæ influente. In Maria sicut fœlicius hæc omnia tam mente, quam carne recipiente. O quis posset sufficienter intelligere, quale fuit illud è cœlo emissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium, tam in sacratissimæ Virginis mente, quam carne. Ipsa quippe tunc facta est *mulier amicta sole*, vt dicitur Apocali. duodecimo, Quia ipsa illa diuina sapientia, quâ Deus ab æterno mundum sibi conciliare disposuit, plenissima fuit: quam non solum per diuinam reuelationem præsciuit verum & cuncta quæ ad incarnati verbi Dei mysteria pertinebant, certo experimento cognouit.

Gratia quæ est in Christo quomodo est in Virgine.

Propter quod luna sub pedibus Virginis.

Propter quod & *Luna sub pedibus eius* esse narratur: quia non solum transitoria sanctorum suorum pedum vestigia subiecit, immo & omnium creaturarum cognitionem in comparatione ad supereminentem Christi scientiam paruipendit. Vnde & *corona duodecim stellarum* non immerito coronatur. Quia omnium virtutum, & gratiarum merita super omnes rationales & spirituales creaturas singularissimi generis priuilegio superexcessit. Quod siquidem factum est, vt nō solum per fidem & dilectionem Christum conciperet corde: verum etiam & carnem illius ex purissimis sanguinibus eius diuini amoris superexcessiuus ardor in virgineo vtero sine virili consortio formaret, & generaret. Merito igitur sicut serpens prostrauit humanum genus mediante peccato Euæ, inclinante Adam ad vetitum cibum, & consummatio fuit in esu Adæ: sic per meritum Virginis inclinantis ad se Deum, vt assumeret carnem nostram, conculcatio sathanæ, reparatio nostra inchoata est, & per Deum incarnatum extitit consummata. Tunc vero proprie fuit arca Dei, ad Hebr. 9 intra se continens totam legem in duabus tabulis solidis digito Dei scriptam: hoc est in duabus naturis filij sui, quarum primam accepit à matre, secundam à tota sanctissima Trinitate. Si quis autem considerat virginei consensus ad tantum mysterium finalem terminum: clare intelliget, quod omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc, quod est esse matrem Dei, tam mente quam carne comprehendantur in eo. quod quidem transcendit immerito in infinitum quicquid aliud sub Deo homine cogitari, vel dici potest. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus: oportet quod meritoria perfectio huius consensus fuerit perfectioni sui termini comproportionata. Ex his igitur colligi potest, quod Virgo beata in conceptionis filij Dei consensu plus meruit, quam omnes creaturæ: tam Angeli quam homines in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus suis. Nempe omnes qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, nisi secundum varios status & gradus gloriam sempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando consensu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationis sermonum, spiritus prophetiæ, discretionis spirituum operationis virtutum. Meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei. Meruit quod sit stella maris, porta cœli, & super omnia quod regina misericordiæ nuncuparetur: ac talis nominis consequatur effectum. Vnde merito Prouerb. vlt. de ipsa beata Virgine Salomon ait. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Denique sicut Bernardus ait in sermone de Natiuitate Virginis: Redempturus Deus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Maria. Intuemini igitur quanto deuotionis affectu eam à nobis voluit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria. Vt si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare. Hæc ille. Tanta igitur fuit perfectio eius, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud Ecclesi. 1. *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumerauit, & mensus est*, scilicet ipse solus Deus. Sciendum est tamen, quod licet habuit omnia genera gratiarum, sicut dictum est: non tamen habuit illa ad quemcunque vsum, sed ad vsum altiorem & nobiliorem, & qui mulieri merito congruebat. Sicut verbi gratia, habuit donum sapientiæ non ad vsum publice docendi, vel prædicandi, iuxta Apostolum 1. Timoth. 2. *Mulierem autem docere non permitto*: sed habuit ipsa ea ad altiorem vsum scilicet ad diuina gustandum & contemplandum. Et sic licet ad quoscunque vsus aliqua dona non habuerit, habuit tamen ea ad altiorem & nobiliorem actum.

Virgo in consensu Conceptionis filij Dei quid meruit.

Prou. vlt.

Omnia genera gratiarum habuit B. Virgo non ad quemuis que vsū, sed ad vsum altiorem.

De multiplici causa, & armatura, quare beata Virgo peccare non potuit.

Cap. II.

2. Ardor impeccabilitas.

SEcundus vero huius Virginis ardor, impeccabilitas nuncupatur. Licet enim, sicut ex præcedenti patet, beata Virgo in sua conceptione per gratiam adepta fuerit tantam fomitis restrictionem, quod non posset in aliquod peccatum adduci: remansit tamen fomes in ea secundum essentiam. Sed sanctificatio hæc secunda in conceptione filij Dei superaddidit in ea omnimodam fomitis restrictionem, eradicationem, & extinctionem, & in bono confirmationem, ita vt quæ prius poterat peccare iam peccare non posset. Hæc duo expressit Angelus Luc. 1. cum ait, *Spiritus sanctus superueniet in te*: & hoc quantum ad primum. Et de secundo subiungit dicens, *& virtus altissimi obumbrabit tibi.* Secundum Bonauenturam in 3. dist. 3. fomes peccati radicatur in carne, & ascendit vsque ad mentem. In prima igitur sanctificatione Virginis tanta gratia perfectionis ei collata est, quod in eius sensualitate tantum gratiæ redundaret, vt fomitem adeo reprimeret, quod nullum aliquando affectum vel incitamentum haberet. In secunda vero sanctificatione, in qua Spiritus sanctus non tantum descendit in mentem, sed etiam in ipsam carnem, & de carne operatus mirabiliter est, carnem eam sine macula fabricando: reliquit ipsius carnem immaculatam, extirpando in ea, & fomitem, & omnem concupiscentiam, ita quod peccare non posset. Et hoc sentit Bernardus, & magister sententiarum, & Damascen. Nempe si Virgo beata post filij Dei conceptionem potuisset peccare, plura inconuenientia sequerentur Primo redundaret in contumeliam prolis, quia eius mater esset peccatrix. Secundo esset in detrimentum matris, quia sic damnari potuisset. Tertio in damnum humani generis. Quarto in contemptum totius diuini intenti: quia incarnationis opus susceptum immerito reddi posset. Proinde omnino asserendum est, quod in conceptione filij Dei, sicut prædictum est, taliter extitit confirmata, quod volun-

In Virgine non est fomes peccati.

Luc. 1.

Quomodo Virgo peccare nō potuit.

tas

tas eius postea non potuit conuerti ad malum: non tamen propter liberi arbitrij ablationem: nec alicuius potentiæ amissionem: sed propter liberi arbitrij per gratiam, completionem. Quomodo autem hoc potuit fieri difficile est videre. Intelligendum est tamen, quod voluntas humana semper libera est, & semper in bonum & in malum, in melius & in peius, in optimum, & in pessimum libere posset fieri: nisi ei tale intimetur obiectum in quo omnem rationem reperiat boni delectabilis & degustabilis, eo quod nihil appetitur, nisi sub ratione boni & delectabilis. Hoc autem solum in beatis fit, quia omne obiectum delectabile eis delectabiliter intimatur: quare in beata Virgine Maria esse non potuit, eo quod beata non erat. Quapropter ad hoc quod esset plenarie confirmata; quinque ei erant necessaria, quæ erant dispositiona interius, quasi quinque intrinseca arma, & quinque protectiua exterius quasi quinque extrinseca arma. [Quinque scuta interiora.] Primo fuerunt quinque intrinseca arma. Primo ardor charitatis, secundo mortificatio sensualitatis, tertio sensus maternitatis, quarto obiectum diuinitatis, quinto aspectus nihileitatis. Primo affuit ardor charitatis, eo modo quod mens illius in ardore dilectionis continue tenebatur. Nam Deus eius menti mirabilissime se intimabat, atque omnes potentias illius inferiores tenebat subditas sub imperio rationis, quamquam aliter quam in beatis. Proinde in persona illius Propheta ait: *Inflammatum est cor meum; & renes mei commutati sunt.* Secundo affuit mortificatio sensualitatis: nam in appetitu sensuali illius facta erat modificatio & coaptatio ad partem superiorem per mortem sensualis affectionis, & modificationis ad carnem. Vnde in persona corporis eius ad partem superiorem rationis dicebat, Iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tertio fuit sensus maternitatis. Habuit nempe actualem & experimentalem sensum filiationis Dei intime cogitando & saporando, quanti filij erat mater, & quantum ei obligata erat, quia illam præ cæteris elegisset sibi matrem. Sicut merito faceret quædam paupercola vilis, quam sibi potens rex eligeret in coniugem vel in matrem. Quarto affuit ei obiectum diuinitatis, eo quod semper habuit continuum aspectum ad Dei beneplacitum, promptumque consensum semper gerebat in mente, diuina beneplacita adimplere. Proinde in persona illius ait Propheta, *prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* In singulis enim rebus legebat hic Deo beneplacitum est, atque à me accipiandum: Hoc non placet ei, & propterea dimittendum. Quinto vero affuit ei aspectus suæ propriæ nihileitatis eo quod continue habebat actualem relationem ad diuinam maiestatem, & ad suam nihileitatem. Proinde in persona intellectus sui Propheta dicebat, *ad nihilum redactus sum.*

Cur Virgo peccare non potuit.

Quomodo peccare non potuit.

Virgo plus Deum vidit.

Psal. 15.

[Quinque scuta exteriora.] Secundo quoque ad eius defensionem habuit alia quinque arma exteriora. Affuit enim ei primo Angelorum protectio, secundo dæmonum repulsio, tertio virtutum exercitatio, quarto peccatorum abominatio, quinto mundialium despectio. Primo vero affuit ei Angelorum protectio. Assistebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in eius protectionem. Et de hoc Propheta ad Virginem ait. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Pie etenim credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam, & protectionem suam: cum & Helisæus, vt legitur 4. Reg. 6. Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem. Secundo affuit ei dæmonum repulsio. Sicut enim magnus ignis effugat muscas, sic à sua ardentissima mente & inflammatissima charitate dæmones effugabantur & pellebantur, in tantum quod solum in modico non erant ausi respicere mentem eius, nec de magno spatio illi appropinquare. Si enim hoc legimus de aliquibus Sanctis, saltem post aliquem de dæmonibus in tentationibus acquisitum triumphum, quanto magis de matre Domini nostri credendum est, quæ semper contra omnes dæmones triumphauit.

Quinq; erãt necessaria scuta exteriora

Angelorum protectio.

Psal. 90.

Plures Angeli fuerunt B. Virginis custodes.

4. Reg. 7.

Dæmonum repulsio.

Tertio affuit illi virtutum exercitatio. Nam omnia mala exteriora atque aduersa eo modo, & non aliter ei inferebantur, secundum quod sunt materia exercendæ virtutis. Si enim sicut ad Romanos octauo, Apostolus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* scilicet & prospera, & aduersa: quanto magis igitur illi quæ Deum super omnes alios summo amore prosequebatur, atque efflictim diligebat.

Virtutum exercitatio.

Quarto affuit ei peccatorum abominatio, eo quod omnia delectabilia secundum sensum, & à Deo trahentia ei auferebãtur, tanquam Deo odibilia, cuius voluntati satagebat, se totis viribus conformare. In diuino quoque plenissime cognouit, quomodo mortalis culpa à Deo æternaliter separat animam, ab imagine Dei deformat, æterna gloria priuat, atque infernalibus suppliciis obligat in æternum. Quinto affuit ei mundialium despectio. Quæcunque enim illi offerebantur, nisi ei diuina offerrent, quantum erant in se electiua, tanquam desipientia respuebat. Sicut & mulier multum pulchra per opus alicuius maleficij semper, vt displicens occurrit viro: sed si hoc potest in malum diabolus, quanto fortius in ea in bonum potuit hoc Dominus operari? Istis igitur stantibus, impossibile eam erat peccare. Et idem esset de quocumque, vsquequo ista in eo perseuerarent. Sed forte obstabit aliquis dicens, Quod omnis habitus gratiæ quantumcunque magnus est in libertate existens: sed quod est in libertate sicut libere retinetur, ita libere dimitti potest. Sed quod dimitti potest aliqua immobilitate non valet, ex quo ipse mobilis est. Ad quod dicendum est, quod talis impeccabilitas in Virgine non potuit per habitum quantumcunque magnum: potuit tamen fieri per modum, qui dictus est. Si quis etiam instet secundo, quod potestas quæ non potest in vtrunque oppositorum, non est libera, vt dicitur 1. de interpretatione: potestates vero rationales sunt ad opposita: sed si esset confirmata, non posset in opposita: ergo non esset rationalis, neque libera. Ad quod dicendum quod voluntas non dicitur libera quia possit in malum: sed quia libere elicit suum actum. Nam & in beatis Angelis plena perseuerat libertas in voluntate eorum.

Peccatorum abominatio.

Mundialium despectio.

Contra impeccabilitatẽ Virginis supradictam duo argumenta & eorũ solutiones.

Aduertendum est tamen, quod licet Deus perfecta dispositione disposuerit matrem suam, & absque omni culpa seruauerit eam, nihilominus tamen cunctæ passiones illæ, quæ naturam sine peccato sequuntur, quæ scilicet sunt materia exercendæ virtutis, in ea plenius remanserunt, tam respectu sui, quam respectu filij. Vnde in ea fuit amor, timor, honor, admiratio, & huiusmodi, secundum quod in aliquo sine peccato esse possunt. Proinde credo, quod magnum honorem sibi reputabat, quod tanta filij mater esset. Credo insuper quod volebat, quod sciebatur, & consimilia, & tamen omnia hæc absque peccato in illa semper fuerunt.

Quantum beata Virgo per contemplationem, & actionem cum Christo vnita fuit.

CAP. III.

TErtius Virginis ardor vnitas dictus est, & de hoc Cant. 4 æternus sponsus suæ sanctissimæ, hoc est beatæ Virgini. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vbi glossa ait. Pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum. Nam primogenita redemptoris filij sui Iesu fuit beata Virgo. Et plus pro ipsa redimenda venit, quam pro omni alia creatura, & ad ostendendam admirabilem vnitatem, quam cum ea habebat, dicit

3. ardor. Vnitas Beatæ Virginis cum Christo. Glossa.

ſe vulneratum fuiſſe ab ea in vno oculorum ſuorum, & in vno crine colli ſui. Vbi oſtendit eum duplicem vnitatem habuiſſe cum ea. Prima fuit vnitas contemplationis, ſecunda fuit vnitas actionis. Prima fuit vnitas contemplationis, quæ prior fuit quam actio in Maria, eo quod in vtero matris perfecta eius contemplatio incepit, ſicut ſupra art. 1. cap. 2. dictum eſt. De hoc ſtatu contemplationis ſponſus ait, *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*, id eſt in lucidiſſima contemplatione, in tantum mecum vnita es propter vnitiuam attentionem tuorum aſpectuum contemplatiuorum, quo mecum per amorem coniuncta es: tibi negare non poſſum, quod poſtulaſti atque decreueris orare pro remiſſione ſcelerum quorumcunque. Vnde Luc. 10. quando præmittitur, atque myſtice ſcriptum eſt.

Luc. 10. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.* Ad caſtellum duo requiruntur. Primo murus exterior, ſcilicet virginitas corporis, ſecundo turris interior ſcilicet humilitas cordis. Ad eius quoque cuſtodiam duo etiam requiruntur. Primo ſpeculator, vt contempletur: ſecundo propugnator, vt operetur. Proinde in caſtello Mariæ duæ ſorores habitabant, quæ caſtellum ſolerter, & bene ſemper cuſtodierunt, ſcilicet Martha & Maria. Martha quippe & laborat, & operatur, ne caſtellum capiatur per negligentiam. Maria vero quieſcit & contemplatur, ne caſtellum capiatur per ignorantiam: Vnde ignorantia gignit cordis errorem, ſed negligentia parit torporem corporis. Per errorem cordis delinquimus in credendis, per torporem vero corporis delinquimus in agendis.

Ad caſtellū quæ requiruntur.

Et ſubditur beatæ Virginis contemplatio conſummata & ſumma: cum de Magdalena ad literam; ſed de B. Virgine myſtice ſubinfertur, *Quod Marthæ ſoror erat nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* In quibus verbis quatuor demonſtrantur, in quibus perfecta contemplatio beatæ Virginis inſinuatur. Primum eſt tranquillitas, ſecundum eſt humilitas, tertium eſt capacitas, quartum vero ſublimitas dici poteſt. Primum eſt tranquillitas. Et de hoc etiam ſubditur, *quæ etiam ſedens.* Vbi oſtenditur tranquilliſſima quietatio totius virginei ſtatus. Sed in quo hæc tranquillitas requieſcat, ſequens Virginis virtus oſtendit. Secundum vero eſt humilitas. Vnde ſubditur, *ſecus pedes Domini.* Ab hac enim humilitate & profundiſſima annihilatione ſui ſub pedibus Ieſu Chriſti, cauſabatur tranquillitas antecedens, eo quod ſummæ gaudebat ſe ſubiici filio ſuo, & ſibi finem ſuum ſuperponi. Tertium eſt capacitas, quæ ex duobus præcedentibus ſequens eſt. Nam ſicut nulla creatura viatrix vnquam tantam habuit mentis tranquillitatem, nec tantæ humilitatis abyſſum; ſic nulla vnquam ita attente audiuit verbum Dei per contemplationis tranquillum, nec ſic ſublimiter intellexit ipſum verbum: propterea ſubditur, *& audiebat verbum illius.* Quartum eſt ſublimitas. Nam hanc contemplationem Mariæ Dominus ſuperlatiuè exprimere volens, poſt pauca ſubdit, *Mariam optimam partem elegit.* Nempe optimum eſt, ſuper quod nihil eſt melius, & in pura creatura ſupra beatam Virginem non eſt factibilis ſtatus. Et quia talis ſtatus beatæ Virgini honorabiliter datus eſt, ideo fuit ante collatum ſibi copioſiſſimum donum, vnde hunc ſublimem ſtatum mereri poſſet, ac ſibi eligere ſicut vellet. Proinde volens Dominus exprimere talem dignitatem etiam ex merito ſuo potius inquit, *elegit ſibi Maria*, quæ data eſt ſibi. Et vere elegit ſibi optimam partem, omnes alias ſuperantem claritate viſionis, qualitate fruitionis vicinitate locationis, ſublimitate honorationis, vniuerſalitate poſſeſſionis, & copioſitate largitionis. Quæ quidem non auferuntur ab ea in ſempiternum. Mariæ actio. Secunda vero vnio Virginis cum ſponſo & filio ſuo Chriſto, fuit vnitas actionis, eo quod ſicut nulla vnquam fuit ſimilis contemplatrix, ſic nunquam fuit ei ſimilis miniſtratrix. Quod multipliciter oſtendi poteſt. Nam primo alij induunt pauperes de lanæ ouis: ipſa vero induit ſuum diuitem de puriſſimis ſanguinibus ſuis. Secundo alij induunt de panno: ipſa vero de corpore ſuo. Tertio alij paſcunt pauperem pane extrinſeco: ipſa vero pauit humanatum Deum de lacte proprio. Quarto alij ſuſcipiunt pauperem hominem in tugurio; ipſa vero ſuſcipit immenſum Deum in corde & corpore ſuo, cui in terris peregrinanti facta eſt hoſpitium amoroſum. Quinto alij propter Deum adminiſtrant infirmo: ſed Maria ipſi Ieſu Deo in pauperculo corpore infirmato officioſiſſimè miniſtrauit: ipſum lauando, ipſum faſciando, ipſum in præſepio reclinando, atque in brachiis baiulando. Sexto alij conſolantur plorantes homines: Maria autem paruulum Deum plorantem, & ipſa cum Ieſu paruulo corde compaſſionato affectuoſiſſime plorans, illum dulciſſime conſolatur, atque dulci ac ſuaui locutione blanditur. Septimo alij ſolliciti ſunt, ne aliquid deficiat inopi: ſed Maria ſollicita miniſtratrix fuit, & in manibus ſuis laborauit, vt ſubueniret Deo homini pro ſalute omnium Dei indigenti. Octauo alij incarceratos & vulneratos homines viſitant, & eis compatiuntur, dum viuunt, atque mortuos ſepeliunt: Maria autem Deo homini Ieſu Chriſto pro nobis capto atque ligato, ac dura carceratione ligno Crucis affixo, & vulneribus dilaniato, tanto dolore compaſſa eſt, vt inexpreſſibile ſit etiam Angelicæ linguæ. In omnibus ſupradictis Maria figurata fuit in Martha, quæ interpretatur prouocans, vel irritans, ſeu dominans: quia ſua ſtrenuiſſima actione diabolum prouocauit ad bellum, & irritauit ad ſcandalum, ac ſibi dominata eſt ad triumphum, vt merito ſubdatur, à Luca, *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium.* Nono autem quia ſtetit iuxta crucem in doloris fortitudine, & nunquam per impatientiam lapſa eſt: ideo ſubditur quæ ſtetit & ait. Decimo, quia contemplatio deitatis nihil ſibi de doloribus ademit vel minuit: ſed amplius multiplicauit: idcirco introducitur lamentabiliter, *Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare.* Vndecimo, quia ſollicita remuneratione omnium paſſionum Ieſu, & eorum quæ circa eum fiebant, erat tota doloribus ſaucia. Quod optime cognouit Ieſus: ideo hoc recognoſcens gratiſſime ait ſibi: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Hoc quidem ſolus Ieſus dicere potuit, qui ſolus maternos potuit menſurare dolores. Duodecimo concludit, *Porro vnum eſt neceſſarium*, ait: videlicet me filium tuum mori atrociter & te matrem meam commori ſimiliter, ac mundum redimi ſimiliter, hoc eſt liberaliter.

Maria contemplatio.

Perfecta contemplatio inſinuatur.

Nulla creatura Virgine humilior.

Secunda vnio Virginis cum filio.

In quo beatiſſima virgo alios excedit.

Martha interpretatur prouocans dominans.

Luc. 10.

Solus Ieſu maternos potuit menſurare dolores.

De gaudio, quod mater Ieſu habebat de ſua finali ſaluatione atque glorificatione.

Cap. IV.

QVartus Mariæ ardor, ſecuritas dici poteſt. Minime ſiquidem dubitandum eſt, quin beata Virgo certiſſima fuerit de ſua perſeuerantia & ſalute. Porro de ſua ſalute certificatus eſt Petrus cum Ioan. vlt. ait: *Cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet te quo tu non vis. Hoc autem dixit ſignificans, qua morte eſſet clarificaturus Deum.* Similiter & Ioannes Euangeliſta, cui etiam Ioan. vlt. ait Dominus: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Item tenendum eſt de beata Maria Magdalena, de qua Luc. 10. Dominus ait: *Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.* Quanto magis hoc aſſerendum de Virgine benedicta? quæ experimentaliter certificata erat de ſanctificatione ſua in vtero matris ſuæ, & de ſanctificatione adueniente Spiritu ſancto in conceptione filij Dei: necnon in ſanctificatione

Maria ardor ſecuritas.

Ioan. vlt.

Ioan. vlt.

Luc. 10.

Virgo certa de ſua ſanctificatione in vtero.

ctificatione tertia, quæ facta est adueniente Spiritu sancto in filij Dei mansione in vtero eius mensibus nouem. Quanto gaudio putas profundebatur anima eius, quando contemplabatur per fidem gloriam, quam ad dexteram filij per spem super omnes Angelos possessuram se certissime expectabat? Magna igitur extitit gratia, & virtus Virginis matris Dei. Tam vtique magna, vt cum Hieron. & multo amplius quam Hieron, dicere possumus. Quid nos tantilli, quid nos actione pusilli, quid in laudibus eius referamus? cum etiam si omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare non sufficerent. Altior enim est cœlo, de qua loquimur, Virgo abysso profundior, cuius laudes dicere conamur: si cœlum inquam te vocem, altior es: si vero matrem gentium, præcedis: si formam Dei te appellem, digna existis: si dominam Angelorum, per omnia esse probaris. Quid igitur digne de te dicam? Aug.
Maria ianua paradisi. quoque de ipsa ait: Maria est flos, & ianua paradisi, gloria generis humani, thronus & camera regis æterni, charitas Dei, lucerna mundi, scala cœli, regina Angelorum, terror dæmonum, refugium peccatorum, imago & speculum puritatis, exemplum & regula honestatis, fons & taberna gratiarum, mons & scala virtutum, arca cœlestium thesaurorum, consolatio pauperum, refrænatio diuitum, recreatio humilium, confusio superborum, solatium electorum, conductrix peregrinorum, portus naufragantium, murus obsessorum, requies tribulatorum, mater orphanorum, tutela viduarum, scutum pugnatorum, dulcedo contemplatiuorum, magistra prædicatorum, fortitudo laborantium, aduocata pœnitentium, medicina ægrotantium, forma iustorum, spes & laus credentium, & titulus catholicorum. Ex prædictis patet, quod in prima sua sanctificatione Virgo beata *progrediebatur quasi aurora consurgens*, sicut dicitur Cant. 6. quia effugauit tenebras horrendæ mortis originalis, infectionis, & carnalis societatis humani generis, ac totius gloriæ sensibilis mundi. In sua vero conuersatione facta est *pulchra vt luna*, illius cœlestis solis lumine plena. Licet adhuc aliquid naturalis tenebræ esset in ea, sicut etiam est in luna: in tertia vero sua perfectione propter Incarnationem filij Dei ad tantam lucem veritatis, & ardorem charitatis ascendit, quod fuit *electa vt sol*: & tunc omnibus hostibus
Hæresum Maria Virgo profligatrix. facta summe fuit *terribilis, vt castrorum acies ordinata*. Et hoc verbum potest esse thema in præsenti solemnitate. Ideo de ea Ecclesia digne canit, cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo, quando scilicet totam veritatem Dei sic concepit, quod esset ipsius genitrix veritatis. Et vt deuoti Anselmi vtar eloquio: Gloriosa
Nullus exprimere potest quid Virgini debemus. Virgo, & Mater misericordiæ, regina & fons totius dulcedinis & pietatis, quid dicemus? quali organo vocis, vel quo iubilo cordis exprimemus, quantum tibi debemus? quicquid protulerimus, minus est, & quasi nihil ad ea quæ tibi exequi debemus, tu ante omnem creaturam in mente Dei præordinata fuisti, vt omnium fœminarum castissima Deum ipsum hominem verum ex tua carne procreares, vt præ omnibus post filium Regina cœlorum effecta gloriosa regnares, vt perdito mundo recuperares aditum, & vitæ perennis emolumentum præparares, tu genus humanum, æternitatis gloria nudatum, per tuum virgineum partum in pristinum statum deduxisti: tu principem mortis euertisti, per te ad æternam gloriam, quicumque prouenturi sumus, perueniemus, & per te est, si quod boni sumus, siue possumus, siue habemus, tu post Deum summa ac singularis consolatio nostra, tu ad regna cœlorum dux ac subuentio nostra. Tu, quæsumus, esto in ipso beatitudinis regno susceptrix ac perpetua exaltatio nostra, quæ cum Christo Iesu dulcissimo filio tuo gloriosa contegnas regina cœli, domina mundi per infinita sæcula sæculorum, Amen.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Hic Sermo, qui est de Virginis Matris Dei natiuitate, & de eius superadmirabili gratia vnicum articulum continet duodecim capita complectentem.

DE VIRGINIS MATRIS DEI Natiuitate, & de eius superadmirabili gratia.

Sermo V.

IN *capite eius corona stellarum duodecim.* Apocal. duodecimo. Ad gloriam & honorem Virginis matris Dei, exordium sumamus à verbis deuotissimi filij eius, gloriosi Bernadi in principio cuiusdam sermonis de Assumptione, qui ait: Hic totum decurrat ingenium, & aureus sermo totus reluceat maiestate. Voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. Ipsa seorsum acuat, dirigat stylum & linguam pauperis, venustiori respergat eloquio. Quod & ipsa mihi hodie impartiri dignetur: vt de Natiuitate eius aliquid balbutiendo depromam, iuxta prophetica verba, quæ dicunt, *In capite eius corona stellarum duodecim*, &c. In quibus sacratis verbis contemplabimur de Virgine eam gratiis coronatam in Natiuitate. *Apoc. 12.*

ARTICVLVS VNICVS,

De duodecim gratiis & excellentiis Beatæ Virginis, quibus quasi duodecim stellis tanquam Regina in præsenti mundo coronata fuit.

PRimo contemplemur beatam Virginem gratiis coronatam: quia Psalm. vocat eam reginam, dicens,

Astitit regina à dextris tuis. Et Euangelista Ioan. dicit eam habere in capite *coronam stellarum duodecim.* Contemplemur ergo eam reginam corona stellarum duodecim coronatam. Tanta est enim gratia Virginis in sua Natiuitate, quod quanto gratiæ eius & virtutes ac dignitates fidelibus & deuotis se offerunt digniores, suauiores & puriores, tanto potius, suauius, atque diuinius afficiunt eos, & tanto in eis summam puritatem Dei atque suauitatem & diuinitatem dulcius, plenius & altius assaporant. Propterea distinguamus duodecim mirabiles gratias, quasi duodecim eius coronæ stellas, quas etiam in præsenti vita peregrina habuit. Prima est nobilitas, secunda est præseruatio, tertia meritum, quarta potestas. Addantur aliæ quatuor: prima est superexcellentia secunda est dominatio, tertia est regnum, quarta dispensatio. Superaddantur aliæ quatuor: prima consummatio, secunda ornatus, tertia retributio, quarta incomprehensibilitas, & sic duodecim sunt stellæ.

Gratia multiplex B.Virginis.

Duodecim mirabiles gratiæ Virginis.

Quod beata Virgo nobilior fœmina mundi fuit, secundum carnem.

CAP. I.

PRima stella, nobilitas nuncupatur: fuit enim beata Virgo nobilius indiuiduum, seu nobilior creatura omnibus indiuiduis, seu creaturis, quæ in humana natura fuerunt, aut possunt, aut poterunt generari. Equidem Matth. cap. I. in fine, ponens tres quaterdenas generationes ab Abram vsque ad Christum, describit eam fuisse natam de 40. Patriarchis, & 14. Regibus, & de 11. Ducibus, secundum quod distinguunt & enumerant quidam, Lucas quoque cap. I. describens nobilitatem originis suæ exordiens ab Adam & Eua, vltimo vsque ad Christum Deum generationem suam protraxit. Habemus namque, quod Dominus Iesus Christus, qui sine matre fuit in cœlis & sine patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit: & dignitates, quæ ad humanitatem sequuntur, scilicet cognationis vt diceretur filius Dauid, & consanguinitatis, vt diceretur habere fratres ex nobili prosapia: totum hoc à sua benedicta matre suscepit. Quod etiam esset vltimus Dux, vltimus Rex, & vltimus Patriarcha totius populi Israel: Vnde hoc habuit, nisi à Virgine gloriosa? vt ex hoc manifeste clarescat, quod omnis nobilitas corporis concessa humano generi in Adam à Domino principaliter data est, vt descenderet per multas generationes & per Virginem matrem terminaretur in Christum. Hinc tantam munditiam ad literam præcipiebat Deus in lege sua non tantum in humanis corporibus, sed etiam in vasis, in domibus, in castris & in cunctis, quæ erant in populo Dei, vt scilicet populus per Christum illam nobilitatem & munditiam conseruare deberet. Cum autem venit Christus, exhausta manifeste apparet omnis munditia & nobilitas Iudæorum, qui non crediderunt in eum. Ita quod vbi gens Iudaica nobilissima & mundissima fuerat ante Christum, nunc vilissima & abiectissima appareat vltra omnes nationes. Hoc etiam manifesta experientia monstrat quia post Christum non habuerunt aliquem Patriarcham, vel Regem, vel Ducem, sicut ipsimet publicè attestantur, vt verificetur quod ipse de se, Apocal. 1. cap. ait: *Hæc dicit primus & nouissimus.* Primus, scilicet, quem Deus in suo populo principaliter intendebat. Et nouissimus, scil. Patriarcha, Rex & dux in populo illo. Quia igitur omnes præclaritates, ingenuitates, præfecturas, dignitates & nobilitates, quæ possunt esse in aliquo indiuiduo humano secundum originem sanguinis describunt Euangelistæ in hac puella: oportet nos eorum testimonio eam præferre omnibus Principibus, & Principissis, Regibus & Reginis, Imperatoribus & Imperatricibus, & omnibus potestatibus, tribubus & linguis totius vniuersi.

Omni creatura humana nobilior B.Maria.

Christus filius Dei à Virgine totã recepit humanitatem, & dignitates quæ eam consequuntur.

Præstantia B.Virginis secundum carnem.

Ante Christum Iudæi nobilissimi, nunc vero abiectissimi.

Apoc. 1.

Quod totus mundus post primorum nostrorum parentum culpam amore tantæ Virginis à Deo præseruatus est.

CAP. II.

SEcunda stella dicitur præseruatio. Maria namque per multa millia annorum antequam nasceretur, primo & principaliter Adam & Euam, & totam eius posteritatem præseruauit in esse. Constat nempe, quod ex propria transgressione Adam & Eua, non solum mortis, sed & annihilationis exterminium meruerunt, & diuina vltio, quæ personarum acceptionem ignorat, sicut nec culpam Angelicam, sic nec etiam humanam dimisisset impunem. Sed propter præcipuam reuerentiam & singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, præseruauit: quia eam ab æterno super omnes creaturas Deo non viciendas, quæ creandæ erant, superexcessiue dilexit: propterea præseruati sunt protoplasti, nec vt merebantur in nihilum sunt redacti. Ratio huius est, quia hæc benedicta puella in lumbis erat Adæ secundum seminalem rationem, potentiaque producendæ puellæ in primis parentibus impressa erat, donec educeretur in actum. De ipsa namque nasci debebat Dei filius Iesus Christus, qui secundum corpulentam substantiam in Adam existens erat solum de Virgine, & de nulla alia educendus. Indulsit ergo misericors Deus primis parentibus, nec eos anni hilauit: quia sic non fuisset exorta beata Virgo, nec per consequens Christus, siue Deus carnem vestiisset humanam. Ergo propter istam nobilem creaturam Deus saluauit parentes primo de prima eorum transgressione, Gen. 3. Noë diluuio inundante, Gen. 7. Abraham de sede Regis Chodorlaomor, Gen. 14. Isaac de Ismaële, Gen. 21. Iacob de Esau, Gen. 27. Iudaicum populum de Ægypto & de impia Pharaonis manu, Exod. 2. & de mari rubro. Exod. 14. de vitulo in deserto, Exod. 32. de manibus diuersorum regum & tyrannorum, scilicet Nabuchodonosor, Dan. 3. de captiuitate Babyloniæ, Isa. 13. & Assyriorum. 4. Reg. 19. Dauid de leone & vrso. 1. Reg. 17. De Golia, eod. cap. De Saule. 1. Reg. cap. Et, vt breui sermone cuncta comprehendam, omnes liberationes & indulgentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse propter huius benedictæ puellæ reuerentiam & amorem, quibus eam Deus in suam prædestinationem præhonorandam cunctis operibus suis ab æterno præordinauit.

Secunda stella est præseruatio Mariæ totã humani generis posteritatem quomodo præseruauit in esse.

Cur Deus primis parentibus indulsit.

Figura examinanda.

Propter Virginem multa Deus condonauit.

Quod meritum beatæ Virginis in conceptione filij Dei merita omnium purarum creaturarum excedit.

CAP. III.

TErtia stella, meritum nuncupatur. Plus enim meruit gloriosa Virgo in vno suo consensu, scilicet conceptionis filij Dei, quam omnes creaturæ, siue angeli, siue homines, in cunctis suis actibus, motibus & cogitationibus. Et quidem omnes, qui meruerunt: nihil amplius potuerunt mereri, nisi secundum diuersos status & gradus, gloriam fœlicitatis æternæ. Hæc autem Virgo in illo glorioso consensu meruit extinctionem fomitis, primatum orbis, dominium mundi super omnes creaturas, sceptrum regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, & omnium scientiarum, & maxime altissimæ Theologiæ interpretationis sermonum, spiritus prophetiæ, discretionis spirituum,

Tertia stella meritum dicitur.

Quodnam meritum Virginis in Conceptione filij sui.

Quid beata Virgo potuerit mereri.

rituum, operationis virtutum, gratiæ sanitatem. Meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem filij Dei, quod sit stella maris, porta cœli, & super omnia quod diuinæ misericordiæ sit regina, & regina misericordiæ nominetur, quod multipliciter probari potest. Primo enim plus ei conuenit hoc nomen, quam si dicatur Imperatrix. Nam Imperatrix est nomen magni timoris atque rigoris. Regina autem plus est nomen prouidentiæ & æquitatis. Propterea vix in tota scriptura Deus expresse nominatur Imperator, seu Rex nempe nomen est maiestatis. Secundo etiam dicitur magis propriè regina misericordiæ, quam Domina Dominarum, vel Regina Reginarum, vel Dea Dearum. Hæc enim omnia important dignitatem vel excellentiam respectu maiorum, & non minorum. Si enim diceretur Dea Dearum, non videretur esse Dea, vel Regina peccatorum, vel dæmonum. Similiter propriè non diceretur Regina pacis & dilectionis, quoniam non est hoc vniuersale omnibus sui regni. Tertio etiam dicitur melius Regina misericordiæ, quam potentiæ vel sapientiæ. In sapientia enim intelligitur potentia; sed non conuertitur. In misericordia vero intelligitur & sapientia & potentia, & non econuerso. Vnde misericordia claudit illa tria in se, propterea Regina misericordiæ est Regina potentiæ & sapientiæ, & non econuerso. Quarto etiam propriè non potest dici Regina gloriæ, seu Regina gratiæ, aut Regina iustitiæ. Nam gloria, gratia & iustitia per se tantum dicunt collationem boni, & ablationem mali. Per se enim plus comprehendit, & amplius se extendit regnum misericordiæ, quam gloriæ, gratiæ, vel iustitiæ. Sed ab ampliori & maiori potentia, dignitas, & denominatio maior est, ergo Beata Virgo Maria à summa dignitate, Regina misericordiæ dici debet. Quinto ad idem, gloria enim tantum est in cœlo, non in terra, non in inferno, non in purgatorio: sed misericordia in quolibet horum est: ergo maximum est regnum misericordiæ, merito ergo Regina misericordiæ est dicta. Sexto insuper Regina misericordiæ dici debet. Nam quicquid est superius superiore, superius est inferiore, sed misericordia est super omnia opera Dei, & regnum misericordiæ super misericordiam: ergo Regina misericordiæ determinat potentiam super omnia: sed illa conuenit Virgini propriissimè: ergo propriè est Regina misericordiæ. Septimo etiam super patrimonium & proprietatem filij sui est Regina sed hæc est misericordia. Proprium etenim Dei est misereri & parcere: ergo Beata Virgo proprie misericordiæ est Regina. Octauo etiam probari potest. Isa. enim 18. dicit Dominus: *Ego autem considerabo in loco meo*, gloss. qui locus est misericordia: sed proprius locus Regis est regnum: ergo misericordia est regnum Regis & Reginæ. Sed proprie dicitur Rex & Regina eius, quod est ipsius regnum, sicut Rex vel Regina Franciæ dicitur, cuius est regnum Franciæ: propterea Beatissima Virgo proprie dicitur Regina misericordiæ, cuius misericordia regnum est.

Regina quid significat commemorando ad bonum sensum. Rex nomen maiestatis.

Virgo dicitur regina misericordiæ non potentiæ. Misericordia potentiam & sapientiam claudit.

Gloria tantum est in cœlo.

Misericordia est super omnia opera Dei.

Proprium Dei est misereri. Isa. 18.

Quod Beata Virgo potuit facere de Deo, quod de se non potuit facere ipse Deus.

Cap. IV.

Quarta stella potestas.

QVarta stella, est potestas. Plus enim potest facere Beata Virgo de Deo, quam Deus de seipso. Quædam enim contraria videbantur inter Deum & Virginem, quæ, dum accessit Deus ad Virginem, concordata sunt: puta, primo impossibile erat Deum non generare: impossibile videbatur Virginem generare. Item secundo impossibile erat Deum generare, nisi Deum: impossibile videbatur Virginem generare Deum. Amplius tertio impossibile erat Deum cum alia persona generare: Accessit ergo Deus ad Virginem, & necesse fuit Virginem generare, & non alium quam Deum: & non de alio, quam de Deo. Sed Deus non potuit generare, nisi Deum de se: & tamen Virgo Deum fecit hominem; Deus non potuit generare: nisi infinitum, immortalem, æternum, insensibilem, impalpabilem, inuisibilem sub forma Dei: Sed Virgo fecit eum finitum, mortalem, modicum, temporalem, palpabilem, sensibilem, visibilem sub forma serui, suppositum sub natura creata. O ineffabilis humilitas Creatoris! ô incogitabilis virtus Virginis matris! ô incomprehensibilis altitudo mysteriorum Dei! vna mulier Hebrea fecit inuasionem in domo Regis æterni, vna puella, nescio quibus blanditiis, nescio quibus violentiis, decepit, & (vt ita dicam) vulnerauit & rapuit diuinum cor, & diuinam sapientiam. Propterea conqueritur Dominus de Beata Virgine dicens, Canticor. quarto. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* vbi gloss. pro amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum. Nam primogenita filij tui fuit: plusque pro ea redimenda in mundum venit, quam pro omni alia creatura. Ex Virginis igitur carne Deus, flens dico, summam altitudinem vestiuit humilitate: summam lætitiam vestiuit pœnalitate: summam opulentiam vestiuit paupertate: summam lucem vestiuit tenebris: summum honorem vestiuit opprobriis: summum amabile vestiuit flagellis. Reuera Deo patri per omnem modum impossibile erat, quod de se aliquid tale faceret. Propterea in hoc stat Virginis prærogatiua: quia cum hæc Deus non possit, nulli alteri creaturæ concessit. Quod autem sic generauit, totum pro salute generis humani procuratum est: vnde sicut illud quod pater dedit filio, maius est omnibus, vt scribitur Ioan. 10. sic quod mater dedit ei, maius est omnibus. Quid igitur agendum est, nisi cum Gregorio exclamandum, atque dicendum? O mira circa nos vtriusque parentis Iesu Christi pietatis dignatio! ô inæstimabilis Dei & Virginis dilectio charitatis, qui vt seruum redimerent, communem filium tradiderunt propter nimiam charitatem, qua Deus & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt. Hæc sunt quatuor primæ stellæ eius, addantur aliæ quatuor.

Virgo Deum generat.

Virginis vlteriorum eminentia.

Cant. 4.

Maxima Virginis prærogatiua.

In quo cognoscitur splendor Ecclesiæ.

Solus æternus pater, & Virgo beata potuerunt filium habere Deum.

Cap. V.

Quinta stella est superexcellentia.

PRima est superexcellentia. Persona namque Virginis tantæ superexcellentiæ est, quod nec in personis creatis, vt Angelis & hominibus, inuenitur hæc incogitabilis dignitas, scilicet quod habeat Deum filium, nisi in vna persona diuina, quæ est Patris: & in vna persona humana, quæ est matris. Sanè priuilegium hoc isti soli personæ ita concessum est, quod sicut impossibile est personæ Filij, vel personæ Spiritus sancti generare Deum, pro eo, quod in eis non est natura cum primitate fœcunditatis, nec intellectus, cum actu dicitur aliquod verbum, siue cum fœcunditate & potentia ad producendum imaginem, sicut in Patre est. Vnde sicut impossibile est Patri producere aliud Verbum, pro eo, quod hoc Verbum genitum sit perfectissimum, & totam potentiam generandi exhausit in Patre: ita impossibile est mulierem aliam posse parere Deum, nisi per nouam potentiam alicui collatam à Deo: quod certum est nunquam futurum esse. Potentia enim concipiendi & pariendi Deum, quæ naturæ humanæ copulata fuit, secundum, quod dicimus Christum fuisse in lumbis patrum, secundum corpulentam substantiam descendit ab Adam vsque ad Virginem. Et fuit impossibile ad actum in aliquam mulierem deduci, nisi in Mariam Virginem, quæ potentia ita per natiuitatem Christi exhausta est de natura humana, quod quicun-

Solus Deus sola Virgo potuerunt filium habere Deum.

Pater aliud Verbum non potest generare, & quare.

Error dicente aliam personam à secunda carnem humanam assumpturam.

que

que diceret aliquam personam diuinam esse humanandam in aliquo secundum corpulentam substantiam, esset vt impiissimus hæreticus puoieodua.

Tot creaturæ seruiunt B. Mariæ Virgini, quot seruiunt toti Trinitati.

C A P. VI.

Sexta stella est dominatio. *Quot creaturæ formā: Beata Virgini.*

SE: ūda stella, est dominatio siue volumus dicere famulatus. Tot enim creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot seruiunt Trinitati. Omoes nempe creaturæ, quæcunqne gradum teneant in creatis, siue spiritoales, vt Angeli! siue rationales, vt homines, siue corporales, vt corpora cœlestia, vel elemeota, & omnia quæ sunt in cœlo, & in terra, siue damnati, siue beati. quæ omnia sunt diuino imperio subiugata, gloriosæ Virgini sunt subiecta. Ille enim qui filius Dei est, & Virginis benedictæ, volens (vt sic dicam) paterno principatui, quodammodo principatum æquiparare maternum, ipse, qui Deus erat, matri famulabator in terra, vnde Lucæ secundo cap. scriptum est de Virgine, & glorioso Ioseph, *Et erat subditus illis*, præterea hæc est vera, Diuino imperio omnia famulantor & Virgo. Et iterum hæc est vera, imperio Virginis omnia famulanıur & Deus. (*Luc. 2.*)

Quod hereditario iure successit B. Virgini Regnum totius mundi.

C A P. VII.

Septima stella est regnum. *Beatissima Virgo nobilissima.*

TErtia stella est regnum. Lege enim successionis & hæreditario iure totius vniuersi debetur B. Virgini primatus & regoum. Quamuis autem benedicta Virgo fuerit nobilior persona, quæ fuerit, vel futura sit in orbe terrarum, tantæque perfectionis, quod etiam si non fuisset mater Dei, non minus deboisset esse Domina mundi: tamen secundum leges, qoibos regitur mundus, iure hæreditatio omnem huius mundi meruit principatum & regnum, quia filius eius in primo instanti suæ cooceptionis Monarchiam totius promeruit & obtinoit vnioersi, sicut Propheta testatur dicens: *Domini est terra & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.* (*Psal. 23.*) Ex iure ergo cooceptionis filij Dei Virgini incumbebat totum illud procurare & administrare, quod ex tunc filio datum est vsque ad legitimam ætatem filij sui, sicut ipsius diligens nutrix, & auctrix, secundum quod volunt iura: nec tamen est mirum, si tam generosa Regina administrandi orbem curam omiserit: primo, quia fœmina: secundo, quia puella: tertio, quia virgo verecunda: quarto quia paupercula: quinto, quia curæ filij Dei & sui erat totaliter dedicata: sexto quia noo credebatur mater Dei, nec recipiebatur vt orbis Domina: sicur nec filius qui vitam totius orbis & mores ordinabat, tamen non est vt Deus agnitus, nec vt orbis Rex, & hæres receptus, sicut Ioan. 1. c. scriptom est, *Mundus per ipsum factus est, & mundus non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* (*Ioan. 1.*) Sciens igitur mater in filio vim latentis diuinitatis, curam administrandi rempublicam dereliquit: licet vbi poterat pro posse exequebatur, sicut patet Ioan. 2. quod in reipublicæ solatium & supplementum vinum in nuptiis postulauit. (*Ioan. 2.*) Ac dolens qoærebat filium, ne mundus perdidisset Dominum suum, quinimmo cum filius eius vnicus moreretur in cruce, cum nec vllum habuisset in terris, qui de iure succederet ei: mater omnium secundum iura successit, ac per hoc principatum omnium acqoisiuit. Successionem autem hanc nusquam legimus reuocatam, sed diuino munere operante, & gratia Virginis impetrante, cernimus expressius elucidari quotidie, dum eam Dominam

Cur Virgo vniuersum orbem non rexit.

Quandonam Virgo omnium principatum acquisiuit.

& Reginam omnium prædicamus. De monarchia autem vniuersi nunquam Christus testatos est, eo quod sine matris præiudicio nequaquam poterat fieri. Insuper nouerat, quod potest mater irritare filij testamentum, si in sui præiudicium sit confectum. Ex his omnibus apertissime claret, quod mater Iesu Christi Maria hæreditatio iute omnium, quæ sunt infra Deum, habet regale dominium, & inclitum obtinet principatum.

Quod nulla gratia ad nos descendit, nisi per manus B Virginis dispensetur.

C A P. VIII.

Octaua stella dispensatio.

QVarta stella est dispensario. A tempore enim, à quo Virgo mater coocepit in vtero verbum Dei, quandam (vt sic dicam) iurisdictionem, seu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus sancti processione temporali: ita qnod nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel dispensationem. Hinc Bernard. deuotissimus ait, Nulla gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. Hinc Hieron. in sermone de Assumptione, inquit: In Christo fuit plenitudo gratiæ, sicut in capite influente: In Maria vero, sicut in collo transfundente. Vnde Cant. 7. cap. de Virgine ad Christum Salomon ait: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Nam sicut per collum vitales spiritus à capite descendunt in corpus: sic per Virginem à capite Christi vitales gratiæ in eius corpus mysticum transfunduntur. Vnde iste est ordo diuinarum gratiarum defluxus, vt prius à Deo defluant in Christi animam benedictam, deinde in animam Virginis matris: inde in Seraphin, & sic successiue in alios sanctos ordines Angelorum: demum in ecclesiam militantem. Cum enim tota natura diuioa totum esse, posse, scire & velle diuinum intra Virginis vterum extiterit clausum: non timeo dicere, quod omnium gratiarum effluxua quamdam iurisdictiooem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, quasi de quodam diuinitatis Oceano, riui & flumina emanabant omnium gratiarum. Reuera maternitas Dei hanc in muodo naturali iure obtinuit dignitatem, vt Regina misericordiæ, sicut prædictum est, merito nuncupetur: & hoc propter filij magnificentiam, qui est Rex regum, & Dominus dominantium. Reperio namque in Rege nostro Iesu duas mirabiles dignitates: videlicet quod sit æternus Deus genitus ab æterno, & æternum Deum producat, eo quod Spiritum sanctum spiret, & ipse clausus in Virgineo vtero in æternitate à Deo Patre Deus generabatur æternus, & in eadem æternitate ipse puer in ventre matris Deum iospitabat, & producebat. Primam filij dignitatem, scilicet quod sit generatus à Deo, tam supremo modo Virgo benedicta participauit, quod Iesus non dicatur verius filius Dei, quam filius Virginis: nec maior, nec minor, nec dignior est Dei filius in throno paterno, sedens vestitus claritate, quam habuit antequam mundus fieret, quam pannis pauperibus inuolutus, & intra fœnum in præsepio reclinatus. Et quia talis est mater filij Dei, qui producit Spiritum sanctum: Ideo omnia dona, virtutes, & gratiæ ipsius Spiritus sancti, qoibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipsius administrantur. Iam duos quaternarios stellarum tetigimus: nunc ad tertium transeamos. Superaddantur aliæ quatuor stellæ.

Nulla gratia ad nos descēdit nisi per manum Beatæ Virginis tanquam per aquæductum dominum. *Cant. 7.* *Ordo diuinarum gratiarum defluxus.*

In Christo Domino duæ præcipuæ dignitates.

Iesus non dicitur verius filius Dei quam filius Virginis.

Quod

Quod beata Virgo consummatio, & perfectio est totius creatæ naturæ.

C A P. I X.

Nona stella est consummatio.

PRima autem stella, est consummatio. Omnes enim naturas & mundi perfectiones vltima sua perfectione Virgo sacra compleuit. Deus quidem licet in mundi creatione nihil produxerit imperfectum, sed omnia perfecta, sicut eorum exigebat natura: tamen vltimæ perfectionis consummatio vsque ad partum Virginis dilata est, & soli Virgini reseruata. Omnia namque entia vnum ens nobilissimum appetebant: viuentia vnum nobilissimum viuens: sentientia vnum nobilissimum sentiens: conceptiones nobilissimum conceptum: natiuitates optimum nascibile: rationalia singularissimum rationale: spiritualia excellentissimum spirituale. Et breuiter omnes creaturæ appetebant vnum quoddam optimum potum creatum. His sic existentibus imperfectis, prouisum est mondo de vna fœmina super omnibus benedicta: quæ vnico suo partu omnibus generibus rerum summam & vltimam perfectionem adduxit. Aduerte diligens anima, quod hæc benedicta puella tantam perfectionem attulit vniuerso, quod vlterioris perfectionis non est capax: nec Deus potest ordinaria potestate ipsum perficere vlteriori perfectione; immo si ipse Pater, vel Spiritus sanctus de fœmina nasceretur, nihil accresceret orbi: quia quicquid diuinitatis, & quicquid æternitatis est, totum in orbe diffusum est, & productum per Virginem in illo æterno supposito, quod generauit Beatissima Virgo. Nec Virgini magnum est, quod perfectionibus orbis vltimam pefectionem adduxit, cum & ipsi vniuersitatis auctori nonnullas perfectiones adduxerit: puta æterno principio inceptionis exordium, æternitati diuinæ temporalem periodum, infinitati immensæ quatitatem corpoream, speciei æternæ pulchritudinem nouam, pro quibus omnibus scriptum est, *omnis consummationis vidi finem*, qui scilicet est Beata Virgo Maria.

Virgo vnico suo partu omnibus generibus summam & vltimam perfectionem adduxit.

Virgo nonnullas perfectiones ipsi creatori videtur dedisse.

Psal. 118.

Quod tota Ecclesia militans ex beata Virgine ornatur & decoratur.

C A P. X

Decima stella est ornatus.

Omnia Sacramenta ad illud Eucharistiæ Sacramentum tanquam in vltimum finem ordinantur.

SEcunda stella, est ornatus. De carne enim Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excisa, consistit, perficitur, & terminatur totum decus & pondus sacramentorum Ecclesiæ Dei. Certum est enim, quod omnis institutio sacramentorum, & omnia alia sacramenta, tanquam in vltimum finem, & ad illud sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinantur: quæ quidem conficitur & consecratur, dum panis in corpus Christi conuertitur. Quamuis enim per concomitantiam in Christi corpore sit diuina substantia & anima sola: tamen substantia panis transsubstantiatur in solam substantiam carnis, non in diuinitatem, neque in animam: ideo hoc sacramentum est finis omnium sacramentorum. Et (vt expressius magnificem illam dignissimam & beatissimam carnem de Virgine gloriosa decisam, dico) quod tanta infinitate nobilitatis eam dignificauit Altissimus: quod cum esset veri hominis caro, dum viuebat Iesus formam hominis posset perdere, Dei autem nunquam: non enim erat verum dicere de corpore exanimi Christi, hoc corpus est homo: & verum erat dicere, hoc corpus est Deus.

Quanta Virgo beata Deo retribuat pro omnibus quæ ipse retribuit nobis.

C A P. X I.

Vndecima stella est retributio.

TErtia stella, est retributio. Sola enim benedicta Virgo Maria plus fecit Deo, vel tantum (vt sic dicam) quantum fecerit Deus toti generi humano. Credo enim certe, quod mihi indulgebit Deus, si nunc pro Virgine loquar. Congregemus in vnum, quæ Deus homini fecit: & consideremus, quæ Maria Virgo Domino satisfecit. Primo namque Deus formauit hominem de limo terræ: sed Maria formauit eum de purissimis sanguinibus suis, & de purissima carne sua, quæ præualet omnibus rebus mundi. Secundo Deus impressit in hominem decorem imaginis suæ: sed gloriosa Maria impressit in eum imaginem suam. Nam sicut ipsa erat pulchrior omnium fœminarum, sic Iesus est pulchrior & speciosior forma præ filiis hominum. Tertio Deus fecit hominem sine passionibus famis, sitis, frigoris, & consimilium: sed sedula mater Iesu, & præ cunctis hominibus pia, omnibus passionibus eius occurrebat, scilicet fami, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperrimus exigebat, & hoc cum maxima patientia sua. Quarto vestiuit Deus hominem pellicea veste: sed Virgo benedicta vestiuit eum in præsepio suis pauperculis pannis, & processu temporis tunicam inconsutilem ei fecit, quæ præualuit omnibus vestibus mundi. Quinto docuit Deus hominem sapientiam: sed sapiens & prudentissima Virgo Maria docuit Christum puerilia aliqua fugere, & sequi eam. Sexto nutriuit Deus hominem de fructibus paradisi: sed beatissima Virgo nutriuit Christum de suo sacratissimo lacte, vbere de cœlo pleno, cuius minima stilla præualet omnibus fructibus paradisi terrestris, ac totius mundi. Reddendo ergo singula singulis, scilicet quæ fecit Deus homini, & quæ fecit Deo beata Virgo, videbis quod plus fecit Maria Deo, quam homini Deus, vt sic pro solatio dicere liceat, quod propter beatam Virginem, quam tamen ipse fecit Deus, quodammodo plus obligetur nobis, quam nos sibi.

Per exaggerationem hæc dicta.

Pulchra consideratio, & elegans comparatio.

Hæc per exaggerationem dicuntur.

Quantum incomprehensibiles sint perfectiones Virginis gloriosæ.

C A P. X I I.

Duodecima stella est incomprehensibilitas.

Perfectiones Virginis incomprehensibiles videntur.

QVarta & vltima stella est incomprehensibilitas. Sicut enim diuinæ perfectiones omni intellectui sunt incomprehensibiles: sic perfectiones gratiarum, quas Virgo suscepit in Conceptione filij Dei solo intellectui diuino, Christo, & sibi comprehensibiles extiterunt. Et quidem quod Deus generaret Deum nulla requirebatur in Deo dispositio cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ, & intellectus produceret verbum per omnia sibi æquale; imo impossibile est quod non generet Deum propter suam fœcunditatem. Sed quod fœmina conciperet, & pareret Deum est, & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim, vt sic dicam fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem nunquam creatura experta est. Vnde credo quod ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in beatam Virginem descenderunt in hora diuinæ Conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus nunquam potuit attingere. Quod declarans Angelus Gabriel, Luc. 1. cum ab eo quæreret beata Virgo ac diceret. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco.* Respondit Angelus se non tantum mysterium ignorare, dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi,*

quasi dicat. Quod à me quæritis ignoro, sed æternæ sapientiæ doctor, qui sibi soli hoc altissimum mysterium reseruauit, te per illuminatissimam experientiam edocebit.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone.

Qui est de Annunciatione Virginis, continet tres articulos, quorum vnusquisque tria habet capita.

Articuli primi De triplici excellentia gloriosæ Virginis Mariæ, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Cap. 1. *Quod Beata Virgo excedit multipliciter omnes alios in natura.*

Cap. 2. *Quod beata Virgo multipliciter excedit omnes alios in gratia.*

Cap. 3. *Quod beata Virgo Maria multipliciter omnes in gloria superexcellit.*

Articuli secundi, De triplici benedictione, quæ in salutatione Angelica demonstratur.

Cap. 1. *Quod beata Virgo benedicta in mulieribus tripliciter declaratur.*

Cap. 2. *De benedicto fructu ventris virginalis.*

Cap. 3. *De tribus excellentiis nominis Iesu.*

Articuli tertij, De tribus quæ ponuntur in fine salutationis Angelicæ.

Cap. 1. *Quod beata Virgo in omni necessitate inuocanda est.*

Cap. 2. *Quanta sit dignitas esse Virginem Matrem Dei.*

Cap. 3. *De postulatione quæ in fine salutationis Angelicæ poni solet.*

DE ANNVNCIATIONE Virginis.

Sermo VI.

Luc. 1.

COGITABAT, *qualis esset ista salutatio.* Luc. 1. cap. Quia Dominus Iesus Christus matrem suam sibi habet cæteris Sanctis propinquiorem & chariorem, ac ad interpellandum pro nobis apud ipsum potentiorem: propterea vult ipsam à nobis vltra omnes Sanctos prædiligi, præhonorari, salutari, & venerari. Nam ipsam & virtutes eius attentissime contemplari, & ad eas ardentissime affici in summo affectu inflammat & subleuat, ac irradiat intellectum ad summas virtutes Christi, & ad ipsum Christum. Simpliciter nempe melius & vtilius est oratione & deuotione pro adiutorio ad matrem Christi recurrere quam ad alios Sanctos inferiores. Quapropter ad excitandam deuotionem & vestram inflammandam affectionem erga Virginem matrem, disposui ipsa adiuuante, Salutationem Angelicam declarare. Pro qua sumo verbum Luc. cap. 1. qui de eadem salutatione ait: *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.* In quibus quidem verbis ostenditur hæc salutatio esse plena. Primo admirabilis considerationis: ibi, *Cogitabat.* secundo admirabilis commendationis: ibi, *qualis esset*, tertio admirabilis salutationis: ibi, *ista salutatio.* Primo autem ostenditur plena admirabilis considerationis, quia cogitabat, scilicet Beata Virgo, vt videlicet eius exemplo discamus huiusmodi salutationis mysteria ponderare. Et vt clarius elucescant alta mysterii eius, tria in ea cogitanda, siue consideranda sunt. Considera primo virgineum statum, secundo Angelicum exemplum, tertio mirificum luctum. Primo considera in hac salutatione virgineum statum. Est enim regina misericordiæ, templum Dei, habitaculum Spiritus sancti, semper sedens ad dexteram Christi, in gloria sempiterna, sicut Propheta ait: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*, scilicet omnium Beatorum. Ideo veneranda, salutanda ac adoratione hyperduliæ adoranda. In cuius exemplum 3. Reg. 2. in figura Christi, *Salomon surrexit de solio in occursum matris, & adorauit eam* Idcóque ad dexteram Regis sedet, vt quoties adoras Regem Christum, adores etiam Christi matrem. Propterea hac salutatione est frequenter adoranda. Secundo cogita Angelicum exemplum. Si enim Angeli salutant eam, quanto magis hoc tenetur homo, Vnde Luc. 1. *Ingressus Angelus ad eam dixit, Aue gratia plena*, &c. De qua Bern. ait: Quæ est hæc virgo tam nobilis, vt salutetur ab Angelo? tam humilis, vt desponsata sit fabro? Disce ergo ab Angelo salutare Mariam. Tertio considera mirificum luctum: quia cum homo deuote salutat Virginem, resalutatur ab illa. Est enim vrbanissima Regina, gloriosa Virgo Maria, nec potest salutari sine resalutatione miranda. Si mille Aue Maria dicis in die deuotè, millies à Virgine resalutaris. Propterea in mysterium huius hortatur Apostol. ad Rom. vlt. c. dic. *Salutate Mariam.* Et sic patet quantum hæc salutatio est admirabilis considerationis, quia cogitabat. Secundo apparet esse admirabilis commendationis: Ait enim, *Qualis esset.* Commendatur enim hæc salutatio ex tribus. Primo ex altitudine, secundo ex dulcedine, siue ex dulcitudine, tertio ex gratitudine. Commendatur enim primo ex altitudine, quæ in hac salutatione continetur. Tota enim mysteriis mirabilibus est plena, quæ omnia redolent & redundant dulcedinem salutis nostræ. Quis enim tam ignarus & tam insipidus erit, qui non sæpe per hanc salutationem recolat principia nostræ salutis? *Aue*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Omne verbum altis mysteriis plenum est, sicut infra patebit. Secundo commendatur ex dulcedine. Hanc igitur gustans & saporans Propheta inquit: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Ideo Ecclesiast. 24. ipsa ait: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea, super mel & fauum.* Hæreditas enim gloriosæ Virginis est salutatio sua quam apud homines deuotione hæreditauit, vt iam *Aue Maria*, sicut *Pater noster*, cuilibet Christiano libeat frequentare. Tertio commendatur ex gratitudine. Magna nempe ingratitudo est tot suscipere beneficia à Domina nostra gloriosa Maria, & non recognoscere donatricem, nec sibi salutando regratiari. Vnde contra talem ingratum, Eccl. 41. exprobratiuè scriptum est: *Erubescite à salutationis silentio.* Tertio ostenditur esse admirabilis salutationis, quia subditur, Ista salutatio. In tota namque serie huius Angelicæ salutationis triplex principale mysterium per ordinem declaratur. Primum est salutationis ibi, *Aue Maria.* Secundum est commendationis ibi, *Benedicta tu.* Tertium est supplicationis ibi, *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, Amen.

Virgo præ omnibus diligenda.

Luc. 1. Angelica salutatio, est plena omnibus virtutibus.

In salutatione angelica tria consideranda.

Psal. 44.

Figura & typus B. Virginis

3. Reg. 2.

Angelicum exemplum. Luc. 1.

Luctus mirificus.

Rom. vlt.

1. ex altitudine, B. Virginis commendatio & encomium.

2. ex dulcedine. Psal. 118.

Eccl. 24.

3. ex gratitudine.

Eccl. 41.

ARTICVLVS PRIMVS.

De triplici excellentia gloriosæ Virginis Mariæ, scilicet natura, gratia, & gloria.

PRimum mysterium est salutationis. In qua salutatione triplex Virginis excellentia demonstratur. 1. est naturæ, 2. gratiæ, 3. gloriæ.

Quod

Quod Beata Virgo excedit multipliciter omnes alios in natura.

CAP. I.

PRima est excellentia naturæ. Triplici namque modo in *Aue*, hæc naturæ excellentia demonstratur. Primo modo *Aue*. id est sine væ. Et hoc triplici quidem modo, cui subiacet totum fœmineum genus (scil. pudoris, laboris, & doloris. Fuit enim sine væ pudoris in conceptione, sine væ laboris in gestatione, sine væ doloris in parturitione. Nam teste Bern. fuit sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Ratio autem, quare fuit sine væ pudoris est, quia eius conceptus fuit sine corruptione: non humano semine, sed mystico spiramine: Angelo illi dicente, *Spiritus sanctus superueniet in te*. Fuit etiam sine væ laboris: quia pondus amoris & grauedinis leuis *virtus Spiritus sancti obumbrabit*. Insuper non habuit væ doloris, quia partus sine læsione, quia ei Angelus subdidit: *Quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur filius Dei*. Soli enim Principi porta illa tetuata est, quam non violauit egrediens, sicut nec etiam ingrediens, sicut mysticè ponitur Ezech. 44. Hac triplici maledictione 10 nulla muliere immunis natura fuit, nisi in sola Virgine benedicta. Vnde Euæ, Gen. 3. c. dictum est: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos*. Secundo etiam modo in Virgine per Aue naturæ excellentia denotatur, quia ab alio triplici væ immunis fuit (scil. concupiscentiæ, culpæ, & pœnæ. De quo triplici væ, Apoc. 9. clamabat aquila volans, *væ, væ, væ, habitantibus in terra*. Fuit enim B. Virgo sine primo væ, hoc est sine tyranno concupiscentiæ peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone Cant. 4. didicimus, qui ait, *Tota pulchra es amica mea, & macula*, scilicet originalis culpæ, *non est in te*. Aut omnino in ea fuit extinctum per Spiritus sancti sanctificationem: propterea Psalm. ait: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*, id est, Beatam Virginem, in qua Dominus Iesus Christus nouem mensibus habitauit. Fuit sine secundo væ, scil. culpæ & mortalis & venialis. Vnde August. Excepta B. Virgine Maria, de qua cum de peccatis agitur, nullam volo fieri quæstionem propter honorem Domini, sed post hanc ergo Virginis exceptationem si Sancti & Sanctæ congregati possent, & quæreretur ab eis, an peccatum haberent: quid responderent, nisi quod Ioan. ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Fuit sine tertio væ, (scil. pœnæ, quæ in separatione animæ & corporis, quæ est incineratio, & corporis dissolutio. Nam sicut non dedit Dominus Sanctum suum videre corruptionem, id est, Christum: sic nec Sanctam suam, de qua natus est Sanctus, sed corpore & anima in cœlum assumpta est. Tertio insuper modo per Aue in Virgine, naturæ excellentia demonstratur: quia, sc. fuit sine alio triplici væ, sc. carnis, mundi, & diaboli. Siue tria ei defuerunt, de quibus 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Auaritiam namque exclusit per paupertatem, luxuriam per virginitatem: diabolum vero, vel superbiam per humilitatem: quia has virtutes perfectissimè in se habuit, merito ergo ei ab Angelo dicitur *Aue*. Ab vsu enim Ecclesiæ immediatè subiungitur Mariæ nomen cum dicitur, *Aue Maria*: quod tamen ab eodem Euangelista Luca præmissum erat, cum dixerat: *Et nomen Virginis Maria*. Et merito quidem nomen Mariæ adesse debet. Nam Maria interpretatur maris stella, Amarum mare: Domina, & illuminata. Est enim stella nauigantibus hoc mare magnum & spatiosum manibus, in quo reptilia, quorum non est numerus. Sed maxime stella est, quia emisit per natiuitatem filij Dei radium mentis nostræ irradiatiuum.

Aue quid significat.

Ezech. 44.

Gen. 3.

Apoc. 9.

Cant. 4.

B. Virgo fuit absque originali plaga.

Psalm.

Ioan.

Virgo anima & corpore in cælum assumpta.

1. Ioan. 2.

Maria nomini varia interpretatio.

Maria stella est & qua de causa.

Luc. 1.

Amarum etiam fuit mare, quando in passione gladius à Simeone prædictus, Luc. 2. eius animam pertransiuit. Domina equidem facta est in sua assumptione, quando exaltata est super choros Angelorum ad cœlestia regna, & facta est Regina cœlorum & Domina Angelorum. Sed illuminata mirabiliter fuit in animæ suæ in corpus infusione: Mirabilius tamen in filij Dei conceptione: Sed mirabilissimè in sua assumptione & glorificatione vbi vltra omnes beatos Angelos & animas simul iunctas diuina visione manet irradiata. Ecce prima excellentia virginalis, quia excessit omnes alios in natura.

Quod Beata Virgo multipliciter omnes alios in gratia superexcellit.

CAP. II.

SEcunda excellentia est gratiæ, de qua Angelus subdit, *Gratia plena*. Hoc secundum tripliceem intellectum exponi potest, Primus est. *gratia plena*. Gratia namque, sc. corporalis, spiritualis, & singularis: Nam gratia corporalis fuit gratia virginitatis in carne: Vnde Cant. 4. *Hortus conclusus fons signatus* denominatur. Gratia spiritualis fuit abundantia virtutum in mente, propterea etiam Cant. 4. Anima eius dicitur *fons hortorum*, & *puteus aquarum viuentium*. Gratia singularis fuit præsentia filij Dei in ventre. Ideo Cant. 7. scriptum est, *Venter tuus, sicut aceruus tritici*, id est plenus illo grano tritici, atque frumento, qui de se ait, Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram*, id est in beatam Virginem per incarnationem, *mortuum fuerit per passionem, ipsum solum manet*, &c. Secundus intellectus, *Gratia plena*. Nam fuit in ea vacuitas, siue profunditas humilitatis, puritas virginitatis, & soliditas charitatis, quas has virtutes plenissimè habuit & in summo. Ad hoc enim quod vas impleatur & teneat liquorem bonum, ista tria requiruntur, (scil. quod vas sit vacuum, siue profundum: quod sit purum, quodque sit solidum, siue firmum; quæ omnia fuerunt in Virgine matre. Vnde Cant. 5. admirantes de ipsa Angeli quærunt, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? Pulchra vt luna*, propter virginitatem: lunæ namque corpus frigidum est. *Electa vt sol*, propter feruentissimam charitatem. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, propter profundissimam humilitatem, qua nihil dæmonibus terribilius est. Tertius insuper intellectus, *Gratia plena*. Omnis nempe gratia, quæ huic sæculo communicatur, triplicem habet processum. Nam à Deo in Christum, à Christo in Virginem, à Virgine in nos ordinatissimè dispensatur. Primo namque omnis gratiæ Deus & Dominus donator est: iuxta quod Iacob. 1. scriptum est: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*. Secundo procedit à Domino Iesu Christo, in quantum est homo. Ipse namque in præsenti sæculo viuens meruit nobis omnem gratiam, quam Deus ab æterno disposuerat dare hominibus, sicut Ioann. 1. scriptum est, *De plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia*. Tertio processus est à Virgine Benedicta. A tempore enim quo concepit Deum in vtero, suo quandam (vt sic dicam) iurisdictionem, seu auctoritatem habuit in omni temporali processione Spiritus sancti, ita quod nulla creatura aliquam à Deo recipit gratiam virtutis, nisi secundum dispensationem ipsius Virginis matris. Cum enim Christus sit caput nostrum, à quo omnis influxus diuinæ gratiæ in mysticum corpus fluit, Beata Virgo est collum, per quod hic fluxus pertransit ad corporis membra, sicut Salomon Canticor. 7. testatus est de Christo prædicens: *Collum tuum*, quod est Virgo

B. Virgo triplici gratia fuit plena.

Cant. 4.

Cant. 4.

Cant. 7.

Ioan. 12.

Cant. 5.

Iacob. 1.

Christus immerens gratiam nobis.

Ioan. 1.

Christus caput nostrum.

beata *ficut turris eburnea*. Vnde Bern. Nulla gratia venit de cœlo in terram, nisi transeat per manus Mariæ. Merito ergo dici potest gratia plena, à qua omnes gratiæ manant in Ecclesiam militantem, Figurata in fonte illo de quo *Gen. 2.* *Psal. 45.* Gen. 2. Qui de terra ascendens irrigabat vniuersam superficiem terræ. Et iterum Psal. ait, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, id est, ecclesiam militantem.

Quod Beata Virgo Maria multipliciter omnes in gloria superexcellit.

CAP. III.

3 Virginis excellentia. TErtia Virginis excellentia, est gloriæ: de qua per Angelum subinfertur, *Dominus tecum*. Non tamen tecum communiter, sicut cum aliis, cum quibus est per participationem gratiæ, sed tecum singulariter, in qua est per communicationem naturæ: quia in vtero Virginis natura nostra vnita est naturæ diuinæ, quod quidem fuit in Virgine gloriosa singularis. Vnde de Ipsa *Prou. 11.* Prou. 11. scriptum est: *Mulier gratiosa* id est, plena gratia, *inueniet gloriam*. *Prou. 10.* Illa namque, de qua Prou. 10. *Gloria patris, filius sapiens*, qui est Christus. Ait ergo, *Dominus tecum*, quod tripliciter exponi potest. Primo modo *Dominus tecum*. Dominus enim est Pater, Dominus Filius, *Dominus tecum tripliciter exponitur.* Dominus Spiritus sanctus. Tecum Dominus Pater, quia tu sponsa Patris. Tecum Dominus Filius, quia tu mater Filij. Tecum Dominus Spiritus sanctus, quia tu Spiritus sancti thesauraria comprobaris. Et tamen non tres Domini incarnati in te, sed vnus est Dominus, scil. Filius incarnatus: quia in te *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. *Ioan. 1.* Ioan. 1. cap. Secundo etiam *Dominus tecum*, tecum autem ante vterum, tecum in vtero, tecum post vterum. Ante vterum te præsignans in multis figuris & Prophetiis. *Gen. 6.* *Isa. 7.* Vnde Gen. 6. c. *Fac tibi arcam de lignis leuigatis*, &c. Ecce figura. Et Isa. 7. c. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Ecce prophetia. In vtero te sanctificans, Psal. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*. *Luc. 1.* Post vterum te fœcundans. Vnde Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*. Tertio quoque *Dominus tecum*. Tecum enim in mente, tecum in ventre, tecum in potestate. Tecum namque in mente per virtutum abundantiam. Vnde dictum est supra, *Aue Maria gratia plena*. Tecum in ventre per suam præsentiam, *Luc. 1.* Luc. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium*. Tecum in potestate, propter peccatorum indigentiam, cum de Deo pro nobis facias quicquid tuæ placuerit charitati. *3. Reg. 2.* In cuius mysterium, 3. Reg. 2. cap. dicit Salomon ad matrem, id est, Christus ad Virginem: *Pete mater mi, neque enim fas est vt auertam faciem tuam*. Propterea culpa eius esset, si eum nollet placare nobis. Ideo deuotus Bernard. ait: Securum habes, ô homo, accessum ad Deum; ibi habes matrem ante filium, filium ante Patrem. Mater ostendit filio pectus & vbera: filius ostendit patri latus & vulnera. Nulla ergo poterit esse repulsa, vbi tot sunt charitatis insignia. Ecce dulce te um, quod vtinam sit semper mecum, necnon & vobiscum. Et sic ex his, quæ dicta sunt patet primum mysterium, scilicet salutationis Virginis matris.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De triplici benedictione, quæ in salutatione Angelica demonstratur.

SEcundum mysterium est commendationis, vbi triplex commendatio per ordinem declaratur. Prima est de benedicta Matre, secunda vero de benedicta prole, tertia autem de benedicto nomine.

Quod Beata Virgo benedicta in mulieribus tripliciter declaratur.

CAP. II.

PRima commendatio est de benedicta Matre. Vnde subditur, *Benedicta tu in mulieribus*. Quod potest *Benedicta in mulieribus tripliciter exponitur.* exponi secundum triplicem intellectum. Primus intellectus est, *Benedicta tu in mulieribus*, id est, super omnes mulieres: quia peruenisti ad tantum benedictionis gradum in genere muliebri, ad quem alia mulier nunquam attigit, vel attingere potest. Primus gradus est, quod fœcunda, sed non virgo: secundus, quod virgo, sed non fœcunda: tertius, quod virgo simul & fœcunda. Duo nempe primi communes sunt cæteris mulieribus, tertius vero solius Matris proprius est. Propterea Luc. 10. cap. scriptum est: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. *Luc. 10.* Bona quippe pars, quod fœcunda: melior autem, quod virgo: sed optima, quod virgo & mater, quod soli Mariæ datum est. Simulque considera circa hoc tria inaudita super omnes mulieres in Maria gesta. Fuit enim simul in vnum parens & virgo, mater & filia, plena, & vacua, filij Dei plena, semine hominis vacua. *Luc. 1.* Vnde Luc. 1. iubilando cantabat Virgo beata dicens: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*, Et Psal. 97. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit*. *Psal. 97.* Secundus intellectus, *Benedicta tu in mulieribus*, id est, inter mulieres. Et hoc insuper triplici ratione, quia benedictionem participauit cum omni statu & genere mulierum. Fuit enim cum virginibus virgo, cum coniugatis fœcunda, cum viduis continens & casta. *Eccl. 24.* Propterea ei Eccl. 24. c. dictum est: *In Iacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices*. *Iacob Luctator.* Iacob enim interpretatur luctator, per quem status coniugatorum significatur. Israel autem ab Angelo suscepit nomen, quando emarcuit femoris eius neruus, ideo continentiam præfigurat. Electi nempe merito virgines nuncupantur, quia hi sequuntur agnum quocunque ierit, vt dicitur Apocal. 14. *Apoc. 14.* Tertius etiam intellectus, *Benedicta tu in mulieribus*, id est, à mulieribus. Et hoc quidem propter triplicem benedictionem, *Benedicta propter triplicem benedictionem.* quam mulieres per ipsam obtinuerunt contra tria mala, à quibus liberatæ sunt per Virginem benedictam. Primum malum fuit verecundia Euæ, secundum maledictio legis, tertium deiectio naturæ. Primum autem malum fuit verecundia Euæ. Quæ namque mulier fuisset ausa apparere, cum per mulierem fuerit perditum totum genus humanum? propterea in signum huius datur eis in capite velum. At mulier benedicta Maria de hac confusione ipsas redemit, dum per ipsam genus humanum saluatum est. Vnde glo. super illud. Missus est Angelus Gabriel, &c. inquit, Mulier à diabolo seducta mortem intulit: econtra mulier ab Angelo edocta, salutem edidit. *Virgo salutem edidit.* Secundum malum erat maledictio legis, per quam maledicta erat omnis mulier, quæ non producebat semen in Israel, Deut. 22. c. Dura necessitas, & graue quidem iugum super omnes filias Euæ: *Deut. 22.* Nam si pariunt, cruciantur: si non pariunt, maledicuntur. Sed hoc maledictum benedicta Maria virginum primiceria aboleuit, dum prima suam virginitatem Domino consecrauit. Ideo Ps. de ipsa ait: *Adducentur Regi*, sc. Christo, virgines *post eam*, id est, post Reginam, quæ prima summo Regi dedicauit virginitatem. *Psal. 44.* *Proxima eius*, id est, viduæ & continentes, quæ virginibus proximæ indicantur, offerentibus sibi, scilicet Christo. In huius mysterium, Exod. 15. *sumpto tympano*, id est, carnis mortificatione à *Maria egressæ sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris*, &c. *Exod. 15.* Tertium malum, est deiectio naturæ, seu conditionis. Naturaliter autem deiecta & infirmata est conditio muliebris. Vnde Prouerb. vltimo. *Mulierem fortem quis inueniet?* *Prou. vlt.* Sed ecce præsto inuenta est, cuius pretium procul

procul & de vltimis finibus, quod est Christus de sinu Dei patris, quæ sua fortitudine diabolum supplantauit, sicut Gen. 3. de ipsa mysticè scriptum est. *Ipsa conteret caput tuum*, propterea cessauit abiectio mulierum. Vnde Iudith 15. c. ipsi Iudith in persona Virginis dictum est de his tribus, *Tu gloria Hierusalem*, contra verecundiam Euæ. *Tu lætitia Israel*, contra maledictum legis, pro quo liberatæ lætantur. *Tu honorificentia populi nostri*, contra abiectionis opprobrium.

Gen. 3. *Iudith 15.* *Virginis encomia.*

De benedicto fructu vteri virginalis.

Cap. II.

SEcunda commendatio est de benedicta prole, de qua subditur: *Et benedictus fructus ventris tui*, hæc sunt verba Elisabeth ab ea dicta, quando à Virgine visitata fuit. Quæ verba Ecclesia cum salutatione Angeli Virginem salutando commiscet, vt ex vtroque choro, scil. Angelorum, & hominum, veneranda & salutanda gloriosa Virgo monstretur: Ait enim Elisabeth, *Et benedictus fructus ventris tui*: & merito nempe, quia quintupliciter benedictus. Primo benedictus in flore, scil. vnde processit, quia superius dictum est de Virgine, *Benedicta in mulieribus*. Secundo benedictus in decore. Vnde in Psal. *Speciosus forma præ filiis hominum*, & Sap. 7. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula*. Et iterum Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*, &c. Tertio benedictus in odore, Cant. 1. *Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Et Gen. 27. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Quarto benedictus in sapore, Psal. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus*. Et Cant. 2. c. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Quinto benedictus in valore, quia fuit redemptio generis humani. Vnde 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*.

Benedictus fructus ventris tui. *Sap. 7.* *Cant. 5.* *Cant. 1.* *Gen. 27.* *Cant. 2.* *1. Cor. 6.*

De tribus excellentiis nominis Iesu.

Cap. III.

TErtia commendatio est de benedicto nomine, quod est Iesus, de quo ad præsens solum tria considerare sufficiat, scil. breuitatem, immensitatem, & suauitatem, primo nota breuitatem in dicto: quia non sunt nisi duæ syllabæ, vt non laboraret homo in dicendo, & frequenter nominando hoc sanctissimum nomen. Vnde ad Rom. 9. & Isa. 10. *Verbum breuiatum fecit Dominus*. De verbo abbreuiato est nomen Iesus de Dei filio incarnato. Secundo considera immensitatem in virtute, Actor. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri*. Et Phil. 2. *Donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Propterea ad reuerentiam & gloriam huius sanctissimi nominis, decretalis ab Ecclesia emanauit, ext. de immu. eccl. cap. decet domum Dei sanctitudo. lib 6. vbi dicitur: Conuenientes ibidem scil. in ecclesia, nomen illud, quod est super omne nomen, à quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo saluos fieri credentes oporteat: Nomen videlicet Iesu Christi, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum, exhibitione reuerentiæ specialis attollant: Et quod generaliter scribitur, *In nomine Iesu omne genu flectatur*, singuli singulariter in seipsis implentes, præcipuè dũ aguntur Missarum sacra mysteria, gloriosum illud nomen quandocunque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur, hæc illa. Ergo vt ex his patet quando dicimus, Aue Maria, & venimus ad hoc nomen, Iesus, saltem caput inclinare debemus. Tertio propterea considera, in hoc nomine suauitatem in sapore Vnde Bern. ait: Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Et alibi iubilosè cantando ait: Dulcis Iesus memoria, dans vera cordi gaudia: sed super mel & omnia, eius dulcis præsentia. Nil canitur suauius, auditur nil iucundius, nil cogitatur dulcius quàm Iesus Dei filius, &c.

Nominis Iesu celebritas. *Rom. 9.* *Isa 10.* *Actor 4.* *Phil. 2.* *Gloria nominis Iesu.* *Nominis Iesu suauitas.*

Articvlvs Tertivs.

De tribus, quæ ponuntur in fine Salutationis Angelicæ.

TErtium mysterium est supplicationis, quæ in fine salutationis, & commendationis in Aue Maria solet à fidelibus frequentari. In qua supplicatione tria facere solent, primum inuocare, secundum laudare, tertium postulare.

Quod beata Virgo in omni necessitate inuocanda est.

Cap. I.

PRimo namque à fidelibus inuocatur, cum dicitur, *Sancta Maria*. Et merito quidem: Cum enim Maria interpretetur maris stella, nocte siquidem transeuntibus nobis per hoc mare magnum & spatiosum, opus est hanc stellam notare, quæ cardini cœli Iesu propinquissima est, vt non solum eius coruseo splendore possimus dirigere cursum nostrum cum salute, verum etiam in quacunque necessitate nostra possimus eam cum omni fiducia inuocare. Vnde Bern. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca: Non recedat ab ore, non recedat à corde. Et vbi impetras eius orationis suffragium, ne deseras conuersationis exemplum: ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas.

Maria maris stella.

Quanta sit dignitas esse Virginem matrem Dei.

Cap. II.

SEcundo à fidelibus laudatur, cum dicitur *Mater Dei*. Tanta nempe est laus, quam ei tribuimus, cum dicimus Mater Dei, quod nec in personis creatis, Angelis, vel hominibus, nec in personis increatis reperitur hæc incogitabilis dignitas, scil. quod habeat Dei filium, nisi in vna persona diuina, quæ est Patris: & vna persona humana, quæ est Matris. Insuper maius est hoc donum, quod sit Mater Dei, quam quod sit Domina creaturarum Dei, quia hoc dependet ab illo, sicut ramus à radice: propterea ei potius dicimus Mater Dei, quam Dominæ mundi, vel vniuersi.

Dignitas matris Dei.

De postulatione, quæ in fine Angelicæ salutationis poni solet.

Cap. III.

TErtio & vltimo postulatio subinfertur, cum dicitur, *Ora pro nobis peccatoribus*. Quanto enim mediator inter peccatores, & Deum ad intercedendum est promptior & vehementior & ad impetrandum dignior & reuerentior & gratiosior, tantò cæteris paribus est vtilius eum habere pro mediatore. Sed quænam comparari poterit supplicationi maternæ? Adstat enim pro nobis supplex à dextris filij vera Regina, quia summi Regis mater, per generosam conceptionem; quia summi Regis filia, per gratiosam adoptionem: quia summi Regis sponsa, per gloriosam assumptionem. Adstat inquam talis Regina pro deuotè postulantibus ad intercedendum contra indignationem iudicis ad excusandum defectum nostræ infirmitatis, ad subueniendum accipiens pro nobis plene influxum diuinitatis, quam nobis infundat hic per gratiam, & in futuro per gloriam ipse filius Dei Iesus, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Virginis efficacissima postulatio apud filium.

SYNOPSIS

Eorum quæ maximè continentur in hoc Sermone.

Qui est de Consensu virginali, tres continet articulos, quilibet autem totidem capita.

Articuli primi, De abysso humilitatis gloriosæ Virginis quando concessit concipere filium Dei.

Cap. 1. Quod in turbatione Virginis ab Angelo nuntiante patuit abyssus humilitatis.

Cap. 2. Quod in admirando superaduentu filij Dei humilitas gloriosæ Virginis fulsit.

Cap. 3. Quanta humilitate dedicauit se beata Virgo ad obsequium filij Dei.

Articuli secundi, De ardentissimo desiderio charitatis gloriosæ Virginis ad Incarnationem filij Dei.

Cap. 1. Quod ex tribus apparuit desiderium magnum gloriosæ Virginis, ad Incarnationem filij Dei in magna promissione.

Cap. 2. Quod beata Virgo ad Incarnationem filij Dei magnum desiderium demonstrauit quia cito credidit Angelo nuncianti.

Cap. 3. Quia beata Virgo cito consensit, magnum desiderium Incarnationis filij se habere ostendit.

Articuli tertij, Quod maximè in tribus fidei luminibus apparuit magnitudo fidei Virginis benedictæ.

Cap. 1. Quod magna fuit fides Virginis, quia credidit cito quæ nunquam alias fuerunt audita.

Cap. 2. Magna apparuit fides Virginis quia credidit quod supra naturam fuit.

Cap. 3. Apparuit in Virgine fidei magnitudo, quia se in tanto indignam cooperatricem cognouit.

DE CONSENSV VIRGINALI.

Sermo VII.

Luc. 1.

ECCE *ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Luc. 1. cap. & in Euangelio hodierno. Et si cum Propheta teneamur omni tempore benedicere Deum: in hoc tamen principaliter festo debemus instantius vacare laudibus: spirituale aliquid offerentes intuitu gratiæ spiritualis, qua verbum Dei caro hominis voluit fieri: & inuisibilis Deus nobiscum dignatus est visibiliter habitare. Licet enim omnium festiuitatum, quas de saluatore nostro veneramur in terris, vnus sit auctor, vnus sit Dominus Iesus Christus, qui est benedictus in sæcula, licet considerata maiestate facturis: pares sunt omnes & pari deuotione & studio celebrandæ: habet tamen vnaquæque priuilegium honoris, & gloriæ, sicut & gratiæ singularis mysterium dignoscitur continere. Vnus quippe est filius Dei, dum in ventre concipitur, dum ex vtero nascitur, quando circunciditur, cum in templo offertur, crucifigitur & sepelitur, resurgit à mortuis, & in cœlum ascendit: sed aliud in conceptu, aliud in aliis operatur. Proinde licet vna fide, & vna deuotione fideles diuerso tamen officio, sicut & diuersis temporibus Christi solennia venerantur, & colunt, propriisque laudibus singula pro variis effectibus, & sacramentis honorant. Inter reliquas solemnitates, quas pro nostris viribus, non pro sui dignitate recolimus diem Incarnationis ipsius confidenter extollimus, præcipuisque dignam honoribus cunctis censemus merito anteponi, quæ nobis, & causa fuit & materia cæterarum. Assurgant igitur ad laudem huius sacræ solemnitatis iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus, & quorumcunque fideles mentes: omniumque Christianorum in præconia nostri Redemptoris & gloriosæ Virginis suæ matris, ora soluantur & gaudia, quæ per nos de nostra redemptione concepimus, ad gloriam eorum, quanta possumus exultatione promamus. Ad illud tamen admirabile sacramentum profundumque mysterium specialius hodie mentis oculos attollamus: quo Virgo mater vnico verbo, vnicoque consensu, & Deum è cœlis ad terras traxit, & illum hominem nobis dedit, & Saluatorem nostrum nobis protulit, atque sibi tantæ virtutis, & meriti fuit, quod omnia merita Angelorum, & hominum superexcedit, quando ait Angelo Gabrieli propositum verbum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* In quibus verbis triplex nobis mysterium declaratur: videlicet ipsius gloriosæ Virginis, primo stupendæ humilitatis abyssus, secundo desiderosæ charitatis excessus, tertio luminosæ fidelitatis sensus. Ait enim, *Ecce ancilla Domini:* cum subdit, *Fiat mihi:* cum addit, *secundum verbum tuum.*

Festiuitas vnaquæque suum priuilegium & mysterium continet.

Solemnitas Annunciationis B. Virginis cunctis anteponitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

De abysso humilitatis Gloriosæ Virginis, quando consensit concipere filium Dei.

IN primo mysterio ostenditur gloriosæ Virginis stupendæ humilitatis abyssus, cum Angelo ait, *Ecce ancilla Domini.* Non enim inquit, Ecce Domina: Ecce Regina: Ecce sponsa: Ecce mater: Sed *Ecce ancilla Domini.* Hæc quippe humilitas in hoc consensu Virginis tripliciter effulsit. Primo in mentali conturbatione, secundo in tremula expectatione, tertio in prompta sui dedicatione.

Quod in turbatione Virginis ab Angelo nunciante patuit abyssus humilitatis.

CAP. I.

PRimo in hoc consensu Virginis fulsit humilitas eius in illius mentali conturbatione. Nam, vt dicitur superius, Luc. 1. *Turbata est in sermone eius.* Hæc quippe turbatio orta est ex suæ laudis summo horrore. Si enim dixisset Angelus, Væ tibi omnium creaturarum vilissima creatura, miro modo exhilarata fuisset, quia talem se inæstimabiliter, & indicibiliter sentiebat. At eum econtra se audiuit dici gratia plenam inter mulieres singulariter benedictam, non potuit talis laudis præconium tolerare. Merito ergo postquam concepit exultando inquit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes;* *Respexit humilitatem* inquit: Non dicit nobilitatem, vel altitudinem, quia Dominus *humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Nec ait, Respexit potentiam quia Dominus *deposuit potentes de sede & exaltauit humiles*, Luc. 1. Neque, inquit Respexit sapientiam, quia stultam fecit Dominus sapientiam huius mundi. 1. Cor. 1. Non denique ait, Quia respexit virginitatem, *sed humilitatem*, quia inueniuntur & fatuæ virgines. Matth. 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ.* Proinde Bern. ait. Et si ex virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit, licet enim omnia supradicta miro modo fuerint in Virgine gloriosa, & benedicta? Quia tamen hæc omnia respiciunt sæcularem gloriam, non nisi de sola gloriatur humilitate. Illa enim sæculares homines in muliere quærere solent: merito ergo subit, *Ecce enim ex hoc*, id est, ex humilitate, qua placui Altissimo: *beatam me dicent omnes generationes*, scil. cœlestium, terrestrium, & infernorum: quia omnibus istis Mariæ humilitas attulit vtilitatem,

Humilitatis abyssus Mariæ in turbatione patuit.

Luc. 1.

Mariæ turbatio ex suæ laudis timore orta est Humilitatis Mariæ.

Psal. 37.

1. Cor. 1.

Bern.

Mariæ humilitas omnibus vtilitatem attulit.

tatem, Angelis restaurationem, hominibus reconciliationem, captiuis inferni liberationem: quia genuit Angelorum restauratorem, hominum reconciliatorem, & captiuorum in limbo liberatorem. Hoc est quod sibi dicitur in persona Iudith, Iudith 15. *Tu gloria Hierusalem*, scilicet, cœlestis, quia ruinam in Angelis reparasti. *Tu lætitia Israel*, quoad captiuos, quos liberasti. *Tu honorificentia populi tui*, id est hominum, quibus Christum Iesum, & fratrem, & reconciliatorem genuisti.

Iudith 15.

Quod in admirando superaduentu filij Dei humilitas Gloriosæ Virginis fulsit.

Cap. II.

V. Mariæ humilitas in filij Dei superaduentu fulsit.

SEcundo quidem humilitas eius fulsit tremula expectatione, scil. ineffabilis superaduentus maiestatis diuinæ, quem super se venturum sensit, tanquam quendam supereminentissimum, & infiniti ponderis montem: qui ipsam sub se, seu intra se fundius sepeliret, & eius nihilitatem suæ æternitatis, & totalis vniuersitatis pondere ineffabiliter pressam in æternum teneret. Si enim sanctissimus Iob. 31. cap. ait. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Dominum: & pondus eius ferre non potui*: quanto magis ista, in qua de monte maiestatis diuinæ habitante in ea excisus est lapis, qui fracta statua vnitatis mundanæ factus est mons magnus replens vniuersam terram, vt dicitur mysticè Dan. 2. Si etiam modicam stillam diuinorum sermonum audire vix possumus sine reuerentia & timore? quanto magis ipsa contremuit, quando tonitruum diuinæ maiestatis cum fulguratione ineffabilis potestatis, atque virtutis super se directè venire præsensit?

Iob. 31.

Dan.

Quanta humilitate dedicauit se Beata Virgo ad obsequium filij Dei.

Cap. III.

V. Maria humilitate ad filij Dei obsequia se dedicauit.

TErtio autem humilitas Virginis fulsit in prompta dedicatione suiipsius ad Dei Patris, & Filij totalia obsequia, & mandata, quam quidem sui dedicationem expressit dicens, *Ecce ancilla Domini.* Notanter quidem aduertendum est, quod quanto humana mens ad altiora; & profundiora Dei vocari se efficaciter sentit: tanto sentit se ad altiora Dei obsequia mancipari, in quibus incomparabiliter maior in Deum humilitas, & reuerentia, & timoratio, & circunspectio, & solicita diligentia magis necessaria sunt. Proinde quæro à te, si noscum tanta reuerentia, atque humilitate sacramentum Eucharistiæ, id est, sanctissimum corpus Christi tractamus: cum quanta mater filij Dei tam in vtero, quam in brachiis, & in cunis tractauit, & portauit infantem Deum? Constat enim, quod quando consensit in Christi conceptionem, & partum, & optime nouit se huiusmodi obsequiis totaliter mancipandam, seu dedicandam. Rursus si satisfactorem, & supplicatorem pro peccatis omnibus expiandis se nouerat pro salute sui, & omnium concepturam, & saluti omnium fidelium parituram, & nutrituram: constat quod eo ipso sentiebat se esse viscerosè, & maternali affectu iungendam illis humilibus supplicationibus, quæ fieri debebant æterno Patri à Filio Dei, qui scil. omnia peccata mundi super se tulit, quasi factum à Deo peccatum. Ergo quando consensit, sensit se per suum consensum dedicari, & iungi præfatis humilitatibus, & humilibus officiis redemptoris: propter quod quando Dominum magnificauit, sicut patet Luc. 1. c. primum quod Dominũ in se respexisse cõmemorat, fuit humilitas. Vnde sicut prædictum est ait, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, &c. Merito ergo Bern. ait. Eua per superbiam se Dei ancillam esse non considerans, Deo pacificari voluit: Maria vero humiliter factori suo se humilians ancillam se nominauit. Ideoque illa est abiecta ista vero electa. Seruauit Virgo illud, quod dicitur Iudith. cap. 8 *humiliemus illi animas nostras.* Aliter enim gratia impleri non potuisset, nisi humilitatem cordis habuisset. Nam, vt dicitur 1. Pet. 5. *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Petrus quoque Rauennas super Missus est, inquit: Ecce quam vocauit Angelus Dominam, ipsa se recognoscit, & vocat ancillam: quia deuotus animus infusis beneficiis ad obsequium crescit, augetur ad gratiam, non ad superbiam pertumescit, non ad arrogantiam prosilit.

Luc. 1.

Bern.

1. Pet. 5.

Articulus secundus.

De ardentissimo desiderio charitatis gloriosæ Virginis ad incarnationem filij Dei.

IN secundo mysterio insinuatur gloriosæ Virginis desiderosæ charitatis excessus, quia inquit, *Fiat mihi.* Quæro etenim à quocunque, quantam Dei charitatem se per hunc consensum subintraturam præsensit? Quod si mihi explicare poteris, & ego tibi dicam, ex quanta charitate & desiderio in tantam charitatem consensit: Non enim dubito, quin iste consensus fuerit à flammea charitatis fornace, tendens in infinitam charitatis abyssum. Proinde non mirum, si hic consensus per ardentissimum desiderium fuit incendium charitatis. In tribus quippe apparuit magnitudo desiderij charitatis Virginis benedictæ. Et primo in magna promissione, secundo in cita creditione, tertio in prompta consensione.

De consensu B. Virginis.

Quod ex tribus apparuit desiderium magnum gloriosæ Virginis ad incarnationem Filij Dei in magna promissione.

Cap. I.

V. Maria desiderium ad Filij Dei incarnationem apparuit ex tribus.

1. Quia desiderabilia audiuit.

PRimo quidem apparuit desiderium Virginis magnum in magna promissione. Non enim mirum, si tam magna desiderauit: nam desiderabilia audiuit, desiderabilia intellexit, & desiderabilia requisiuit. Primo quidem multum desiderabilia audiuit. Audiuit enim se futuram matrem Dei, dicente sibi Angelo in Euangelio hodierno, *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Audiuit *filium*, quem paritura erat, esse debere Saluatorem mundi: Quia Angelus subdit, *Et vocabis nomen eius Iesum*, id est Saluatorem. Sic enim interpretatur Iesus. Quod ipsa intelligebat. Sed expressius tanquam minus intelligenti, idem Angelus in visione Ioseph ait: Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Audiuit quoque obumbratione Spiritussancti se concepturam ipsum filium Dei. Proinde Gabriel subdit, *Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quid igitur mirum, si summe desiderauit, quando tot desiderabilia audiuit, & in se complenda cognouit? Proinde dicere potuit illud Isa. 26. *Anima mea desiderabat te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis ad te vigilabo de mane.* Ait enim *in nocte*, id est, in isto caliginoso tempore. De hac nocte, Sapient. 18. *Cum nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus venit.* Nam in medio temporum legis, & gratiæ hæc Virgo Verbum Dei concepit. Vel per noctem contemplationis super splendentem caliginem intellige, in qua nocte hæc Virgo surrexit, & apice affectionis in æterna se sustulit, verbum de sinu patris rapuit, omnique creaturæ suum auctorem, & principium restituit, secundum quod de ipsa sub figura mu-

Matth. 1.

Maria Spiritussancti obũbratione conceptura erat.

Isa. 26.

Sap. 18.

Prou. 31.

lieris fortis, Prou. vlt. ſcriptum eſt. *De nocte ſurrexit: deditque prædam domeſticis ſuis.* Secundo vero multum deſiderauit, quia deſiderabilia intellexit. Si enim memoria filij Dei, quia ſummè deſiderabilis eſt, in maximo deſiderio animæ ſanctis Prophetis fuit, iuxta illud Iſa. 26. *Memoriale tuum in deſiderio animæ.* Quanto magis præſentia eius: & non qualiſcunque, ſed per carnis aſſumptionem excellentiſſima fuit. Cum ergo in omnium Sanctorum ardenti deſiderio ipſe fuerit adeo, vt Iſa. 64. c. diceret, *Vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes.* Et in illis tantummodo per gratiam fuit memoria eius, quanto magis deſiderauit illa, quæ eius præſentiam non tantum in mente, ſed etiam in carne ſua experta eſt? Proinde dicere poterat illud Philip. 1. *Cupio diſſolui, & eſſe cum Christo. Diſſolui* ab omnibus mundialibus diuidi, *& eſſe cum Christo.* Non tantum, vt Paulus per gratiæ communicationem: ſed vna caro, vna vita, per carnis meæ largitionem. Tertio quoque multum deſiderauit, quia deſiderabilia requiſiuit. Quæ enim multum quærimus, multum deſideramus. Propterea Luc. 15. Mulier lucernam accendit, domum euertit, & dragmam perditam quærit. Myſtice quippe dragma, ſapientia Dei eſt, quam amiſerat natura humana. Sed mulier, id eſt Maria, tunc lucernam accendit, quando virginitatis exemplum labili mundo dedit. Domum euertit, quando per mentis induſtriam in omnibus requiem quæſiuit. Et nuſquam, niſi in dragma perdita, id eſt in Dei ſapientia illam inuenit. vnde Eccleſ. 24 c. *In omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit,* ſcilicet Deus Angelo. *Et dixit mihi,* ſcilicet annunciando voluntatem Dei de incarnatione filij ſui, *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo,* ſcilicet cum conſenſi Angelo nuncianti: quando videlicet dixi, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

2. quia deſiderabilia intellexit.
Iſa. 26.
Iſa. 64.
Phil. 1.
3 quia deſiderabilia requiſiuit.
Luc. 15.
Eccl. 24.

Quod beata Virgo incarnationis Filij Dei magnum deſiderium demonſtrauit, quia cito credidit Angelo nuncianti.

Cap. II.

V. Maria incarnationis Filij Dei deſiderium in fide demonſtrauit in tribus.
1 quia deſiderabile credidit.

SEcundo apparuit deſiderium magnum Virginis glorioſæ in cita creditione: profecto cito credimus, quæ multum deſideramus. Quantum fuerit deſiderium in credulitate eius, patet primo, quia credidit incredibile: ſecundo, quia credidit mirabile: tertio, quia credidit amabile. Primo quippe multum deſiderauit, quia credidit incredibile. Quod enim maxime eſt admirabile, maxime incredibile eſt. Hoc quippe opus maxime admirabile erat. Si enim admiratio eſt ſtupor mentis ex ignorantia cauſæ: Forma autem incarnationis ſupremo ordini Angelorum non eſt cognita, ſecundum Dionyſ. in lib. de diuinis nominibus, cap. 26. vnde ait: Diuina Ieſu formatio, & arcana eſt, & omni rationi, & omni intellectui incognita eſt, & ipſi præſtantiſſimo ordini honorabiliſſimorum Angelorum. Hoc enim admirabilius, & per conſequens incredibilius. Magnum igitur fuit deſiderium Virginis, quæ tam incredibilia tam cito credidit. Proinde myſtice figuratur in Anna. Tobiæ 11. quæ ſedens in ſummitate montis, id eſt, in ſummitate ſuæ mentis, ſeu in cacumine omnium creatorum, per contemplationem quieſcit: vbi per deſiderium expectat filium ſuum. Secundo multum deſiderauit, quia credidit mirabile. Noua quippe difficilius credimus & magis noua mirabiliora eſſe videntur: nam nouum eſt, cuius inuentio rara eſt. Sed hoc opus maxime fuit nouum. Quod tamen Ier. 31. c. prædictum eſt. *Creauit,* inquit, *Dominus nouum ſuper terram.* Hoc eſt, quod dicit Dion. de diuinis nominibus c. 4. ſcilicet hoc eſſe nouum omnium nouorum maximum. Verè igitur Maria tam cito credidit, quod nec ſe excuſauit, nec impotentiam, nec infirmitatem allegauit, ſed fieri poſſe per eam ſperauit. Vnde & modum faciendi tantum quæſiuit dicens: *Quomodo,* inquit, *fiet iſtud?* Nunquid multum credidit. Tertio inſuper multum deſiderauit, quia credidit amabile. Amor quippe præceps eſt, ſecundum Bern. ſuper Cant. hom. 9. vnde nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubiicitur. Verus enim amor de viribus non cogitat, de poſſe non deliberat, de ſcientia non excuſat: ſed etiam quæ videntur incredibilia, ſperat: non procraſtinat, ſed ad impoſſibile, quod concipit, feſtinat, ac properat. Magna igitur audiuit, ſcilicet incarnandum Dei filium, auditum amauit, amatum deſiderauit, deſiderium per fidem ſperauit: proinde inquit, *Fiat mihi.*

Maria in Anna figuratur.
Secundo quia mirabile credidit.
Ier. 31.
Dionyſ.
Tertio deſiderauit, quia amabile credidit.
Bern.

Quia enim Beata Virgo cito conſenſit, magnum deſiderium incarnationis Filij Dei ſe habere oſtendit.

Cap. III.

V. Maria deſiderium incarnationis oſtēdit quia cito cōſenſit.

TErtio apparuit in Virgine glorioſa deſiderium magnum in prompta conſenſione, ſeu conſenſus eius expreſſione. Siquidem quod credidit, non tacuit, non diſſimulauit, non negauit: ſed cum ſe cooperatricem audiuit, in vocem exultationis prorupit, atque ab omnibus electis diu deſideratum conſenſum præbuit dicens, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi,* de quo Bern. ait, O Verbum omni acceptione dignum, quod ſic tam ardens exprimit deſiderium, quod de ſinu patris rapuit Dei Filium. O Verbum tranſitorium, quod complectitur ſempiternum! O gratum reſponſum, quo filium Dei recipit ſponſum! O Verbum virgineum, ſed tamen validum, quod ad ſe trahit Dominum! Verè magnum expreſſit ſuum deſiderium, quando toto operi tam facilem adhibuit conſenſum. Quid enim maius ſecundum Ioan. Damaſcen. quam Deum hominem fieri?

Damaſc.

Articvlvs Tertivs.

Quod maxime in tribus fidei luminibus apparuit magnitudo fidei Virginis benedictæ.

Maria fidei in tribus fidei luminibus apparuit.

IN tertio myſterio demonſtratur Beatæ Virginis luminoſæ fidelitatis conſenſus, quia concludit dicens, *Secundum verbum tuum.* Profecto ſumma, & veriſſima ac vniuerſaliſſima noſtræ fidei fundamenta B. Virgini propoſita ſunt, ita quod in hoc non potuit conſentire, niſi firmiſſime credendo illa. Et hoc non ſolum abſolutè in generali, ſed etiam in particulari determinationem illorum ad ſeipſam faceret, vel haberet: & ad horam illam inſtantaneam, in quam determinandus erat conſenſus eius, vt ſcilicet in fine illius conſenſus verè conciperet filium Dei. Proinde non ſine cauſa à Sancta Eliſabeth de actu fidei ſingulariter commendatur, quando Luc. 1. c. ait: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Profecto magnitudo fidei eius in hoc conſenſu in tribus luminibus demonſtrata eſt. Primum autem lumen illius fuit, quia credidit quod à ſæculo non audiuit; ſecundum, quia credidit, quod eſſe ſupra naturam ſciuit: tertium lumen fuit, quia ſe cooperatricem tantæ rei intellexit.

Luc. 1.

Quod magna fuit fides Virginis, quia credidit cito, quæ nunquam alias fuerunt audita.

Cap. I.

Maria fides magna apparuit quia credidit quod à ſæculo non audiuit.
Iſa. vlt.

PRimo quidem magna apparuit fides B. Virginis propter primum lumen, quia credidit quod à ſæculo non audiuit, *Fides enim ex auditu,* vt dicitur ad Rom. 10. vnde quod frequenter auditur facilius creditur, & econuerſo: ſed hoc à ſæculo auditum non eſt, ſcilicet quod virgo ſine dolore pareret, & pariendo virgo etiam remaneret. Proinde Iſa. vlt. c. ait. *Antequam parturiret,* id eſt,

est, sensum & dolorem partus haberet, *peperit, & antequam veniret partus eius*, id est, antequam dolorem partus sentiret, *peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale?* tamen illud inauditum per vnicum Angeli sermonem credidit. Profecto igitur fidei magnitudinem habuit, vt de ea vere dicere possit filius Dei illud Matt. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Neque de hoc beata Virgo aliquod exemplum vidit. Facilius quippe credimus, quorum exempla frequenter videmus. Non enim est incredibile, quod est exemplo monstrabile. Deum fieri hominem, nullo exemplo visibile est. Proinde Isa. vlt. scriptum est? *Quis vidit huic simile?* Quasi diceret, nullus. Ergo summè inter omnia credenda incredibile est. Vnde Isa. 53. *Domine quis credit auditui nostro?* Nihil tamen cum creditur, salubrius est. Cum igitur hoc summè incredibile, & nullo exemplo visibile credidit, nunquid non maximam fidem habuit? Proinde de illa Ecclesia cantat, Sola sine exemplo placuit Virgo Christo. Proinde Elisabet ei Luc. cap. 1. ait. *Beata quæ credidisti.* Nam & si supra Angelo inquit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* non dubitauit, sed credidit, & quærendo modum inuestigauit.

Matth. 8.

Incredibile non est quod exemplo monstrabile est.

Isa. vlt.

Isa. 53.

Luc. 1.

Magna apparuit fides Virginis, quia credidit, quod supra naturam sciuit.

CAP. II.

Mariæ fides magna apparuit quia credidit esse supra naturam.

SEcundo autem magna fuit fides B. Virginis propter secundum lumen, quia credidit quod esse supra naturam sciuit. Nam illud est mirum, cuius inuentio rara est. Huiusmodi autem operationis, id est, Filij Dei incarnationis inuentio fuit rarissima: immo ab initio mondi non inuenta, quousque venit hæc gloriosa, quæ inuenit gratiam apud Deum. Proinde Cant. 8. inquit, *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* id est ipsum, qui est pax nostra. Ephes. 2. Si igitur hoc rarum & mirum credidit, profecto maximam fidem habuit. Vnde August. de bono virginitatis. Beatior fuit Maria concipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius corde quam carne gestasset. Profecto multum credidit, quia summè mirabile cognouit in se implendum. Nam, vt testatur August. de vtilitate credendi: Mirum est, arduum & insolitum super spem & facultatem admirantis existens. Hoc autem opus arduum, immo arduissimum fuit, quia solius Dei opus extitit. Propterea dixit ei Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Super spem & facultatem admirantis fuit. Quis enim sperare posset cœlorum Dominum in vtero matris clausum, summum infimum, Dominum seruum, in cœlo regnantem in terra ministrantem, omnia continentem à Virgine contentum, omnia reficientem, à matre alitum; omnia regentem, à fœmina rectum, & tandem Verbum æternum in tempore carnem factum. Verè igitur hoc admirabile, fuit summè mirabile. Et tamen hæc Virgo gloriosa credidit. Igitur fidei magnitudinem habuit, vt à filio Dei illi merito dici posset illud Matth. 8. *Sicut credidisti, fiat tibi.*

Cant. 8.

Aug.

Aug.

Incarnatio opus arduum quia solius Dei opus est

Matth 8.

Apparuit in Virgine fidei magnitudo, quia se in tanto indignam coperatricem cognouit.

CAP. III.

B. Mariæ fides magna apparuit quia se cooperatricẽ ad Incarnationem intellexit.

TErtio quoque apparuit magna fides gloriosæ Virginis propter tertium lumen, quia se cooperatricem tantæ rei indignam recognouit & intellexit. Audiuit enim ab Angelo, *Ecce concipies & paries.* Et forte propter hoc turbata fuit, quia se insufficientem cooperatricem ad tantum mysterium recognouit. Attamen diuino radio illustrata, intelligens voluntatem Dei, se confitetur ancillam, cooperatricem tantæ salutis. Ob hoc enim Angelus ad eam missus est vigil ad vigilem, Gabriel ad Virginem. Vnde Dan. 4. mystice scriptum est, *Ecce vigil & sanctus descendit de cœlo.* Non enim sicut ad primum hominem, vt de eo fieret fœmina, missus est sopor in Virginem, sed vt de ea incarnaretur sapientia Dei missus est Angelus ad Virginem. Vigil ad vigilem: vt esset tanti secreti conscia, necnon & voluntaria, atque prompta cooperatrix & ministra. Proinde debuit Angelus Virgini sermonem facere, & per fidem consensum eius elicere, Virgo eidem respondere, assensum summum exprimere & credulitatem suam proferre, quod quidem esse non potuit sine sermone. Quomodo enim crederet Virgo, nisi Angelo prædicante? Aut quomodo prædicaret Angelus, nisi Deo mittente, secundum Apost. 10. c. ad Rom. *Quomodo autem audient sine prædicante? quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Verè ergo fidem magnam habuit Virgo, vt merito ab Angelo dici possit illud, Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua.* Fit planè, vt iuxta Angelicum dictum, conciperet Dei filium. Præterea inquit, *Fiat mihi secundum verbum tuum. Mihi* dicit non ad me. Quasi dicat, quod in aure mea factum est per Angelicam salutationem, & in mente mea per fidei conceptionem. *Fiat mihi*, id est in vtero meo per diuinam Verbi incarnationem. O Verbum omni iucunditate & lætitia plenum, audire Virginem benedictam dicentem, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Hoc est Verbum, quod audire optabant superi, id est Angeli restaurandi: quod expectabant inferi, scilicet Sancti Patres de inferno liberandi: quod desiderabant posteri, scilicet per tuum filium redimendi: quod appetebant exteri, scilicet appetitus creaturarum per te consummandi. Dedisti Virgo benedicta verbum tui dignissimi & virtuosissimi consensus & suscepisti Verbum de sinu patris tui dignissimi, & virginalis conceptus. Tene Domina nostra, quod habes pro nobis: serua, quod tenes: suscipe orationem & deuotionem nostram, & pro nobis apud filium tuum efficaces porrige preces, vt tecum & cum filio tuo in æternum conregnare possimus, qui cum Patre, & Spiritu sancto in gloria conregnatis per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Dan. 4.

Vigil Angelus ad vigilem Virginem missus est.

Rom. 10.

Matth. 15.

ITERVM IN ANNVNCIATIONE

gloriosæ Virginis, infra diem.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone.

Qui est de consensu Virginali continet tres articulos, quorum primus, secundus, & tertius quatuor seorsim continent capita.

Articuli primi, de quadruplici obiecto, quod habuit beata Virgo cum consensit concipere Filium Dei.

Cap. 1. *Quod beata Virgo in Annunciatione consensit concipere Filium Dei visibilem, passibilem & mortalem.*

Cap. 2. *Quod beata Virgo in conceptione Filij Dei habuit pro obiecto Spiritum sanctum sibi à Deo Patre per Angelum repromissum.*

Cap. 3. *Quod beata Virgo cognouit electam sponsam æterni Patris ad concipiendum Dei Filium.*

Cap. 4.

Cap. 4. Quod beata Virgo intellexit se debere concipere Filium Dei pro humani generis reparatione.

Articuli secundi, de quadruplici perfecto virtutum actu, quas aggregauit Virgo in conceptu Filij Dei.

Cap. 1. Quod miro martyrio se Deo dedicauit & obtulit beata Virgo in conceptu.

Cap. 2. Quod propter admirandam pietatem ad humanum genus elegit beata Virgo concipere filium Dei.

Cap. 3. Quod in consensu Conceptionis Filij Dei in beata Virgine castitas tripliciter fulsit.

Cap. 4. Quod in consensu conceptionis Filij Dei actus actiuæ & contemplatiuæ vitæ interuenerunt.

Articuli tertij, de quadruplici adiutorio beatæ Virgini communicato in conceptione Filij Dei.

Cap. 1. Quod beata Virgo ab æterno electa fuit Mater Filij Dei.

Cap. 2. Quod perfectio omnium virtutum & gratiarum in beata Virgine ad conceptum Filij Dei auxilium præstitit.

Cap. 3. Quod ad conceptum Filij Dei tota natura Angelica suffragata est.

Cap. 4. Quod merita & supplicationes Sanctorum ad consensum Virginis auxiliata sunt.

DE CONSENSV VIRGINALI,

Sermo VIII.

Luc. 1. ECCE ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum. Iterum Luc. 1. cap. & in Euangelio hodierno. Vt verè & digne verbis gloriosi Bernardi vtar, nihil est quod tantum me terreat, nec est aliud quod tantum me delectet, sicut de beata Virgine sermonem habere. Terret me, inquam, indignitas propria sed me delectat Virginis laus & excellentia: libet igitur vltra ea, quæ de virginali consensu superius dicta sunt, iterum atque iterum de tam admiranda materia balbutire. Ait enim benedicta Virgo Angelo nunciant i, *Ecce ancilla Domini*, &c. In quo admirando consensu tria contemplari libet, scilicet huius consensus primo admirandum obiectum, secundo admirandum actum, tertio admirandum adiutorium.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quadruplici obiecto, quod habuit beata Virgo, cum consensit concipere Filium Dei.

PRimo enim contemplemur huius consensus admirandum obiectum. Quatuor quidem obiecta in hoc consensu interuenerunt. Primum obiectum fuit Iesus Christus, secundum obiectum Spiritussanctus, tertium Pater æternus, quartum humanum genus. Consideta ergo primo obiectum, in quo consensit: secundo obiectum, cui consensit: quarto obiectum, propter quod consensit.

In Mariæ consensu quatuor obiecta interuenerūt.

Quod beata Virgo in Annunciatione consensit concipere filium Dei visibilem, passibilem, & mortalem.

CAP. I.

Obiectum 1 in quo consensit V. Maria fuit Iesus Christus.

PRimo quippe consideremus obiectum, in quo consensit. Quod quidem fuit filius Dei Iesus Christus, vt fiendus eius verus & naturalis filius, & verè passibilis & mortalis, pro vniuersi orbis reparatione moriturus, & pro omnium peccatis, propter quæ erat de se satisfacturus. Sed impossibile fuit eam in tale, ac tantum obiectum dignè & debitè consentire, nisi omnem affectum mentis suæ in illud proiecerit & erexerit & vicerosissimè aperuerit, & nisi illius obiecti singularitatem & singularem oblationem, seu modum habendi se ad eam perspicacissime attenderit & intime senserit vel assenserit, & immobilissime atque robustissime crediderit, & humillime se illi subiecerit & annihilauerit, vt sui oblita tota conaretur in ipsum totaliter transformari, vt iuxta illud, quod per viam amoris potest fieri, omnino fieret id ipsum, seu vnum & idem cum Iesu Christo. Hoc autem erat summè dilatari & erigi in abyssum Diuinitatis & vnitatis, id est personalem & originalem habitudinem, secundum quam in semetipso existit, & secundum quam refertur ad Spiritumsanctum à se procedentem. Et iterum iouiscari illi mirandæ humiliationi, quam filius Dei volebat assumere, ita vt semetipsum inaniens fieret infantulus & passibilis in vtero eius & pœnas acerbissimas pro peccatis omnium subiturus & exemplar crucifixæ vitæ omnibus expressurus. Hoc ergo fuit consentire in crucifixum, seu crucifigendum: & in pretium superabundæ satisfactionis omnium peccatorum, & in meritum, & impetrationem, ac mediationem reparationis omnium electorum ex se & intra se formandum & suscipiendum.

Quod beata Virgo in conceptione Filij Dei habuit pro obiecto Spiritum sanctum sibi à Deo Patre per Angelum repromissum.

CAP. II.

SEcundo consideremus obiectum, secundum quod consensit. Quod quidem fuit Spiritussanctus, id est ille superineffabilis superaduentus ab Angelo, immo à Deo sibi per Angelum repromissus ad eam dignè tanto filio sanctificandam & replendam & immutandam etiam corporaliter in prolem ex ea & in ea spiritualissimo & supernaturalissimo modo formandam. Videmus enim, quod tanta est vis mutationis status inferioris in superiorem, quod cum quis est in promptu, alias procinctu & actu ascendendi ad vnam altam Religionem: aut de statu actiuæ vitæ ad contemplationis culmen & statum: aut de hoc sæculo ad aliud, quod homo sentit sibi imminere quandam mortem, per quam moritur toti statui & vitæ priori. Sentit etiam homo quandam transcendentem arduitatem, & quasi extraneitatem, seu insolitam nouitatem, omnes partes sensus obstupefacientem, ita quod ex hoc quod aliquando in corpore sequitur magna horripilatio & obrigescentia. Sed plus distat prior Virginis status à sequenti statu suæ maternitatis, quam status maximi fidelis & boni differt à statu suo priori, ergo in hora consensus sui ad illum statum sentit se transire per quandam ineffabilem mortem sui quoad statum sui priorem ad statum omnino supermundanum & ad regionem, seu mansionem insolitissimam. Ad quædam scilicet Dei abissalia & arcana & superalta, in quibus & à quibus erat funditus & irreuocabiliter absorbenda. Si etiam vna Domina vel ancilla paupercula, sentiens imminentem ad se regis aduentum, mox incipit esse attonita & præ nimia verecundia expauescens, tota anxia & sollicita, quomodo ipsum dignè recipiat: quanto magis Virgo sentiens maiestatis filij Dei & Spiritussancti superabundantem & incomprehensibilem superaduentum mox in ea ruiturum, fuit summa expauescentia diuini timoris & reuerentia tota confusa & tremefacta, & ad dignè recipiendum summè sollicita & anxia? Quis poterit effari, aut excogitare, vsque ad quantum hoc fuit in ea? Nouerat enim Ecclesiastici 12. cap esse scriptum, *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia.*

Obiectum 2. secundum quod V. Maria consensit fuit Spiritussanctus.

V. Maria tota anxia quomodo Verbum reciperet.

Quod

Quod B. Virgo cognouit se electam sponsam aeterni Patris ad concipiendum Dei Filium.

C A P. III.

...biectum ... quo consensit. V. Maria fuit Pa...r.

TErtio consideremus obiectum, in quo consensit, scil. Deo patri offerenti sibi tanquam suæ sponsæ filium suum & requirenti super hoc consensum eius. Quæro igitur à te, quantum in ipsa oblatione Deo talia offerenti obligari se sensit ad ipsum longè plusquam antea superamandum, ac super obediendum & seruiendum & regratiandum & recognoscendum tam singularem gratiam & charitatem, vt scilicet sic fieret sponsa illius, vt ipse & non alius in eius mentē & vterum infunderet filium suum, & per illum diuinissimum spiritus sui ardorem ipsam sic inflammaret & immutaret, quod ex ea & in ea formaret corpus filio suo, ita quod verè esset filius Dei & filius Virginis. Nolo quod in prædictis aliud fecerit, quam facere tenebatur secundum mensuram & proportionem patris offerentis & doni oblati, quia satis est ad omnium Sanctorum merita etiam incomparabiliter superanda. Attende etiam, quantum totum intellectum & affectum suum eam docuit & oportuit captiuare ad digne assentiendum & consentiendum veritati æternæ, si nobis modo incredibili, seu inaccessibili proponenti ineffabiles veritates præsentes pariter & futuras siue sciendas. Neque enim proponebantur sibi prædicta, sicut ... simplici vetulæ: sed sicut ei, in qua principalissima fundamenta totius reparationis nostræ & mundi erant repente iacienda & fabricanda. Et hoc per intermediam eius fidem & spem: & per amorosum simul & humilem & famulatorium eius assensum & consensum.

V. Maria intellectum captiuauit vt veritati propositæ consentiret.

Quod B. Virgo intellexit se debere concipere Filium Dei pro humani generis reparatione.

C A P. IV.

V. Maria ob generis humani reparationem consensit.

QVarto consideremus, propter quod consensit, scilicet propter vniuersi orbis reparationem & recuperationem habendam, in qua & sui ipsius salus & reparatio continebatur, & propter Dei laudem & gloriam ex hoc subsecuturam. Quæro igitur, quantum istum fructum & finem amabat & desiderabat? Nam hinc pendebat salus sua & omnium electorum. Vnde Aug. in serm. de Natiuitate ipsius inquit: O B. Maria, genus omne captiuum tuum deprecatur assensum: te, Domina, mundus suæ fidei obsidem secū. Noli morari Virgo, festinanter responde verbum, & suscipe filium Dei fide, & senti virtutem. Si ergo secundum mensuram huius sibi propositi debuit consensus erigi & dilatari in ipsum. Si etiam omnium electorum salus secundum ordinem diuinæ prædestinationis ex hoc Virginis consensu pendebat: Nonne eo ipso fidelis ratio dictat, quod Deus prædestinans dedit huic consensui dignam efficaciam & virtutem?

ARTICVLVS SECVNDVS.

De quadruplici perfecto virtutum actu, quas aggregauit Virgo in conceptu Filij Dei.

SEcundo contemplemur huius consensus admirandum actum. Circa quod diligenter attende, quomodo perfectiones omnium sublimium actuum secum ineffabili transcendentia aggregauit. Ex sumo tantum ad præsens quatuor actus Virgineæ mentis in summo perfectos. Et primo actum martyrij & patientiæ: secundo actum pietatis & misericordiæ: tertio actum castitatis & munditiæ: quarto actum vtriusque vitæ, scilicet actiuæ & contemplatiuæ.

V. Maria consensus ... sunt.

Quod miro martyrio se Deo dedicauit & obtulit beata Virgo in conceptu.

C A P. I.

PRimo autem sumo internum & summum actum martyrij fili Dei, quo martyr se offert in holocaustum Domino medullatum. Hæc enim Virgo se obtulit ad illam inæstimabilem mortem quam præmisimus, sup. 2. cap. Et ad illud ineffabile incendium, quo in ipsa Christi conceptione tota fuit succensa: si etiam ante hoc ipsa præ cæteris fuit prompta ad exponendum se omni morti & martyrio propter Deum: quanto incomparabilius in hac hora. Si etiam omnes, qui per baptismum introeunt statum Christi consepulti, secundum Apostolum, Cor. 2. Per baptismum in mortem sunt, & crucifigitur vetus homo eorum: quanto magis Virgo cum Christo crucifixa est in hora huius conceptionis. Nam ab instanti conceptionis suæ Christi anima totus actu intentus, quo Deo pro omnibus satisfecit: & quo ad omnem pœnam & mortem Deo placitam vel exactam, se promptissimè exposuit in suo velle interno. Constat autem quod Angelus, seu Deus per Angelum, filium concipiendum Virgini proposuit tanquam futurum omnium redemptorem & saluatorem. Nec fuit ita parum in Deum illuminata, quando per se intelligeret, quod filius Dei sine summis & arduis causis non fieret homo mortalis & nasceretur ex ea. Præterea puellæ Virgini desponsatæ ac honestissimæ, ac pudoratissimæ, si à non suo viro impregnandam se sentiat, nihil cuius aut sensibilius occurrat, quam quod à viro suo adulterata reputaretur, & ab ipso tanquam adultera diffamaretur & abijceretur. Nullum quippe genus confusionis aut mortis etiam Virgini tali sic confusibile & horribile, sicut est confusio talis. Ergo Virgo beata consentiens in sui grauidationem exposuit se confusioni præfatæ sibi horribiliori plusquam quodcunque aliud genus confusionis & mortis. Si vero dicatur, quod de facili potuit cogitare quod Deus saltem propter vituperium filij sui euitandum non permitteret eam tali confusioni exponi: Contra hoc est, quia ex quo sciebat ipsum tanquam satisfactorem portaturum confusionem & pœnam tantæ satisfactioni condignam, non habuit multum suspicari quod Deus hæc & maiora non permitteret fieri contra filium suum. Præterea in hoc saltem apparuit mira constantia cordis sui, quod quantum ex scripturis habetur, non quæsiuit ab Angelo remedium contra confusionem prædictam, nec consilium aut certificationem aliquam super euentum ipsius. In signum igitur, quod crucifixa crucifixum concepit, ordinauit summa sapientia Dei quod eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus.

I. V. Maria consensus actus martyrij fuit.

V. Maria martyrio se obtulit in conceptu.

V. Maria consentiens confusioni se exposuit.

Iesus Christus eodem quo die conceptus est, eodem passus.

Quod propter admirandam pietatem ad humanum genus elegit beata Virgo concipere Filium Dei.

C A P. II.

SEcundo sumo actum pietatis & misericordiæ, per hunc enim consensum omnium electorum salutem viscerosissime expetiit & procurauit, & omnium saluti & eorum saluationi per hunc consensum se singularissimè dedicauit, ita vt ex tunc omnes in suis visceribus baiularet, tanquam verissima mater filios suos. Vnde August. in serm. de Natiuitate ipsius inquit. O beata Virgo Maria quis dignè tibi valeat iura gratiarum & laudum præconia impendere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio aditum recuperandi inuenit? Accipe itaque quascunque exiles & meritis tuis impares gratiarum

Secundus V. Maria consensus actus pietatis fuit.

tiarum actiones: & com susceperis vota, culpas oostras orando excusa.

Quod in consensu conceptionis Filij Dei in Beata Virgine castitas tripliciter fulsit.

C a p. III.

Tertius V. Maria consensus actus castitas & puritas. Primo in virginitatis proposito.

TErtio sumo actum castitatis & meotalis munditiæ & puritatis. Quod quidem in boc consensu in miro excessu tripliciter fulsit. Primo in proposito virginitatis, secundo in augmento sanctitatis, tertio in experimento diuinitatis. Primo quidem castitas & puritas fulsit in proposito Virginitatis: quia quantum in se erat, etiam pro Dei filio concipiendo refugit omnem commixtionem virilem. Proinde Angelo nunciaoti conceptum Filij Dei, inquit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est quoniam sum in statu & voto nuoquam cognoscendi virum. Quasi diceret: Scio quidem Deum multos habere modos sub quibus hoc impleri potest: Sed vnos, quantum est in me & ex animi mei voto est à meo animo elongatus, & omnino alienus, scilicet quod virum carnaliter cognoscendo concipiam etiam Deum. Vide qoantum recedit ab omni contrario sui dilecti, scilicet Dei: quando non solum ostendit Dei offensam, sed omnem actum corruptum & vitiosum quantuncunque fieret sine Dei offensa: sicut vtique fieri potest coniugalis actus, & maxime si sit ordinatus ad diuinam prolem & tamen etiam hunc, quantum erat ex se & absolute, beata Virgo sic odio habuit, quod ex hoc dixit hoc verbum. Et hanc arbitror causam præcipuam extitisse, quare modus concipiendi ab æterno à Deo præfixus ei non extitit reuelatus, vt Virginis animo & eloquio manifeste indicaretur in ea excellentissimus amor & zelus huius virginitatis & puritatis, & hoc in summo. Secundo fulsit in augmento sanctitatis. Nam ex præmissione Angeli dicentis, quod ex aduentu Spiritussancti: immo super aduentu Spiritus sancti, & ex refrigerabili obumbratione altissimi optimè præsciuit se intaotum ab omni originali infectione purgandam, quod id quod nasceretur ex ea, merito mundum esset & sanctum. Ergo in præfato consensu in hanc sui totalem expurgationem & castificationem ex totis visceribus & medullis toto corde consensit. Tertio fulsit in experimento diuinitatis: quia cum Deus sit summa puritas & castitas, vt in ipsom non possit intrare nisi cor abstersom & muodum, & hoc non à carnalitatibus solum, sed etiam ab omni fantastico cogitatu. Constat quod quanto altius in diuina asceoditur, tanto diuinæ puritatis regio fortius à mente sentitur. Ergo cum Virgo per hunc consensum in domioum vere concipiendum ascenderit, oportet hunc consensum sensu & affectu diuinæ castitatis ineffabiliter fuisse imbutom. Vnde per hunc actum merito Virgo virginum facta fuit, secundum enim Ansel. decebat vt Virgo, quæ Deum conciperet, tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi.

Secundo in sanctitatis augmento.

Tertio in diuinitatis experimento.

Anselm.

Quod in consensu conceptionis filij Dei actus actiuæ & contemplatiuæ vitæ interuenerunt.

C a p. IV.

Quartus V. Mariæ consensus actus fuit vitæ actiuæ & contemplatiuæ.

QVarto sumo actum vtriusque vitæ scilicet actiuæ & contemplatiuæ. Etenim iste actos ex se & directè totus fuit contemplatiuus io Deum concipiendum in mente directus. Pro quanto tamen ex eius carne & in eius carne debuit hæc conceptio celebrari: & pro quanto prolis generandæ obsequiis debuit totaliter mancipari, fuit consensus hic etiam nobilissimum genus actiuæ vitæ, nulli competens nisi matri filij Dei. Ex quatuor autem præmissis & consimilibus virtutum actibus facile colligi potest, quomodo omnes actus perfectissimarum virtutum aggregati fuerunt in Virginis sæpe memorato consensu.

A r t i c v l v s T e r t i v s.

De quadruplici adiutorio beatæ Virgini communicato in conceptione Filij Dei.

TErtio contemplemor huius Virginei consensus admirandum adiutorium. Quatuor quidem adiutoria concurrunt ad hunc admirandum consensum. Primum fuit diuina electio, secundum Virginea perfectio, tertiom, Angelica infusio, quartum paterna affectio.

Quod beata Virgo ab æterno electa fuit mater Filij Dei.

C a p. I.

Electio diuina ad Mariam concurrit, ut admirandum consensum faceret.

PRimum quidem adiutorium fuit diuina electio. Nam Dei electrix gratia & charitas, seu boonas Virginem præeligens in matrem filij sui & suum electiuum assensum ei per Angelum proponens & consensum ab ea præeligens ad hunc consensum admirandum & principale adiutorium dedit. Constat enim, quod Dei electrix gratia & charitas ad aliquem Sanctorum non posset dari coosimilis & æqualis. Constat etiam, quod secundum quod Dei electrix charitas sub maiori & altiori ratione amoris in aliquam fertur, quod hæc fortius mouet illum. Si etiam decenter & efficaciter eligit aliquem ad arduum statum, oportet quod illum moueat secundum proportionem & exigentiam arduitatis illius status, ad quem eligit illum: & maxime vbi nulla est rebellio & indispositio ex parte mobilis. Sed status maternitatis Dei, ad quem Deus Virginem eligebat, erat summus status, qoi puræ creaturæ dari posset: ergo Dei electrix charitas altissimo modo peruenit & mouit cor Virginis ad hoc opus: ergo istud opus altissimè participauit perfectionem atque influxum & Deiformem similitudinem electricis amatricis charitatis Dei, à qua manabat.

Gratia diuina altissimo modo Mariæ cor mouit ut consentiret.

Quod perfectio omnium virtutum & gratiarum in beata Virgine ad conceptum Filij Dei, auxilium præstitit.

C a p. II.

V. Mariæ gratia adiutorium fuit ad eliciendum consensum ad Filij Dei conceptionem.

SEcundum vero adiutorium ad buoc consensum fuit Virginea perfectio, id est formalis eius gratia atque virtus, quæ vtique Luc. 1. cap. teste Angelo Gabriele fuit tanta, vt singulariter dicta fuerit *gratia plena*, & præ cæteris *benedicta*. Atque siogulariter ioqoit, *Dominus tecum*. Supposito igitur tanquam certo, quod etiam præ cæteris tunc fuerit gratia plena, ita quod habitus charitatis cæterarumque virtutum fuerit tunc longe maior in ea, quam vnquam fuerit in aliquo sancto, dum esset io hac vita. Tunc arguo sic: Omnis mens sancta atque discreta tunc tanto fortius accingitur & colligitur & erigitur ad digne & timorate & impeccabiliter opus aliquod peragendum, quaoto opus ipsum sentit & noorit esse diuinius & altius & maiori virtute & conatu & circumspectione & omnimoda perfectione indigens, ad hoc vt digne & congrue fiat & complacabilior Deo Patri. Sed quælibet mens fidelis sentit, quod summum quid est concipere Deum & fieri matrem Dei: ergo eo ipso sentit aut sentire debet, quod actus ad hoc immediate pertingens est actus perfectissimus. Sed hic fuit ipse Virginis consensus: ergo quando ipsa sensit se à Deo ad hoc præeligi & præueniri, & hunc consensum ab ea exigi, oportuit, quod ex intimis medullis talibus conatibus se accingeret & disponeret & aperiret ad tantam & tam singularem & inusitatam

Luc. 1.

Charitatis habitus longe maior fuit in V. Maria quam in aliquo sancto.

inusitatam gratiam digne & omnino impeccabiliter suscipiendam. Sed hoc factum est digne & debite consentiendo: ergo iste consensus processit ex omnibus virtutibus & conatibus eius, quemadmodum prægrandis lapis machinæ iacitur ex fortibus impulsibus totius machinæ & omnium partium eius.

Quod ad conceptum Filij Dei, tota natura Angelica suffragata est.

Cap. III.

Ad Virginis Mariæ consensum tertium adiutorium infusio Angelica fuit. Angeli boni nihil tam optabant quam electorum salutem.

TErtium quoque adiutorium ad hunc consensum Angelica infusio fuit. Nam ad hoc ministerialiter operatus est influxus hierarchicus omnium Angelorum quorum ministerio secundum Dionysium, tota nostra regitur hierarchia. Constat autem, quod in toto eorum ministerio circa nos nihil tantum optabant & intendebant, sicut vniuersalem electorum salutem atque saluationem. Sed in hora, qua Gabriel ad Virginem missus est: omnes nouerunt, quod per Virginis consensum formandum erat à Deo caput & principium nostræ salutis. Christus scilicet in quantum homo. Ergo in illa hora tota Angelica curia, seu hierarchia totis desideriis & conatibus intendebat in Virginem suo ministerio adiuuandam, ad tantum opus debite suscipiendum atque perficiendum. Et hoc tam apud Deum totis viribus pro hac re orando, quam etiam in ipsam secundum proportionem hierarchici ordinis influendo. Nam omnes Seraphini tale adiutorium suscipientes à Deo, illud influebant in Cherubin, Cherubin in Thronos, Throni in Dominationes, Dominationes in Virtutes, Virtutes in Potestates, Potestates in Principatus, Principatus in Archangelos, Archangeli in Angelos, Angeli in Gabrielem, Gabriel in Virginem benedictam. Neque refert, an omnes immediate influerent, an aliquis in virtute omnium. Nec mireris, si in virtute omnium plus potuit vnus quam faceret in virtute paucorum, aut in se sola. Quia pars illa chordæ arcus, quæ sola immediate tollit & sagittam impellit: facit eam longe fortius impellere, quia operatur in totius arcus virtute, quam faceret per se solam. Sic quoque videmus, quod Legatus vnius magnæ Communitatis vel vrbis, vel cuiuscunque magni & fortis exercitus: multo potentius & fortius mouet, & trahit corda eorum, ad quos mittitur, siue ad timorem, siue ad obedientiam vel amorem: quia gerit omnium ciuium & totius Communitatis eorum vicem & auctoritatem, quam faceret si veniret cum auctoritate solius mediæ vel tertiæ partis, aut cum propria sola auctoritate.

Similitudo.

Quod merita & supplicationes Sanctorum ad consensum virginis auxiliata sunt.

Cap. IV.

Ad V. Mariæ consensum quartum ad iutorium fuit affectio paterna veterum patrum.

QVartum adiutorium ad hunc consensum fuit paterna affectio. Nam ad hoc per promerentiæ viam in adiutorium cooperans fuit totus cœtus præcedentium Sanctorum, qui vtique vel implicite vel explicite super omnia apud Deum desiderauerant saluatorem eorum in æternam vitam. Ergo eo ipso omnium intentiones, sine sancta desideria, & merita virtualiter concurrebant ad Saluatorem impetrandum & introducendum à Deo, atque per consequens ad illam & ad aduentum eius, per quam & in qua dandus erat saluator mundi. Si ergo Deus in hoc opere attendebat merita omnium sanctorum & Patrum, patet quod Virgini & consensui eius dedit gratiam à Sanctorum meritis præinrentam. Si ergo diligenter considerentur omnia, quæ dicta sunt in tribus articulis prædictis, percipietur huius admirandi consensus finalis terminus, quæ quidem fuit omnis dignitas & perfectio inclusa in hoc quod est esse matrem Dei tam carne quam mente: quod profecto transcendit in infinitum quicquid aliud sub Deo homine cogitari vel dici potest. Si ergo terminus tam ineffabilis fuit suo merito proportionatus, oportet quod meritoria perfectio huius consensus fuerit perfectioni sui termini proportionata.

Obiectio V. Maria non potuit tanta cogitare. Responsio.

Obiectio. Sed forte contra prædicta aliquis insipiens cogitabit, & dicet, quod Virgo in tam breui hora tot & tanta non potuit cogitare. Responsio. Sed eius insipientia conuincitur triplici modo. Primo exemplo sensibili, secundo ratione fideli, tertio experimento spirituali.

Primo exemplo sensibili conuincitur.

Primo quidem exemplo sensibili, quia si Rex Franciæ per solemnissimum aliquem Ducem suum vel Comitem consensum suum dispensatorium vni pauperculæ puellæ regni sui, & indubitanter & solenniter destinaret, constat quod illa mox in eadem hora cum summa admiratione cogitaret Regis & omnium consiliariorum suorum ineffabilem erga se dignationem & charitatem & suæ regalis dignitatis, aut regni totalem magnificentiam: Cogitaret etiam, quanta & qualia sibi offeruntur & dantur, & ad quid assumitur & qualiter variis, & pretiosissimis est ornãda, & quibus officiis atque deliciis, quibusque cum Rege familiaritatibus, colloquiis & similibus dedicanda. Nec mireris, si per vnũ talem actum menti simul quasi innumera præsententur: quia per vnicum aspectum oculi cœlum cum stellis, & aër cum nubibus, & auibus & aqua cum fluctibus & nauibus & piscibus, & terra cum herbis & arboribus & bestiis, ac castris & ciuitatibus & vallibus cum montibus, fontibus & fluminibus insimul & quasi in momento nostro visui præsentantur.

Secundo ratione fideli.

Secundo conuincitur ratione fideli: quia si prophetis & Apostolis dedit subito illuminationes mirabiles tam de diuinis, quam de humanis, prout eorum Apostolico & prophetali officio competebat: quis homo rationalis sentiet, quod ei, quæ in Reginam mundi matrem Dei eligitur, non detur illustratio competens & proportionata dignitati & statui tanto: & maxime, quando ab ea talis consensus & actus exigitur, qui sine summis illustrationibus & virtutibus nequit ab ipsa digne atque decenter expleri. Rursus ne credas Virginem in illa hora diuinorum ignaram, & instar vulgarium puellarum imperitã fuisse. Recordare, quod ante hæc dicta est *gratia plena*, & præ cæteris mulieribus *benedicta*: & quod Deus per singularem assistentiam erat secum. Recordare etiam ex prima sui sanctificatione in vtero matris suæ tantam recepisse gratiam, quod omne peccatum, etiam minimũ veniale, vitare potuit, & omnino vitauit. Quod quidem fieri non potuit, nisi maxime sapientiam acceperit omnium agendorum & vitandorum, & amandorum & odiendorum, atque credendorum.

Cum Virgine Maria Deus per singularem assistentiam erat.

Tertio experimento spirituali.

Tertio quoque conuincitur talis animalis homo experimento spirituali, quia secundum Apostolum 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi*, scilicet cor radicata. Cum enim spiritus Dei mentem subtiliter penetrat & redundanter inebriat, innumerabiles radios diuinæ lucis & sapientiæ in ea multiplicat atque spargit. Intrat enim mentem, sicut sol oriens intrat in mundum. Sicut enim habetur Sap. 7. *Spiritus iste est vnicus & multiplex & subtilis: & sapientia, à qua procedit, est omnibus mobilibus mobilior, attingens vbique propter munditiam suam.* Proinde cum vult simul ostendit præterita & futura: secundum enim Apostolum, vbi sup. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, & ideo spiritualis iudicat omnia, etiam vbi supra.* Virgo igitur ista spiritu ebria non poterat nescire ea, quæ sunt spiritus Dei. Et ideo Maria, illuminata illuminatrix merito nominatur: quamuis respectu spiritus & sapientiæ quæ in Christi conceptione accepit, modicum fuerit quicquid habebat prius. Denique, vt verbis deuoti Bernardi vtar.

V. Maria spiritu ebria quæ sunt spiritus sciebat.

Per te accessum habemus ad filium, ô Virgo benedicta, inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis: per te suscipiat nos, qui per te natus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitatis. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas tua gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum, vt tandem meritis tuis filium possideamus in gloria, qui cum Patre & Spiritu sancto te & omnes Beatos glorificat & præmiat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

SYNOPSIS.

Eorum quæ maxime continentur in hoc Sermone,

Qui est de Visitatione B. Virginis seu de septem verbis Virginis gloriosæ, in quibus septem gradus seu processus amoris insinuantur, continet tres articulos, quorum vnusquisque continet tria capita.

Articuli primi, De triplici gradu amoris in triplici verbo Virginis demonstrato.

Cap. 1. Quantum ex amore ad Dominum beata Virgo omnem corruptionem abhorruerit, etiam quod vmbram corruptionis habebat.

Cap. 2. Quanta veniente transformatione iuncta est Deo beata Virgo in conceptione Filij Dei.

Cap. 3. Quanta feruenti velocitate festinauit Beata Virgo communicare dilectionem & gratiam Filij sui.

Articuli secundi, De exultanti iubilatione Virginis gloriosæ quando Magnificat decantauit.

Cap. 1. Quando iubilando gratias egit Beata Virgo summo Deo de beneficiis sibi factis.

Cap. 2. Quod Beata Virgo Maria gratias agit de beneficiis Angelis & hominibus misericorditer datis

Cap. 3. Quod beata Virgo agit gratias Deo de beneficiis incarnationis Filij Dei.

Articuli tertij, De tribus vltimis verborum flammis Virginis benedictæ.

Cap. 1. De triplici generali gustu diuini amoris quem experta fuit beata Virgo.

Cap. 2. Quanta charitate compatiebatur Virgo beata indigentiis & miseriis nostris.

Cap. 3. Quantum beata Virgo nos hortatur ad obedientiam omnium, quæ sunt Dei placita & mandata.

DE VISITATIONE MARIÆ seu de septem verbis Virginis gloriosæ in quibus septem gradus, seu processus amoris insinuantur.

Sermo IX.

Psal. 118.

QVAM *dulcia faucibus meis eloquia tua*, Psal. 118. Dignare me laudare te Virgo sacrata: nec modicam despicias tui famuli seruitutem, cuius non modicam in tuis laudibus deuotionem attendis. Dignare cœlestis Regina mihi per sublimium sensuum tuorum misericordiam quasi vasta per æquora sine remige nauiganti cœlestis auræ fauore succurrere, vt qui altissimos sensus verborum tuorum saltem balbutiendo declarare desidero, gratia tua confisus, tuo adiutorio valeam explicare. Aspiret & ille diuinus habitator hospitij tui, vt qui in laudem suæ matris studium pietatis attendis, pius adiutor adesse non dedignetur è cœlis. *Inuocatur beatissima virgo.* Quis enim mortalium, nisi diuino tutus vel fretus oraculo, de vera Dei & hominis genitrice quidquam modicum, siue grande præsumat intercisis, immo pollutis labiis nominare, quam pater ante sæcula Deus perpetuam prædestinauit in Virginem dignissimam, filius elegit in matrem, Spiritussanctus omnis gratiæ domicilium præparauit? *Maxima Virginis prærogatiua.* Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei cordis sanctissimo ore prolatos efferam? quibus non sufficit lingua omnium hominum & etiam Angelorum? Dominus enim Matt. 12. ait, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* *Matth. 12.* Quod verbum potest etiam esse thema. Quis autem inter puros homines melior homo potest excogitari, quam illa quæ meruit effici Mater Dei, quæ nouem mensibus in corde & in vtero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse diuinus amor, quo fornaceum cor Virginis ardens erat? De hoc igitur corde, quasi de fornace diuini ardoris, Virgo beata protulit verba bona, id est verba ardentissimæ charitatis. Sicut enim à vase summo & optimo vino pleno non potest exire, nisi optimum vinum: Aut sicut & à fornace summi ardoris non egreditur, nisi incendium feruens: sic quippe à Christi matre exire non potuit verbum, nisi summi summéque diuini amoris atque ardoris. *Verba Virginis sp[...] amorem.* Sapientis quoque Dominæ atque matronæ est, pauca verba, solida tamen atque sententiosa habere. Proinde septem vicibus, quasi septem verba tantum miræ sententiæ & virtutis à Christi benedictissima matre leguntur dicta, vt mysticè ostendatur ipsam fuisse plenam gratia septiformi. Cum Angelo bis tantummodo locuta est, Luc. 1. *Quomodo fiet istud*, &c. *ecce ancilla Domini*, &c. *Luc. 1.* Cum Elisabeth, bis etiam, Luc. 1. scilicet illam salutando. Secundo laudando, cum ait: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. *Luc.* Cum filio etiam bis. Semel in templo, Luc. 3. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Secundo in nuptiis Ioan. 2. *Vinum non habent.* *Luc. 3. Ioan. 2.* Cum ministris semel, Ioan. 2. *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Et in his omnibus semper valde parum locuta est. Excepto, quod in laude Dei & gratiarum actione se amplius dilatauit, scilicet cum ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Vbi non cum homine, sed cum Deo locuta fuit. Hæc septem verba secundum septem amoris processus & actus sub miro gradu & ordine sunt prolata, quasi sint septem flammæ fornacei cordis eius. *Septem verba septem flammæ.* Quæ Verba considerans atque ruminans mens deuota cum ipso Propheta inquit: *Quam dulcia faucibus meis*, id est omnibus affectionibus *eloquia tua.* Porro dulcedo hæc, quam in verbis beatæ Virginis deuota mens sentit, est ardor piæ deuotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. *Dulcedo verborum Virginis est ardor piæ deuotionis.* Dicat igitur, mens deuota, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Distinguamus igitur per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictæ. Prima est flamma amoris separantis, secunda amoris transformantis, tertia amoris communicantis, quarta amoris iubilantis, quinta amoris saporantis, sexta amoris compatientis, septima amoris consummantis. *Septem flammæ amoris verborum Virginis.* Tamen septem flammas sub triplici articulo distinguamus, vt in primo articulo contineantur tres flammæ in secundo solummodo quarta flamma, & in tertio tres vltimæ flammæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

De triplici gradu amoris in triplici verbo Virginis demonstrato.

PRimo enim ponamus tres flammas primas secundum ordinem secundum quem sanctus Euangelista Luc. 1. cap. describit eam fuisse locutam.

Quantum

Quantum ex amore ad Dominum B. Virgo omnem corruptionem abhorruerit, etiam quod umbram corruptionis habebat.

CAP. I.

PRima flamma est amoris separantis. Natura quippe veri amoris est à contrario sui amati se elongare. Et quanto amor maior & formosior est, tanto recessus iste est maior, & econuerso. Rogo diligenter attende, quantus iste recessus apparuit in primo Virginis verbo, quo Luc. 1. cap. Angelo sibi promittenti conceptum & partum filij Dei, quasi stupefacta respondit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, quoniam sum in statu & voto nunquam cognoscendi virum, quasi dicere velit: Scio quidem Deum multos modos habere, sub quibus iuxta voluntatem suam hoc implere potest, sed vovi, quantum in me est, & ex voto animi mei est: ab animo meo omnino elongatus & alienus, scilicet quod virum carnaliter cognoscendo concipiam etiam ipsum Deum. Vnde 27. q. 2. §. sed quæritur, habetur: Vouerat enim Maria se virginem perseueraturam. Vnde ait Angelo, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, me non cognituram proposui: sequitur. Sed sicut ait August. Beata Maria proposuit se seruaturam in corde votum virginitatis, sed ipsum votum virginitatis non expressit ore: subiecit se diuinæ dispositioni, dum proposuit se perseueraturam virginem, nisi Deus aliter ei reuelaret. Et subditur: Postea quam vero filium genuit, quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & vterque in virginitate permansit. Considera igitur diligenter, quantum recedit ab omni contrario sui dilecti, scilicet Dei, quando non solum odit offensam eius, sed etiam omnem actum corruptum & violatum, quantumcunque fieret sine illius offensione: sicut vtique fieri potest actus matrimonialis, & maxime si ordinatus sit ad prolem diuinam. Et tamen etiam hunc, quantum erat ex se, & absolute, beata Virgo sic odio habuit, vt ex hoc dixerit hoc verbum. Profecto, vt existimo, hæc præcipua causa fuit, quare modus concipiendi filium Dei, iam ab ipso Deo præfixus sibi non fuerat reuelatus, vt Virginis animo, atque eloquio & efficacissimo actu, id est verbo, ore, & opere exerceretur, & de facto probaretur actus iste tam feruentis amoris, & hoc in suo altissimo gradu.

Quanta veniente transformatione iuncta est Deo Beata Virgo in conceptione Filij Dei.

CAP. II.

SEcunda est flamma amoris transformantis, cuius actus est summè vnire amantem cum ipso amato, & econuerso. Licet enim hæc flamma sit radicaliter omnium prima: tamen secundum complementum suum, atque experimentale exercitium est secunda, quia nunquam plene sentitur, nec in quodam actuali exercitio plene habetur, nisi homo se perfecte exercuerit prius ad fugam & odium cuiuscunque contrarij & omnis impeditiui plenæ possessionis dilecti, atque gratiæ & complacentiæ eius. Attende autem, quantum ista flamma refulsit in secundo Virginis verbo, quo in Filij Dei conceptum assentiens Angelo ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quia enim amorosa mentis vnio ad ipsum Deum ex parte mentis debet tota esse humilis & subiecta, ac prompta & famulatoria, siue in omnibus obsequiosa: idcirco Virgo primo vt talem se exhiberet Deo, & conceptui filij Dei, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Quia etiam debet esse timorata simul & fiducialis, suauiter & deprecatorie desiderata: & hoc non vltra, nec citra mensuram sibi à Deo præfixam: idcirco adiecit, *Fiat mihi secundum verbum tuum*: quasi dicat hoc non auderem petere à meipsa, sed nec volo, nec audeo de Dei promissione diffidere: nec supra, vel infra suum verbum per te pronunciatum hoc quærere & desiderare. Proinde iuxta verbum tuum fiat mihi à Deo conceptio filij eius eo modo, quo per te illam mihi annunciauit. Quasi enim in hoc verbo clarius exprimatur obedientia longa, cum ait, *Ecce*, humilitas profunda, cum subdit, *Ancilla Domini*, Charitas lata, cum addit, *Fiat mihi* Fides alta, cum tandem concludit, *Secundum verbum tuum.* Vt aperte clarescat solam Beatam Virginem esse talem, vt digna sit comprehendere super omnes tam Sanctos, quam Angelos, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum incarnationis filij Dei. Contemplare igitur mens deuota, in quo tunc actu & assensu diuini amoris, & miræ transformationis erat mens illa, in qua tantus ausus fuerit, quod constanter & pleno assensu auderet optare, & quærere se fieri matrem Dei altissimi, & ipsum vere fieri filium eius. Porro ipse terminus & consensus desiderij huius altitudinem docet. Terminus enim fuit summa impletio desiderij huius. sicut in puellam aliquam præcurrente consensu Regis & puellæ per solennem & fide dignum nuncium destinato, atque denunciato, cum consensus puellæ in idipsum subsequitur, & per eius verbum Regi, vel eius nuncio plene exprimitur, confestim fit, & ratificatur inter eos indissolubile vinculum coniugale: Sic & multo altius & immobilius præcurrente hoc consensu Dei per eius Angelum Virgini denunciato: mox ad plenum consensum Virginis subsequuta est illa ineffabilis & summe inseparabilis vnio Christi ad matrem: & matris ad filium Dei Christum. Quantum fuerit meritum huius virginalis consensus, dictum est supra in hoc tract. art. 1. c. tertio.

Obedientia Virginis. Humilitas Fidei & charitas Virginis.

Ad consensum Virginis sequitur incarnatio.

Quanta feruenti velocitate festinauit Beata Virgo communicare dilectionem, & gratiam filij sui.

CAP. III.

TErtia est flamma amoris communicantis. Est profecto natura veri amoris amatum, & eius amorem alijs pro posse imprimere. sicut & ignis natura est, omnia quæ ei circumstant, secundum eorum susceptibilitatem, ignire & inflammare. Propter quod in tertio Virginis verbo, quo salutauit Elisabeth, statim talis impressio subsecuta est, quod Ioannem in vtero matris sanctificauit, & in Christum præ gaudio exultare fecit, atque matrem in tantum Spiritu sancto repleuit, vt intime sentiret, conceptum & incarnationem Filij Dei paulo ante iam factam, ita vt exultans diceret matri Christi, *Benedictus fructus ventris tui.* Sed hoc seriosius Luc. 1. c. ostendere volens ponit per ordinem tria. Primo Mariæ salutationem, secundo Ioannis exultationem, tertio Elisabeth iubilationem. Primo inquam ponit Mariæ salutationem: Sed prius præmittit dicens, *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione*, scilicet vt subito communicaret gratiam & amorem filij sui Ioanni & parentibus eius: *in ciuitatem Iuda*, id est, in Hierusalem, quæ erat in montanis sita. *Et intrauit domum Zachariæ.* Glossa vt scilicet grandæuæ prægnanti iuuencula deseruiret. *Et salutauit Elisabeth.* Nam simul cum humilitatis signo beneficium dedit cum verbo. Secundo ponit Ioannis exultationem propterea subdit: *Et factum vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Nam qui prius verbi Dei influentiam suscepit, prius virtutem salutationis & visitationis agnouit. Et quia lingua non poterat respondere de vtero matris meæ, in occursum illius gestabat erumpere? vnde & glossa ait: Quia lingua non poterat, animo exultante salutat, & suæ præcursionis officium inchoat.

Tertia flamma amoris communicantis.

Mira verborum Virginis efficacia.

Cur Maria abijt in montana cum festinatione.

Ioannis in vtero cognitio.

Sensit enim aduentum Domini. Spiritus enim sanctus mouit Ioannis liberum arbitrium ad cognoscendom Saluatoris aduentum: propterea in gaudio exultauit. Tertio autem subdit Elisabeth iubilationem. Proinde subiungit dicens, *Et repleta est Spiritussancto Elisabeth, & exclamauit voce magna & dixit, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, & beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

Quæ gratia Ioanni communicatur.

Attende autem, quanta fuit gratiæ plenitudo communicata Ioanni ad præsentiam verbi Dei, & per affatus virginei oris. Nam & meritis eius mater Spiritosancto repletur & datur sibi mysterium incarnationis agnoscere, ex feruore clamare, benedictam Virginem prædicare, intelligere Virginis dignitatem, & se tanta visitatione indignam. Nam eam, quam Spiritussanctus repleuit humilitate, vacuam non reliquit. Ecce quanta communicatio Spiritussancti, atque diuini amoris facta est ex salutatione Virginis benedictæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De exultanti iubilatione Virginis gloriosa quando Magnificat decantauit.

Quarta flāma amoris iubilātis.

SEcundo ponamus quartam flammam, quæ est amoris iubilantis, cuius natura est semper de dilecto psallere & cantare. Dum enim beata Virgo à beata Elisabeth de fide magnificaretur, & benedictus fructus ventris sui glorificaretur, in altissima contemplatione anima eius subuecta totum in Deum refundens ait, *Magnificat anima mea Dominum.*

Quid in cātico Magnificat agit Beatissima Virgo.

In quo cantico magnificat & glorificat, atque gratias agit summo Deo de multitudine magnorum beneficiorum suorum. Et primo de beneficiis particularibus, secundo de beneficiis generalibus, tertio de beneficiis singularibus. Et continet hoc canticum decem versos iuxta Propheticum dictum in Psal. 32. *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Quod potest esse thema, quando hoc suum canticum prædicatur.

Quomodo iubilando rependit gratias Beata Virgo summo Deo de beneficiis sibi factis.

CAP. I.

Tripliciter grates rependit Deo Maria.

PRimo enim agit gratias Beata Virgo, atque magnificat summum Deum de beneficiis particularibus, scilicet specialiter sibi collatis. Et hoc tripliciter. Primo magnificando, secundo exultando, tertio exemplificando. Primo enim rependit gratias Deo magnificando: propterea inquit: *Magnificat anima mea Dominum.* Non dicit lingua, cum ad magnificandum Dominum deficiat omnis lingua: Sed anima mea, inquit, quæ plus potest comprehendere, quam lingua exprimere: quasi diceret, Magnificauit Dominus facere mecum, dum seipsum per me intra meum se fecit vterum.

Canticum Magnificat explicatur.

Et sic me magnificam reddidit etiam supra sublimitatem omnium Angelorum sed hoc omnino est suum, & non meum. Et ideo non meipsam magnifico inaniter me iactando: sed magnificat anima mea Dominum; donum suum in ipsum totaliter referendo.

In Deū omnia dona refundamus.

Vt enim Beda super Magnificat ait: Beata Virgo magnificentiam suam plene cognouit, sed totam in Deum refudit: Vnde in persona Virginis loquens ait: *Magnificat anima mea Dominum*, scilicet voce, opere, & affectu. Magnificat quidem Dominum omnis creatura, sed anima mea super omnia. Inter enim omnem creaturam nihil tam magnifice fecit sicut animam meam. Ideo magnificat anima mea Dominum. Secundo autem rependit grates Domino exultando, propterea subdit, *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Ex magnificatione Dei recte subsequitur exultatio spiritus, atque mentis, quasi dicat, secundum Glossam, Exultauit spiritus meus extra omnem creaturam, & extra semetipsum, & iam præ immensitate gaudij saltauit in Deo salutari meo, id est in Iesu, licet omnium, tamen singulariter.

Iesus salutare interpretatur.

Dixerat enim ei Angelus, *vocabis nomen eius Iesum:* quod interpretatur salutare. Exultauit quippe in filio, quem gestabat in vtero, quasi dicat. Totum, quod sentio: totum, quod discerno: totum, quod viuo in eius magnitudine contemplanda, & præceptis eius seruandis impendo: nulla prosperitas me extollit, nulla aduersitas me frangit, sed in illis solis delectatur spiritus meus, memoria in illius perpetua diuinitate, cuius caro mea fœcundatur temporali conceptione, quasi diceret, vt ait Hugo.

In immutabi voluntate diuina transformata.

De salute quoque quam humano generi præparari video, totis præcordiis exulto. Video namque de me assumi, quod & credo pro me debere offerri. Verè, dilecta Virgo Maria in cellam vinariam ad Regem sponsum tuum introducta, ab vbertate domus eius inebriata, memoriam suauitatis illius eructasti, & iustitia illius exultasti. Vidisti quippe maiestatem, gustasti suauitatem. Ideo quod intus hausisti, foris propinasti.

Quanam Laurum ta humanæ, quā Angelici spiritus ex illo fonte summi boni.

Duo enim sunt, quæ boni Angelorum & hominum spiritus in illo fonte boni æterni contemplatione hauriunt, scilicet incomprehensibilis Dei maiestas, & ineffabilis bonitas, quorum alterum castum timorem gignit, alterum dilectionem parit. Pro maiestate namque venerantur Deum: pro bonitate diligunt eum, ne vel dilectio sine reuerentia dissoluta sit, vel reuerentia sine dilectione pœnalis. Ad hanc contemplationem mens Beatæ Virginis subuecta est, quæ cœlestis patriæ dulcedine in verbis suis tam amabiliter expressit, quam mirabiliter comprehendit.

V. Maria vidit clare Deum.

Cum enim magnificare Dominum se perhibuit, venerandam maiestatem in æterna visione contuitam fuisse manifeste declarauit. Cum vero se in salutari suo exultasse asseruit, gustum internæ dulcedinis se percepisse ostendit. Hæc Hug. Tertio Deo agit gratias exemplificando, scil. quæ tantum ascendit contemplando maiestatem Dei, omne verbum, quod in ea erat, in ipsum refundens, tandem in profundam humilitatem resiliens, & in exemplum se ponens subdit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, scilicet præ cæteris eligendo, vt fierem mater Saluatoris mei, Prouerb. vlt. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.*

Prou. vlt.

Respexit humilitatem ancillæ suæ, tripliciter quidem respexit. Primo inspirando, vt humilitatem præ cæteris donis eligerem, Luc. 1. cap. *Ecce ancilla Domini.* Secundo acceptando, vt ipsum Dominum conciperem. Bernard. Et si ex virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit.

Luc. 1.

Si ex virginitate placuit Virgo ex humilitate cōcepit.

Tertio exaltando, vt per ipsam super omnes cœlos ascenderem. Psal. *Eleuata est magnificentia tua super cœlos.* Item respexit humilitatem, non nobilitatem & altitudinem: quia *Dominus humilia respicit & alta à longe cognoscit.* Non pulchritudinem, quia *fallax gratia*, scilicet carnis, & *vana est pulchritudo*, Prou. vlt.

Prou. vlt.

Non potentiam, quia Dominus *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Non sapientiam, quia stultam fecit Dominus sapientiam huius mundi, 1. Corinth. 1. Non virginitatem, quia inueniuntur etiam fatuæ virgines, Matth. 25. *Quinque autem ex eis erant fatuæ.*

Respexit Deus humilia. & post magnam alia.

Matth. 25.

Denique non propinquitatem generis: non additamenta, non eloquentiam, non humanam prudentiam, non diuitias: non cætera talia, vt à Deo reciperetur enunciat, etiam quæ maiora sunt, reticet: non respexit sanctificationem in vtero, non contemplationem, non orationem, non sensuum custodiam: & quod mirabilius est, non prodit fidem, subticet spem: non nominat supereccedentem charitatem. Cunctæ virtutes in silentio factæ sunt: pro humilitate

solum

solum se respectam à Deo gloriatur, *quia respexit humilitatem ancillæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Aperte porro, quoniam à contraria fenestra eius prima mulier se cum omni prole sua de arce bonitatis deiecit, Et inde Lucifer de altissimis sedibus ad pallidas sedes cum suis sequacibus potenter eiectus est Proinde glossa inquit: Ecce quam vilia de se sentit, & totum Dei gratiæ tribuit. In Deo suo se monstrat humilem, sed respectu supernæ gratiæ sublimem, vt quod natura in primis parentibus per superbiam perdiderat, in Maria per humilitatem acciperet. Ideóque Verbum Patris in ea per humilitatis suæ meritum carnis substantiam, quam sibi vniuit, assumpsit: & tunc ad eam, quam prius abiecerat naturam sublimandam per misericordiam respexit. Sed quia ex præfata humilitate intellexit, quantum erat exaltanda, subiungit dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, scilicet cœli, & terræ, & inferni. Cœli quoad Angelos, quos restaurauit: terræ, quoad homines, quos reconciliauit: inferni, quoad captiuos, quos liberauit. Hæc est, de qua in mysterio Iudith. 15. cap. dictum est: *Tu gloria Hierusalem*, scilicet cœlestis, cuius ruinam reparasti, quantum ad Angelos. *Tu lætitia Israel*, quantum ad captiuos, *Tu honorificentia populi tui*, scilicet hominum, quibus fratrem & reconciliationem generasti. Vel omnes generationes, id est, Iudæi, & gentes, masculi & fœminæ, Angeli & homines, pauperes & diuites, magni & parui, serui & liberi, iusti & impij. Et breuiter omnis conditionis generatio, quia omnes beatificant eam. Proinde Bernardus hoc verbum exponens ait: O dilatatum cor Mariæ genitricis Dei, quam perlucidis oculis omnem creaturam in vera beatitudine simul collocandam aspexisti. Ecce, inquit, intuentis est verbum, & demonstrantis. Ecce iam video, quid futurum sit de me, quis fructus procedit ex me, quot & quanta bona non mihi soli, sed omnibus generationibus prouenient per me. Nam & Angelicarum ruinarum numerus per meum genitum reintegrabitur, & hominum generatio in Adam maledicta, per benedictum ventris mei fructum ad æternam beatitudinem regenerabitur. Hæc Bernardus. Et subdens causam tantæ regratiationis ait. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*, quasi diceret, hoc ipsum quod me beatificant omnes generationes, non mihi attribuo, non meis meritis ascribo: sed potius ei, qui fecit mihi magna. Magnum quippe est, quod Virgo sum: maius, quod vtrumque simul & mater & Virgo sum: sed maximum, si cuius mater sum, attendatur, quia scilicet vnigeniti Filij Dei, & omnium saluatoris. Et licet hæc magna facta sint omnibus generaliter: mihi tamen facta sunt singulariter, & ad meam inæstimabilem gloriam in me & de me per Spiritum sanctum completa potenter. Proinde, *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Qui respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est & sanctum nomen eius*: quæ per experientiam sentio. Qualia autem sunt, non exprimo: quia nec plene natura Angelica intelligere potest. Illa quippe magna, non solum creaturis sunt maxima, sed etiam maxima & insuperabilia sunt illi, qui potens est, immo omnipotens est & sanctum nomen eius. Et tamen nec potentiora, nec sapientiora ille facere potuit, quam quæ in me ipse fecit, dum scilicet hominem Verbo vniuit, vt idem sit factor, qui & factura, filius meus IESVS, super omnia benedictus Deus, qui ad omnium salutem est factus: sed æterna dispositione, & immensa mea dilectione facta sunt ad meam gloriam singularem. Attende, quod subtiliter loquendo, beata Virgo summam humilitatem tenuit: nam quod ipsa fuerit potens Dei filium generare, & talia recipere, non suæ virtuti attribuit: sed ei, qui potens est, qui suam potentiam in humilitate Virginis voluit

Quod natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recepit.

Quomodo generationes beatam prædicent Mariam Iudith.

Emphasis huius dictionis ecce.

Magna mirum Dei dignitas.

Magna quæ Virgo accepit exprimi non possunt.

Virgo summam tenuit humilitatem.

honorare Et quod ipsa sic sanctissima fuerit, vt genuerit ipsum sanctum sanctorum, non suæ virtuti attribuit: sed sanctitati illius, qui nomen sanctum suum manifestare voluit, dum mulierem, quæ caput peccati fuerat, sic plenissime expurgare voluit, vt genitrix fieret omnis sanctitatis in omnia vasa gratiæ diffundendæ. Et hoc totum importat, cum dicitur: *Qui potens est & sanctum nomen eius.* Quasi dicere velit: Cum fœmina sit omnium creaturarum rationabilium vilissima, & tota infecta immunditia: qualis ex me fuissem, nisi me ipsius gratia præseruasset, *ideo fecit in me magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*: quia nunquam ista magis decenter manifestare potuit, quam quando mulierem super omnem creaturam exaltauit, & ipsam matrem omnis gratiæ, & munditiæ per suam sanctitatem effecit.

Fœmina ex se vilissima.

Quomodo B. Virgo Maria gratias agit de beneficiis Angelis & hominibus misericorditer datis.

Cap. II.

SEcundo beata Virgo gratias agit Deo de beneficiis generalibus. Et primo de beneficiis misericordiæ, secundo de beneficiis iustitiæ, tertio de beneficiis misericordiæ & iustitiæ. Primo inquam regratiatur Deo de beneficiis misericordiæ. Vnde ait, *& misericordia eius*, scilicet inchoata in mea progenie primi honoris in progenies filiorum hominum, scilicet dilatabitur, id est, in omnes progenies mundi, quas in spiritu credituras præuidit. Vna siquidem fuit hominum prima progenies, quæ deinceps in multas progenies diffusa est, & ab omni alia distincta erat progenies Iudæorum, duntaxat vnius Dei cultum tenentium, quibus primo credita sunt eloquia Dei, ad Israelitas oues primo Dei filius missus erat, vt eis prius, deinde omnibus misereretur. Nam & Oseæ 1. c. Dominus ait, quod etiam Apostolus ad Rom. 9. c. commemorat dicens: *Et vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.* Et ad Rom. 11. c. *Conclusit enim Deus omnia in credulitate, ut omnium misereatur.* Et Sap. 11. c. scriptum est: *Misereris omnium, quia omnia potes*, sequitur, *Et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* ergo sicut Propheta inquit, *Et misericordia eius ab æterno vsque in æternum*: non passim tamen, sed timentibus eum: quia profecto Spiritus sanctus fugit superbum, & *requiescit super humilem & mansuetum & trementem sermones eius.* Isa. 66. Propterea Virgo beata subdit: *Timentibus eum.* Nullus profecto excluditur à misericordia Dei, nisi qui Dei misericordiam per impœnitentiam à se excludit. Altiori tamen intelligentia dicere possumus, quod beata Virgo in altissimo lumine contemplationis vidit per merita sua post filium suum plurimum profuisse sanctis Angelis in gratificatione & glorificatione eorum, cum in fide & meritu conciliatoris Dei hominum, & Angelorum de Virgine nascituro videbant se Angeli gratificari à Deo. Ad hunc igitur intellectum loquitur beata Virgo, cum ait: *Et misericordia eius à progenie* Angelorum *in progenies* hominum, tamen de vtrisque subiungit dicens, *Timentibus eum*, sicut infra patebit. Secundo Virgo beata gratias agit Deo de beneficiis iustitiæ. In altissimo quippe lumine, sicut prædictum est, intellexit beata Virgo, quod Dei dona sic electos illuminant, viuificant & in Deum transformant, quod reprobi ex eis maiora iudicia sibi ex sua induratione & obstinatione, atque ingratitudine diuinæ seueritatis accumulant. Proinde magna electorum dona, vt plurimum sunt excæcatio reproborum, maxime illorum, qui de sua præsumentes iustitia in suis operibus gloriantur.

De quibus beneficiis generalibus agit gratias Virgo.

Israelitis primo credita sunt eloquia Dei.

Ose. 1.

Rom. 9.

Rom. 11.

Sap. 11.

Psal. 99.

Isa. 66.

Virgo gratias agit Deo de beneficiis iustitiæ.

Ioan. 9. *Luc. 2.*

Propterea Dominus Ioan. 9. cap. ait: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.* Et Simeon Luc. 2. cap. ait: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Hunc ergo processum sacra Virgo illuminata contemplans, postquam sublimissima dona misericordiæ Dei in electos, tam Angelos, quam homines timentes eum, diffusa & diffundenda expressit, ad Dei generalia iudicia super reprobos se conuertit, & cursum prouidentiæ Dei in regimine creaturæ rationalis describens, quid dæmones superbi, vel homines mereantur, exponit. Et quia Christus post strenuitatem virtutum, supra quam dici potest operatus est Dei patris honorem, non tantum per misericordiam sanctificando electos, tam Angelos, quam homines: verumetiam per iustitiam expugnando reprobos. Ideo hoc exprimens ait: *Fecit potentiam in brachio suo.* Vulgaris quidem vsus loquendi hoc habet, quod cum magnum aliquid quis fecit in hostem, vt virtus ad brachium referatur. Sed non sunt hæc verba Spiritus sancti per os Virginis deprompta in angustum leuiter includenda. Altè, latéque diffundi possunt & debent, hoc quippe brachium, quod beata Virgo commemorat, in quo Deus suam potentiam fecit, æterni, patris æternus filius est; in tempore filius Virginis factus, qui merito propter tria Dei brachium nuncupatur.

1. Propter creationem.

Primo propter creationem, secundo propter conseruationem, tertio propter expugnationem. Primo propter creationem. Nam per brachium homo operatur. Sic pater per filium vniuersa creauit, Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

Ioan. 1. *2. Propter sustentationem.* *Hebr. 1.*

Secundo propter sustentationem, seu conseruationem: quia homo in brachio sustentat. Sic pater in filio suo, Hebr. 1. c. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.*

3 Propter expugnationem. *Psal. 76.*

Tertio propter expugnationem, quia cum brachio homo pugnat & vincit: sic pater vincit & pugnat per filium suum, vnde Propheta inquit, *Redemisti in brachio tuo filios Iacob, & Ioseph,* id est electos de Iudæis & gentibus, hoc est omnes nationes, quæ saluæ factæ sunt. Ait enim filios Iacob, id est circumcisionis, & filios Ioseph, id est præputij. Ioseph enim augmentum interpretatur, & ad gentes in Ægyptum iuit: propterea per eum gentes significantur.

Ioseph augmentum interpretatur.

Per hoc enim brachium pater expugnauit diabolum, captiuauit infernum, subiugauit mundum. Merito ergo Virgo beata inquit, *Fecit potentiam.* Ad maiorem certitudinem præteritum ponit, vel de Angelorum loquitur casu, *in brachio suo,* id est in filio suo: non solum potenter & strenuissimè operatus est, sed etiam emphatice, potentiam fecit, quia *dispersit superbos mente cordis sui,* in quo superbiam præsumptuosam omnium reproborum ostendit nomine mentis, qua se ceteris excellentiores existimant, & Deo semper humilitatis reuerentiam non inclinant. Ostendit etiam affectuosissimam, ac per hoc malitiosissimam iniquitatem, quia ex præcordiali affectu honoris proprij seipsos contra Dei præceptum extollunt. Præterea, inquit, *Cordis sui,* in corde quippe est sedes sanguinis & caloris, ac per hoc affectualis amoris. Vnde per hoc ostenditur, quod sunt proprij amoris maximi amatores. Vel aliter dici potest, *Dispersit superbos.* Dispersit, dico *mente cordis sui,* id est, secundum suum beneplacitum, cui profecto nemo resistere potest, vt in hoc contra superbiam affectus diuinæ vindictæ insinuetur, iuxta Propheticum illud, *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum,* id est, Luciferum, quem eiecisti de paradiso, non vulneratum, quia non habebat corpus. Sed sicut vulneratum, quia habebat spiritum.

Psal. 88.

Et sequitur, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Qui enim sunt inimici Dei, nisi dæmones, atque homines, qui eius mandata contemnunt, & eius imperium paruipendunt? Dæmones quippe dispersit, quando eos cum Lucifero damnauit. Superbos autem homines aut humiliat, aut damnat, & sic dispersit eos. Tertio beata Virgo gratias agit Deo de beneficiis iustitiæ, & misericordiæ simul. Vnde subiungit dicens, *Deposuit,* scilicet Christus, *potentes,* scilicet dæmones, *de sede.* Ecce effectum iustitiæ. *Et exaltauit humiles,* scilicet Angelos, qui Christo se humiliauerunt, & Virgini benedictæ, sicut declaratum est serm. 60. de Christiana religione. Ecce effectum misericordiæ ad Dei quippe iustitiam pertinet ad ima deponere, qui nequiter sublimia petunt, & etiam ad eius misericordiam pertinere videtur exaltare humiles, tenentes virtutem perseueranter.

Virgo agit gratias de beneficiis iustitiæ & misericordiæ simul.

Iob. 5.

Hinc Iob. 5. c. scriptum est. *Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate.* Pro humilibus quidem dicta sunt hæc. Sed de depositione superborum potentium, & exaltatione humilium. Ecclesi. 10. c. clarius scriptum est. *Sedes ducum superborum, destruxit Deus & sedere fecit mites pro eis.* Et hoc ad Angelos pertinere potest. Et sequitur. *Radices gentium superbarum arefecit Deus & plantauit humiles ex ipsis gentibus.* Et hoc ad homines referri potest. Et Dominus, Luc. 14. c. hoc etiam iterauit dicens. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.*

Eccle. 10. *Deus deponit superbos & erigit humiles.* *Luc. 14.*

Hoc, quod Beata Virgo subdit, ad solos homines referatur. Vnde ait, *Esurientes impleuit bonis.* Ecce misericordia. Esuries hæc, non corporis, sed animæ rationalis est, quæ esurit deuenire in verum & optimum. Cum enim animæ rationali fuerit gratia data, in amphora tendit esuries eius, vt etiam impatienter appetat liberari à vitiis, inhærere virtutibus, & pœnis meritatis etiam mortem appetere non desistat, & semper subiaceat laboribus quousque obtineat, huiusmodi esurientes, qui potens est, impleuit bonis. Abhorret enim vacuum ipsa natura, sed terrenis vacui cælestibus replebuntur. Nondum natus erat IESVS, & iam mater illum gestans in ventre prædicabat, quod ipse post prædicaturus erat. Nam postea Matth. 5. cap. ait. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et propheta iterum ait. *Animam esurientem satiauit bonis.* Merito enim anima incessanter desiderans bona, ipsis bonis replenda est. Quod quidem semper facit ille, qui potens est, qui etiam nouit quanto desiderio anima ad virtutes eleuetur. Hinc etiam Propheta ait, *Qui dat escam esurientibus.* Escam, scilicet virtutum, quæ animas alit & escam corporis & sanguinis sui, quam omnibus fidelibus præparauit. Porro hoc proprium habet virtus & bonitas atque sapientia Dei, quod post esum iterum esuries sequitur, & gustata desiderium accendunt. Sic per sapientiam, Ecclesiast. 24. cap. dictum est. *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Arguit profecto in anima esse virtutem ad ipsum desiderium amplius inardescens.

Matth. 5. *Psal. 145.* *Ecclesi. 24.*

Qualis autem sit saturitas superborum & reproborum ostendit B. Virgo, cum subdit: *Et diuites dimisit inanes.* Ecce iustitia. Et merito relinquuntur inanes, cum anima transitoriis satiari non possit. Huiusmodi est diues, cui à Christo Apoc. 3. cap. in septima Ecclesia dictum est. *Et dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Ecce triplex arrogantia spiritualium gratiarum. Qui enim de propria iustitia in se confidit, attribuit sibi diuitias sapientiæ dicens, *quia diues sum.* Præsumit de loculis & thesauris iustitiæ. Vnde addit, *Et locupletatus.* Nec virtutis sibi abesse existimat sufficientiam, quia vana gloria excæcatus propriam non agnoscit infirmitatem, ideo inquit, *Et nullius egeo.* Ecce, quomodo iste diues erat in conspectu suo. Sed attende, quomodo talem diuitem Deus dimisit inanem. Subditur enim, *& nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus.* Triplicem siquidem arrogantiam tripliciter dimittit inanem. Primo enim arrogans existimat se diuitiis sapientiæ copiosum. Vnde, quomodo Christus dimittit inanem, quia inquit, & nescis quia tu es miser. Ille profecto miser est, qui est omnibus diuitiis

Anima transitoriis satiari non potest. *Apoc. 3.*

etiam

etiam naturalibus euacuatus. Proinde arrogans veriſſime miſer eſt: quia nec etiam ſenſum naturalis ſapientiæ habet: quod ſcilicet defectus ſuos perpendere valeat. Et de talibus Rom. 1. cap. dictum eſt: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Secundo arrogans dicit ſe locupletem, id eſt loculos multorum meritorum apud Deum habentem. Et Chriſtus dimittens eum inanem, econtra eum miſerabilem dicit. Profecto miſerabilis eſt ille, cuius tanta eſt miſeria, vt ei cæteri merito condoleant. Et ſpecialiter, cum omnia quæ ſibi exiſtimat profutura in ſuæ calamitatis conuertuntur augmentum. Sic eſt arrogans: Nam etiam ipſa bona, quæ facit, conuertuntur ſibi in culpam. Non enim debito fine facit bona, quæ operatur, quia ad propriam, non ad Dei gloriam refert illa. Vnde ad talem, Matth. 6. cap. Dominus ait. *Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Si enim in arrogante lumen bonorum operum, quo ipſe & alij per eum illuminari deberent, ſunt tenebræ peccatorum, id eſt bonum, quod facit, ſit peccatum: ipſæ tenebræ, id eſt opera, quæ de ſuo genere ſunt peccata, quanta, id eſt quam grauia erunt quam grauia ſiquidem ſunt arrogantis culpæ & peccata, cum ſibi etiam meritoria opera ſint peccata. Tertio arrogans dicit ſe nullius egere, id eſt per ſe ſibi ſufficientem eſſe. Vide, quomodo Chriſtus dimittit ipſum inanem dicens, eum in nullo ſufficientem eſſe, vel ſufficere, cum ſit pauper, cæcus, & nudus. Pauper neceſſariis, cæcus luce & directione, nudus veſtimento eget. Vnde & ij in neceſſitatibus ſui cito pereunt. Pauper fame, cæcus viarum periculis, nudus frigore, niſi ei pro miſericordia ſuccurratur. Eo ergo infelicior eſt ſuperbus, quia Dei miſericordiam non meretur, qui non Deo, ſed ſibi ipſi innititur. Vnde & vane glorioſus proprie Deum impugnat, qui in hoc vult ſibi ipſi ſufficere, quod ſolius Dei eſt præſtare & diſpenſare. Vnde & Deum ſeipſum facit, qui ex ſeipſo abundare quærit. Merito ergo ei Deus panem vitæ & intellectus aufert, vt ſpirituali fame defectu virtutis laboret. Aufert ſibi directionem ſuam, vt innumera pericula peccatorum & pœnarum incurrat. Nec veſtimentum honeſtatis vitæ concedit, vt in omnibus ſe inſufficientem inueniat, ſc. ad intellectum veri, ad electionem boni, & ad iuſtitiæ executionem, qui ſe nullius egere dicebat. Ecce quomodo, Deus diuites dimiſit inanes.

Rom. 1. — *Matth. 6.* — *Infeliciſſimus eſt ſuperbus.* — *Miſeria ſumma ſuperbi.* — *Pœna & ſupplicium ſuperbi.*

Quod Beata Virgo gratias agit Deo de beneficiis Incarnationis Filij Dei.

CAP. II.

Virgo gratias agit Deo de beneficiis ſingularibus.

TErtio beata Virgo gratias agit Deo de beneficiis ſingularibus, quæ omnia comprehenduntur in aſſumptione humanæ naturæ à filio Dei, quaſi dicat. *Ita fecit mihi Deus magna*: ita miſericordia ſua ad omnes gentes dilatata eſt, atque rectitudo iuſtitiæ ſuæ in reprobos eſt diffuſa, quod ad hæc complenda, *ſuſcepit Iſrael puerum ſuum*, id eſt, populus fidelis ſuſcepit filium ſuum IESVM incarnatum & paruulum ſicut Iſa. 9. c. ſcriptum eſt: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*, vel Iſrael, id eſt, Iudaicus populus, ad quem primitus miſſus eſt, quia ei primo promiſſus erat. Vnde ſubditur, *Recordatus miſericordiæ ſuæ*, ſcil. Iudaico populo iam promiſſæ. Vel aliter & melius dici poteſt: vt Iſrael ſit caſus accuſatiui hoc modo: *Suſcepit*, ſcil. Dominus per incarnationem Iſrael, *puerum ſuum*, id eſt populum Iudaicum vel fidelem, hoc eſt naturam humanam: vel, *ſuſcepit Iſrael puerum ſuum*, id eſt aſſumptum hominem IESVM puerum diuinitatis: vel diminutiuè appellans, eo quod ei in ſua humilitatis obſequioſitate ſeruiuit. Hunc autem dicit ſuſcepiſſe Deum, quia illum perſonaliter ſibi vniuit:

Iſa. 9.

& tunc vere Iſrael fuit, quia vere diuinitatem vidit, & ea fruitus eſt. Poteſt etiam dici tota multitudo electorum vnus puer Dei, propter reuerentiam humilitatis, & vnionem charitatis, quæ in ipſo IESV ſuſcipitur per adoptionis gratiam: & fit Iſrael per viſionem beatam. Quod quidem intelligens ſacra Virgo in Chriſti merito immobiliter eſſe factum, quod tamen futurum erat in populo electorum iubilans iam intonuit complementum. Præterea inquit, *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*: quia in gratia mei conceptus iam eſt electorum numerus adoptatus. Et hoc fecit *recordatus miſericordiæ ſuæ*, non iuſtitiæ noſtræ. Quia quod redemit hominem, non fuit ex merito hominis, ſed ex dono diuiniſſimæ pietatis. Suſcepit igitur humanam naturam pius IESVS, ſuſcepit & cauſam noſtram, per miſericordiam terminauit ſententiam, & per amoroſiſſimam mortem ſuam plenam Dei iuſtitiæ emendam. Sed quia vſque ad plenitudinem temporum expectauit, quodammodo videbatur pater oblitus mittere filium ſuum: tamen recordatus eſt tandem miſericordiæ ſuæ per effectum operis ſui. Et quia hoc altiſſimum & mirandum beneficium fuit ſanctis Patribus repromiſſum, & maxime Abraham & ſemini eius, & per Prophetas prædictum: ideo ſubdit, *Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham & ſemini eius in ſæcula*, quibus facturus talia repromiſit. Et in his compleuit beata Virgo Canticum ſuum, plenum laude, plenumque actionibus gratiarum Dei, miſericordiam, atque iuſtitiam pleniſſime monſtrans.

Redemit Chriſtus hominē non ex merito hominis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De tribus vltimis verborum flammis Virginis benedictæ.

TErtio ſubdamus tres vltimas Virginis flammas, in tribus vltimis verbis ſuis oſtenſas.

De triplici generali guſtu diuini amoris quem experta fuit beata Virgo.

CAP. I.

Quinta flamma amoris ſaporantis.

PRimo ponamus amoris Virginis quintam flammam, quæ eſt amoris ſaporantis. Nam huiuſmodi amoris eſt, intimè guſtare & ſaporare, & diſcretiuè diſcernere varios ſapores amati, ſiue varias proprietates ac differentias diuini ſaporis. Duorum ſaporum genera profecto continet in ſe Chriſtus, quæ omnes alias diuerſorum ſaporum differentias in ſe concludunt. Primus eſt ſapor dulcoris, ſecundus eſt ſapor doloris, ſeu amaritudinis. Et hi continentur in quinto Virginis verbo, Primus eſt ſapor teneriſſimi dulcoris, quem quantum Beata Virgo guſtauerit, oſtendit principium quinti verbi ſui, in quo ſub admirabili hauſtu, & ſub mira ſingularitate teneriſſimi dulcoris, vocauit Ieſum filium ſuum dicens Sedenti in templo inter Doctores, *Fili quid feciſti nobis ſic?* In nullo enim alio Scripturæ loco legitur eam vocaſſe filium, niſi in hoc quinto verbo. Filius enim à filos, quod eſt amor, denominatur, & in ore matris guſtum gerit teneriſſimi, ac præcordialiſſimi dulcoris: & maxime, quando eſt tanta ac talis, quanta eſt filiatio Dei. Porro omnis amoris ſignum ſuperatur, in hoc verbo, fili. Lingua profecto in amore plus nequit dicens, fili. Nihil in amore breuius, nihil efficacius ad proferendum. Cum dicitur fili, tota commouentur viſcera matrum, cum prolem nomine filiali denominant. Non potuit amplius Virgo mater continere affectum, cum in verba expreſſiui amoris erumpit; non aliunde ipſum denominans, niſi quod ipſe ſit filius,

Primus ſapor dulcedinis eſt.

Luc. 2.

ipsa mater, nullam loquendi copiam plus apponere valuit, quam filiale nomen. Et addit, *Quid fecisti nobis sic?* Non increpantis, sed admirantis est verbum, vt mysticè, innuatur, quod cum sponsus ab anima abest, intelligentia admiratur in tali exercitio ordinem sapientiæ Dei, nec comprehendere potest altissimos modos sponsi in absentia, & reditione sua, semper tamen multiplicitet amorosos. Hanc autem admirationem quodammodo voluit sapientia Dei Christus matrem suam experiri, & verbis propriis Virgini demonstrare, tanquam promotor matris & exercitator in via amoris. Secundus est sapor doloris seu summæ amaritudinis, quam cum amorosissimo dolore explicat pia mater, cum inquit: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Defert humilis Virgo viro, quem in loquendo præponit séque præposterat: quoniam omnium bonorum meritum, atque virtutum est norma, vt mulieres suis deferre maritis discant, non tantum in aliis, sed etiam in sermone: mysticè enim gustus iste afflictiuus est amarus, & exercitatiuus, ac meritis promotiuus in aliquolo discessu amari ex perditione dilecti, quo anima tota ab ipso dependens quiescere non potest, semper zelotypa, ne ex aliqua culpa discedat. Ex quo sequitur quod circuit quærens dilectum, ab omni creatura petit auxilium, vt inueniat quem diligit affectio, alias anima sua. Hunc dolorem fuisse in ea vertuosissimo modo mater ostendit, cum ait: *Dolentes quærebamus te.* Et quia sanctissimus Ioseph horum gustuum particeps fuit, ideo Beata Virgo vocat eum singulariter Christi patrem. Licet autem sacratissima Virgo non indiguerit in talibus exerceri, quæ ab instanti conceptionis filij Dei superplena fuit Spiritu sancto: tamen propter nostrum exemplum rationabiliter fecit Iesus sic se habendo ad eam, vt mysticè ostendatur, quantum proficit anima in tali experientia doloris de dilecti absentia, & inquisitione solicita. Nam semper copiosiori dulcedine redit dilectus ad animam, nisi negligentiæ culpa reddat eam indignam. Proinde reinuento Iesu B. Virgo singulariter exprimit tenerrimum filiationis, & huius amoris gustum, dicens, Fili. Hos duos amoris gustus expertus est vas electionis Paulus, quod ostendit, cum ad Phil. 4. c. ait: *Scio abundare*, scilicet spiritualibus consolationibus: *Et penuriam pati*, scilicet in absentia earundem, & perpessione aduersitatum. Et 2. Cor. 1. c. ait: *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra quæ facta est in Asia: quoniam supra modum*, scilicet consuetum, *grauati sumus*, supra virtutem, scilicet naturæ, non gratiæ, *ita vt tæderet nos*, scilicet quodam tædio naturali. Ambrosius, ita vt desperaremus quadam naturali diffidentia *etiam viuere*. Constat autem, quod maius est æqualem molestiam sustinere ex solo robore habitus virtuosi, & conatuum voluntatis habituatæ per eum, quam facere hoc cum aliquibus aliis adiutoriis habitui, & voluntati assistentibus. Non enim videtur, tunc Apostolum habuisse in patiendo aliquod adiutorium immissionis spiritualium suauitatum, atque dulcorum. Nam, vt plenius probaretur robur virtutis, videtur Deus cessasse à talibus spiritualibus immissionibus. Sic quoque in Christo tempore passionis nulla redundantia gaudij fiebat ab habitu, & actu gloriæ suæ in naturam, quæ tunc patiebatur, ita quod aliqualiter mitigaret suæ passionis acerbitatem. Quod apertius hoc sonat verbum quod Dominus Matth. 27. c. ait: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quasi dicere velit. Sic propter amorem humani generis passionibus, & contumeliis mortis opprobriosè à te traditus sum, vt quasi illius beatæ vnionis, & immobilis communionis, qua in Dei supposito ista dolorata natura inserta est, tu pater zelo iustitiæ videaris oblitus. Ex quo patet quod summum culmen patientiæ est sine immissione consolationum spiritualium patienter pati magis, quam cum ipsis immissionibus tolerare: atque perfectius est in passionibus consolationum penuriam pati, quam consolationibus abundare.

Quid dum sapor doloris est. *Luc. 2.* *Absentis sponsi inquisitio.* *Absens in sponsi ardentiores nos reddit.* *Ad Phil. 4.* *2. Cor. 1.* *Matth. 27.* *Quodnã est culmen patientia.*

Quanta charitate compatiebatur Virgo Beata indigentiis, & miseriis nostris.

Cap. II.

Sexta flamma est amoris cõpatientis.

SEcundo subdamus Beatæ Virginis sextam amoris flammam, quæ est amoris compatientis. Cuius amoris natura est pia passione sentire defectus duplicis gustus, de quibus in præcedenti capitulo dictum est, atque portare anxiæ spiritualis Christi lætitiæ, & melodiæ defectus, & multo amplius condolere multitudini peccatorum & defectibus, qui sunt in miserandis statibus huius vitæ. Sicut enim post duas primas flammas amoris, quibus rectè ascenditur in dilectum, sequitur tertia, quæ impressiua est in dilectum: sic post duas reliquas, scilicet quartam & quintam, quibus iterum directè proceditur in dilectum, sequitur sexta, qua spiritualis vini defectus in mundo regnans compassiuè sentitur, & dilectio insinuatur. Hoc est igitur illud verbum admirandæ compassionis, & pietatis, quod dulcissima mater Christi, & aduocata nostra, & in terris, & in cœlis pro nobis miserabilibus, & infirmis tanquam pia mater pro filiis suis vndique deplorandis dicit dilecto primogenito suo, *Vinum non habent.* Non quidem vt nos accuset, aut nobis improperet, sed potius vt Christum ad piam miserationem erga nos inducat: & vt nobis impetret vinum optimum & copiosum diuinorum saporum, & ebrietatum, atque omnium virtutum, quæ nobis sunt necessariæ ad salutem. Cum enim in vino sit splendor, dulcor, calor: splendor coloris, dulcor saporis, & calor vigoris, quæ omnia tolluntur ab aqua, voluit mysticè ostendere prudentissima mater pijssimo filio suo Iesu: quod claritatem cognitionis suæ personæ, & dulcorem refectionis diuinitatis æternæ, & vigorem sublimitatis eius potentiæ non nouerat mundus: Proinde supplicabat, quod intellectum squallentem illustraret, affectum desipientem immutaret, & effectum deficientem roboraret. Hoc est quod talia opera faceret, quod illuminaret ad fidem, erigeret ad spem, & accenderet ad charitatem. Nouerat Virgo mater omnem creaturam subiacere defectui, ab inopia expugnari, debitam non habere lætitiam, turpissimis subiacere pudoribus, atque ex defectu veri boni confundi, dum in perfunctoriis mundi, quasi in nuptiis delectatur, quamobrem intercessit ad filium Dei, *Vinum non habent.* Non faciens ipsarum memorem, qui omnia nouit: sed interpellans Virgo mater locuta est, ac si ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominum aduocatam se sentiens, quæ pro omnibus creaturis cunctorum facta fuerat Virgo mater, officium aduocationis, & piæ auxiliatricis assumpsit, cum videret inopiam, ac si opus non sit eam precibus excitare, quæ omnem oculum pietatis suæ in nos direxit, ac præsciens indigentiam nostram, & se cunctorum hominum matrem pietatis agnoscens sollicita pro filiis irrequisita etiam ad Dei filium intercessit dicens, *Vinum non habent.* Si hoc non rogata perfecit? Si hoc viatrix existens, quid cum regnat in patria? Si hoc apud filium temporali morti subiectum, quid cum mortem superauit? carnem immortalem reuocauit à tumulo, collocauit in cœlo, paternam sedet ad dexteram, tenens imperium vniuersorum? Porro tam fuit miræ efficaciæ, & virtutis hoc breue verbum apud dilectum filium suum Iesum, tantumque impetrauit dilecto suo Ioanni Euangelistæ, quod de nuptiis ad continentiam virginalem, & ad summæ contemplationis apicem est perductus, ita quod sicut in tertia flamma,

Virgo impetratiua. *Defectus creaturæ rationalis.* *Virgo quasi omnium curam gerens.* *Verbũ Virginis efficacissimũ est.*

&

& verbo Ioannes Baptiſta mirabiliter in matris vtero ſanctificatus eſt: ſic in ſexta & ſeptima ad Chriſti ſpirituales nuptias Ioannes Euangeliſta perductus fuit.

Quantum Beata Virgo nos hortatur ad obedientiam omnium, quæ ſunt Dei placita & mandata.

C A P. III.

Septima flamma amoris conſummans. TErtio, & vltimo ponamus Virginis glorioſæ ſeptimam flammam, quæ amoris conſummantis nominari poteſt. Exigit enim ordo diuinæ gratiæ, vt nos in noſtrorum defectuum ſuppletionibus benedictæ Virginis matris precibus coopeſemur. In quo quidem à ſuperioribus informari, & incitari egemus, ideo ſubditur ſeptima amoris flamma, quæ non eſt ſolum in ſe, ſed etiam in omnibus alijs pro viribus niti non ſolum perficere, & perfecte implere omnia Chriſti præcepta, verum etiam omnia eius conſilia, verba & nutus: quia etiam ipſi Chriſti nutus, & geſtus, & actus, ſunt quodammodo eius verba. Et hoc eſt quod Beata Virgo miniſtris, vt vinum à Chriſto obtineat, edocet dicens: *Quodcunque dixerit vobis*, ſcilicet filius meus Ieſus, *facite*, ad literam. Tanquam vtique certa, quod Chriſtus faceret quod ipſa petebat. Videtur quoque in ſpiritu præſenſiſſe de modo fiendi miraculi, vtpote quod Chriſtus iuberet miniſtris aliquid per eos fiendum. Præterea dicit eis: *Quodcunque dixerit vobis, facite*. Myſtice autem aduertendum eſt, quod quomodo Apoſtolus Rom. 13. c. ait: *Plenitudo legis*, id eſt, plena adimpletio legis, *eſt dilectio*, & quomodo, iuxta illud Matth. 22. *In his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ*: quia, ſcilicet in dilectione Dei, & proximi vniuerſa Scriptura impletur. Sic in hoc vltimo Virginis verbo, & vltima flamma amoris incluſum, & cõprehenſum eſt omne, quod continet tota diuina lex & vniuerſa eloquia Dei. Proinde omnibus ait: *Quodcunque dixerit vobis facite*, id eſt, obedite voluntati diuinæ, neque abſque admirando lumine ſapientiæ Dei Virgo Beata ad obedientiam reduxit, quod & Dominus & Apoſtolus ad dilectionem legis plenitudinem ordinauit. Nam vt referam obedientiam, & amorem, immo dicam obedientiam, & charitatem, prout ab ipſo Deo primo conſtituitur nulla differunt ratione. Nam amor amato ſemper obſequendo ſubijcitur: & tanto ſubiicitur verius, quanto amat ardentius: & inhæret ſtrictius, cum obedit attentius. Profecto obedientia inſtituta, eſt charitas quæ negligentiam ignorat, inculpate obedit, poſſibilia omnia ſuſcipit, virtutes omnes diſponit, hoc iugum ſuauiter portat, inhæret tenaciter, ſuſcipit affectus immobilitatem, neſciens variari per multa, diligens vnum quamuis multa perficiat. Propter vnum deſideria coaceruat in vnum, homini vni vel pluribus ſe ſubiicit propter vnum, præcepta decem, vel duo reducit in vnum, vna in vno, vna ab vno, vt in æternum fruatur vno, & omnibus beatis in vno. Merito ergo Virgo beata omnibus inquit: *Quodcunque dixerit vobis, facite*, quia omnia quæ placita ſunt Deo, in obedientia adimplentur. Neque enim beatiſſima Chriſti mater hoc docuit, quod in ſeipſa primitus non perfecit. Proinde merito in hoc verbo conſummati amoris conſummationem accipiunt diſſimilia verba eius diuiniſſima. Quæ omnia imitati, & obſeruare nobis miſericorditer largiatur Beatæ Virginis filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto glorioſus, & triumphator viuit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Marginal notes: Rom. 13. — Matt. 22. — *Virgo ad obedientiam hortatur.* — *Virgo quod docet in ſe prius adimplet.*

IN FESTO PVRIFICATIONIS Beatæ Mariæ Virginis.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maximè continentur in hoc Sermone.

Qui eſt de Purificatione Beatæ Mariæ Virginis continet tres articulos, quorum vnuſquiſque tria habet capita.

Sermo X.

SVSCEPIMVS Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui. Pſal. 74. Iucunditatem huius diei feſti, fratres, facile Domino largiente ſentire poterimus, ſi magni muneris hodie nobis diuinitus præſentati deuotè myſterium recolamus. Porro ille, cuius expectatione in vniuerſo iuſtorum cætu totus anxiabatur orbis: Cuius deſiderio langueret ſponſus vltra quinque millia annorum: Cuius patrocinio humanum genus ſperabat ab inferis liberari, in ſacro Annunciationis die caro in vtero Virginis factus eſt, quod quidem percipiens læta eſt Sion, *& exultauerunt filiæ Iuda*. Non tamen hoc gaudium humano generi plenum fuit: Tranſit nouem menſium tempus, *mediaque nocte clamor factus eſt, Ecce ſponſus venit.* Lætata audiuit hoc humana natura, & in paſtoribus exultauit, videns quod *Verbum caro factum eſt*, & venit habitare nobiſcum neque tamen illum ſponſa, tunc ſuſcepit in poſſeſſione pacifica. Octauo puer circumciditur die: Iam incipiunt myſteria paſſionis: Iam patitur pro redemptione humana: Iam funditus ille precioſiſſimus ſanguis. Vagit infans Chriſtus in vlnis dulciſſimæ matris ſuæ. *Vox turturis*, inquit ſponſa, *audita eſt in terra noſtra: tempus putationis aduenit*, neque

Marginal notes: Pſal. 74. — *Chriſtus omnium deſiderium.* — Matt. 25. — Ioan. 1. — Cant. 2.

neque tamen sponsæ donatur sponsus. Veniunt Magi ab oriente, nouæ, & admirandæ stellæ præcedente fulgore: Adorant adoratione latriæ sponsum, apertisque thesauris suis mysticas ei munerum species obtulerunt: sed tandem relicto sponso *per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* (*Matth. 2.*) Sed hodie dilectissimi fratres: hodie inquam, in hac sacratissima die per manus amorosissimæ Virginis, tanquam à communi matre Saluatoris, & saluandorum in loco communi, id est, in sancto Dei templo communi personæ, videlicet sanctissimo Simeoni, tanquam authentico, & legitimo mundi procuratori, humano generi facta est donatio Iesu Christi Dei, & hominis, atque Ecclesia sponsa Dei in possessionem doni introducta est. Proinde in persona humani generis verbum propositum (*Psal. 74.*) Propheta ad Dominum iubilando ait: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* De hac igitur solemni donatione, Luc. 2. cap. & in Euangelio hodierno, triplex mysterium ponit. Primum est amorosissimæ subiectionis, secundum amorosissimæ donationis, tertium amorosissimæ exultationis.

Articvlvs Primvs.

Quomodo Christus pro nobis amorosissimè voluit se subiicere triplici legi sicut alij nati.

(*Amorosissima Saluatoris subiectio.*) PRimum mysterium est amorosissimæ subiectionis. Et de hoc Luc. ait, *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* In quibus sacratissimis verbis ostendit Lucas, quod Iesus triplici legi amorosissimæ se subiecit. Primo legi Purificationis, secundo legi redemptionis, tertio autem legi oblationis.

Quod amorosissimè, & humiliter se subiecit Iesus legi Purificationis.

Cap. I.

(*Leuit. 12.*) PRimo subiecit se legi Purificationis, de qua Leuit. 12. cap. in sententia scriptum est, *Quod mulier, si suscepto semine pareret masculum, esset immunda septem diebus,* & separata à consortio hominum. In die autem octauo deberet circuncidi puer: & inde vsque ad quadragesimum diem deberet mulier manere in sanguine (*Lex Purificationis.*) Purificationis suæ, abstinens se non à consortio hominum, sed tantum ab ingressu templi: & sic quadragesimo die offerebatur puer in templo, & munera pro eo offerebantur. Et huic legi se subiecit Christus in exemplum puritatis. Et quantum ad hoc ait Lucas, *Postquam impleti sunt dies*, scilicet quadraginta, *purgationis Mariæ secundum legem Moysi*, sicut prædictum est. Notandum est tamen, quod cum lex purgationis præfata non extenderet se, nisi ad parientem, quæ virile susceperat semen: & Beata Virgo non conceperit ex virili semine, sed obumbratione Spiritus sancti: Propterea non subiiciebatur legi Purificationis ex necessitate mundationis, sed diuina dispensatione hoc actum est. Præterea Bernard. hic ait: Putas dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset masculum immundam esse, nisi timueris super matrem Domini blasphemiæ crimen inferre? Et idcirco præmisit, *Si suscepto semine.* Et licet ad hanc legis Purificationem Beata Virgo non cogeretur, voluit tamen legis consuetudinem obseruare in exemplum mundissimæ puritatis, vt mysticè innuatur, quod postquam fecerimus quæcunque bona, dicamus, *serui inutiles sumus*, sicut (*Luc. 17.*) Luc. 17. cap. docet magister humilitatis Christus. Nam & fidelis anima primo concipit, deinde parit, tertio se debet reputare immundam. Primo inquam concipit desideria, sancta, scilicet, à spiritu diuini amoris. Vnde Isa. 26. *A facie tua*, id est, à (*Isa. 26.*) cognitione tui amoris Domine, *vel à timore tuo Domine*, secundum aliam literam, *concepimus.* Secundo parit bona opera, non sine difficultate tamen: proinde Ioann. 16. cap. Dominus ait: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius.* (*Ioan. 16.*) Sed tandem sequitur gaudium in conscientia de bono opere perpetrato. Vnde addit, *Cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Et ita de hoc sequitur in Isa. vbi supra. *Et quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.* Tertio post omnia supradicta debet se reputare anima immundam exemplo sanctissimi Iob, (*Iob. 9.*) qui de se in 9. cap. ait: *Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti.* Et sequitur, *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ tamen sordibus pulueris intinges me*, id est, intinctum ostendes me, propter subtilitatem visus tui, qui omnia nosti.

Quanto amore, & humilitate se subiecit Iesus legi redemptionis.

Cap. II.

SEcundo subiecit se Iesus legi redemptionis, de qua Exod. 13. cap. scriptum est: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis: mea enim sunt omnia.* (*Exod. 13.*) Atque determinat, quæ primogenita immolanda erant, & quæ mutanda, & quæ redimenda. Ideo Exod. vbi supra scriptum est: *Omnia primogenita hominis de filiis tuis pretio redimes.* Quod intelligendum est, exceptis Leuitarum primogenitis. Propter prædicta igitur Lucas subdit: *Tulerunt* scilicet Ioseph, & Maria *Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino*, id est, vt illum offerrent Deo, & consecrarent, & secundum legem redimerent, sicut scriptum est in lege Domini, scilicet Leuit. 12. & Exod. 13. Num. 18. atque Deuteron. 15. (*Leuit. 12. Exod. 13. Num. 18. Deut. 15.*) Supra quidem dixerat in lege Moysi, hic autem legem Domini nominauit: quia à Moyse est tanquam à latore, sed à Domino tanquam à datore, & auctore. In hac autem redemptione dedit Dominus exemplum profundissimæ humilitatis. (*Christi profundissimæ humilitatis exemplum.*) Quis enim non dignè miratur Christi humilitatem, quando pretio auium redimitur pretium omnium animarum? & quòd Redemptor noster redimitur, antequam nos redimamur ab illo? Vnde de ipsa redemptione Lucas ait: *Quòd omne masculinum adaperiens vuluam*, hoc est primo nascens. Loquitur enim consueto modo nascendi. Sed de Virgine Ezech. (*Ezech. 44.*) 44. cap. scriptum est: *Porta hæc clausa erit in æternum, & non aperietur, & vir non transibit per eam.* Sanctum Domino vocabitur, quia primogenita Domini reputabantur secundum quod Exod. 13. cap. scriptum est. (*Exod. 13.*) Vbi dicitur, *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Ac nominabantur sanctum, quia Domino offerebantur.

Quanta charitate, & humilitate se subiecit Iesus legi oblationis.

Cap. III.

TErtio subiecit se Iesus amorosus legi oblationis, (*Leuit. 12.*) de qua Leuit. 12. cap. scriptum est: *Cum expleti fuerint dies purgationis puerperæ, offerent pro filio, vel filia agnum agniculum in holocaustum & pullum columbæ, siue turturem pro peccato.* Et de hoc Euangelista subdit: *Et vt darent hostiam*, scilicet tulerunt eum in Hierusalem, hanc hostiam dabant pro puero redimendo,

do, secundum quod dictum est in lege Domini, quia *non venerat soluere legem, sed adimplere*, vt dicitur Matth. 5 cap. Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et in hac oblatione dedit nobis exemplum altissimæ paupertatis. Nam erat hæc oblatio pauperum, qui non sufficiebant offerre agnum. Proinde Beda inquit: Cum esset diues, pro nobis pauper factus est. Pauperum hostiam voluit dare, vt sua paupertate hic nos efficeret diuites in fide, & in futuro regni hæredes. Sed quare non obtulit Virgo Beata agnum, quæ paulo ante receperat à Magis in oblatione, sicut piè credendum est, non paruam auri quantitatem? Dicendum quod Virgo Beata pietatis mater, & paupertatis amica, thesauros Regum deuotione oblatos, absque mora liberalissima charitate regionis illius pauperibus dispensauit: Neque potuit manibus eius aliquid temporalis substantiæ adhærere, quæ iam intellexerat intellectu illuminato, & in omnibus signis filium paupertatis altitudinem demonstrare. Ad litteram etiam potest quæri: Cum vna oblatio sufficeret, scilicet aut turturis, aut columbæ, maxime pauperibus, cur posuit Euangelista vtrumque, scilicet secundum disiunctiuam ipsius legis, quæ inquit *Duos turtures, aut duos pullos columbarum?* Ad quod dicendum, quod ad hoc potest mystica responsio dari: Nam vtraque pars disiunctiuæ est Christo, & Virgini in mysterio decens. Primo enim ipsi obtulerunt sincerissimam castitatem, necnon solitariam, & gemebundam, ac suspitiosam contemplationem designatam in turture casta, solitaria, & gemitum pro cantu habente, secundo obtulerunt charitatem gregalem, domesticam, & fœcundam, & simplicem, atque mitem, necnon & perspicacem, & gratiosam simul, & gemebundam, quæ in columba signatur. In vtraque enim prædictorum est par propter corpus, & animam: iussit autem lex offerri columbarum pullos, quia in columbis ad esum pulli sunt potiores, grandes vero turtures ad idem sunt meliores, ad mysticè innuendum, quod in consimilibus, quod perfectius est, Deo sit offerendum: vel secundum Bedam, Columbam autem lasciuam in tali ætate pro Saluatore offerri decuit, in qua luxuriæ apta non fuit. Et de hoc etiam Bern. ait: Licet alias per columbam Spiritus sanctus soleat designari: quia tamen libidinosa auis est, non decet offerri in sacrificium Domini, nisi in ætate, quæ nescit libidinem. Turturis vero non designatur ætas: quoniam sicut turtur in quacunque ætate est casta: sic in quacunque ætate à Christo, & à matre castitas conseruata est.

Mat. 5.

Cur virgo non obtulit agnum.

Turture casta & solitaria vita designatur.

Quod perfectius est Deo offerendum.

Quod castitatem significat Deo offerendum.

Articvlvs Secvndvs.

Quòd triplex gratia concurrit, quando Christus in templo donatus est nobis, & Deo oblatus.

Secundum mysterium est amorosissimæ donationis. Et de hoc Lucas vbi supra inquit, *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo: & responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas.* Et subdit in Euangelio Lucas, *& dixit Simeon ad Mariam, matrem eius. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* In quibus sacratissimis verbis triplex gratia concurrens in hac donatione per ordinem demonstratur. Prima dicitur gratia eligens, secunda gratia disponens, tertia gratia condonans.

Luc. 2.

De gratia triplicis affectionis, qua repletus est Sanctus Simeon, quando venit pro nobis suscipere Iesum templo.

Cap. I.

Prima est gratia eligens. Porro regula firma est in sacra Theologia, quod quandocunque Deus per gratiam aliquem eligit ad aliquem statum, omnia dona illa dispensat, atque largitur, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiose decorant. Proinde electrix gratia, quæ hunc sanctum senem elegerat mundi procuratorem ad suscipiendum pro humano genere de manibus Dei, & Virginis filium Dei, præuenit animam eius, tantisque gratiis repleuit illam, quantis ad illud exequendum officium necessarium, & condecens ei erat. Triplici affectione ostendit Euangelista illum tunc fuisse repletum. Primo affectione timorosa, secundo affectione desiderosa, tertio affectione amorosa. Prima pertinet ad se, secunda ad proximum, tertia vero ad Deum. Primo enim repletus fuit affectione timorosa, quæ ad se pertinet. Præterea Lucas ait: *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* Profecto timoratus erat ex fide diuinæ iustitiæ. Proinde in iustorum operibus exercebatur, sicut Ecclesiastici 15. cap. scriptum est: *Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens est iustitia, apprehendet illam, & obuiabit illi quasi mater honorificata.* Et in 1. cap. iterum ait, *Initium sapientiæ timor Domini.* Secundo repletus fuit affectione desiderosa, quæ ad proximum pertinebat. Et de hoc subditur, *Expectans consolationem Israel*, scilicet à Domino per misericordiam obtinere, credens dicere posse cum Propheta, *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.* Quasi per inspirationem dictum fuisset ei: *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Tertio repletus fuit affectione amorosa, quæ erat erga Deum. Totus enim flagrabat ex amore, & desiderio Saluatoris. Præterea subditur: *Et Spiritus sanctus erat in eo*, sicut Ioann. 14. cap. promisit Dominus dilectoribus suis dicens: *Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, mansionem apud eum faciemus.*

Simeonis dona & gratia.

Luc. 2.

Eccl. 15.

Eccl. 1.

Psal. 39.

Psal. 26.

Ioan. 14.

De triplici reuelatione, qua illuminatus est Simeon, quando pro nobis venit suscipere Iesum in templo.

Cap. II.

Secunda est gratia disponens. Non enim solum Deus hunc per gratiam elegit mundi procuratorem ad suscipiendum filium suum: verum etiam per gratiam disponentem dotauit eum in iis, quæ conueniebant ad hoc officium exequendum. Præterea triplici lumine, seu reuelatione illustrauit. Nam primo cognouit gloriosum tempus, secundo gloriosum locum, tertio gloriosum donum. 1. obtinuit merito fidei 2. autem merito spei, 3. verò merito charitatis. Primo quippe merito fidei cognouit gloriosum tempus, scilicet aduentus Christi. Quia enim, iuxta illud Iacobi 1. *In fide postulaueras, nihil hæsitans.* Ideo secundum Augustinum in sermone de purificatione, hoc concessum est illi decrepito, quasi desideranti, & suspiranti, & dicenti in orationibus suis. Quando veniet? veniet quando nascetur? quando videbo? putas tantum durabo? putas me hic inueniet? per quem cordis oculi reuerberabuntur. Propterea in reuelatione illustratus fuit de tempore venturi Saluatoris. Vnde & Euangelista subdit: *Responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*

Triplici lumine illustratus Simeon.

Iacob. 1.

Domini, ſcilicet humanatum in natura noſtra, vt dicere poſſit propheticum illud: *Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.* Et iterum illud Iob. 19. cap. *In carne mea videbo Deum, Saluatorem meum.* Et Balaam Num. 24. eleuatus in ſpiritu ait: *Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſrael*, &c. Et ſubditur quod exclamans ait: *Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Dominus.* Cui alta voce reſponderi poteſt: Simeon iuſtus & timoratus, cui ex ſingulari priuilegio tempus, & etiam incarnatio filij Dei in ſpiritu reuelata fuit. Secundo autem merito ſpei cognouit glorioſum locum. Vnde amore flagrans à Spirituſancto agebatur in templum, proinde Bruno inquit: Dum hoc deſiderio æſtuaret, dictum eſt illi à Spiritu ſancto: Ecce adeſt, quem quæris, nunc eum videbis: ſurge, propera, feſtina, vade in templum. Ideo Lucas addit, *Et venit in templum*, vt ibi, ſcilicet inueniret Ieſum, iuxta vaticinium Malachiæ, qui 3. c. ait: *Veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis: & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* O quanto feruore accenſus in templum venit ſperans, & deſiderans amplexari, & oſculari Ieſum. Quanta putas fortitudine illum ſenem virtute indutum ex alto, cum in ſpiritu venit in templum? Iſa. 15. cap ait, *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* O Sancte Simeon ſenex veniſti quippe in ſpiritu in templum: ſed nunquid magnalia hæc tibi ſpiritus reuelauit? Nunquid noſti quale templum Domini, immo qualia templa Domini? Nam & mater Domini & filius ambo Domini templa ſunt. Noſti inquam qualia templa templum tuum ingrediantur. Planè noſti, quia reſponſum accepiſti à Spiritu ſancto non viſurum te mortem, niſi prius videres Chriſtum Domini. Tertio verò merito charitatis cognouit glorioſum donum, quod eſt Ieſus, propterea ſubdit Lucas: *Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo:* Tunc, ſicuti Bruno ait, occurrit ſenex, brachia extendit, & parentibus ait: Mihi eum date, mihi debetur, mei officij eſt, ad hoc miſſus ſum, huic ſum officio reſeruatus. Sed quomodo Simeon cognouit eum? Reſpondet Bernardus, quòd eadem gratia, qua venturum præuouerat, venientem cognouit. Quamuis enim plures offerrentur: tamen hunc ſolum ſecreuit à cæteris, vt cum Apoſtolo 1. Cor. 12. dicere poſſit: *Nos ſpiritum huius mundi non accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis: ſpiritus enim omnia ſcrutatur.*

Pſal. 117. — Iob. 19. — Num. 24. — Incarnatio Simeoni reuelata. — Malach. 3. — Iſa. 15. — V. Mater templum Domini. — 1. Cor. 12.

De admiranda ſolemnitate, cum qua donatus eſt nobis à Deo, & à Beata Virgine filius eorum Ieſus.

Cap. III.

TErtia eſt gratia condonans, quia auctoritate totius Trinitatis ratificatur inſtrumentum ſuæ donationis. Et hoc primo auctoritate legis data à Patre, ſecundo voluntate Filij, qui præſens fuit in natura aſſumpta, tertio inſpiratione Spiritus ſancti, qui noſtrum procuratorem ad hoc adduxit, quarto per manus Sacratiſſimæ Virginis, quæ Dominum & hominem ſicuti vera mater verè poſſedit, quinto in famoſiſſimo loco templi, ſexto tempore à tota Trinitate, à lege ſtatuto, ſeptimo Simeoni mundi procuratori ſolemniter facta eſt nobis donatio iſta. In tam ſolemni donatione aduerte, rogo, diligentiam, & ſapientiam procuratoris noſtri. Ante enim quàm filium Dei pro noſtra redemptione in poſſeſſionem à Virgine matre ſuſcipiat, pro nobis pacta ſalutaria firmat. Proinde ad Virginem ait: Dilectiſſima mater Dei, ſcio hoc tenebroſum ſæculum indigere exemplari vita, luminoſa doctrina, atque filij tui paſſione, & morte acerba. Si ergo tu tanquam theſauraria Dei mihi tanquàm mundi procuratori ex parte totius Trinitatis, & tui, vis mihi donare hunc filium Dei & tuum, deſideratiſſimè illum accepto, dulciſſimè illum amplector, ac humillimè Deo, & tibi gratias ago, ſi tamen hæc tria pacta mihi, tanquam procuratori intendis promittere & ſeruare, ſcilicet quod donetur mihi pro ſalute mundi. Primo ad laborioſam vitam, ſecundo ad laborioſam doctrinam, tertio ad laborioſam & acerbam mortem ſuam, & tuam. Quibus corde, ore & opere annuens Beatiſſima Vigo, & hoc firmato fœdere propriis manibus in Simeonis brachia filium porrigens humano generi donauit. Et tunc, ſicut Lucas ait: *Et ipſe Simeon*, ſcilicet inexpreſſibili lætitia cordis, & hilari vultu *accepit eum in vlnas ſuas.* O profunda humilitas Saluatoris, videtur diuina ſapientia obumbrari, diuina bonitas indigere, diuina maieſtas abbreuiari, videtur obumbrari ſapientia imbecillitate pueritiæ, quæ deſignatur in inductione. Ait enim: *Cum inducerent puerum Ieſum*, videtur indigere bonitas remedio legis, ſcilicet cum facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, offerendo eum, & redimendo. Videtur obumbrari, vel abbreuiari maieſtas, cum & ipſe Simeon *accepit eum in vlnas ſuas.* Vnde Bernard. Magna humilitas Saluatoris, qui loco non capitur grandi, in hominis vlnis portatur. Vlna autem dicitur pars brachij, quæ eſt à cubito vſque ad manum, à qua fortè vlna, pannorum venalium menſura, id eſt brachium nominatur. In quo myſticè datur intelligi, quod ad menſuram vlnæ iam noſtræ redemptionis pretium menſuratur. Accipiat igitur, vt dicitur Luc. 6. c. nous ſenex *menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſuperffluentem, quia poſuit Dominus iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura*, vt dicitur Iſa. 28. c. *Accepit ergo Ieſum in vlnas ſuas*, id eſt inter brachia, tanquam per Spiritum ſanctum indubitabiliter ſentiens, & cognoſcens, ipſum eſſe Chriſtum & Dominum ſummum, ſummique Dei vnigenitum. Vnde & fidem ſuam brachiis expreſſit in iubilo cordis. Et ſicuti Bruno ait: Mox ſenectus effugit, & iuuenilis vigor affuit, & fortitudo: & qui ſeipſum vix ferre poterat, nunc leuiter ferens puerum exultat. Cumque in vlnis eum iam firmiter poſſideret, authentica Scriptura fœdera confirmat dicens: Primo hunc filium Dei, & tuum volo ad laborioſam vitam: Ideo inquit: *Poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Ait enim poſitus eſt hic in ruinam, ſcilicet occaſionaliter. Et hoc quatuor generationum impugnantium eum. Primo naturalium Philoſophorum ſiue Paganorum, ſecundo peruerſorum hæreticorum, tertio ſtultorum Iudæorum, quarto falſorum Chriſtianorum. De quibus Zachar. vlt. cap. ſcriptum eſt. *Erit*, ſcilicet Chriſtus, *ruina equi & muli, cameli & aſini.* Primo per equum demonſtrantur ſuperbi Philoſophi, & Pagani gloriantes de ſapientia mundi, & fortitudine virium naturalium. Ad Rom. 1. *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Secundo per mulum, qui ab equo degenerat, hæretici denotantur: qui per diuerſos errores degenerant à generoſitate fidei orthodoxæ, de quibus 1. Ioan. 2. c. ait: *Ex nobis non erant: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Tertio vero per camelum Iudæi adhuc ruminantes, & muſſitantes in lege, & portantes gibbum duritiæ in dorſo cordis, denotantur: de quibus Propheta inquit, *Obſcurentur oculi eorum, ne videant & dorſum eorum ſemper incurua.* Quarto per aſinum, qui in ſcapulis crucem habet, & in poſterioribus debilis eſt & luxurioſus, mali Chriſtiani intelliguntur, qui ſignum Chriſti prætendunt in nomine, & ſignum Antichriſti gerunt in opere. De quibus ad Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Dominũ, factis autem negant.* Et addit, *Et in reſurrectionem multorum in Iſrael*,

Auctoritate totius Trinitatis ſi'ij ratificatur donatio nobis facta. — Profundiſſima ſaluatoris humilitas. — Luc. 6. — Iſa. 28. — Ieſus vlnis adauges. — Zach. vlt. Hæc auctoritas Zacharia explicatur. — Rom. 1. — 1. Ioan. 2. — Pſal. 68. — Ad Tit. 1.

Israel, sc. per causam. Et hoc quadrupliciter, secundum quatuor genera saluandorum resurgentium in praesenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Primo bonorum laicorum, secundo bonorum clericorum, tertio bonorum religiosorum, quarto bonorum praelatorum, de quibus Luc. 6. mysticè scriptum est. Luc. 6. *Mensuram bonam*, quoad laicos: *& confertam*, quoad clericos: *& coagitatam*, quoad religiosos: *& supereffluentem*, quoad praelatos, *dabunt in sinum vestrum*. id est in intellectum & affectum vestrum. Secundo hunc filium Dei & tuum accepto ad laboriosam doctrinam: & ideo subdit, *Et in signum, cui contradicetur*, quasi dicat Euangelium filij tui & praedicatio eius erit in signum salutis credentibus in eum, sicut Propheta inquit: Psal. 58. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*, scilicet extremi iudicij, vt liberentur dilecti tui. Nam & Iudaei & Christiani serui, & omnes impij contradicent doctrinae suae: sed vae illis. Nam sicut Isa. 41. Isa. 41. cap. scriptum est, *Peribunt viri, qui contradicunt tibi*. Tertio quoque accepto hunc filium Dei & tuum ad laboriosam & acerbam mortem suam & tuam. Et de hoc addit. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Quod tripliciter intelligi potest. Primo & tertio modo, quantum ad ipsam Virginem. Secundo autem modo, quantum ad Christum. Primo modo sic litera transponenda est, secundum glossam. Et tuam animam pertransibit gladius ipsius, id est dolos habitus pro passione ipsius: vel vt possessiuum resoluatur in primitiuum hoc modo: Et gladius, id est dolor Dominicae passionis, pertransibit tuam ipsius animam, id est tui ipsius. Vnde Bern. Christus in cruce carnem, Maria spiritum immolabat. Et Dama. ait: Dolores, quos effugit pariens, tempore passionis sustinuit. Secundo modo sic potest exponi, secundum Chrys. Et gladius, id est passio ipsius, pertransibit animam tuam, id est quam reputas tuam. Vel tertio modo. Tuam ipsius animam, id est quae est anima ipsius Christi per transformationem dilectionem, pertransibit gladius, s. dirae compassionis, quod exprimit, cum dicit, animam quam non potest materialis gladius pertransire. Vide igitur benedicta Virgo, quo foedere, quibusque conditionibus recipiam hunc filium Dei & tuum: Salutem mundi procuro, mundi procurationem exerceo, officium meum impleo. Vide tu, mater Dei, quid necesse sit officio tuo: fac tu, quod ego: fac & tu, quod tua interest: pro salute mundi ipsum à Deo suscepisti, pro mundo illum peperisti: vide ad quid huc venisti. Cui respondebit beata Virgo? Noui fidelissime procurator mundi, quibus egeat mundus, quare illum contulerit mihi Deus: Pro mundi salute mihi donauit illum: Ioan 3. quia *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret*. Dono igitur illum etiam ego, & hoc charitate eius ferata, quia ad hoc illum accepi. Charitate festina, quia prius non potui: Charitate integra, quia nihil mihi retinui: Charitate materna, quia nulli inuidi: Charitate consummata, quia plus dare non valui. Donum igitur illum in donum illuminationis, in exemplum conuersationis, in praemium glorificationis. Noui quid dono: noui, quid facio: Noui, pro quibus dono: pro dilectis filiis meis illum offero, pro illis redimendis, pro illis expiandis, pro illis informandis, instruendis, reficiendis, glorificandis atque glorificandis illum expono, quia ipse est verus agnus, qui tollit peccata mundi: hunc sola diues offero, quia solum agnum habeo, quem sine pudore concepi, sine grauedine tuli, sine dolore peperi, & cum plena virginitate dominum & hominem parturiui. Scio ergo, quid dono filiis gratiae, qui volunt esse participes huius doni: nec solum filium meum, sed meipsum super hoc donum dono: atque ipsorum aduocatam, genitricem, nutricem, excusatricem, & ab omnibus hostibus defensatricem: necnon & thesaurorum filij mei dispensatricem, charitate inuiolabili repromitto.

Maria dolores quos effugit pariens, tempore passionis sustinuit.

ARTICVLVS TERTIVS.

De iubilo & laude, & gratiarum actione sanctissimi Simeonis.

Tertium mysterium est amorosissimae exultationis. Nam cum sanctus ille senex puerum IESVM suscepisset in vlnis, ac talia à Virgine audisset, tanta iucunditate repletus est, vt cum Propheta dicere posset, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Psal. 83. Vnde & Lucas subdit: *Et benedixit Deum, & dixit*, Luc. 2. *Nunc, dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum*. Quod verbum potest esse thema hoc in articulo, cum solum hoc canticum praedicatur. Benedictio ponitur ad expressionem deuotionis affectus. *Vnde benedixit*, id est gratias egit Deo, iuxta illud, 2. Machab. 10 *In hymnis* 2. Mach. 10. *& confessionibus benedicebat Dominum, qui magna fecit in Israel. Et dixit, Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuae Israel*. In quo canticis sanctus iste senex gratias agendo & iubilando tria glorificat & magnificat. Primo sanctissimam Trinitatem, secundo vero Christi humanitatem, tertio nostram vtilitatem.

De iubilosa gratiarum actione ad sanctissimam Trinitatem, quod viso Domino iam moriatur in pace.

CAP. I.

PRimo gratias agens magnificat & glorificat sanctissimam Trinitatem, vbi commendat primo diuinam bonitatem, secundo diuinam potestatem, tertio diuinam veritatem. 1. Magnificat sanctam summam Trinitatem. Primo, inquantum commendat diuinam bonitatem in effectu dimissionis ab hac vita cum dicit, *Nunc dimittis*: & tranquillitatis in alia, cum addit. *In pace*, scil. mori & abire. Per hoc enim significat vitam alteram se pro sua futura & finali quiete habere: & quod antequam Christum vidisset iuxta quod vehementer optabat & firmiter expectabat, non fuisset sibi mori & abire pacificum, seu iucundum. Nam & dicendo, *Dimittis*, significat se fuisse à Deo retardatum à morte sibi simpliciter desiderata, nisi pro quanto propter spem videndi Christum, eius dilationem libentissimè tolerabat. Per hoc etiam significat, quod vinculum vitae eius erat sibi simpliciter onerosum & taediosum: ait enim, *Nunc dimittis*, id est à malo dimitte. Et sic deprecatoriè legitur. Legitur etiam indicatiuè & assertiuè, id est, iam à malo dimittis, vel dimitte pro dimittes, s. à malo absolues. Insuper ait, *Nunc dimittis*, clausum ergastulo duplici: mundi videlicet & corporis: dimittis eum, qui vinctus est liberum à triplici vinculo, carnali, scil. necessitatis, voluptatis & consuetudinis. Secundo vero commendat diuinam potestatem, cum dicit, *Seruum tuum Domine*. 2. Commendat diuinam potestatem. *O Domine, quia ego seruus tuus & filius ancillae tuae*. Vnde profitendo se seruum suum, insinuat seruituris abiectione dicendo, *Domine*, magnificat Dominum potestatis. Psal. 115. Proinde Sap. 16. c scriptum est: *Tu es Domine, qui vitae & mortis habes potestatem & deducis ad portas mortis & reducis*. Sap. 16. Tertio autem commendat diuinam Veritatem, cum addit, *secundum verbum tuum*, 3. Commendat diuinam Veritatem. id est, secundum veritatem tuae promissionis, quia veraciter promissionem impleuisti, sicut alibi Propheta: *Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine secundum verbum tuum*. Psal. 118. Et alibi, *Et in verbum tuum superspe raui*. Psal. 14. Et iterum, *Viuifica me secundum verbum tuum*. Psal. 117.

L De

De tribus iubilando magnificat & glorificat Christum natum.

Cap. II.

Christum magnificat maxime de tribus.

SEcundo glorificat, & iubilando magnificat Christi humanitatem, seu Christum humanatum, & maximè de tribus, scilicet quod factus est, primo visibilis, secundo paratus, tertio in salutem omnium propositus & expositus. *Primo.* Primo, quia factus est visibilis omnibus, scilicet intueri volentibus, quod in se completum iubilando cantat dicens: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* *Baruc. 3.* Baruc. 3. c. *in terris visus est & cum hominibus conuersatus est.* *Isa. 52.* Et Isa. 52. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* *Iob. 33.* Et Iob. 33. de sancto Simeone prophetans ait, *Videbit faciem in iubilo.* *Secundo.* Secundò, quia factus est paratus, scil. in auxilium, quod notat, cum ait, *Quod parasti.* *Isa. 52.* Vnde Isa. 52. c. ait, *Parauit Dominus brachium sanctum suum, oculis omnium gentium.* Et paulo ante ait. *Oculo ad oculum videbunt eum.* *Tertio.* Tertio in salutem omnium propositus & expositus, s. vt ab omnibus videatur. Et de hoc subiungit dicens, *Ante faciem omnium populorum*, vt mysticè ostendatur, quod sicut sol oriens in mundo omnium oculis faciliter offertur & præsentatur, sic Deus Christum humanatum exhibuit vniuersis: ita quod solus nostræ culpæ originalis & actualis defectus causa est, quod non omnes cognoscunt ipsum & eius lumina salutifera & radios gloriosos. *Psal. 47.* Et de hoc quoque Propheta ait: *Notum fecit Dominus, salutare suum in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* *Isa. 49.* Isa. 49. c. ait Dominus. *Exaltabo ad populos signum.* Ex his enim tribus exaggeratur in mentibus piis cumulus gaudiorum, fidei, spei & charitatis. Primo quidem gaudium fidei: quia Saluator visibilis factus est: vt quem non poterat homo videre in specie diuinitatis, videat & imaginetur in specie humanitatis. Proinde dicit, *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Secundo vero gaudium spei est, quia in auxilium nostrum paratus est. *Psal. 26.* Vnde Propheta ait: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Tertio gaudium charitatis, quia omnibus salus exposita est. *Isa. 49.* Dicit enim, *Quod parasti ante faciem omnium populorum*, Isa. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

De tribus nominibus, secundum, quæ Christus humano generi profuit.

Cap. III.

Laudat nostram vtilitatem triplici ratione.

TErtio vero iubilando laudat nostram vtilitatem, quæ eo triplici præconiali nomine, quo Christum denominat, clarescere potest. Nominat quippe eum, salutare, lumen & gloriam. In quo mysticè demonstratur, quod ab ipso & in ipso & per ipsum, est nostra salutatio, illuminatio, iucundatio seu beatitudo: & possunt hæc reduci ad tres actus hierarchicos, qui sunt purgatio, illuminatio & perfectio: vel ad tria Deo attributa, scilicet potentiam, sapientiam, & bonitatem. Comparat etiam eum, secundum tria præfata nomina, ad totam vniuersitatem humani generis: sic tamen, quod vt ostendat ibi esse vnitatem cum distinctione primo ponit vnitè totam vniuersitatem hominum, cui quantum est ex parte Christi, est generalis sua salus, seu salutifera gratia & virtus oblata. Deinde distinguit eam in gentiles & Iudæos: & hoc cum quadam distincta correspondentia secundi & tertij nominis Christi, scilicet luminis & gloriæ, appropriians gentibus lumen, & gloriam Israeli. Vt autem hæc distinctio ab vnitate Christi non recedat, duos effectus, seu duas deriuationes & participationes ascribit lumini: scilicet illuminationem & gloriam, seu glorificationem. Vnde dicit Christum esse *lumen ad reuelationem*, id est ad illuminationem *gentium, & gloriam plebis suæ Israel.* Præmittit autem gentes Israeli, quia plenitudo gentium primo illuminanda erat antequam omnis Israel saluus fieret: Illuminationem vero gentibus appropriat, & gloriam Israeli, quia sicut vltima forma præualet prioræ dispositioni, sic prima conuersio gentium, secundum omnes proprietates statuum se habet ad finalem conuersionem Iudæorum, sicut dispositio prima ad vltimam formam, & sicut fides ad suam explicitam intelligentiam: & sicut actiua ad contemplatiuam, vel sicut mentalis actio seu mediocris contemplatio ad supremam, quę cum Moyse stat in vertice montis, & cum Paulo raptus ad tertium cœlum, lumen quippe propriè Christus est, qui gentibus necessarius erat, quæ in tenebris infidelitatis gradiebantur, sicut & Isa. 9. c. prædictum erat. *Isa. 9.* *Populus.* s. gentium, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Dicitur autem lumen, vt incarnata persona denotetur. Differentia quippe est inter lucem & lumen, lux propriè est in fonte corporis gloriosi: lumen vero est claritatis in perspicuo diaphano luminis receptiuo, vt aere. Diuinitas ergo est lux in substantia sua, *Dan.* Dan. 2. c. *Ipse reuelat profunda, & abscondita nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.* *Psal.* lumen vero est in humana natura, de quo Propheta inquit, *In lumine tuo videbimus lumen*, & alibi, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, id est filius tuus. Ait ergo ad reuelationem gentium, id est vt reueletur oculis cæcis gentilium nulla spe aduentus Domini erectorum, quod notatur in reuelatione, per quam designat remotionem velaminis erroris necessariam ad susceptionem illustrationis debitæ veritatis. *2. Cor.* Proinde 2. Cor. 13. c. loquens gentibus iam credentibus Apost. ait: *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Dei spiritu,* quasi dicat Iudæi adhuc velamen super oculos habent: *Iudæi ... velamen habent.* Nos verò credentes reuelata facie, id est expedita mente, remoto velamine, Dei gloriam speculantes, *quia videmus nunc per speculum in ænigmate*, vt dicitur. *1. Cor.* 1. Cor. 13. in eandem imaginem, scilicet diuinam, quam speculamur, id est Dei conformitatem transformamur, scilicet à forma ignorantiæ in formam lucidam veritatis. Nos dico euntes in claritatem iustificationis à claritate Moysi in claritatem Christi tanquam à Dei spiritu, sc. ducti. Et iterum Is. 9. c. ait. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis*, secundum etiam, quod Isa. 40. prophetatum erat, *Isa.* *Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est* Aduertendum est etiam, quod illuminationem gentium vocat reuelationem eorum. Et hoc ex triplici causa. Primo scilicet, vt innuat quod non ex natura est, neque ex debito, neque de naturalibus, sed ex supernaturali & supernaturalibus. Talis enim illustratio propriè reuelatio nominatur. Secundo, vt ostendat quod velamen originalis cæcitatis & superinductæ idololatriæ erat eis per hanc illuminationem frangendum & tollendum. Tertio, quia gentes non solum erant non videntes hoc lumen, sed etiam erant inuisæ, seu incognitæ Dei notitiæ amatiuæ. Reputabantur enim vt nihil, nec à Deo & suis cognosci poterant, vt populus Dei aut existens in numero fidelium eius. Et ideo reuelandi erant, id est, de tenebroso & carnali statu in lucem adducendi. Et sic illuminarentur non solum ad videre, sed etiam ad videri. *Ezech.* Addit etiam, *Et gloriam plebis tuæ Israel.* Hoc enim ideo dicit, quia Iudæi quodammodo habebant lumen in fide prophetarum & legum: sed tamen erant in ignominia præuaricationis ipsius legis. Propterea indigebant gloria & honore virtutis. Propterea Ezech. 26. c. ait Dominus Tyro. *Cum dedero gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te, & non eris, & requisita non inueneris.* Dicit etiam gloriam potius, quam glorificationem vt simul significet fontale obiectum & causam

causam glorificationis & ipsam glorificationem. Vocamus enim gloriam nostram id, de quo gloriamur, & & etiam ipsam glorificationem nostram. Vnde & vna de causis, quare gloriam appropriat Israeli est, quia potitesunt præ cæteris gloriari in Christo, tanquam de genere eorum & in eis & ex eis nato & tanquam spiritualius & expressius promisso & dato, sed in salutem omnium nato: Qui & salutare & lumen & gloria sempiterna, qui cum Patre & Spiritu sancto sit omnibus nobis per infinita sæcula sæculorum, Amen.

IN FESTO Purificationis.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de Purificatione Virginis continet tres articulos.

Articulus primus,

Agit de loco in quo misericordia data est nobis.

Articulus secundus,

De misericordia Dei quantitate data nobis.

Articulus tertius,

De misericordiam dante humano generi.

De misericordia Dei.

Sermo XI.

Psal. 42. Misericordia eloquium dulce.

SVSCEPIMVS *Domine misericordiam tuam in medio templi tui.* Psal. 42. Eloquium misericordiæ est dulce, sicut eloquium de iustitia est terribile, & seuerum. In quibus quidem verbis propositis possunt considerari tres contemplationes. prima, vbi misericordia Dei est data nobis: quia *in medio templi tui.* Secunda est misericordia Dei, quæ est data nobis in tanta, ibi, *misericordiam tuam.* Tertia cui hæc misericordia est data tanta, quia nobis, ibi, *suscepimus Domine.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Agens de loco in quo misericordia Dei nobis est data.

Anima sancta templū Dei. V. Maria est templū sanctum Sanctorum.

TEmplum intelligitur anima sancta, quia templum Dei est sanctum, quod est in nobis. Sed templum sanctum sanctorum est Virgo beata, Mater Dei, & Domini nostri Iesu Christi, in qua possumus notare quinque notabiles gratias illi attributas ante annunciationem, per quam suscepimus misericordiam: vnde in primo suo statu, quæ hic infra sequuntur. Prima, quia fuit ab omni culpa libera. Secunda fuit eius fomes sopitus ad peccata, quia fuit in omnibus virtutibus habituata. Tertia, quia fuit per gratiam sanctificata, & facta sancta sanctorum: sancti estote, quia ego sanctus sum. Quarta, quia fuit voluntate Dei, tota philocapta. Quinta, quia fuit in intelligentia tota illuminata. Vnde non immerito Angelus nunciando dixit, *Aue gratia plena.* Item Virgo gloriosa habuit etiam quatuor cognitiones, dum Dei filium haberet in vtero. Prima, quia habuit cognitionem totius creaturæ irrationalis creatæ, quia sciebat, cognoscebat, & intelligebat omnes creaturas irrationales.

V. Maria cognitiones quatuor habuit dū Dei filiū gestaret in vtero.

Secunda, quia habuit cognitionem totius creaturæ formatæ, quia sciebat, & cognoscebat iustos, & peccatores.

Tertia cognitio fuit, quia cognoscebat, sciebat, & intelligebat omnes intelligentias, & habuit cognitionem omnem spirituum. Quarta cognitio; quia cognouit verum Deum, & verum hominem; quia in ipsa gloriosa, & pia matre Dei fuit cognitio omnium scientiarum, & rerum atque naturæ creatæ, & increatæ. Nam etiam Adam ante peccatum erat ita sapiens, & ita bene cognoscebat res, & earum proprietates; quia omnibus rebus nomen imposuit, secundum proprietatem, & veritatem sui nominis appropriati. Hæc quidem Virgo glorificata vere fuit templum reformationis, quia post annunciationem ipsa habuit 12. gratias, quæ possunt appropriari 12. stellis radiantibus in corona capitis sui. Prima fuit nouus habitus virtutis, quantum erat conueniens matri Dei, quia in ea erant omnes virtutes, & scientiæ: quia Deus determinauerat ipsam beatissimam Virginem futuram eius genitricem, & ideo habebat habitum virtutum tantum, quantum erat conueniens, & decens matri Dei. Et licet in responsione, quam ipsa fecit Angelo annuncianti, dicendo, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi non sciret omnia: quia si sciuisset se futuram matrem Creatoris, eo modo quo non fuit, non sic respondisset. Dicendum est, quod Deus voluit ipsam hoc ignorare propter eius profundissimam humilitatem. Et vt plurimi dicunt. Ista mater Dei benedicta Virgo Maria gloriosa, dum contemplaretur prophetiam illam Isaiæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, &c. & meditaretur hoc, quæ, qualis, & quanta foret ista Virgo benedicta, quæ erat conceptura Creatorem mundi, inter se meditando dicebat, ô vtinam essem digna, esse ancilla istius Virginis, & Reginæ cælorum, & ei seruire. Et sic contemplando: ecce Angelus Domini rutilans annunciando dixit, cum omni pudicitia, quæ potest imaginari. *Aue gratia plena*, &c.

V. Maria nō minus quā Adam ante peccatum cognoscebat res & earū proprietates.

Secūda stella.

Secunda stella fuit dolor, & compassio, quam Virgo Beata ferebat omni creaturæ, vt dolore, & compassione, quantum erat decens, & conueniens illi creaturæ, ei compateretur: quia omnis creatura erat præclusa à via paradisi, ante incarnationem Christi & ideo compatiebatur ei.

Tertia stella.

Tertia stella, & gratia, quia in aliqua parte suæ mentis ipsa erat impassibilis per singularem gratiam sibi datam, vt participaret cum Sanctis, quando Christus fuit in eius vtero benedicto.

Quinta stella.

Quarta stella, quia eius spiritus erat pacificus, & quietus. Nam mens eius fuerat læta de Deo residente in ea per nouem menses in omni pace, & quiete, & ideo spiritus eius erat pacificus.

Sexta stella.

Quinta stella erat altissimi sensus? qui fuerunt in ipsa beata Virgine, quia sicut in corpore sunt quinque sensus corporales, qui viuunt ex quatuor elementis & nutriunt animam secundum Deum, & recipiunt animam ipsam virtutes in Deo, quo sensus gloriosa Virgo habebat super omnes creaturas, quia sicut in maiori gradu erat cæteris creaturis, ita tanto magis participat illis, quia dormiendo contemplabatur plus in Deo, quam quisquam alius vigilans.

Septima stella.

Sexta stella dolor inconsiderabilis, quia dum ipsa Virgo gratiosa habuisset Christum in vtero, participabat, & sentiebat cum Christo passiones, & gaudia amando proximum, & dolendo de offensis secundum longitudinem, & transuersum crucis Christi, quæ habebat duo ligna, longum per quod notatur passio Christi extendi ad omnes, & breue, per quod significatur humilitas Christi, in nascendo in paupertate, viuendo in sobrietate, & moriendo humiliter.

Septima stella est inuariabilis amor, quia amor aliarum creaturarum est variabilis: sed amor Virginis intemeratæ semper fuit inuariabilis tam in creatore, quam in creatura.

Octaua stella fuit meritum, plus enim meruit Virgo gloriosa in vno suo consensu conceptionis Filij

Dei, quam omnes creaturæ, siue Angeli siue homines in cunctis suis actibus, motibus & cogitationibus.

Nona stella. Nona stella fuit potentia faciendi miracula, & quamquam viuendo non legitur B. Virginem fecisse miracula: Tamen Christus in nuptiis faciens de aqua vinum, ad eam miraculum illud retulit: & licet dixerit, *quid mihi & tibi mulier*, locutus fuit, tanquam persona domestica, ei illud miraculum referendo, requirenti illud & dicendo: *quodcunque dixerit vobis, facite*, &c. Similiter in Ioannem Baptistam dici potest, quod ipse in vita nullum reperitur fecisse miraculum, quia illa reseruauit Christo omnium creatori. Tamen ipsa Virgo semper intacta, & ipse Ioannes potuissent omnia miracula facere: quia si multi Sancti inferiores, & minores Ioanne Baptista miracula fecerunt, multo magis fecisset ipse Ioannes Baptista, & Virgo semper Gloriosa, cum inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.

Decima stella. Decima stella est dominatio: tot enim famulæ seruiunt gloriosæ Virgini, quot seruiunt Trinitati.

Vndecima stella. Vndecima stella, quia omnes scientiæ erant in mente Beatæ Virginis irradiatæ.

Duodecima stella. Duodecima stella, quia omnium linguarum intelligentias habebat: vnde illud, *Beatam me dicent omnes generationes.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

De misericordia Dei quantitate data nobis.

Offerebātur in templo sex genera animalium, quorum tria ad purgationem peccatorū spiritualium, tria carnalium. AD secundam partem nostræ prædicationis de misericordia Dei, quæ est data nobis tanta, &c. Io quo notandum est, quòd in templo sex genera animalium offerebantur, quorum tria respiciunt purgationem peccatorum spiritualium, scilicet passer, columbus, & turtur. Et alia tria purgationem peccatorum carnalium, scilicet boues, hirci, & oues: vnde sciendum est quòd ante peccatum Adam habebat sex proprietates, videlicet primam sagacitatem in ingenio. Secundam rectitudinem in animo. Tertiam humanitatem in affectu. Quartam, quia poterat omnia bene operari. Quintam, quia omnia gustabat, & edebat ordinatè sine vitio. Sextam, quia habebat mansuetudinem in conseruando. Quæ omnia Adam ipse in statu innocentiæ habebat: sed illa perdidit eum filiis, & descendentibus suis propter peccatum, & peruenrit in malum: vnde oportuit humanum genus habere sex gratias. Primam vigilantiam, secundam innocentiam, tertiam beneuolentiam, quartam obedientiam, quintam sobrietatem, sextam patientiam, quæ sunt figurata sex generibus animalium supradictorum. Per vigilantiam: vt redderet lumen intellectus, & hoc significat passer solitarius: vnde in psalmo, *factus sum, sicut passer solitarius in tecto*, quia multum vigilat, & solers est: per innocentiam, quæ æquiparatur columbæ, quia innocens est, & oportet rectè iudicare, & rectè viuere: per beneuolentiam figuratur turturi, quæ significat bonitatem in affectu, quia turtur alium nescit amare: nam semel vni nupta merito semper adit simul cum ipso sola volare, &c. per obedientiam appropriatur boni, qui obediens est bubulco, & fatigabilis: per sobrietatem figuratur capræ seu hirco, qui significat asperitatem, qui semper ascendit tubos, scopulos, dorsa montium, ac comedit spinas, & arbusta, ac aspera, & semper operatur ardua, & nunquam quiescit, & æquiparatur agentibus pœnitentiam, & asperam ducentibus vitam propter peccatum perpetratum: & amor Christi per patientiam figuratur pecudi, quæ est mansueta, & contra impatientiam, & ex ea omnia bona proceduot, lana, lac, agni, & etiam ipsa in se bona est, vsque ad stercus ad stercorandos agros, propter quas sex gratias Adam pater noster, qui peccauerat, meruit misericordiam: vnde hodie per exemplum nostrum sublata sunt sacrificia illorum sex animalium, scilicet passeris, columbæ, turturis, bouis, hircorum, & ouis, quùm Christus in cruce se immolauit, & in hostiam se dedit, in cuius commemorationem hodie ipsius Domini nostri Iesu Christi corpus in sola Hostia sacrificamus. Et per hoc habemus sex contemplationes, quod per Mariam Dei sublata est iustitia, & facta est concordia inter pacem, & misericordiam, quia hodiè *misericordia & pax osculatæ sunt*, & apertæ sunt portæ paradisi volentibus introire, & hic quoad secundam partem.

ARTICVLVS TERTIVS.

De misericordiam dante humano generi.

Misericordia Dei humano generi data per Mariam. SEquitur tertia pars, in qua videamus à quo donata, siue data est misericordia nobis: & quidem à Regina cœlorum, gloriosa Virgine Maria. Nam Deus pater dedit filium Virgini, quæ inde ipsum proprium filium nobis obtulit, vt per eius misericordiam saluaremur: Et profectò, primo dedit ipsum nobis cum charitate feruida, quia dedit filium mundo. Secundo dedit ipsum cum liberalitate, quia ipsum liberaliter dedit. Tertio ipsum dedit cum veritate, vt per ipsum efficeremur beati. Item per exemplum est datus nobis, vt pro nobis seu nostra moreretur salute. Item in præmium datus est nobis, siue in pretium, quia per nos non sumus sufficientes saluari, & ad futuram gloriam peruenire, nisi Dominus noster Iesus Christus nostros suppleuisset defectus pro nobis. Item in socium datus est nobis, vt nos omnes saluaret: vnde cum ipse Dei filius datus, vt supra per B. Virginem eius genitricem portaretur ad templum, Simeon Propheta in Spiritu vectus sancto venit ad templum, quasi datus à patre nobis in procuratorem ad recipiendum gratiam nomine humani generis. Quæ gratia recepta, & nobis data, fuit triplex: prima eligens, quæ attribuitur Patri: Secunda amans, quæ attribuitur Filio. Tertia fuit disponens, quæ attribuitur Spiritui sancto, qui repleuit Simeonem Propbetam, suo sancto Spiritu, vt tanquam procurator humani generis prosiliret ad templum, ad videndum promissionem sibi factam à Spiritu sancto, vt ante finem vitæ suæ videret Saluatorem mundi. Et vero fuit procurator generis humani à Deo electus, quia habuit omnes gratias spectantes ad tale suum officium, ad quod electus fuerat, scilicet procurationis: vnde hic notanda est vna regula generalis, quando Deus eligit aliquam creaturam ad aliquem statum singularem semper illi donat omnes gratias competentes illi creaturæ insitas illi statui suo singulari, sicut in Petro, in Paulo, in Moyse, & Iosue Ducibus, & Rectoribus plebis Dei. Et sicut in Salomone, Dauide, & in isto Simeone, & in B. Virgine, quibus omnes gratias integrè contulit suis officiis congruentes: iuxta regulam iuris, quæ dicit, quod cui iurisdictio data est, illa videntur esse concessa, sine quibus iurisdictio illa expediri, & exerceri non posset: vnde dum procurator noster S. Simeon Propheta à Spiritu sancto, ductus in templum appropinquaret Christo, Iesus inclinauit se versus Simeonem puerili, ac diuino affectu, innuens, se velle in eius vlnis prosilire, vt diuina promissa sentiret. Et mater eius Virgo gloriosa, toto affectu porrexit volens infantulum Christum in eius brachiis tradere: Tunc sagax humani generis procurator, officium suum accuratè gerens inquit. Non recipiam infantulum hunc, nisi tu pia Virgo primo ipsum mihi tradas, hoc pacto, vt infans ilus ille innocens filius tuus, ô mater tanto filio digna pro salute totius humani generis nocentis moriatur, dico

morte

morte patibuli amaræ crucis, & gladius perforet animam tuam, ô Maria. Quæ virgo pissima tota conformis voluntati Patris, & Filij, & Spiritus sancti, illum vnicum genitum suum dilectissimum Simeoni tradidit cum charitate feruenti & liberalitate gratiosa, ac cum veritate donauit. Tunc procurator noster Simeon Propheta, hoc ineffabile donum recipiens diuinitatis, amplexando puerum cum ipso iubilo dicere cœpit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen*, &c. Quæ quidem lux fuit pacificata, & tranquillans, quia *venit in pace*. Item fuit lux irradians, *lumen ad reuelationem gentium*. Item lux beatificans, quia *gloriam plebis tuæ Israel*, ô lux singularis lucens in tenebris, *quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum*, illumina mentes nostras radio fidei tuæ claritatis, vt dignemur recipere misericordiam tuam in medio templi tui, qua mediante perducamur ad vitam sempiternam, Amen.

Maria conformis voluntati Patris, Filij & Spiritus sancti.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maximè continentur in hoc Sermone,

Qui est de Assumptione B. Virginis Mariæ, continet tres articulos, quorum singulus tria continet capita.

Articuli primi, quod B. Virgo ad cœli gloriam fuit tripliciter inuitata, seu tripliciter eleuata.

Cap. 1. *Quod triplici eleuatione virtutum eleuata fuit beata Virgo in præsenti vita.*

Cap. 2. *Quod ad triplicem dignitatem fuit B. Virgo eleuata ascendens in cælum.*

Cap. 3. *Quod triplex patrocinium præstat nobis B. Virgo nunc regnans in cælo.*

Articuli secundi, quomodo tota Beata Trinitas cum omni cœlesti curia obuiam venit Beatæ Virgini ascendenti in cœlum.

Cap. 1. *Quomodo cælestis Pater venit obuiam B. Virgini ascendenti in cælum.*

Cap. 2. *Quomodo B. Virgini ascendenti in cælum occurrit eius Filius gloriosus.*

Cap. 3. *Quomodo Beatæ Virgini gloriosæ occurrit Spiritus-sanctus.*

Articuli tertij, de triplici glorioso ornatu quo fulget beata Virgo in gloria Paradisi.

Cap. 1. *Per septem rationes ostenditur quod B. Virgo in anima & corpore regnat in gloria paradisi.*

Cap. 2. *De triplici natura Lunæ cui in præsenti vita Virgo fuit assimilata.*

Cap. 3. *De triplici intellectu duodecim stellarum quibus Beata Virgo coronata est.*

IN FESTO ASSVMPTIONIS Gloriosæ Virginis Mariæ.

Sermo XII.

Psal. 131.

S*VRGE Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ*, Psal. 131. Sublimis ista dies & splendidior sole fulgurans, sicut Bern in quodam sermone ait: In qua Virgo regalis ad thronũ Dei patris euehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita naturam etiam Angelicam solicitas ad videndum. Tota conglomeratur Angelorum frequentia, vt videas reginam sedentem à dextris Domini virtutum In vestitu deaurato, in corpore immaculato, circundatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam. Hæc. Bern. Sed quibus laudibus seruitus hominum reginam efferet Angelorum. Quæ præconia dilatet mortalis angustia, vel officia subministret, cui cœlestia parent, & famulantur obsequio omnes cælici ciues. Quæ feret encænia, quas laudes attentet humana penuria, cuius gloriam Angelicæ mirantur & prædicant Potestates! Quibus dignam honoribus plausus hominum acclamabit in terris, quam spirituum agmina beatorum iugiter venerantur in cœlis? Non est profectò facultatis humanæ Virginem gloriosam, vt meretur, efferre. Nobis sufficiat, qui votum gerimus obsequendi, talem credere tantamque fateri, quantam nullus hominum valeat explicare. Sufficere forsitan potest & illi, cui summam idipsum cedit ad gloriam, quod hodie super Angelos anima & corpore exaltata omnium hominum & voces excellit & superat intellectum. Hanc igitur excellentissimam Assumptionem & exaltationem in spiritu Propheta contemplans ad Dominum ait: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ.* In quibus sacratissimis verbis gloriosæ Virginis ostenditur triplex status. Primus amorosissimæ inuitationis seu eleuationis, cum dicitur, *Surge:* secundus amorosissimæ obuiationis, cum additur, *Domine in requiem tuam:* tertius amorosissimæ glorificationis, cum subinfertur, *tu & arca sanctificationis tuæ.*

Dies Assumptionis Mariæ celeberrima.

Non est facultatis humanæ Virginem digne laudare.

Triplex status Virginis gloriosæ.

ARTICVLVS PRIMVS,

Quomodo Beata Virgo ad cæli gloriam fuit tripliciter inuitata, seu tripliciter eleuata.

PRimus status beatæ Virginis positus à Propheta est amorosissimæ inuitationis, cum dicit. *Surge:* & veni ad gloriam sempiternam. Nam fuit à Deo ad cœli gloriam tripliciter inuitata. Vel primus status, quem Propheta de beata Virgine ponit, est amorosissimæ eleuationis, quia Dominus Virgini inquit, *Surge.* Ad hanc quippe eleuationem exhortatur à filio, vt sibi dicere videatur illud Isa. 51. c. *Eleuare, eleuare, consurge Hierusalem.* Profectò ipsa fuit Hierusalem, quæ interpretatur visio pacis. Nam ipsa extitit tota pacifica & Dei visione mirabiliter illustrata. Bis ait, *eleuare*, & semel ait, *consurge:* vt eleuationem tam mentis, quam corporis in gloria designare ostendat: & vt ad sui similitudinem à mortuis gratiosa resurgat. Sublimes eleuationes beata Virgo suscepit à filio. Primo, dum in hoc mundo viueret: Secundo, dum ad gloriam hinc transiret. Tertio dum in throno gloriæ iuxta ipsum residet. Et licet sint inexplicabiles omni linguæ, tamen lingua scripturæ sacræ hanc triplicem eleuationem nobis in Virgine insinuare conatur. Nam eleuatam eam ostendit. Primo, dum hic viueret in mundo eleuatione gratiosa: secundo, dum hinc transiret de mundo eleuatione gloriosa: tertio, dum sublimiter residet in cœlo eleuatione fructuosa.

Primus status Virginis.

Virgo ad gloriam tripliciter inuitata.

Isa. 51.

Hierusalem visio pacis.

Eleuationes suscepit à filio Maria.

Quod triplici eleuatione virtutum eleuata fuit beata Virgo in præsenti.

CAP. I.

PRimo quippe eleuata fuit viuens in mundo eleuatione gratiosa, & hoc tripliciter. Primo in sanctitate, secundo in conuersatione, tertio in contemplatione. Primo per eminentiam sanctitatis supra munditiam virginum & Angelorum, secundo per excellentiam conuersationis supra obedientiam martyrum & confessorum, & tertio per eminentiam contemplationis supra sapientiam Prophetarum & Apostolorum. Hanc triplicem eleuationem mysticè ostendit nobis scriptura in eleuatione arcæ Noë, in eleuatione rotæ, & in

Eleuatur Virgo eleuatione gratiosa tripliciter.

Primo per eminentiam sanctitatis.

eleuatione Aquilæ. Primo quippe eleuata fuit per eminentiam sanctitatis. proinde Gen. 7. c. scriptum est: *Multiplicatæ sunt aquæ.* scilicet propter exuberantiam gratiæ sublimitatis & sanctitatis. Multiplicatio enim aquarum in arca, denotat gratiarum plenitudinem in Maria. Ipsa est enim fons hortorum & puteus aquarum viuentium, vt scribitur Cant. 4. *hortus irriguus & fons aquarum, cuius non deficiunt aquæ.* Isa. 58. Hæ autem aquæ eleuauerunt arcam, in qua saluatum est vniuersum semen generationis electæ in sublime à terra, id est ab omni terrenitate & amore infecto: dixit autem in sublime, quia ad hanc puritatem & munditiam nulla pura creatura ascendit, nec Angeli, nec Virgines. Nam Angeli, habent munditiam tantum in mente, virgines in mente & carne: sed gloriosa V. Maria cum quadam vtriusque perfectione super omnem creaturam eleuata est in sublime. Secundo vero eleuata fuit per excellentiam conuersationis designata in eleuatione rotæ, de qua Ezech. 1. scriptum est. *Apparuit rota super terram iuxta animalia habens quatuor facies & aspectus rotarum & opus earum, quasi visio maris.* Et sequitur. *Cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.* Et additur, *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Per illa quatuor animalia mystice doctrina Euangelica denotatur. Per rotam vero illam, quæ quatuor facies habet, Virgo beata merito indicatur: quæ quatuor virtutes habet, secundum quas vita actiua regitur, & omnimoda perfectione ad euangelicam conformatur. Et quoniam hæ virtutes licèt vniantur in gratia, distinguuntur tamen in operatione sua: ideo pluraliter dicit, quod rotæ illæ eleuabantur, quia virtutes in ea fuerunt in summo perfectionis, tam ad agendum, quam ad patiendum: Et hoc in tanta incomprehensibilitate intellectui humano, vt merito dicatur, quod aspectus rotarum, & opus earum quasi visio maris. Nam inæstimabiliter superauit omnem obedientiam & actionem martyrum & confessorum: Nam in omnibus fuit pondus difficultatis ad bonum, & pronitas ad ipsum malum. In Virgine beata nullum fuit omnino retardatiuum. Proinde tota volubilis fuit, secundum omnem Spiritus sancti nutum. Tertio autem eleuata fuit per excellentiam contemplationis. Et hæc designata fuit in eleuatione aquilæ, de qua Iob. 39. scriptum est. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Quomodo enim aquila ista super omnes aues fuerit eleuata, & omnes quoscunque superauerit sapientian, hac triplicem eleuationem exprimit Spiritus sanctus. Cant. c. 6. vbi de Virgine ait. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Et hoc in sanctitate. *Pulchra vt luna*, & hoc in conuersatione: *electa vt sol*, & hoc in contemplatione, *terribilis vt castrorum acies ordinata*, & hoc in omni prædictorum connexione.

Gen. 7.
Cant. 4.
Isa. 54.
Secundo fuit eleuata per excellentiam conuersationis.
Ezech. 1.
Per quatuor animalia Ezechielis quid denotatur.
Tertia, Virgo fuit eleuata per excellentiam contemplationis.
Cant. 6.

Quod ad triplicem dignitatem fuit beata Virgo eleuata ascendens in cælum.

CAP. II.

SEcundo eleuata fuit transiens de mundo eleuatione gloriosa, & hoc ad culmen triplicis dignitatis: videlicet altissimæ, latissimæ, & firmissimæ, vt sit Virginis regnum altum, latum, & sempiternum. Quæ tria in eleuatione diuinæ magnificentiæ, diuinæ sedis & montis immobilis figurantur. Primo quippe eleuata est ad culmen dignitatis altissimæ, vt sit regnum Virginis altum. Et de hoc propheta inquit: *Eleuata est magnificentia tua super cælos.* Porro singularis magnificentia Dei fuit beata Virgo, quia in eius exaltatione plus magnificatur & etiam in eius humiliatione, deuotione, gratiarum actione, & omnium bonorum Dei fruitione plus magnificat Dominum, quam omnis creatura alia simul sumpta. Vnde merito eleuata dicitur super cœlos, id est, super Angelos vniuersos. Quia sicut filius Dei IESVS sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, Hebr. 1. c. *Tanto melior Angelis effectus, quanto præ illis differentius nomen hæreditauit:* quod nomen profecto est, vt verè sit Dei per gratiam vnionis: Sic & mater IESV tanto omnibus Angelis melior est, quanto præ omnibus in dignitate maternali abundat. Secundo eleuata est ad culmen dignitatis latissimæ, vt sit Virginis regnum latum, vt 2. Reg. 3. c. scriptum est. *Quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cum eo, vt eleuetur thronus eius super Iudam & Hierusalem à Dan vsque Bersabee.* Thronus iste, in quo sedet & requiescit Dauid, manu fortis, & vultu desiderabilis IESVS Dei filius, fuit gloriosa Virgo Maria, quæ eleuata fuit ad latitudinem regni, vt de ea dici possit, quod non solum dominatur à Dan vsque Bersabee, sed dominatur à mari gratiæ vsque ad mare gloriæ: & à flumine influxuum diuinorum vsque ad terminos orbis terrarum super omnem creaturam regnans. Tertio eleuata est ad culmen dignitatis firmissimæ. Proinde Isa. 2. c. scriptum est. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles. Mons iste, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo:* & de quo abscissus lapis sine manibus, est gloriosa Virgo; de qua sine humano opere natus est Christus IESVS, lapis angularis, qui repleuit vniuersam terram. Hic mons eleuatus est super colles: quia Virginis altitudo, sicut dictum est, sublimissima est super summos, & latissima super cunctos, & firmissima & inconcussa, vt moueri non possit stabilitas montis, quamdiu durat imperium prolis: de cuius imperio, Dan. 7. scriptum est: *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Hæc triplex eleuatio Virginis in præmio Isa. 9. c. simul præuisa fuit, vbi ait: *Vidi Dominum sedentem super solium:* quia immobiliter requieuit super Virginem gloriosam Mariam ratione dignitatis firmissimæ. Solium inquam *excelsum & eleuatum* ratione dignitatis altissimæ: & plena erat omnis terra maiestate eius ratione dignitatis latissimæ. Bernar. etiam ait: Neque in mundo dignior locus fuit virginalis vteri templo, quo Mariam Mariæ filius sublimauit. Et exclamans quodam in sermone ait: O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ appendit.

Eleuata fuit eleuatione gloriosa.
Ad culmen triplicis dignitatis fuit eleuata.
Eleuata super omnes Angelos Maria.
Hebr. 1.
Quomodo Virgo omnibus Angelis melior.
2. Reg. 3.
Eleuata est ad culmen dignitatis firmissimæ.
Isa. 2.
Virgo mons omnium altissimus.
Dan. 7.
Isa. 6.

Quod triplex patrocinium præstat nobis beata Virgo nunc regnans in cælo.

CAP. III.

TErtio eleuata fuit beata Virgo sublimiter residens in cœlo, scilicet eleuatione fructuosa: quia dum residet iuxta filium, tria militanti ecclesiæ patrocinia præstat. Primo dirigit, secundo protegit, tertio irrorat, siue rigat. Nam dirigit expediendo viam, protegit repellendo pugnam, irrigat impetrando gratiam, vnde & verè dicere potest illud Eccles. 24. cap. *In me omnis gratia viæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis.* Hæc eleuatio figurata fuit in triplici figura. Primo in figura virgæ, secundo in figura Arcæ Mosaycæ: tertio in figura nebulæ. Primo quippe, quia dirigit, figurata fuit in figura virgæ. Exod 9. c. vbi scriptum est, quod Dominus ait Moysi, *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud vt gradiantur filij Israel in medio maris per siccum.* Hæc profecto virga, ad cuius eleuationem præparatur via populo Dei, est gloriosa Virgo Maria, cuius patrocinio omnis penè amaritudo Dei populo dulcoratur. Proinde Bern. ait: O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tépestates fluctuare, quàm ambu-

Eleuata Virgo eleuatione fructuosa.
Eccles. 24.
Eleuatio Virginis figurata in pluribus.

lares

Ne aduertas oculos à Virgine medita in procellis.

ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis submergi procellis. Et iterum: Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans, non erras: ipsam rogans, non desperas, ipsam sequens, non deuias: Ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, peruenis: & sic in temetipso experiri poteris, quam merito dictum sit, Et nomen Virginis Maria, id est maris stella. Secundo vero, quia protegit, figurata est in figura arcæ

Num. 10.

Mosaicæ, de qua Numer. 10. in fine scriptum est: *Cum eleuaretur arca, dicebat Moyses, Surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua*, vt mysticè innuatur, quod quando eleuata fuit Virgo gloriosa ad cœlestia regna dæmonis potentia imminuta est & dissipata. Vnde pro illa dici potest illud, Ecclesiast. 24. cap. *superborum & sublimium colla propria virtute calcaui.* Tertio vero, quia irrigat figurata fuit in figura nebulæ, de qua Iob. 38. scriptum est: *Nunquid eleuabis in nebulam vocem tuam, & impetus operiet te?* Vox in nebula eleuata est, gratia per orationem Virginis impetrata: ad quam sequitur impetus aquarum, quia per ipsam impetratur influentia gratiarum atque remissio peccatorum. Vnde Eccles. 43.

Ad eleuationem Mariæ imminuta est dæmonis potentia.
Eccl. 24.
Iob. 38.
Eccl. 43.

cap. scriptum est: *Medicina omnium in festinatione nebula*: hoc est in festina assumptione Virginis benedictæ: quia omnes, qui volunt, participes fiunt gratiæ suæ. Proinde Bern. ait: Maria omnibus omnia facta est sapientibus & insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit omnibus, misericordiæ sinum aperit, ac de plenitudine eius accipiunt vniuersi. Prædicta triplex efficacia virginalis patrocinij designatur simul in eleuatione nubis, de qua Num. 10. cap. scriptum est: *Eleuata est nubes de tabernaculo fœderis, profectique sunt filij Israel per turmas suas.* Nam de hac legitur Exod. 14. cap. quod populum deducebat quantum ad primum, defendebat quantum ad secundum, & obumbrabat quantum ad tertium. Nam aliquando præcedebat, aliquando sequebatur, aliquando superferebatur, vt mysticè patrocinia multiplicia beatæ Virginis indicentur erga populum electorum & omnium Christianorum.

Maria pro omnibus.
Num. 10.
Exod. 14.
Multiplex Virginis patrocinium.

Articvlvs Secvndvs.

Quomodo tota B. Trinitas cum omni cœlesti curia, obuiam venit beatæ Virgini ascendenti in cœlum.

Secundus status Virginis est amorosissima obuiationis.

SEcundus status gloriosæ Virginis Mariæ positus à Propheta est amorosissimæ obuiationis, ita quod verbum Prophetæ sit vox vna omnium Beatorum iubilantium, exultantium & applaudentium atque exhortantium Dominum ire obuiam suæ benedictæ matri, ac dicentium, *Domine in requiem tuam*, scilicet obuius vade tu cum omni exercitu beatorum. Vocant enim beatam Virginem, requiem Christi: non tamen quia in ea nouem mensibus requieuit: verum etiam quia plus per quietum amorem requieuit in ea, quam in tota alia rationali creatura, sicut Eccles. 24. ipsa beata Virgo testatur dicens: *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* O quis exprimere posset cœlestis curiæ iucunditatem atque solennitatem, quando surrexit Rex gloriosus Iesus festinus & lætus, & regali decore laureatus, & totum beatorum ciuitatem commouit, vt omnes cœli ciues occurrerent Virgini matri ascendenti. Tunc quippe impletum fuit, quod 2. Reg. 6. de Dauid dictum est, quod adduxit arcam Domini cum gaudio, & erant cum Dauid septem chori, scil. Spirituum beatorum, Prophetarum, Apostolorum, qui iam transierant, Martyrum, Confessorum atque Virginum, vt impleatur in Virgine gloriosa, quod Ecclas. 24. scriptum est: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* O solennitas gloriosa! ô iubilus inexpressibilis, qui nec exprimi potest, nec taceri: dum Dauid & omnis Israel deducunt in iubilo arcam fœderis, id est Virginem gloriosam. Hoc mysticè figuratum fuit 3. Reg. 2. vbi scriptum est, *quod surrexit Rex Salomon in occursum matris suæ & adorauit eam*, vel secundum Iosephum, & amplexatus est eam, *& sedet super thronum suum: positusque est thronus matri Regis, quæ sedet ad dexteram eius.* Vbi contemplare mirificam obuiationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ. Mirificam orationem, quia adorauit eam. Altissimam sublimationem, quia positus est thronus matri Regis. Immediatissimam coniunctionem, quia sedit ad dexteram eius. Surrexit igitur gloriosus Iesus in occursum suæ dulcissimæ matris. Proinde quoad hoc, sicut Bernard. ait: Hæc assumptio Virginis aliquid excellentius habet ascensione filij Dei: scilicet quoad triumphalem occursum, quia filio Dei soli Angeli occurrere potuerunt: matri autem ascendenti occurrit ipse Iesus cum tota cœlesti curia beatorum, tam Angelorum, quam etiam iustorum: solenniterque euexit eam ad beatæ consistorium sessionis. Non tantum autem Dominus Iesus homo laureatus, corpore glorificato, sed & ipse rex Deus trinus & vnus dici potest sacratissimæ Virgini triumphaliter occurrisse: non tamen motu locali, sed complacentia fauorabili, & glorificationis influentia principali.

V. requies Christi.
Eccl. 24.
Christus occurrit cum curia cœlesti beatissimæ Mariæ.
2. Reg. 6.
Eccl. 24.
3. Reg. 2.
Angeli Christo in occursum matris.

Quomodo cœlestis Pater venit obuiam beatæ Virgini ascendenti in cœlum.

Cap. I.

PRimo enim Pater per quandam appropriationem occurrit B. Virgini & amplexatur sponsam castissimæ dilectionis, singularissimæ fœcundationis solicitissimæ educationis: quæ singulari munditia virginitatis, & amplius profundissima abysso humilitatis placuit altissimo patri, cui & filiũ suum vnigenitũ dedit, quẽ de suis castissimis visceribus concepit & peperit & diligentissimè enutriuit. Hanc ergo sponsam coram tota cœlesti curia æternus pater dulcissima amplexatur & recognoscit matrem vnigeniti filij sui. Proinde in persona patris, Isa. 40. c. ait: *Domum maiestatis meæ glorificabo.* Vnde ab ipso recepit fontalem fœcunditatem ad omnes generandos electos: & etiam ipsos Angelos in aliquo gustu & gradu & experientia diuinorum. Cum etiam ab ipso exordio creationis & glorificationis eorum præuiderint eam futuram matrem Dei, & per consequens super omnem rationalem creaturam in cœlesti gloria exaltandam. Igitur ipsa Virgo ex hoc habet à patre rationem primitatis & sublimitatis regalis & imperialis super omnem creatam naturam.

Pater æternus filiam suam Mariam amplexatur.
Virgo semper habet à patre rationem sublimitatis regalis super omnẽ creaturam.

Quomodo beatæ Virgini ascendenti in cœlum occurrit et filius gloriosus.

Cap. II.

SEcundo autem occurrit ei ipse filius in suæ gloria maiestatis, omnibus manifestans hanc esse verissimam genitricem suam; quæ ipsum concepit, & peperit & enutriuit, atque in assumpta natura fideliter sociauit. Proinde reuerentia filiali, sicut prætactum est in c. præcedenti, vt matrem dignissimam eam dicitur adorasse. O bone Iesu omnipotens æterne Deus: quid est quod mulierem adoras? volo inquit, eam merito adorare, quia duo efficiunt eam adorandam. Primum est ratio maternitatis, secundum est meritum humilitatis. Nam in ea fuit maternitas singularis & humilitas incomparabilis. Primo quippe adorat

Filius occurrit matri in sua gloria maiestatis.

Dominus Iesvs matrem ratione maternitatis. Nou vtique qualemcunque matrem, sed singularis sufficientiæ, singularis magnificentiæ, singularis diligentiæ. Primo inquam singularis sufficientiæ, quia sine virili semine sola ex Spiritu sancto concepit. Secundo singularis magnificentiæ: quia nulla præter ipsam, Deum genuit: nulla post partum Virgo permansit. Tertio singularis diligentiæ, quia nulla vnquam mater tantum dilexit & solicita pro filio fuit: imò nec omnes aliæ simul sumptæ. Sicut ergo in ipso conceptu nullum habuit socium, sic in isto honore nullum habebit consortium. Et sicut in tali filio nullam habuit parem, ita & in hoc honore nullam habebit consimilem. Et sicut in præcordiali solicitudine nullam habuit comparabilem, ita & in gloria nullam habebit creaturam æqualem. Secundo autem adorat Iesvs matrem ratione abyssalis humilitatis: Nam, vt dicitur Luc. 14. *Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Et quia in humilitate non habuit creaturam similem, ideo in exaltatione non habebit consortem. Est quippe triplex modus præmiandi virtutes: primus per euacuationem, secundus per completionem, tertius per oppositionem. Primus autem est per euacuationem, vt in fide & spe: quibus euacuatis succedit visio fidei & tentio spei. Secundus per cōpletionem, vt in charitate & in pluribus virtutibus cardinalibus, quibus additur completio absque defectu. Tertius est per oppositionē, sicut in paupertate & esurie, & luctu, atque humiliate, quibus Deus tria opposita repromittit: Nam, vt ipse testatur Matth. 5. cap. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et de humilitate supra Dominus Luc. 14. ait: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Vide igitur, quomodo in Virgine benedicta ipsius humilitas & diuina bonitas quadam pia oppositione contendunt. Maria se humiliat, & Deus eam exaltat. Maria non solum se humiliat, sed in humilitate sub omni rationali creatura se abyssat: & Deus eam non solum exaltat, sed super omnem etiam Angelicam creaturam magnificat. Maria Dominum in anima magnificat: & sublimis Deus eam, vt suam reuerendissimam matrem reuerenter adorat: & ad eam honore inæstimabili corporaliter se inclinat. O stupendum prodigium & inauditæ altitudinis fastigium, vt à muliere Dei filius quodammodo recognoscere videatur suum esse humanum. Quid debuit Virgini concedere, quam tantum voluit honorare? Profecto isto respectu honoris non respiceret Dei filius millesies mille millia Seraphim, & infinities infinitos: sed nec ipsi insimul omnes possent vere Deum diligere, & vere ipso frui, vt filio vteri sui, sicut facit Virgo & mater. Hoc siquidem summo gradu inter puræ creaturæ gradus, omnes summi Seraphici in Virgine sublimantur, qui in quantum sunt idem, quod Virgo, in ipsa & per ipsam diligunt & fruuntur Dei filio, vt ipsorum filio naturali & inæstimabili Dei dilectione facto filio creaturæ. Sicut autem hæc litera adorant eam, describit honorem, qui debetur matri à filio: ita litera Iosephi, amplexatus est eam, prætendit amorem, qui debetur ipsi à sponso. Tunc enim beatissima Virgo, quasi altera Hester de triclinio fœminarum, id est de Ecclesia militante, adducta est per totam militiam cœlestis exercitus ad cubiculum Assueri scilicet summi Dei: ita vt illi conueniat propheticum illud: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Quod hodie vere fuit completum, quando omnes cælici ciues viderunt eam ascendentem, & deliciis diuinorum amplexuum affluentem, innixam super dilectum suum. Porro sibi soli & filio suo notæ sunt in plenitudine deliciæ amplexuum mutuorum, quod eundem habet filium, atque sponsum: licet possimus, si volumus per appropriationem tribuere sponsalitium patri.

Virgo non mater quomodocūque sed omnino mirabilis.

Luc. 14.

Quanta humilitas in aliquo tanta exaltatio.

Matth. 5.

Humilitas creaturæ & Dei bonitas pia oppositione contendunt.

Honor maximus debetur ab omnibus Virgini.

Psal. 72.

Quomodo beatæ Virgini gloriosæ occurrit Spiritus sanctus.

Cap. III.

Tertio insuper occurrit Virgini gloriosæ ipse Spiritus sanctus recognoscens fornacem sui amoris, & officinam suæ stupendæ operationis, in qua, & de qua fabrefactum est corpus mundissimum filio Dei, & noua infusa anima, ambo simul tanquam vnam humanam naturam, integram & perfectam in persona filij Dei viuit. Ostendit autem Spiritus sanctus electis expresse, quod in hac officina & per eam fabrefecit quicquid in gratia mirificum operatur, & quod in hac totum ignem operationis reclusit, quam vnquam dare disposuit creaturæ rationali. Sic igitur tota Trinitas vniformi & voluntate concordi hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam incommunicabilis charitatis, cœli Reginam inattingibilis dignitatis, mundi Dominam imparticipabilis potestatis, electorum omnium genitricem piam inexsiccabilis pietatis. Omnium Dei hostium conculcatricem triumphalissimam insuperabilis strenuitatis, omnium cœlestium thesaurorum dispensatricem largifluam pro suæ complacentia voluntatis. De tanto honore & gloria Virgini gloriosæ ascendenti impenso cœlestes ciues spiritus admirantur, ac tanta admiratione detinentur dum contemplantes omnium Dominam super omnes Angelorum Hierarchias in cœlis collocatam vident & profunda reuerentialique oculorum demissione eam electam vt solem, pulchram vt lunam, terribilem denique vt castrorum aciem ordinatam intuentur, vt meritò illud quod dicitur Canticorum octauo versu quinto proferant. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Vbi admirantur excellentiam personalem, quæ tota fuit exemplum religionis, *quæ est ista?* Secundo gratiam singularem, quæ tota fuit profectus deuotionis, *quæ ascendit.* Semper enim ascendebat, dum vixit. Tertio magnificentiam vniuersalem, qua ipsa fuit honor humanæ conditionis, *de deserto.* Hoc quippe mirificum fuit, quod de humano genere à gratia derelicto talis Virgo ascendere posset. Quarto opulentiam Virginalem, quantum ad fructum subuentionis pro se & filiis, *deliciis affluens.* Quinto gloriam incommunicabilem propter vinculum coniunctionis, *quia innixa super dilectum suum.* Super hunc namque secundum Bernardum innititur mater illa felicior & in aureo reclinatorio diuino maiestatis recumbens inter sponsi, imo filij sui brachia requiescit. O quanta dignitas, quam specialis gloria inniti super illum, quem reuerentur Angelicæ potestates: hoc quippe fuit, quod maxime fecit Angelos admirari. Gaudent igitur & lætantur Angeli, cum beata Virgo anima & corpore ingreditur empyreum cœlum: qui vident Reginam cœli hodie primo in curia paradisi. Iam enim maiori fœdere coniunguntur hominibus: quia & si vidissent hominem Deum in ascensione sublimatum, nunquam tamen hominem purum omni alteri creaturæ præpositum. Lætatur quoque tota cælestis curia, quia post ingressum illius diuini corporis Iesv, cum quo forte animæ Sanctorum, & glorificata corpora ascenderunt, nullum in regio corpore præter Virginem viderant ascendisse: Quilibet cælicus ordo lætatur, quia in beata Virgine reperit aliquid gloriæ, speciale.

Spiritus sanctus occurrit Virgini tanquam sponsæ.

Virgo maxime honorata.

Virgo thesaurorum dispensatrix.

Cant. 8.

Articvlvs Tertivs.

De triplici glorioso ornatu, quo fulget beata Virgo in gloria paradisi.

TErtius gloriosæ Virginis status, quem ipse Propheta tangit, est amorosissimæ glorificationis, seu exaltationis, quia subdit *Tu & arca sanctificationis tuæ.* Quod & alibi apertius declarat dicens, *Astitit Regina à dextris tuis.* Nam sicut benedictus Iesvs sedet à dextris patris, id est in potioribus bonis paternis: Sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis filij sui Iesv, iuxta ipsum in thronu sublimata consedit. Vocat enim Virginem arcam: Arca autem dicitur ab arcendo, eo quod arceat & prohibeat visum. Sic & beata Virgo arcuit per nouem menses filium Dei in vtero suo. Et addit, *sanctificationis tuæ*: quia eam sanctificauit: maxime quando nouem mensibus in vtero suo permansit. Nam & alibi idem inquit: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus,* Ait ergo: *Tu & arca sanctificationis tuæ*, scilicet estis super omnes creaturas in gratia sublimati. De hoc tertio glorioso statu amorosissimæ glorificationis seu exaltationis Virginis benedictæ possumus tripliciter loqui. Primo vt in tribus glorificatio & exaltatio Virginis gloriosæ notificetur; quæ plene ostendunt immensam altitudinem beatitudinis eius. Primum est capacitas, secundum est vnitas, tertium est largitas. Secundo modo & plenius sumi potest secundus & tertius articulus octaui sermonis in quibus plenius ostenditur, quanta gloria fulgeat in paradiso beata Virgo Maria. Tertio quoque modo etiam dici potest, quod hoc stupendum prodigium, scilicet quod mulier sic diuinæ gloriæ sociatur, Apoc. Ioan. 12. c. scribit dicens: *Signum apparuit in cælo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* In quo mysterio ostenditur beata Virgo primo sole adornata, secundo luna honorata, tertio stellis coronata: vt sol sit sibi vestimentum, luna tapetium, & stellæ capitis ornamentum, vt sic regio decore in regno cælorum præfulgeat gloriosa.

Quod Virgo cælo inxaltam. (margin)

Apoc. 12. (margin)

Per septem rationes ostenditur, quod beata Virgo in anima & corpore regnat in gloria Paradisi.

Cap. I.

Cur Virgo sole dicitur adornata. (margin)

PRimo ostenditur sole adornata, non solum propter splendorem diuinitatis in eius mente, quæ menti Virginis super creaturam resplenduit: nec solum, quia Christo homine super omnem creaturam ornata fuit, sicut ipsius dignissima mater, qui verus est sol: sed etiam quia splendor animæ & corporis excellentissimæ Virginis glorificatæ resplenduit. Et licet de hoc quandoque fuerit dubitatum, & de hoc beatus Hier. satis ambigue loquatur: tamen moderno tempore pie ab omnibus creditur & firmatur. Hoc quidem Aug. videtur asserere in libello, seu sermone, quem de Assumptione confecit, & licet de hoc auctoritas sacræ scripturæ non reperiatur expressa, non tamen scripturæ repugnat sacræ, sed ei potius consonat & concordat, ac etiam multiplex ratio efficacissime persuadet. Nam secundum August. nullus dubitat, quod Iesvs hoc potuit. Minus profecto dubitare debet, quod ipse voluit: quia hoc filialem reuerentiam decuit. Quod autem beata Virgo tam corpore, quam anima gloriosa regnet in cælis, ostenditur septemplici ratione. Primo propter vnitatem, secundo propter incorruptibilitatem, tertio propter honorabilitatem, quarto propter dignitatem, quinto propter conformitatem, sexto propter æquitatem, septimo propter integritatem. Prima ratio est propter vnitatem, substantiæ carnis in matre & prole. Cum enim ex carne matris decidatur naturaliter caro prolis, eadem vtriusque est profecto substantia carnis. Ergo à generali sententia mortis, quamuis Christus Dei filius non exemerit matrem: quia ab illa nullus, nec ipse voluit esse alienus, ac per hoc mortuus est filius, mortua est & mater. Attamen sicut caro prolis corrupta non fuit. Ps. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem,* sic nec debuit corrumpi, seu incinerari, seu in puluerem redigi sanctissima caro matris, vnde caro filij assumpta est. Ergo caro animæ est reunita, & beata Virgo Maria simul in anima est corpore glorificata. Secundo propter incorruptibilitatem, Multiplex quippe sententia lata fuit in muliere prima contra alias mulieres. Vnde Gen. 3. c. Dominus ait: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris.* Maria quippe ærumnas multiplicauit: quando, vt dicitur Luc. 2. cap. animam eius in passione filij doloris gladius pertransiuit: sed conceptus non multiplicauit, nec sub viri potestate degit, quæ integerrimis visceribus & virginitatis integritate permanente de Spiritu sancto concepit, quem quia sine peccati colluuione, & virilis admixtionis detrimento suscepit, sine dolore peperit, & sine integritatis violatione integra virginitatis pudore permansit. Quia vero potuit & voluit matrem ab integritatis corruptione, & pudoris violatione in conceptu, & partu vltra sententiam latam contra quaslibet mulieres seruare immunem potuit, & velle decuit seruare à corruptione resolutionis & incinerationis præter, immo vltra generalem conditionem humanæ naturæ. Sic ergo dicimus, matrem Domini humanæ sortis mortalitatem subisse, vt tamen mortis nexibus non potuerit detineri, per quam sine corruptione Dominus voluit concipi, atque nasci. Tertio propter honorabilitatem, hoc est vt conseruasset honorem matris. Exod. quidem 20. c. scriptum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Si ergo Christus *non venit soluere legem, sed adimplere*, vt dicitur Matth 5. quemadmodum, vt potuit, patrem honorauit, sicut dicitur Ioan. 8. cap. *Ego honorifico patrem meum*: ita debuit matrem quomodo potuit, honorare. Si ergo opprobrium humanæ conditionis vituperium est putredo & vermis: sicut ab isto opprobrio ipse extitit alienus: ita matrem debuit conseruare immunem, cum eadem sit caro matris & prolis. Sicut igitur in vita eam gratia conceptus & partus præ cæteris honorauit: ita indubitanter sentiendum est in morte eam speciali gratia honorasse. Quarto propter dignitatem & sanctitatem. Tanta enim fuit Mariæ dignitas, atque sanctitas, vt mereretur esse mater Sancti Sanctorum Dei. Sicut autem filius est Sanctus Sanctorum: ita constat quod mater, quæ ipsum portauit, est Sancta Sanctarum, in qua erat ille pretiosus thesaurus tabernaculum Dei, thronus Dei, atque thalamus Dei. Tantam autem sanctitatem, tantam dignitatem nulla corruptio putredinis debet sequi, nulla resolutionis incineratio. Nullo igitur modo dignum videtur, aut consonum rationi, quod illud sacratissimum corpus de quo Christus carnem suscepit, & in quo personam diuinam naturæ humanæ vniuit: vt Verbum caro fieret, & habitaret in nobis ipsis vermibus fieret esca, & post vermes puluis abiectus efficeretur. Quinto propter conformitatem, scil. matris & prolis. Mater enim filio suo perfecte conformis fuit, & præcipua imitatrix. Si ergo Ioan. 12. c. ipse ait: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Maria quippe Christi præcipua ministratrix: non tantum gressibus pedum, sed etiam pro teneritate ipsum Dominum secuta est affectu pietatis, fide religionis, & amore ardentissimæ charitatis. vt nunquam ab eius fide, atque dilectione auelli potuerit, quæ ... Spiritu sancto Angelo nunciante concepisse se nouit. Nam ipsum

1. Propter vnitatem carnis in matre & filio. (margin)

Psal. (margin)

2. Propter incorruptibilitatem. (margin)

Gen. 3. (margin)

Luc. 2. (margin)

3. Propter honorabilitatem. (margin)

Exod. 20. (margin)

Mat. 5. (margin)

Ioan. 8. (margin)

4. Propter dignitatem & sanctitatem. (margin)

5. Propter conformitatem. (margin)

Ioan. 12. (margin)

ipsum concepit, ipsum peperit, lactauit, baiulauit, à facie Herodis abscondit: ergo esse non debuit, nisi vbi est Christus. Et non tantum quomodo alij Sancti sunt, sed quadam speciali prærogatiua. Quoniam, sicut
Matth. 16. Matth. 16. c. scriptum est: *ipse reddet vnicuique iuxta opera sua* Si igitur omnium Sanctorum mors pretiosa est: mors Mariæ est pretiosissima, quam tanta concomitata est gratia. Si igitur in vita Mariæ præ omnibus donata est gratia, in morte profecto minuenda non est, sed vbi Christus filius Dei regnat mente & corpore collocata est. Rursus si Maria Christo conformissima fuit tanquam mater in puritate & in nobilitate, seu in regia dignitate: profecto non debet mater à filio, Regina à Rege, non tantum mentaliter, sed nec corporaliter separari. Ergo Maria mater Christi, Regina cœli, vna cum ipso debuit glorificata in
6. Propter æquitatem. anima & corpore in cœlestibus collocari. Sexto propter æquitatem, vt enim Ambrosius ait, Christus Dominus noster vtrunque sexum sanaturus aduenit. Proinde virum suscepit, natum tamen ex muliere. Perfecta autem curatio, atque perfecta liberatio in resurrectione manifestatur: ergo resurrectio in vtroque sexu manifestari debuit in testimonium perfectæ curationis. Sicut igitur quantum ad virilem sexum manifestata est, & in Christo apparuit: ita & in fœmina de-
Virgo sol est quantum ad gloriam animæ. buit apparere. In nulla autem alia fœmina manifestari congruentius potuit, vel debuit, atque decuit, quam in dulcissima matre Christi, quæ in vita libera extitit ab
Psal. omni corruptione. Et hoc est, quod Propheta in persona Domini ait. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.* Thronus siquidem Dei filij mater illius est, quæ in conspectu eius, sicut sol fulgens est, quantum ad gloriam animæ. Et sicut luna perfecta in æternum, quantum ad gloriam corporis sine defectu: proinde glo-
7. Propter integritatem. riæ resurrectionis fidelis est testis. Septimo propter integritatem, hoc est propter beatitudinis complementum. Nam, vt ait August. super Gen. ad literam, & Bernard. de diligendo Deum: propter appetitum administrandi corpus animæ retardantur, ne totaliter ferantur in Deum, tanquam in summum bonum, excepta sola anima Christi quæ vnita erat. Verbo vnitate personæ, quæ propter personalem vnionem in nullo retardabat, aut patiebatur gloriæ detrimentum. Cum igitur complementum gloriæ sit in reassumptione secundæ stolæ, inconueniens & indecens esse videtur, quod mater Dei, Regina cœli aliquod detrimentum gloriæ patiebatur. Ergo necesse fuit, vt corpus, licet propter conditionem carnis anima fuerit à corpore separata: tamen vna cum corpore postmodum extitit glorificata. In eodem quoque libro adducit Aug. exempla Scripturæ sacræ: ait enim Nam diuina voluntas inter crepitantes ignes non solum corpora triũ puerorũ illæsa, sed etiam vestimenta seruauit
Dan. 3. inusta, Dan. 3. Cur ergo non efficiat in matre propria, quod fecit in aliena? Seruauit Ionam in ventre Ceti
Ionæ. 2. incorruptum præter naturæ solitum cursum. Ionæ. 2. cap. & matrem præter naturam non seruabit incorru-
Dan. 14. ptam? Seruatus est Danieli in arctissimo, seu intemperatissimo lacu leonum, Dan. 14 Cur ergo non est seruanda Maria tantis dotata meritis dignitatum? Huic accedit quasi sensibile experimentum: Nam Hier. ait: Licet in medio vallis Iosaphat corpus eius fuerit tumulatum: tamen ibi non fuit inuentum, nec à quibus personis, aut quò translatum fuerit, inuenitur. Si igitur corpora aliorum Sanctorum, & reliquias, quæ latebant, Deus reuelauit, vt patet de B. Stephano, de beatis Geruasio & Protasio, & multis aliis, sicut historiæ tradunt: illas sacras reliquias & sanctissimum corpus, vt eis debita impenderetur reuerentia & honor exhiberetur, Dominus non reuelasset? Signum est igitur & argumentum, quod nusquam, remansit in terris: sed iam resuscitatum, atque glorificatum ibi purissimæ animæ in cælis est inseparabiliter reunitum. Nec cuiquam mirum videri debet, aut à quoquam inconueniens reputari: si eam quæ in vita omnem supergressa naturæ legem excessit creaturam Angelicam & humanam, in morte quoque naturæ mortalis legibus non potuit detineri. Quanto autem spatio temporis intercepto post animæ separationem corpus eius animæ fuerit reunitum atque glorificatum, arbitror scire neminem, nisi fortassis à Deo fuerit reuelatum. Traditur tamen, quamuis omnino non sit authenticum, quod cuidam sanctæ mulieri extitit reuelatum, quod beata Virgo secundo anno post ascensionem Domini, & tanto amplius, quantum est ab ascensione Domini vsque ad medium Augusti, quando eius assumptio celebratur, à corpore emigrauit: tandem post 40. dies, hoc est 5. Calend. Octob. caro illa & corpus illibatum Angelica coodiuum diligentia resuscitatum est, & gloriosæ animæ reunitum. Et sic gloriosa Virgo & mater in anima simul & corpore glorificata in cælis assumpta est, & ad filij dexteram collocata. Digne igitur de illa intelligi potest illud Prou. 11. *Mulier gloriosa inueniet gloriam.* scilicet tam in anima, quam in corpore *Prou.*
glorioso. Merito ergo dicitur: Amicta sole, quia gloriosa est in quadruplici dote designata in sole: habet enim sol primò claritatem, seu luciditatem: secundo subtilitatem: tertio impassibilitatem: quarto agilitatem. Et has quatuor dotes, tanquam sol, habet B. Virgo in suo corpore glorioso. Aduertendum est tamen, quòd secundum Alex. de Ales in 3. prima dos scilicet claritas, est principalis & ad eam cæteræ consequuntur. Primo enim ad ipsam consequitur subtilitas. Vnde lux per naturam habet subtilitatem ad corpora penetrandum, & maximæ quæ transparentia sunt, sicut in vitro patet, & in lapide crystallino, quæ penetrantur à luce. Secundo vero ad ipsam consequitur agilitas ipsa. Vnde modus & mutatio quasi subita est. Tertio autem ad ipsam consequitur impassibilitas vnde nullum ab aliis patitur inquinamentum. Quia igitur claritas omnes alias ponit proprietates, quæ sunt corporum Beatorum: & nulla ponit alias omnes. Ideo conuenienter per claritatem fit ostensio glorificationis corporis gloriosi scilicet quantum ad eius glorificationem. Proinde Dominus, Matth. 13. Gloriam gloriosi cor- *Matth.*
poris ostendere volens non multiplicat verba, sed eam integre, totaliter, & perfectè demonstrat per claritatem cum ait: *Fulgebunt iusti, sicut sol, in regno patris eorum* Hæc ille. Secundum tamen Richar. de Media villa in quarto, distinct. 9. Non sunt eiusdem speciei lux elementaris, & lux corporis cœlestis: sed lux elementaris, quasi quædam illius imitatio est: quemadmodum lux spiritualis animæ non est eiusdem speciei cum luce spirituali supernæ gloriæ, sed quædam imitatio eius. Similiter lux solaris non est eiusdem speciei cum luce corporis gloriosi, sed est illius similitudo, & imitatio quædam. Et hoc est in quolibet corpore glorioso. Sed lux corporis gloriosæ Virginis maior est, quàm futura sint omnia corpora Beatorum simul
sumpta, dempto glorioso corpore IESV Christi Ad- *Lux corporis gloriosæ virginis maior est quam futura sint omnia corpora beatorum simul sumpta.*
uertendum est autem, quod secundum Dionys. ad Dioscorum: Beatitudo non erit corporum, sed ab animabus redundat in corpora. Fit autem hoc modo. Primo enim intellectui propter meritum fidei datur visio Dei infallibilis veritatis, sicut 1. Corinth. 13. cap. *1. Cor. 13.*
Apostolus ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed quia spiritus illustratus, atque glorificatus erit in visione lucis æternæ, ideo claritatem suo corpori ministrabit: quia fulgebunt iusti, sicut sol, sicut prædictum est. Secundo vero propter meritum spei memoriæ dabitur tentio, seu possessio in patria inamissibilis dignitatis: de hoc Apostolus 1. Corint. 9. c. ait: *Sic currite vt comprehendatis*: sed *1. Cor. 9.*
quia tentione & possessione impassibilis Dei humanus spiritus omnino impassibilis factus erit: ideo corpori

corpori suo tam intra, quam extra omnimodam impassibilitatem præstabit. Vnde 1. Corint. 15. c. Apost. ait. *Seminatur corpus in corruptione, resurget in incorruptione.* Tertio autem voluntati propter meritum viatricis charitatis dabitur dilectio, seu fruitio in spiritu scilicet infastidibilis bonitatis. Vnde Iob 22. cap. ait, *Tunc super omnipotentem delicijs affl{u}es.* Sed quia delectatione, ac dilectione diuini spiritus voluntas erit summe spiritualis effecta: ideo correspondentem subtilitatem, & spiritualitatem corpori suo impartietur. Vnde 1. Corint. 15. cap. Apostolus ait: *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute* ecce subtilitas. Quarto autem, quia ex diuina visione, fruitione, atque possessione spiritus agilis & promptus erit ad tendendum in Dominum: ideo in suo corpore glorioso summam agilitatem & promptitudinem præstabit. Proinde primo Corinthiorum, capite decimo quinto, versu 44. D. Paulus Apostolus, inquit: *Seminatur corpus animale resurget corpus spirituale*: ecce agilitas, Et hæc est gloria singulorum & omnium Beatorum Et quanto in præsenti vita maior fides, firmior spes, & feruentior charitas fuerit: tanto clarior Dei visio, firmior, seu certior Dei tentio, & dulcior Dei fruitio, & dilectio animæ in præmium dabitur à sanctissima Trinitate: ac per consequens, sicut ex præcedentibus patet in corporibus Beatorum lucidior erit claritas, firmior impassibilitas, potior subtilitas, & leuior agilitas erit. His igitur declaratis, diligenter pensandum est, quod fides Virginis benedictæ tantæ fuit lucidicatis, & spes tantæ fuit stabilitatis, & charitas tantæ fuit immensitatis, quod superat omnem fidem, omnem spem, & omnem charitatem totius naturæ rationalis simul sumptæ. Considera quod fuit mater Dei, ad quam maternitatem pertingere minime possent propter suam fidem, spem, & charitatem, omnes creaturæ rationales simul sumptæ, etiam si vni tantummodo creaturæ illas communicaret Sed quanta fuit perfectio prædictarum virtutum in Virgine gloriosa, & quantum est præmium earumdem in cœlo, tantum per redundantiam gloriæ animæ in Virginis gloriosum corpus apparet in prædictis dotibus gloriosum, Proinde non immerito Bernard. in quodam sermone ait: Mariæ præsentia totus illustrabatur orbis. Hoc dicit de conuersatione sua in terris: sequitur adeo vt iam ipsa cælestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgore. Non immerito: Igitur Ioann. ait: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole.*

1.Cor.15. 3. — Iob.22. — 1.Cor.15. 4. — 1.Cor.15. — Quanto fuerit maior charitas eò maior gloria. — Quanta fuerit Virginis gloria non capitur.

De triplici natura lunæ, cui in præsenti vita Beata Virgo fuit assimilata.

Cap. II.

SEcundo Beata Virgo à Ioanne ostenditur luna honorata *Quia luna sub pedibus eius.* Quod duobus modis de Beata Virgine intelligi potest. Primo, dum vixit in præsenti vita: secundo vero, dum nunc regnat in gloria. Primo, dum vixit in præsenti vita. Habet enim luna mutabilitatem, frigiditatem, atque lucidi-tatem. Ac per eam significantur temporalia bona, mundana scientia, necnon & clara intelligentia. Primum quippe habet luna mutabilitatem, & significat temporalia bona, quæ mutabilia, & defectibilia sunt, vt luna. Porro cuncta temporalia sub pedibus tenuit Beata Virgo, dum viueret: quia omnia temporalia contemnendo calcauit, ne aliquo modo retardassent eius dilectionem ad Christum. Vnde merito Eccl. 24. ipsa ait: *Ego mater pulchræ dilectionis.* Amor enim commutabilis boni semper aliquo modo derogat amori incommutabilis boni. Proinde Augustinus decimo libro Confessionum ait: Minus te amat, qui tecum aliud amat, quod non propter te amat. Secundo habet luna frigiditatem, & significat mundanam scientiam & prudentiam frigidam, atque nocturnam. Et hanc sub pedibus Virgo habens partim eam spreuit, atque conculcauit, atque partim famulatui suo subiecit. Tertio habet luna lucididatem, & designat claram creaturarum intelligentiam. Et hanc etiam sub pedibus habuit Virgo beata. Nam omnium creaturarum cognitionem, actiuam, scilicet & passiuam in comparatione ad supereminentem Christi scientiam paruipendit. Huius inquam scientiæ particeps etiam erat Apostolus, qui ad Phil. 3. cap. de se dicebat, *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri.* Quanto magis igitur hoc in beata Virgine factum fuit, quæ mater extitit Saluatoris. Secundo modo intelligi potest de statu, quo nunc regnat in gloria. Et de hoc sufficiat.

Primo modo ... luna. — Non propter ... talium. — Non propter frigiditatem.

De triplici intellectu duodecim stellarum, quibus beata Virgo coronata est.

Cap. III.

TErtio beata Virgo ostenditur à Ioanne stellis coronata, quia subdit: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Quod tripliciter potest intelligi. Primo modo, vt duodecim stellæ coronæ eius sint duodecim Apostoli Christi, qui beatæ Virginis meritis fuerunt electi, & post ruinam in Christi morte ad fidem etiam reformati, ac per eius instructionem edocti. Nam & gloriosa Virgo Maria est singulariter ciuitas illa, de qua scribitur Apocal. 21. In qua omnes electi mystice continentur. In qua duodecim Apostolorum nomina ponuntur duodecim pretiosorum lapidum fundamenta. Et similiter duodecim margaritæ, ex quibus fiunt duodecim portæ, quæ designant patriarchas, qui omni lapide pretioso ornati sunt, & per quos fides venturi filij Dei meritis beatæ Virginis ad posteros pertransiuit. Secundo modo duodecim stellæ coronæ eius sunt duodecim luminosæ cognitiones, seu mentis Virginis illuminationes. Prima stella est cognitio corporalium naturarum, secunda est spiritualium substantiarum, tertia est scientiarum intellectualium, quarta virtutum affectualium, quinta institutarum diuinus legum, sexta infusarum diuinitus gratiarum, septima irreprehensibilium iudiciorum, octaua incomprehensibilium misericordiarum, nona remunerabilium meritorum, decima remuneratorum præmiorum, vndecima temporalium decursuum, duodecima est æternalium rationum. Tertio quoque modo duodecim stellæ in corona Virginis sunt duodecim beneficia, quæ ea regnante, & gloriosa in cœlo precibus suis impetrat nobis, qui militamus & laboramus in mundo. Prima enim stella est cæcorum illuminatio, secunda lapsorum subleuatio, tertia sordidorum purgatio, quarta desolatorum lætificatio, quinta tentatorum adiuuatio, sexta in aduersis roboratio, septima mortuorum resurrectio, octaua induratorum mollificatio, nona ad Iesum Christum directio, decima in hora mortis subuentio, vndecima purgatorij ignis refrigeratio, duodecima in gloria omnium lætificatio, quæ nobis meritis & precibus dulcissimæ matris suæ impartiatur dilectissimus filius suus Iesus Christus, qui cum Patre & Spiritusancto ipsam Virginem super omnes creaturas in gloria superexaltat, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Tripliciter intelligitur quod sit stellis coronata. — V. Maria quomodo est illa ciuitas sancta. — Duodecim sunt beneficia quæ nobis impetrantur à Virgine.

DE

DE EXALTATIONE Beatæ Virginis in gloria.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maximè continentur in hoc Sermone,

Qui est de Exaltatione beatæ Virginis in gloria, continet duos articulos, quorum primus decem, secundus vero tria habet capita.

Articuli primi, de eius admirabili gloria.

Cap. 1. *Quod B. Virgo est illud admirabile signum quo nobis reuelatur gratia, & gloria, atque intelligentia.*

Cap. 2. *De triplici cœlo in quo gloriosa Virgo monstrata est ad eius imitationis exemplum & gloriæ eius deuotionem.*

Cap. 3. *De triplici sole quo & anima & corpus gloriosæ Virginis solari lumine amicta totam irradiat paradisum.*

Cap. 4. *Quod quia beata Virgo est mater Dei meretur super omnes beatos in gloria exaltari.*

Cap. 5. *In quanta gloria super cunctos beatos sit gloriosa Virgo in paradiso ex sua dilectione.*

Cap. 6. *Quod in paradiso gloria matris Dei magis conformis est gloriæ Christi quam omnium Beatorum.*

Cap. 7 *Quod amorosus & approbatiuus affectus filij Dei ad matrem, eam super omnes beatos exaltauit.*

Cap. 8. *Quod Beata Virgo facit in gloria beatorum gradum super omnem alium excellentem.*

Cap. 9. *Quod B. Virgo plus infinitum Deo & eius filio vnitur quam omnes aliæ puræ creaturæ.*

Cap. 10. *Quanta largitate gratiæ & gloriæ beata Virgo à Deo dotata sit.*

Articuli secundi, De triplici honore quo honorata fuit & est beata Virgo.

Cap. 1. *Quod beata Virgo dum vixit omnia temporalia, intellectualia & effectualia superauit.*

Cap. 2. *Quanta accidentalis gloria & gaudia crescant in beatis omnibus ex Virgine gloriosa.*

Cap. 3. *De sapientia B. Virginis, & quomodo inuitata fuit ad cœlum & quod maximi scelerati eius meritis misericordiam assequuntur.*

Sermo XIII.

Articvlvs Primvs,

De eius admirabili gloria.

Psal. 44. CONTEMPLEMVR Beatam Virginem in gloria exaltatam. Et de hoc ait Psal. *A dextris tuis in vestitu deaurato.* A dextris siquidem Dei assistit B. Virgo, cum in potioribus bonis æternis, vltra

Quomodo Beata Virgo exaltata. omnes beatos post filium suum exaltata est: & hoc quidem in vestitu deaurato, id est cum corpore iam glorificato, ex cuius splendore post filium suum tota lucescit ciuitas beatorum. Et de hoc etiam Ioan. Apo-

Apoc. 12. cal. 12. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole.* Quod verbum potest esse thema in præsenti articulo, cum quis vult solum loqui de gloria Virginis, quam habet in regno Dei. In quo quidem verbo triplex mysterium declaratur. Primum significationis ibi. *signum magnum:* secundum apparitionis ibi, *apparuit in cælo:* tertium glorificationis ibi, *mulier ami-*

Apoc. 12. *cta sole,* Apoc. 12. c.

Quod B. Virgo est illud admirabile signum, quo nobis reuelatur gratia, & gloria atque intelligentia.

Cap. I.

PRimum est mysterium significationis. Et de hoc Ioan. ait: *Signum magnum apparuit.* Dicitur enim Virgo gloriosa signum magnum tripliciter: primo f. magnæ gratiæ. secundo magnæ gloriæ, tertio magnæ intelligentiæ. Primo enim fuit B. Virgo signum magnæ gratiæ in incarnatione Filij Dei, demonstratæ, & datæ. Signum enim operit, & claudit, quod signatum est. Sic & B. Virgo in immaculato vtero suo ex dono gratiæ magnæ & infinitæ clausit & operuit filium Dei pro nobis, quando scilicet *Verbum caro factum est, & habitauit in ea.* Vnde Ezech. 32. cap Dominus ait: *Solem nube tegam,* id est Christum in Virgine abscondam. Et Isa. 9. iterum dicit: *Dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel,* quod interpretatur nobiscum Deus. Ecce quod beata Virgo magnæ gratiæ signum est, dum cœlum, vel Deum per carnis assumptionem fecit esse nobiscum ex gratia sua. Propterea Gabriel Angelus, Luc. 1. cap. ad eam inquit: *Inuenisti enim gratiam apud Deum:* quia ipsa sola, & non alia creatura per Euam perditam nobis gratiam reinuenit. Vnde August. in sermone de Assumptione: Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria: Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Percussit illa, sanauit ista. Secundo est Virgo signum magnæ gloriæ tam vtique magnæ, quod sicut infra patebit, vltra quam dici possit, superat & lætificat omnes Angelicos ciues Vnde Ecclesiastici 43. *A luna signum diei festi.* Ad litteram enim in principio lunaris mensis, luna aspectibus hominum occultatur, & tamen à sole illuminatissima & ei coniunctissima est. Tunc etiam ad litteram apud Iudæos erat festum Neomeniæ. Sed & gloriosa Virgo Maria in Assumptione sua oculis hominū abscondita, & à tota Trinitate Deiformata, atque filio suo in gloriosa sede coniuncta: festum supernæ, ac magnæ gloriæ magno gaudio & lætitia consecrauit. Vnde Prou. 11. cap. scriptum est: *Mulier gloriosa,* id est, B V. *inuenit gloriam,* scil. nouam in Paradiso, sicut infra patebit. Et merito quidem inuenit gloriam nouam in cœlo quæ amissam gratiam inuenit in terra. Tertiò vero gloriosa virgo signum est magnæ intelligentiæ. Signum enim ducit in signati cognitionem: Sic Virgo Maria supra omnem aliam creaturam ducit in sapientiam & intelligentiam filij sui & Dei. Hinc Isai. 89. c. de ipsa Dominus ait: *Exaltabo ad populum meum signum meum,* id est, per signum vtique meum, quod est gloriosa Virgo: altam intelligentiam dabo de meipso & de filio meo, dicit Dominus. Propterea enim dicitur porta cœli, quia per eam alta & sacra cœli, & scripturarum, ac sacramentorum mysteria reserantur.

Isa. 9.

Luc.

De triplici cælo, in quo gloriosa Virgo monstrata est ad eius imitationis exemplum & gloriæ eius deuotionem.

Cap. II.

SEcundum mysterium, quod subdit Ioannes, est apparitionis. Vnde ait: *Apparuit in cælo.* In triplici enim cœlo apparuit hoc virginale, ac cœleste signum, primo in cœlo Ecclesiæ, secundo in cœlo gloriæ, tertio in cœlo animæ. Primo enim apparuit in cœlo ecclesiæ, scilicet militantis: de quo cœlo Apoc. 19. *Cælum nouum & terra noua.* In hoc apparuit Beata Virgo, vt omnibus bene viuendi præberet exemplum. Vnde Ambrosius lib de virginitate, de Virgine ait sic: Vt de cæteris virtutibus eius taceam, virgo erat non solum corpore, sed etiam mente: corde humilis,

verbis

verbis grauis, animo prudens, loquendi peritior, legendi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrer mentis: non hominem, sed Deum quærere, nullum lædere, omnibus bene velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi, virtutem amare. Quando ista fastidiuit humilem, quando risit debilem, quando vitauit inopem? nihil in oculis toruum, nihil in verbis procax, nihil in actu verecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa species corporis simulacrum fuerit mentis, & figura probitatis. Talem Euangelista monstrauit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis moror? quæ digna fuit, vt ex ea filius Dei nasceretur. Denique vt verbo eiusdem Ambrosij ibidem concludam: talis fuit Maria, vt eius solius vita omnium sit disciplina. Ecce, quod beata Virgo exemplum omnium virtutum est toti ecclesiæ militanti. Secundo autem hoc virginale signum apparuit in cælo gloriæ, cum scilicet in anima & corpore in cœlum assumpta est, ex qua tota cœlestis curia decoratur. Vnde beatus Bernardus in quodam sermone ait sic: Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeo vt ipsa iam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgore. Hinc Ecclesiast. 44. cap. *Species cæli in visione gloriæ*, scilicet Virginis matris Dei. Tertio insuper hoc virginale signum apparet in cælo animæ: de quo cœlo Propheta ait: *Cælum cæli Domino*. Cœlum enim cum à celando dictum sit, animam designare potest, quæ nobis celata manet. Hæc autem cœlum cœli merito dicta est, eo quod pro cœlo creata sit. Hoc igitur Virginis signum apparet in cœlo animæ, scilicet quando quilibet iustus, seu peccator, deuotionis Virginis non est oblitus: Sed in hoc mari sæculi, periculis pleno, deuotionis oculos ad Mariam, quæ dicitur stella maris, instanter leuat. Vnde Bernardus in quodam sermone ait: Si criminum immanitate turbatus es, si conscientiæ fœditate confusus, si iudicij horrore perterritus, si barathro desperationis incipias absorberi: Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore. Nam ipsam cogitans, non erras: ipsam rogans non desperas: ipsam sequens, non deuias: ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, peruenis. Hæc ille. Et sic in temetipso experiri poteris, quam merito dictum sit nomen Virginis Mariæ maris stella. Oportet enim vniuersos Christicolas inter fluctus huius sæculi nauigantes attendere hanc maris stellam, quæ supremo cardini id est, Deo, proxima est: & respectu exempli eius cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ ventis, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur Scyllæa voragine voluptatum, sed prospere veniet ad portum quietis æternæ. Hæc Bernardus.

ndo in gloria. — *44.* — *io in anima.* — *il vnde.* — *...mum Maria ...lium.* [left margin notes, partly cut off]

De triplici sole, quo & anima & corpus gloriosa Virginis solari lumine amicta totum irradiat paradisum.

Cap. III.

Tertium mysterium, quod subditur à Ioanne, glorificationis dictum est, de quo subiungitur: *Mulier amicta sole*. Triplici enim sole dicitur amicta Beata Virgo. Primo sole amoris, secundo sole splendoris, tertio sole fulgoris. Primum autem pertinere videtur ad voluntatem eius, quæ Dei amore feruet: secundum vero ad intellectum eius, qui Dei lumine splendet: tertium autem ad corpus eius, quod totum paradisum vltra omnes beatos fulgoribus replet. Primo enim dicitur amicta sole scilicet amantissimi & ignitissimi amoris, quo scilicet supra omnes beatos diligit Deum, & filium suum IESVM Christum Dominum nostrum. Vnde beatus Bernard. Hoc enim amoris igne labia Prophetæ purgantur, isto quoque Seraphin accenduntur: longè vero altius hæc Virgo meruit, non velut summatim tangi, sed operiri: magis autem circumfundi, & tanquam ipso igne concludi, &c. Sanè candidissimus atque calidissimus huiusmodi mulieris amictus, cuius omnia tantum irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, vel saltem minus lucidum, sed nec tepidum liceat suspicari. Hæc Bern. Secundo autem dicitur Beata Virgo esse amicta sole splendoris, scilicet quoad lucem gloriæ, quam in anima habet. Vnde idem Bernard. Denique ipsa est mulier amicta sole, id est induta ineffabili claritate, amicta inquam lumine, sicut vestimento, de quo ait Apost. Induimini vestimentum Dominum IESVM Christum. Nam gloria ipsius Dei super omnem creaturam ornata fuit. Tertio etiam B. Virgo dicitur amicta sole fulgoris, scilicet quo ad lucem, quam habet etiam in corpore ex redundantia gloriæ, quæ sibi à Deo in anima datur, de qua Bernard. ait: Quam familiaris ei facta es, ô Domina, quam proxima, immo quam intima, vel vicina: vestisti eum substantia carnis, & ille te gloria suæ maiestatis: vestisti nube solem, & ipso sole vestiris, scilicet tam in corpore, quam in anima. Tantum enim differt gloria Virginis à gloria aliorum beatorum, quantum sol à cæteris luminaribus cœli: & quodammodo sicut cætera luminaria irradiantur à sole, sic tota cœlestis curia à gloriosa Virgine lætificatur & decoratur. Vnde Bernard. in sermone de Assumptione ait: Itaque gloriosa Virgo dum cœlos ascendit, etiam supernorum gaudia ciuium copiosis augmentis cumulauit. Nam si paruuli, necdum nati Ioannis anima liquefacta est, vt Maria locuta est: quænam fuit illa exultatio cœlestium, cum & eius audire vocem, & videre faciem, eiusque beata præsentia frui meruerint? Et iterum August. in quodam sermone de natiuitate Virginis ait: Ipsum cœlum, quod penetrasti, necnon cuncta, quæ in eo sunt contenta, noua & ineffabili gloria decorasti, prioremque eius gloriam vltra quam dici potest, tua præsentia magnificasti: nouaillic ac præcellenti tuarum virtutum dignitate irradias, immensaque gratiarum tuarum luce perlustras. Quanta autem in paradiso sit gloria Virginis benedictæ septem excellentiæ, seu dignitates, quibus gloriosa præfulget, manifestè ostendunt, prima dicitur maternitas, secunda charitas, tertia conformitas, quarta tranquillitas, quinta capacitas, sexta, vnitas, septima largitas nominatur.

Virgo triplici sole dicitur amicta. — *Primo sole amoris.* — *Secundo sole splendoris.* — *Tertio sole fulgoris.* — *In quo differt gloria B. Virginis à gloria beatorum.* — *Quanta sit Virginis gloria septem ostendunt excellentia.* [margin notes]

Quod quia Beata Virgo est mater Dei, meretur super omnes beatos in gloria exaltari.

Cap. IV.

Prima enim dignitas, seu excellentia Virginis gloriosæ, quæ eius gloriam magnam ostendit, Maternitas dicta est. Maxima nempe excellentia est, quod Virgo beata sit mater Dei: maius est enim quod ipsa sit mater Dei, quam quod sit Domina creaturarum Dei. Hoc enim dependet ab illo, sicut ramus à sua radice, ergo certitudinaliter tenendum est, quod ipsa est super omnes ordines Angelorum, tanquam per se implens & continens vnum integrum, ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congruè non potest addi: quia ipse status ex sui ratione propter dignitatem incommunicabilem exigit vnitatē. Sicut enim nullatenus decet plures esse Christos, nec Deum plures homines esse: sic nullo modo decet Dei filium, nisi vnam matrem naturalem habere. Item ratio naturalis ex gratuita lege apertè ac directè dictat, quod mater Regis omnium est in sede

B. Virgo est mater Dei, & in hoc cõprehenditur maxima eius præstantia. [margin note]

Regia super omnes ordines ministrorum & militum collocanda. Vnde quia est electa ad dignitatem ministrorum & famulorum, quia ratio materni amoris eius, qui fertur in Deum, vt in suum filium realem à nullo alio affectu cuiuscunque, qui non est realiter mater Dei, præterquam ab ipsa participari potest. Nam vt dicitur Heb. 1. *Sicut filius Dei sedet à dextris maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*, quod nomen est, vt sit vere Deus per gratiam vnionis: sic & mater Domini nostri IESV, gloriosa Maria, tanto melior est Angelis effecta, quanto præ omnibus creaturis hæreditauit, vt obtineret dignissimæ matris nomen. Vnde Propheta ait: *Eleuata est magnificentia tua super cœlos Deus*. Magnificentia enim Dei dicta est Virgo Maria. Nam sicut in prima conditione magnificatus est Deus, quia de nihilo tam sublime vniuersum, & tam sublimes Angelos condidit: sic quoque in reparatione non minus magnificatus est, quia de humana natura infecta, perdita & damnata, Christum hominem propagauit, & de muliebri sexu in ordinem rationalium secundum communem cursum infimo, & matrem sibi & toti cœlesti curiæ dedit. In quo quidem apparet, quod magnus & excelsus Dominus humilia respicit. *Ideo respexit humilitatem ancillæ suæ*. Luc. 1. vt ea hoc magnificent eum omnes generationes Angelicæ & humanæ: quia sicut magnificentia diuinæ virtutis, & imperiositas in homine Christo resplendet: sic viscerosa, tenera, & materna magnificentia pietatis ea Christi matre resplendescat. Et hoc quidem in tantum, quod sicut Christus spiritualiter est genitus & conceptus in corde vniuscuiusque beati & iusti: sic exemplo naturalis matris filij Dei omnes in ipsam, vt in verum filium inardescant. Hæc autem matris magnificentia amplius magnificat Deum, quam omnis alia creatura simul sumpta, vnde merito eleuata dicitur super cœlos, id est, super Angelos vniuersos.

Heb. 1. — *Psal. 8.* — *Luc. 1.* — *Merito dicitur eleuata super cælos.*

In quanta gloria super cunctos beatos sit gloriosa Virgo in paradiso ex sua dilectione.

CAP. V.

Secunda excellentia Virginis charitas. Omnes status excedit B. Virgo sua excellentia.

SEcunda excellentia Virginis, quæ magnam eius gloriam ostendit, charitas nuncupatur. Omnes nempe ordines & status gloriæ principaliter distinguuntur secundum superiores & inferiores rationes diuini amoris. Non enim in communi ratione charitatis distingui possunt, cum omnes participent illam, nec per aliquam rationem, quæ non sit ratio diuini amoris, potest vnus super alterum in maiori propinquitate, seu intimitate ad Deum superlocari. Maternus igitur amor incomparabiliter transcendere debet omnes alias rationes amoris in Deum, præter illam, quæ est in anima Christi, quæ scilicet fertur realiter in Deum, tanquam in propriam personam.

Quod in paradiso gloria matris Dei magis conformis est gloria Christi, quam omnium beatorum.

CAP. VI.

Tertia excellentia Virginis conformitas.

TErtia autem excellentia Virginis magnitudinem gloriæ eius ostendens, Conformitas nominatur. Nam anima Christi, & Christus in quantum homo, transcendit omnem ordinem puræ creaturæ, seu creatæ naturæ. Gradus autem matris conformis est ipsi homini Christo, cuius humanatio in tantum transcendit omnem ordinem primæ conditionis, quod est omnino extra & supra integritatem ordinis vniuersi: propterea non potuit ab vniuerso capi, sed dignitas maternitatis Dei sic operi incarnationis connexa est, quod omnino aliter non potuit dari. Vnde Ecclesia ad Virginem ait: Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Vnde B. Virgo, Eccles. 24. de se ait: *Gyrum cœli circuiui sola*. Igitur huius maternitatis, atque maternæ dignitatis ordo est supra totalem integritatem primi ordinis vniuersi, & per consequens super totalem dignitatem & integritatem Angelicorum ordinum, atque hierarchiarum. Vnde Bern. in quodam sermone ait: O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus mundus comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ appendit.

Con... gratia ... gremio Christi. Eccl. 24.

Quod amorosus & approbatiuus aspectus filij Dei ad matrem, eam super omnes beatos exaltauit.

CAP. VII.

Quarta excellentia transfusa... Dei ad... in beatos.

QVarta excellentia magnitudinem gloriosæ Virginis monstrans, tranquillitas dici potest. Christi enim filialis aspectus ad matrem, singularissimus, & amorosissimus, ac transcendentissimus esse debet, ita quod totam cœlestem curiam simul sumptam præter matrem, non debet aspicere sub tali reuerentia, nec sub ordine talis aspectus, seu amoris. Quanto autem Deâ aspectus altius fertur in aliquem beatorum, tanto fortius & altius per beatitudinem se imprimit illi, ac tanto altius conspicitur, ac suscipitur & acceptatur ab eo. Igitur inexplicabile est, sub quanta altitudine, latitudine & gloriæ intimitate Dei filius se ingerit suæ matri. Et consimiliter sub quanta altitudine, latitudine & intimitate suscipitur ab eadem. Talis autem Dei ad eos fixio gloriæ in huiusmodi aspectibus beatorum, eorum si quidem gloriæ sedes est. Vnde antedictus aspectus Dei ad matrem, sua regia est sedes, & eius in illo sessio, seu fixio est eius regalis & gloriosa corona. Vnde Hieron. in sermone de Assumptione: Nec in mundo locus dignior fuit virginalis vteri templo, in quo Mariæ Dei filium suscepit: nec in cœlis sublimior regali solio, quo Mariam Mariæ filius sublimauit.

Hier.

Quod beata virgo facit in gloria beatorum gradum super omnem alium excellentem.

CAP. VIII.

Quinta excellentia capacitas.

QVinta excellentia Virginis, capacitas dicta est. Secundum Dionys. in regno cœlorum omnia inferiorum dona in superioribus in tanta præexcellentia sunt, quod quasi nulla est comparatio, nisi sicut est circumferentia ad suum centrum. Cum ergo beata Virgo supra omnem ordinem sit in tantum, quod per se faciat ordinem incommunicabilem, sicut prædictum est: sequitur quod super omnes inferiores ordines tam Angelorum quam hominum simul sumptorum ipsa improportionaliter est prælata, & quicquid est gloriæ in omni inferiori glorificata natura tam angelica quàm humana: multo præexcellentius est in Virgine matre Dei. Nec dubium hoc reddat aliorum beatorum multitudo numerosa & magna: quia hoc nihil facit ad rem maioritatis gloriæ essentialis, seu substantialis. Nam in spiritualibus idem maius, quod melius reputatur. Vnde plus de substantiali gloria est in vnico Seraphin, quam sit in omnibus inferioribus Angelis si per impossibile secundum numerum multiplicarentur in infinitum. Superaddendum quoque est, quod nullus inter puras creaturas ordo in cœlis in tantum superat ordinem immediatè sibi coniunctum, quantum gloria matris Dei superat omne quod ei inferius est. Ad hanc intelligentiam manu ducere potest consideratio ordinum, & graduum ecclesiasticorum. Nam quicquid possunt ordines inferiores, potest etiam sacerdotalis gradus, & incomparabiliter plus: sicut Episcopus super sacerdotes, & de Papa super

B. virgo sublimior cæteris sanctis.

per

per Episcopos idem patet. In corporibus vniuersi idem
quoque intelligi valet. Nam omnia superiora conti-
nent omnia inferiora & inæstimabiliter plus: sic & in
gradibus gloriæ infinita sapientia Dei plenissimè or-
dinauit. Nam secundum Apostolum ad Rom. 1. *Inuisi-* *...m. 1.*
bilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intel-
lecta conspiciuntur, id est, conspecta intelliguntur.

Quod Beata Virgo plus in infinitum Deo & eius filio vniatur, quam omnes aliæ puræ creaturæ.

Cap. IX.

...cta ex- SExta autem excellentia, vnitas nominatur. Quan-
...lentia to enim beati magis vniuntur cum Deo, tanto
...itas. gloriosiores fiunt in eo. Omnes enim creaturæ simul
Virgo iunctæ non tantum vniuntur Deo, quantum sola
...gis & beata Virgo. Ad cuius intelligentiam notandum est,
...ntur Deo quod sex sunt ascensus, seu gradus vnionis in Deum,
quibus creaturæ in eum gradatim ascendunt. Primo
est vnio creationis, secundus est cognitionis, tertius
est dilectionis, quartus glorificationis, quintus est ma-
1. ternalis conceptionis, sextus personalis vnionis. Pri-
mus autem vnionis ascensus est creationis, id est, per
participationem essendi, per quam entia coniungun-
tur Deo, vt causæ efficienti & exemplari atque finali.
2. Secundus est vnio cognitionis, scilicet, per vim in-
telligendi, per quam intellectualia vniuntur Deo, vt
obiecto intelligibili per gratiam fidei, qua vnimur
Deo, vt supernaturali credibili, & vt credito & cre-
3. dendo. Tertius est vnio dilectionis, scilicet per donum
gratificantis amoris, per quem vnimur Deo tanquam
4. amico & amato. Quartus est vnio glorificationis, sci-
licet per visionem, & fruitionem gloriæ sempiternæ,
per quam anima vnitur Deo vt obiecto beatifico, fa-
5. cialiter viso. Quintus est vnio maternalis conceptio-
nis, per quam beata Virgo facta est mater Dei, ita vt
vna atque eadem esset caro Virginis, & caro Christi,
6. non considerata in Christo diuinitate eius. Sextus
autem est personalis vnionis. In quolibet autem isto-
rum, quilibet excedit alterum in infinitum: quia in-
ferior in sua specie infinities multiplicatus, superiori
...us autem æquiparari non valet. Quod sic patere potest. Pri-
...radus ex- mum enim patet, quia esse in infinitum, excedit om-
...dit alium. ne esse, quia talia infinita non æquiualent minimo
puncto essendi. Secundum etiam patet, quia infinita
non intellectualia vni intellectui æquiualere non pos-
sunt. Tertium etiam similiter patet, quia omnes in-
tellectus infideles & inimici Dei non æquiualent vni
Prou. 16. fideli & amico Dei, vnde Prou. 16. cap. *Melior est vnus*
timens Deum, quàm mille filij impij. Quod quidem ve-
rum est, nisi pro quanto quidam ex eis in Dei præde-
stinatione pro tempore futuro habentur vt Dei fide-
les atque amici. Quartum etiam patet. Nam quicquid
dari potest circa visionem Dei, non æquiualet vni bea-
to, quia omnia simul sumpta non facerent vnum bea-
tum: quamuis pro quanto maior gradus gloriæ spe &
meritoriè, & per modum seminarij in dono gratiæ
comprehendatur, & quodammodo tale donum dici
valeat, quo ad quid excedere inferioris gloriæ gra-
dum. Quintum quoque patet. Nam illa vnio siue as-
census, qui est per originalem, seu maternalem con-
ceptionem transcendit omnes inferiores in infinitum,
prout in hoc ascensu includitur maternus amor sibi
correspondens vt plenariè consummatus. Quia sicut
communis amoris gradus consummatur in gloria: sic
Maternus maternus amor Dei consummatur in Maria. Sextum
amor consū- & vltimum insuper patet. Nam ascensus per persona-
matur in lem vnionem tantæ transcendentiæ est, quod reliqui
Maria. citra ipsum infinities multiplicati ei æquiualere non
possent. Et loquor prout in personali vnione inclu-

ditur beatifica reflexio mentis personaliter Deo vnitæ.
Ecce quòd huiusmodi ascensus vnionis in Deum, ad
maternalem conceptionem, in infinitum excedit om-
nes alios præcedentes. Ex quo manifestè apparet, quòd
quantum in præsenti seculo talis vnio excessit alias
vniones in gratia: tantum nunc in paradiso excedit
in gloria.

Quanta largitate gratiæ & gloriæ beata Virgo à Deo donata sit.

Cap. X.

SEptima excellentia Virginis gloriosæ eius magni- *Septima ex*
tudinem monstrans, largitas dici potest. Duplex *cellentia Vir-*
enim largitas beatæ Virgini à Deo donata est. Vna *ginis largi-*
gratiæ, altera gloriæ. Primo enim de largitate gratiæ *tas.*
in sermone de Assumptione Hier. ait de Virgine: *Gra-*
tia plena, & bene plena, quia cæteris quidem per par-
tes præstatur: Mariæ vero tota se simul infudit gratiæ *Duplex lar-*
plenitudo, quæ fuit in Christo, quamquam aliter, & *gitas B. Vir-*
aliter. Et addit: Nam in Christo fuit plenitudo gra- *ginis data à*
tiæ, sicut in capite influente: in Maria vero sicut in *Deo, gratia,*
collo transfundente. Ex quo patet, quòd excepto *& gloria.*
Christo: tanta gratia Virgini à Domino data est, quan-
ta vni puræ creaturæ dari possibile esset. Secundo au- *Tanta gra-*
tem data est illi largitas gloriæ. Nam in paradiso di- *tia data est*
uinæ gloriæ participatio, cæteris quodammodo per *Virgini Ma-*
partes datur. Sed secundum Bernard. beata Virgo *ria quanta*
Mariæ diuinæ sapientiæ profundissimam, vltra quam *possibilis est*
credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantum sine per- *pura creatu-*
sonali vnione creaturæ conditio patitur, illi luci inac- *ra.*
cessibili videatur immersa.

Articvlvs Secvndvs.

De triplici honore, quo honorata fuit, & est beata Virgo.

SEcundo contemplemur beatam Virginem ab om-
nibus honoratam, cùm de ista probata subdat:
Circundata varietate, scilicet, astat beata Virgo à dex-
tris Dei. Triplici enim varietate circundata assistit. Pri- *B. Virgo tri-*
mo, scilicet eminentiarum, secundo differentiarum, *plici varie-*
tertio gratiarum. Primam habuit antequam ascende- *tate circun-*
ret in cœlum. Secundam in cœlo. Tertiam nobis dis- *data est.*
pensat de cœlo. Ex quibus omnibus in summo glori-
ficatur & honoratur.

Quod beata Virgo dum vixit, omnia temporalia, intellectualia & affectualia superauit.

Cap. I.

PRima autem varietas, qua beata Virgo circundata *Tres sunt*
assistit à dextris Dei, est eminentiarum. Tres enim *eminentiæ*
sunt eminentiæ præsentis vitæ, quibus honorata fuit *præsentis*
beata Virgo. Prima temporalium, secunda intellectua- *vitæ, quibus*
lium, tertia affectualium. Hæc signantur in luna, *B. virgo de-*
quæ tres habet naturas. Primo est mutabilis: ecce *corata est.*
temporalia. Secundo est lucida: ecce intellectualia.
Tertio frigida: ecce affectualia, quæ omnia quasi luna
sub pedibus beatæ Virginis prostrata fuerunt. Prima *Bona tem-*
eminentia est temporalium: valde enim eminentia re- *poralia licet*
putantur ista temporalia bona, tamen sunt mutabilia & *maximè*
defectibilia, sicut luna. Hæc autem habuit beata Virgo *æstimentur*
sub pedibus suis, quia suis affectibus per contemptum *sunt muta-*
omnia subiugauit, ne scilicet aliquo modo eius dile- *bilia.*
ctionem ad alium variarent. Amor enim commutabi-
lis boni semper aliquo modo derogat amori boni,
quod incommutabile est. Propterea lib. 10. confessio-
num August. ad Deum ait: Domine minus te amat, qui
tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Secũda

Magna fuit B. Virginis cognitio. vero eminentia est intellectualium. Nam omnium scientiarum & creaturarum cognitionem actiuam & passiuam beata Virgo in comparatione ad supereminentem Christi scientiam paruipendit: *Ecce luna sub pedibus eius.* Hoc etiam participabat Apostolus, qui ad Philip. 3. c. de se dicebat: *Quæ mihi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei.* Tertia autem eminentia est affectualium. Tanta enim fuit dilectio, qua beata Virgo etiam in vita præsenti dilexit Christum, quòd omnes amores præsentis vitæ præteriti, præsentes atque futuri respectu huius sunt quasi luna sub pedibus eius. Vnde Ecclesiast. 24. c. beata Virgo merito de se ait: *Ego mater pulchræ dilectionis*: quasi diceret. Quia sum mater Dei, habeo dilectionem tanta pulchritudine eminentem ab omni alia, quantum eminet sol à luna.

Philip. 3. *Amor Virginis quarumque excedit dilectiones.* *Eccl. 24.*

Quanta accidentalis gloria, & gaudia crescant in beatis omnibus ex Virgine gloriosa.

CAP. II.

Secunda autem varietas, qua circúdata assistit beata Virgo à dextris Dei, est differentiarum, quæ reperiuntur in gloria beatorum, sicut Dominus Ioan. 14. c. ait, *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Et iterum 1. Cor. 15. c. *Stella à stella differt in claritate*, id est, beatus ab alio beato in beatitudine. i. in quantitate gloriæ differt. Est nihilominus aduertendum, secundum Rich. & Bonau. in 4. dist. 49. quod in beatitudine duo consideranda sunt. Primo beatitudinis obiectum, scil. increatum bonum, quod existens vnum, & idem participatur ab omnibus. Secundo consideranda est ipsa dispositio beatorum, per quam illud bonum claré videndo, & perfecté diligendo participant ipsum. Ex parte ergo obiecti participati nullus alio beatior est, sed omnes in gloria sunt æquales: quia idem est obiectum, quod participant omnes. Sed ex parte dispositionis beatorum vnus alio beatior est, in quantum, scilicet vnus alio clarius Deum videt, & perfectius amat. Qui enim æqualem habentes virtutem naturæ, habent inæqualem habitum gloriæ, vel æqualem habentes habitum gloriæ, habent inæqualem virtutem naturæ, inæqualiter Deum vident, & diligunt, & ex consequenti inæqualiter sunt beati propter inæqualem ex parte beatorum dispositionem. Vnde glo. super illud Ioan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, dicit. i. diuersa præmia meritorum. His igitur præmissis notandum, quod immensa dilectio beatorum, quam inter se mutuo habent: multiplicat inter eos, quasi in infinitum, numerum gaudiorum secundum perfectionem diligentium & dilectorum, ex quo crescunt stupendo modo differentiæ accidentalis gloriæ inter illos. Tres enim differentiæ sunt inter beatos. Quidam inter se gloria sunt æquales. Quidam vero maiores. Quidam autem minores. Inter eos secundum August. super Ioan. inter eos non erit inuidia aliqua disparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus vnitas charitatis. Et Gregor. in Moralibus. Tanta vis in illa pace lætificat, vt quod in se quisque non accepit, hoc se accepisse in alio exultet: vna eunctis erit beatitudo lætifica, quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ. Et ab omnibus his sic concordibus honorabitur Virgo beata. Primo enim sunt quidam, qui inter se in gloria sunt æquales, & hi duplicant prædictam accidentalem gloriam inter se per quolibet ex amore. Ratio huius est, quia inæquali mensura se diligunt, & se diligere cognoscunt. Ex quo quilibet beatus de quolibet sibi in gloria coæquali tantum gaudet, quantum de semetipso, extensiuè tamen, non intensiuè. Et idem de consimilibus in præsenti

Ioan. 14. *1. Cor. 15.* *In beatitudine duo sunt consideranda.* *Ex parte obiecti nullus alio essentialiter beatior est.* *Ioan. 14.* *Tres differentiæ inter beatos.* *Gaudiũ beatorũ de aliorum felicitate.*

concordia intelligendum est, secundum Richard. Secundo autem quidam in gloria sunt maiores: & hi duplicant sibi gloriam accidentalem, pro quolibet qui in gloria est eis minor, & hoc non quia se videant diligere, quantum diligunt: sed quia de gloria illorum quorumlibet minorum tantum gaudeant, quantum de sua propria: eum quemcunque secundum suam capacitatem intelligant gloriosum. Vnde Petrus plus gaudet de bono Lini, quàm ipse Linus: tamen secundum Bonau. in 4. dist. 49. in fine: ex hoc non sequitur, quod tantum gaudeat, quantum si haberet illud bonum: quia si haberet illud, haberet maiorem charitatem & potestatem intensius gaudendi. Tertio vero quidam in gloria sunt minores: & hi toties duplicant gloriam suam accidentalem, quoties gloriosiores se esse cognoscunt eos, qui propter amorem eorum duplicant gaudium suum. Nunc autem minores Sancti conspiciunt aliquem Sanctum decies in gloria se maiorem, quendam vero centies, aliquem vero millies, alium centies millies, alterum mille millies. Et huiusmodi facti maiores, quasi infinita millia sunt: vnde, hi minores quoties intelligunt eum gloriosiorem esse beatum, toties duplicant gaudium suum, cum cognoscant se tantum diligi à quolibet suo maiori, quòd in quolibet eorum propter eos gloria duplicatur. Nunc igitur ad propositum statuamus ex vna parte integraliter totum amorem, quem adinuicem habent Sancti, atque ex altera parte amorem, quo minor beatos diligit Virginem gloriosam: Et credo quod talis amor minimi gloriosi excedat omnem, alium beatorum simul sumptum tam angelicum, quam humanum non inspiratum in beatam Virginem, aut in Christum hominem, seu in ipsum Deum. Et licet de hoc plures possent rationes dari, tamen cauta breuitatis quatuor subiungamus. Est autem hoc primo ratione conceptionis. Talis enim minimus beatus claré cognoscit, quòd beata Virgo, cum sit mater Dei; plus potuit pro sua salute, quàm potuerit, vel ponere possit tota rationalis natura simul sumpta, considerata excellentia dilectissimi filij sui, qui fuit instrumentum suæ redemptionis, saluationis & glorificationis: consideratis etiam Virginis meritis, & suffragiis, & exemplis. Secunda ratione compassionis. Talis nempe beatus apertè intelligit, quòd tota rationalis natura non sustinuit, nec sustinere posset tantum dolorem & pœnam pro sua redemptione, quantum sola sustinuit mater Dei considerata dilectione, qua filium suum amauit, secundum quosdam. Tantus enim fuit dolor Virginis in morte Christi, sicut Luc. 2. ei prædixerat Simeon, quando ait: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, quòd si in omnes creaturas, quæ pati possunt diuideretur, omnes subito interirent. Hic tamen dolor virtute illius spiritus, qui superuenit in eam, in Virginis anima claudebatur, quòd nullæ sensitiuæ parti corporis, ne ante debitum tempus subito moreretur, permittebatur effundi. Tertio ratione glorificationis. Tanta est autem gloria Virginis matris Dei, sicut ex præcedentibus patet, quòd tantum excedit in gloria naturam angelicam & humanam simul iunctam, quantum circunferentia firmamenti excedit in magnitudine suum centrum, cum intelligat in filio sito quasi alterum ipsum diuinitate vestitum. Quarto ratione dilectionis. Tantus etenim est amor beatæ Virginis ad quemlibet minimum gloriosum, quòd omnis amor, quo in regno cœlorum natura angelica, & humana diligit aliquem iam beatum, est sicut prædicitur, quasi centrum ad circumferentiam firmamenti, vel minus respectu amoris, quo ipsa Virgo gloriosa minimum beatum amat considerato fontali principio, vnde talis amor originem habet. Propter hunc autem amorē Virginis gaudium duplicatur, dum eum iuxta capacitatem suam cernit pleno, & quieto desiderio gloriosum. Et sic per hunc amorem, & per hunc modum

Alij sunt in gloria maiores, & duplicant sibi gloriam accidentalem. *D. Bon. in 4. dist. 49. in fine.* *Rationes amoris beatorum in virginem Mariam.* *1. Conceptionis.* *2. Compassionis.* *Luc. 2.* *Dolor B. virginis in morte filij.* *3. Glorificationis.* *4. Dilectionis.* *Amor virginis in beatos.*

pro

Sanctorum gaudium in cœlo multiplicatur. pro quolibet Sancto Virginis gaudium in cœlo multiplicatur. Videns autem minimus Sanctus se tantum diligi à Virgine gloriosa, quòd propter eum tanta gloria in ea crescit, in tantum inflammatur in eius amorem, ac in tantum læficatur de gloria eius, quòd quoties eam intelligit se in gloria superare, toties de gloria eius plusquàm de propria iucundatur. Si igitur minimus Sanctus, qui est in regno cœlorum, tantum à beata Virgine dilectus est, & tantum sicut prædicitur, diligit eam: necessario sequitur, quòd omnes Sancti qui eo maiores sunt in gloria, amplius diligantur ab ea, atque amplius per amorem exardescant in eam. Ex quo accidentalis gloria, secundum prædictum modum, in ea propter illos, & in omnibus eis propter eam multiplicatur. Quis igitur exprimere posset infinitatem gaudij & amoris, quibus actiuè & passiuè gloriosa Virgo Maria hac triplici differentia accidentali gloria vndè circundatur & honoratur? Omnes tamen hæ tres differentiæ beatorum possunt dici luna sub pedibus Virginis collocata: quasi indicare velit, quod tantum differt eius accidentalis gloria à gloria omnium prædictorum, quantum sol à proprietatibus lunæ.

De sapientia beatæ Virginis, & quomodo inuitata fuit ad cœlum, & quod maximi scelerati, eius meritis, misericordiam assequuntur.

CAP. III.

Gratia per Virginē nobis dispensatur. Tertia autem varietas, qua circundata assistit gloriosa Virgo à dextris Dei, est gratiarum: quæ scilicet nobis in hoc sæculo dispensantur per eam, vnde maxime honoratur. Dictum est enim quod nulla gratia de cœlo, nisi ea dispensante, ad nos descendit. Hoc enim singulare officium diuinitus ab æterno adepta est, sicut Prou. 8. cap. ipsa testatur dicens, *Ab* Prou. 8. *æterno ordinata sum*, scilicet dispensatrix gratiarum cœlestium. Hinc quoque Cant 4. c. ad hoc officium eam Cant. 4. inuitans sponsus ait: *Veni de Libano sponsa mea: veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana: de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* In quibus sanctissimis verbis tripliciter Virginem Mariam contemplatur: primo candidatam, secundo inuitatam, tertio coronatam. Primo inquam contemplatur Virginem candidatam. Libanus enim candi- B. Virgo triplici candore refulsit. datio interpretatur. Triplici enim candore refulsit beata Virgo. Primo candore diuinalis sapientiæ, secundo candore virginalis innocentiæ; tertio candore con- Primo refulsit candore diuinalis sapientiæ. uersationis honestissimæ. Primo enim refulsit candore diuinalis sapientiæ, cum ipsa fuerit candor lucis æternæ & speculum sine macula & speciosior sole. Tanto enim lumine illustrata fuit beata Virgo, cum etiam esset in ventre matris, quod non tantum plena fuit lumine rationis, sed etiam altissimæ contemplationis. In quo quidem lumine perfectè hæc quatuor intellexit, scilicet secundum genera singulorum, secundum quosdam. Primo naturam creatam irrationalem, secundo naturam creatam rationalem, tertio naturam creatam spiritualem, quarto naturam increatam diuinalem. Quæ distinctio cognitionem creatoris & omnis creaturæ in se comprehendit, quis in lumine creatoris cognouit omnes alias creaturas, sicut Pro- Psal. 35. pheta ait, *In lumine tuo videbimus lumen.* Ad tantam enim contemplationem sublimata est, vt perfectius etiam in ventre matris contemplaretur Deum, quam vnquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate: magisque in contemplatione Dei excessit dormiendo, Cant. 5. dormiendo vigilans. quam aliquis alius vigilando, sicut ipsa Cant. 5. c. testatur dicens. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ecce

candor sapientiæ diuinalis. Secundo refulsit candore *Refulsit candore Virginalis innocentiæ.* virginalis innocentiæ. Vnde omnis cordis eius conceptus, quasi Nazaræi fuerunt candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores, sicut dicitur Thren. 4. Tertio refulsit can- *Tertio refulsit candore conuersationis honestissimæ.* dore conuersationis honestissimæ & omni virtute compositæ. Vnde Hieron. in sermone de Assumptione. Si diligenter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ & nihil candoris, quod non resplendeat in Virgine gloriosa. Secundo contemplemur *Primo ad mundum relinquendum.* Virginē inuitatam: quia tripliciter inuitatur. Primo relinquere mundum, secundo ascendere cœlum, tertio intrare in Deum. Primo enim inuitatur relinquere mundum, propterea dicitur ei: *Veni*, scilicet de loco miseriæ huius mundi. Hinc Cant. 2. ait ad eam sponsus: *Surge propera amica mea, & veni.* id est, relinque mundanas miserias, & corruptiones. Et sequitur: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Corpus etenim Christi petræ perforatæ, & maceriæ depulsæ merito comparatur: quia tempore passionis plenum fuit foraminibus sensuum, & pœnalitatibus passionum: propterea enim vocat Virginem columbam in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, quia quamdiu vixit, dilatato intuitu & spatioso volatu per foramina passionum corporis IESV Christi, & per cauernā vulneris lateralis semper in eius doloribus gemuit, & continuè latitauit. Sed nunc ad resurrectionis gaudium inuitatur. Secundo inuitatur ascendere cœlum, *Secundo inuitatur ad cœlum conscendendum.* scilicet progrediendo per choros Hierarchiarum cœlestium. Nam inuitat eam IESVS, vt per medium Angelorum transiens illorum vallata societate, omnium beatorum spirituum superet dignitatem. Vnde Cant. 2. c. ait: *Surge: propera amica mea, columba mea,* Cant. 2. *formosa mea, & veni, Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Hi siquidem flores, angelici spiritus sunt, qui in terra, apparuerunt ad Virginem, de huius vitæ ergastulo educendam. Hi enim ascenderunt cum Virgine ascendente desuper riuos aquarum, & sicut dies verni circundabant eam flores rosarum & lilia conuallium. Tertio autem inuitatur intrare in Deum, id est suscipere ab eo gloriam sempiternam, quasi dicatur ei: Ve- *Tertio inuitatur ad gloriam suscipiendam.* ni dilectissima sponsa mater, & filia, ingredere in hortum deliciarum ad inaccessibile secretum & ad delectamentum diuinarum personarum in medio Trinitatis beatissimæ introducta. Vnde Cant. 5. cap. ait Cant. 5. sponsus ad eam: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum meum cum melle meo.* Hic est hortus ille Assueri beati Dei, qui regia manu & culto consitus erat. He- Hest. 1. ster 1. cap. In hoc horto factum est conuiuium grande pro nuptiis & coniunctione Hester, *quam adama-* Hest. 2. *uit Rex Deus super omnes mulieres*, id est super omnes creaturas: *& posuit diadema regni super caput suum*, & voluit eam esse reginam, Hester 2. cap. Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat & fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post filium participant vniuersi. Tertio contemplatur Virginem coronatam, quia subditur, *Coronaberis*, &c. Quinque enim singularissimas gratias impetrat misericordissima mater super impios peccatores, vt conuertantur ad Deum, quæ dici possunt quinque lapides pretiosi hanc coronam Virginis adornantes, vt apertè clarescat, quod gloria sua tantum habet in alios redundare, quod post filium suum ipsa fit singularis ratio salutis peccatorum. Nam propter Virginis immēsam dilectionem tam ipse Christus, quam tota etiam beatissima Trinitas sceleratissimis peccatoribus frequēter indulget. Primus igitur lapis dicitur Amana, ait *Amana quid notat.* enim, *coronaberis in capite Amana.* Amana enim mons Siciliæ

Siciliæ eſt, & inimicus ei, vel coanguſtians eum, ſeu comprimena com, aut an guſtiator eius interpretatur. Deſignat enim homines partiales, tyrannos & crudeles homicidas & pauperum oppreſſores, viduarum & pupillarom deuoratotes, ſed in capite huius montia deſignatur ſūmitas in ſceleribus ſupradictis. Secundus

Sanir mons in Iudæa quid deſignat.

lapis Sannir dictus eſt. Vnde ſubdit *de vertice Sanmr.* Sannir enim mons eſt in Iudæa, in quo leonea latitare dicuntur, atque fœtor interpretatur, & ſignificat carnales homines. In vertice huius montis deſignatur etiam ſommitas in prædictis culpis. Tertius lapis, Hermoo nominatus eſt, propterea addit, *Et Hermon.* Hic eſt etiam moos Iudææ, in quo ſimiliter commorantur leones, & interpretatur anathematizatio, & deſigoat profanos excommunicatos & ſacrilegos. *In*

Hermon.

vertice quoque *Hermon* iodicatur etiam ſummitas io prædictis culpis. Quartus lapis, cubilia leonum de-

Pardi.

nominatur: vnde ſubdit, *de cubilibus leonum.* Hi ſunt raptores, ſuperbi, prædones, fures, & piratæ: hi in cubilibus malarum conſcieotiarum ſuarum ſine contritione quieſcunt. Quintus lapis montes Pardorum di-

Homo mendax duplex pardus eſt.

ctus eſt, ideo additur, *Et de montibus Pardorum.* Hi ſunt homines mendaces, doplices, ſimulatores, hypocritæ, ficti, falſarij & proditores, crudeles & malignis artibus pleni, deſignati in pardis propter crodelitatem & pellis varietatem. Magnitudo autem nocumenti in montibus deſignatur. De bis omnibus coronatur beata Virgo: quia vel eius meritis à ſuis vitiis liberantur. Hac igitur gratiarum varietate adorna-

Ad B. Virginem pia conuerſio.

tur in regno cœlorum glorioſa Virgo, prædictas gratias nobis diſpenſando, qui ſumus quaſi luna ſub pedibus eius. O igitur fœmina ab omnibus & ſuper omnia benedicta: Tu nobilitas & præſeruatio generis humani: Tu meriti latitudo & conſummata poteſtas omoium creatorum: Tu vnica mater Dei: Tu

Varia virginum encomia.

Domina vniuerſi, Regina mundi: Tu diſpenſatrix omnium gratiarum: To conſummatio vniuerſi, & eccleſiæ ſanctæ decor: Tu noſtra ſatisfactio digna coram largitore cunctorom bonorum. Tu omnium virtutum, donorum & gratiarum incomprehenſibilis magnitudo: Tu præelectum & digniſſimum vaſculum à primo artifice fabrefactum eſſentiæ Dei capax: Tu templom Dei: To hortus deliciarum. Tu exemplum omoium bonorum: conſolatio deuotorum & totius ſalutis radix & ornamentum: Tu porta cœli: lætitia paradiſi, & vltra quam dici poſſit, gloria ſummi Dei. Verè balbutiendo has laudes & excellentias tuas enunciamus, ſed tuam immenſam dulcedinem ſuppliciter exoramus: Tu ſupple benignitate tua inſufficientias noſtras, vt te dignè laudare poſſimus per infinita ſæcula ſæculorum Amen.

CONCIONES DE TEMPORE.

DIALOGVS.

QVAMVIS *non sine exiguo labore, imo cum ingenti studio, Conciones de tempore, quas noster Bernardinus scripsit, vel fertur posteritati dedisse, perquisissem, nullibi tamen reperi, nisi qua nullo seruato ordine, in tertio, & in quarto operum suorum volumine, à pluribus annis iam prælo mundata fuerunt; aliquas tamen addidi eiusdem auctoris, quæ nullo dominico gaudebant titulo, sed solitariæ legebantur, quia tamen eandem doctrinam, quam quæ in aliquibus dominicis habentur, continent, ab eis disiungendas esse non putaui.*

DOMINICA V. post Epiphaniam.

SYNOPSIS

Eorum quæ continantur in hoc Sermone.

Qui est de Regno cœlorum, duos habet articulos, quorum primus quinque continet capita, alter vero quatuor.

Articuli primi de regno cœlorum, secundum proprietatem.

Cap. 1. Quid sit regnum cœlorum.
Cap. 2. Vbi sit regnum cœlorum.
Cap. 3. Quale sit regnum cœlorum.
Cap. 4. Quantum sit regnum cœlorum.
Cap. 5. Quorum sit regnum cœlorum.

Articuli secundi, de regno cœlorum secundum metaphoricam similitudinem.

Cap. 1. De operatione creationis.
Cap. 2. De operatione redemptionis.
Cap. 3. De operatione doni gratuiti.
Cap. 4. De operatione liberi arbitrij.

DE REGNO COELORVM.

Sermo I.

Matth. 13. Tria notantur in ista parabola.

SIMILE *factum est regnum cœlorum homini qui seminat bonum semen in agro suo*, &c. Matth. 13. Tria notantur in ista parabola. Primo diuina sapientia in conditione creatorum, quod significatur per *semen seminatũ in agro*, &c. Secundo diuina prouidentia in toleratione malorũ, quod notatur cum dicitur. *Sinite vtraque crescere*, &c. Tertio diuina iustitia in retributione meritorum, quod notatur cum dicitur. *Colligite primum zizania*, &c. Sed quia nobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, & nullæ rerum similitudines bene cognoscuntur nisi priùs res ipsæ cognoscantur. Sicut non possumus cognoscere quod Petrus sit similis Paulo nisi prius cognoscamus vtrumque. Ideo de regno cœlorum videnda sunt quædam absolute: & postmodum quomodo conueniat ei similitudo.

ARTICVLVS PRIMVS,

De regno Dei, secundum proprietatem.

Quid sit regnum cœlorum.

SVnt autem hæc consideranda de regno isto scilicet quid sit, vbi sit, quale sit, quantum sit, & quorum sit. Quid sit subtiliter definit Apostol Rom. 14. *Non est enim regnum Dei esca & potus sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Quid est regnum Dei? Regnum Dei non est aliud quam influentia Deiformis, vniuersaliter rectificans, vel iustificans iustitia rationis, tranquillans vel pacificans, imperia facultatis adimplens, siue iucundans desideria voluntatis. Iustitia nihil aliud est quam iudiciorum rationis vniuersalis rectificatio. Pax nihil aliud est quam imperiorum facultatis vniuersalis tranquillitas. Gaudium nihil aliud est quam desideriorum voluntatis vniuersalis adimplepletio. Et tunc regnum animæ totaliter est pacatum, quod impossibile est fieri in præsenti. Nam quod omnia nostra iudicia sint directa, imperia tranquillata, desideria consummata, impossibile est dum sumus in hac vita. De iudiciis patet in scientiis medicorum, iuristarum, astrologorum & theologorum, per quas fere omnia reguntur. Medicorum iudicia sæpe sunt obliqua, quia habent medium inter innatum & accidens, & accidentia sont varia & innumerabilia & modicum temporis complexionem immutant & propter hoc falluntur. Iuristarum iudicia sæpe sunt distorta, quia habent medium inter verum & verisimile & multoties, quia verisimile magis probatur, & quod magis apparet verum dimittitur. Astrologorum iudicia sæpe sunt similiter fallibilia, quia habent medium inter necessarium & possibile: quia enim causæ inferiores sunt possibiles, & ideo variabiles multoties decipiuntur. Theologorum similiter iudicia quandoque sunt minus recta, quia habent medium inter æternum, siue æuiternum & temporale. Temporale enim sunt intentiones, affectiones & circumstantiæ innumerabiles quæ multoties variant peccata, & in aliud genus mutant. Et ideo, quia nescitur vtrum aliquis odio, vel amore dignus sit, animarum iudices aliquando decipiuntur. Sic ergo patet quod humana iudicia non sunt vniuersaliter recta. De imperiis autem nostræ facultatis similiter certum est, quod in præsenti non sunt vniuersaliter tranquillata. Habemus enim pugnam quadruplicem qua iugiter impugnamur, scilicet pugnam temporis, corporis, sensualitatis, & voluntatis. Tempus impugnat nos mirabiliter. Æstas per nimiam caliditatem. Hyems per nimiam frigidita-

Rom. 14. Deffinitio regni Dei.

Perfectum regnum Dei nõ est in hoc sæculo.

Iudicia doctorum in omnibus scientiis nõ semper recta.

Habemus quadruplicẽ pugnam.

Primo pugna temporis. Pugna corporis.

 tem,

tem. Autumnus per nimiam siccitatem. Ver per excedentem humiditatem. Tempus autem principium est corruptionis. Corpus nos impugnat modo fame, modo siti modo nuditate, &c. De sensualitate quis dubitat, quando nobis faciat magnam pugnam & voluntati multoties contradicat. Vult enim comedere, bibere, dormire & huiusmodi. Ipsa etiam voluntas multipliciter nos impugnat. Sæpe natura contradicit diuinis legibus, nec vult subiici rationi: sed in semetipsa est contraria & diuisa. Nam velle habet sæpe quod non potest velle, Cum igitur nullus sit in hac vita qui non molestetur huiusmodi pugna quadruplici. Planum est quod nullus habet hic sua imperia tranquillata, similiter quis habeat in præsenti sua desideria consummata. Sunt autem quatuor desideria in homine, quæ sunt fere ad omne malum radicalia, scilicet desiderium principandi, sciendi, oblectandi, & abundandi. Primum refertur ad superbiam: secundum, ad curiositatem, tertium ad luxuriam, quartum ad cupiditatem. Primum non potest impleri, quia & si toti mundo principetis; mors tamen principabitur tibi, quia omnis potentatus breuis vita, Vt dicit sapiens Eccles. 10. Secundum similiter non potest impleri, quia & si multos annos viueres adhuc naturam vnius festucæ, siue muscæ seu minimæ creaturæ cognoscere non valeres. Tertium non potest impleri: quia in eo vbi quæris delectamentum, postea inuenis cruciamentum. Omnis enim delectatio in præsenti respersa est amaritudine. Vnde potest homo tantum delectari in comedendo vel bibendo, vel alio actu, quod necessarium est cum mori. Sed nec quartum potest impleri: quia *auarus non implebitur pecunia.* Eccles. 5. Et est exemplum de Alexandro magno, qui cum occupasset mundum istum, & audisset à quibusdam mundum alium esse, cogitabat eum occupare. Cum igitur regnum istud mundanum non habeat recta iudicia, nec tranquilla imperia: nec desideria iocunda, summè desiderare debemus illud regnum, in quo & recta erunt nostra iudicia & pacifica imperia & desideria tranquillata,

Pugna sensualitatis. *Pugna voluntatis.* *Quatuor sunt desideria in homine.* *Eccles. 5.*

CAP. II.

Vbi nam regnum cœlorum.

SEd vbi est illud regnum vt sciamus quærere. Nota quod non in exterioribus, quia spirituale. Non in inferioribus, sed in superioribus, quia sublime. Non in creatis rebus, sed in rationibus causalibus: quia perpetuum & incorruptibile, Non enim dico in exterioribus, sed in interioribus qua spirituale. Luc. 17, *Non veniet regnum Dei cum obseruatione, neque dicent ecce hic aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos est.* Sed quid sibi vult hoc. Si intra nos est videtur, quod sit valde exiguum. Attende autem quod quadruplex virtus est in anima, scilicet sensus, imaginatio, ratio & intelligentia. Vide enim quantum sensus capit. Oculus enim quasi in puncto pupillæ totum apprehenderet mundum, si non haberet obstaculum: Imaginatio vero multos tales potest apprehendere mundos. Ratio vero se extendit vltra sensum & imaginationem. Abstrahit vero vniuersale quod est semper & vbique in particulari quod est hic, vel nunc. Si ergo sensus & ratio tantæ sunt capacitatis, quid est de intelligentia, quæ nata est apprehendere summum bonum? Ergo parum non est quod intra nos est, sed incomprehensibile & infinitum. Non est etiam regnum Dei in inferioribus: sed in superioribus, quia sublime Ioan. 17. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Non vult dicere quod hic mundus non sit suus, sed vult dicere quod regnum suum non est hîc, sed alibi est. Est enim quadruplex agens, scilicet elementale æthereale, æuiternum, & æternum. Primum est transmutabile, secundum formam. Secundum, secundum situm. Tertium, secundum affectiones. Quartum nullo modo. Cum ergo regnum Dei sit omnino intransmutabile, necesse est, quod sit in quarto agente, scilicet quod non sit mutabile vel transmutabile. Et non est iterum istud regnum in creatis rebus: sed in rationibus causalibus. Vnde ait Saluator discipulis suis, Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum vt edatis & bibatis super mensam meam.* Ista mensa non est materialis? sed spiritualis, in qua tot sunt fercula, quot relucent in diuina sapientia rationes. De hac mensa dicitur Prouerb. 6. *Sapientia ædificauit sibi domum*, quando assumpsit humanam carnem: *excidit columnas septem*, quando roborauit ecclesiam per spiritum septiformem: *posuit mensam*, quando rationes æternas omni in regno suo animæ regnanti præparauit, & posuit contemplandas. Hæc est enim præparatio mensæ. Apparebunt vtique spiritibus gloriositatis illæ rationes viuentes, tanquam in speculo, tanquam in libro, & tanquam in mensa. In speculo: quia pulchriter. In libro: quia stabiliter, & indelebiliter. In mensa: quia delectabiliter. Et quia de interioribus ad exteriora egressi sumus, de superioribus ad inferiora cecidimus, pro creatore creaturam diximus. Ideo Dominus noster venit de interioribus ad exteriora: quia trahitur autem sapientia de occultis, Iob 28. cap. Vt nos reuocaret ab exterioribus ad interiora, de superioribus ad inferiora. Ipse enim habitabat in altissimis, & descendit ad infima: vt nos traheret ad superiora: vlterius ipse creator assumpsit naturam humanam: vt ab amore creaturæ nos ad suum reuocaret amorem.

Luc. 17. *Quadruplex virtus in anima.* *Ioan. 19.* *Luc. 22.* *Mensa regni cœlestis non est temporalis.* *Prou. 9.* *Iob. 28.*

Quale sit istud regnum.

CAP. III.

Quale sit istud regnũ.

SEd quale est istud regnum? Dico quod est gloriosum, speciosum, & deliciosum. Et hoc propter Patrem, & Filium & Spiritum sanctum. Patri appropriatur celsitudo gloriæ, Filio pulchritudo sapientiæ, Spiritui sancto dulcedo beneuolentiæ. Ecce sublimitas, formositas, suauitas. Dico quod illud regnum est gloriosum. Psalm. *Gloriam regni tui dicent.* Hoc autem est, quando spiritus glorificati quicquid boni habent, resoluunt in primum principium. Et propter hoc Angeli sunt in continua laude & glorificatione: quia illud quod continuè accipiunt, in eum qui solus glorificare potest resoluunt: vnde anima quanto illa, quæ accipit suo attribuit principio, tanto est gloriæ cælesti propinquior. Gloria vero æterni regni est, quando spiritus glorificati Dominum nostrum formatorem, reformatorem, gubèrnatorem, & glorificatorem laudant, & glorificant. Si ergo regnum Dei est gloriosum. Est etiam regnum Dei speciosum, de quo Sapientiæ 5. *Accipient*, scilicet Sancti, *regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.* Diadema speciei, siue regnum decoris, nihil aliud est, quam videre pulchritudinem sensibilium & insensibilium, rationalium & irrationalium, humanitatis Christi Dei vnius, & trini. August. 6. mysticè Pulchritudo nihil aliud est, quam æqualitas numerosa. Vnde vbi non est numerus non est pulchritudo: vt patet in eo, qui tantum habet oculum. Similiter vbi est numerus sine æqualitate, non est pulchritudo: vt patet in eo, qui habet vnum oculum paruum, & alium magnum. Est iterum istud regnum delitiosum, de quo Lucæ 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Erunt-ne ibi alia fercula, quam panis? Iste panis sufficiet: quia iste est panis Angelorum, panis qui de cœlo descendit. De quo Sap. 16. c. *Panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Si ergo homines tantum delectãtur in pane materiali, pro eo quod vitam cõtinuat mortalem, quanta erit delectatio in pane illo, qui est vita per essentiam?

Psal. 144. *Angeli perpetuo Deum laudant.* *Sap. 5.* *Quid diadema speciei.* *Quid pulchritudo.* *Luc. 14.* *Deus vita per essentiã.*

De

De nullo alio potest anima satiari, quam de isto pane: quia solus est intimus, solus est conuenientissimus, solus sufficiens, solus abundantissimus. Solus intimus est animæ: quia solus per essentiam intrat animam, & ideo solus reficere potest. Alia vero non intrant animam secundum essentiam: sed solum secundum similitudinem, & ideo reficere non possunt. Item solus conuenientissimus. Nam anima nulli melius conuenit, quam illi ad cuius similitudinem facta est, & ideo satiat animam, & delectat: quia delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti. Item solus sufficiens quia solus totam implet animam, & ideo secundum se totam potest reficere. Item solus abundantissimus: quia ipsius animæ etiam capacitatem excedit: quia infinitus est: Beatus ergo, qui panem manducabit in regno illo.

Quantum sit illud regnum.

Cap. IV.

Quantum sit illud regnum.

SEquitur videre, quantum est illud regnum, hic deficit sensus, imaginatio, ratio, & intelligentia. Est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehensibilis. Est ergo illud regnum magnum longitudine, &c. Psal. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem:* quod probat Dan. 7 cap. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur.* Non enim corruptibile est, in se, siue ab intra. Et ideo Beatus Petrus vocat illud regnum, gloriam immarcessibilem. Illud enim est marcessibile, quod habet corruptionem in se, vel à supra, vel ab intra, vel à iuxta. Sed illud nullo modo, quia potestas regni eius æterna est: quia nihil habet supra se: & cui nulla potest fieri violentia, nec aliquid tantum valet ad spernendum præsentem vanitatem, quam cogitare iugiter æternitatem. Est etiam illud regnum magnum latitudine capacitatis incoarctabilis: quia licet ibi sit ex omni tribu, lingua, populo, & natione, sicut dicitur Apocalyp. 7. cap. nihil tamen propter hoc angustabitur: sed potius ampliabitur: quia inde cuilibet gloria sua crescet. *Postula, à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* &c. Non ergo coarctatur multitudine existentium, nec multitudine aduenientium, Matth. 8. *Multi venient ab oriente, & ab occidente,* &c. Nec multitudine possidentium, nec etiam desiderantium. Et hoc totum facit charitas, qua homo tantum gaudet de bono proximi, quantum de suo proprio. Est iterum illud regnum magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis: à magnitudine enim regni corruptibilis, dicitur rex magnus. Sed à magnitudine regis æterni, dicitur illud regnum æternum, siue magnum. Quis enim magnitudinem potentiæ & sapientiæ, clementiæ & iustitiæ eius poterit comprehendere, vel alias nunciare, vel numerare? Hierem. 10. *Magnus es tu Domine,* &c. Et ideo regnum illud est magnum, & magni illi, qui illud obtinebunt. Matth. 11. *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Dicitur de Ioanne Baptista. De regno isto est speculatio. Illud verò, quod dictum est, secundum quod sequitur, scilicet, quorum est practica.

Psal. 144.
Dan. 7.
Regnū cœlorum magnum latitudine capacitatis incoarctabilis.
Apoc. 7.
Psal. 2.
Matt. 8.
Regnū cœlorum magnum celsitudine sublimitatis incomprehensibilis.
Hier. 10.

Quorum est regnum cælorum.

Cap. V.

Gratia quadruplex.

SEd quorum est regnum cœlorum, non nisi habentium gratiam. Et ideo dicit Apostolus ad Rom. 6. *Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.* Est autem gratia quadruplex, per quam homo potest ingredi regnum Dei, videlicet gratia baptismalis, pœnitentialis, perseuerantialis, & sapientialis. Gratia baptismalis necessaria est: quia cum nascamur omnes natura filij iræ, & ob hoc iuste simus priuati hæreditate cœlesti, non possumus ad illam pertingere, nisi per gratiam renascamur. Et hoc est, quod dicit Dominus Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, vel cælorum.* Ad hanc autem gratiam conseruandam tria sunt necessaria, scilicet credentia primæ veritatis, amor summæ bonitatis, exercitium virtuosæ operationis: Et hæc tria comprehendit Apostolus ad Galat. 6 dicens: *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium sed noua creatura,* id est, fides, quæ per dilectionem operatur. Et quia non omnes conseruant gratiam baptismalem, necessaria est gratia pœnitentialis. Et ideo ait Dominus, & Ioannes, Matth. 3. & 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum.* Vbi ostendit, quod sicut per peccatum regnum Dei elongatur à nobis, ita per pœnitentiam appropinquat. Hæc autem gratia consistit in tribus, in abdicatione terrenæ cupiditatis, in restrictione concupiscentiæ carnalis, in suppeditatione altitudinis mentalis, secundum illud. 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Omne enim, quod est in mundo,* &c. Ab his enim tribus quæ in mundo sunt, vel in regno mundi, oportet elongari pœnitentes vt appropinquent regno Dei: quamuis aliter in via mandatorum, & aliter in semita consiliorum: quia in illa tenemur vitare peccata, in hac vero non solum peccata, sed etiam occasiones peccandi: Perfecta igitur pœnitentia est abdicare terrenam cupiditatem per altissimam paupertatem, restringere carnalem concupiscentiam per integerrimam castitatem, suppeditare mentis superbiam per profundissimam humilitatem. Altissima paupertas nobis necessaria est ad intrandum regnum contra diuitias temporales, quæ retrahunt ab ingressu. Et ideo dicit Dominus, Matth. 5. *Beati pauperes spiritu,* &c. Item 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Et huius triplex est ratio. Prima est, quia regnum cœlorum est spiritualissimum, & simplicissimum: cor autem auari est terrenum, & compositum. Amor enim est vis vnitiua, quæ vnit amantem cum amato, vt dicit Diodorus. Quot ergo res auarus diligit: tot sibi applicat, & coniungit. Cum ergo res terrenas diligat, illas sibi vnit, & componit. Et ideo regnum cœlorum, quod simplicissimum est, intrare non potest. Exemplum in legenda Beati Antonij, de corde auari. Secunda est, quia regnum cœlorum est sursum, & cor auari deorsum. Amor enim est pondus inclinans animam ad rem amatam, quia quod est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus, secundum August. Cum ergo cor auari ex eius amore, id est amor in suo corde tendat ad res inferiores, inclinat animam inferius. Regnum autem cœlorum est sursum, & ita illud non potest intrare: sed habentes pondus, immo alas diuini amoris, de quo dicit Dominus, Matth. 11. *Tollite iugum meum super vos,* &c. quia talis amor est eleuatiuus, ideo hi possunt. Tertia ratio est: quia regnum cœlorum est gratuitum, liberale, communissimum. Cor autem auari, quod est gratuitum, vult facere seruile: quod est liberale, vult facere venale: quod est communissimum, vult sibi appropriare: & ideo non potest regnum Dei intrare. Diues ergo amans diuitias propter conditiones, quas habet contrarias, non potest ingredi regnum Dei, & ideo ad intrandum nobis est necessaria paupertas spiritus. Integerrima autem castitas est nobis necessaria ad intrandum regnum Dei contra carnales delicias, quæ non permittunt intrare. Et hoc est, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 15. *Caro & sanguis regnum Dei*

Prima gratia baptismalis.
Ad hanc gratiā conseruandā tria necessaria.
Gratia pœnitentialis. Matth. 3.
1. Ioan. 2.
Perfecta pœnitentia in quo consistit.
Matth. 5. Matt. 19. Difficillimū est, diuitem intrare in regnum Dei propter tres rationes.
1. ratio.
2. ratio.
Matth. 11.
3. ratio.
1. Cor. 15.

Caro, & sanguis regnum Dei possidere nō possunt propter tres rationes.

Dei possidere non possunt. Et est triplex ratio. Prima: quia regnum Dei est mundissimum: carnalis autem immundus. Immunditias enim diligens immundus est: quia talis est quisque, qualis est amor eius. Sicut enim immundus existens non potest huius mundi habere munditias: sic nec carnalis eo quod immundus est, potest habere regnum Dei.

1. ratio.
2. ratio.

Secunda ratio est: quia regnum Dei est incorruptibile, carnalis autem corruptibilis: quia amans corruptiones, corruptibilis est: sed corruptio non possidet incorruptionem.

3. ratio.

Tertia ratio est: quia regnum illud est ordinatissimum: carnalis autem inordinatissimus est, sicut patet, inferior enim potentia est sensualitas, superior vero est intelligentia: sed in illo actu intelligentia subiicitur sensualitati, quia vt dicitur, tota anima absorbetur, & à carne quasi à leone misera anima deglutitur, & quasi caro efficitur, & sic tota deordinatur, & ideo regnum Dei non potest intrare. Munditia ergo, & castitas est necessaria, &c.

Matth. 5.
Matt. 19.

Matth. 5. *Beati mundo corde*, &c. Matth. 19. *Sunt eunuchi*, &c. Profundissima humilitas est nobis similiter necessaria ad intrandum regnum Dei. Vnde Dominus Matth. 18. *nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et hoc est contra superbiam vitæ. Superbus enim non potest regnum Dei intrare, Psalm. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Et ratio triplex est.

Matt. 12.
Psal. 110.
Superbus nō intrat regnū Dei triplici de causa.

Prima, quia in regno Dei est omnimoda subiectio, quoad Deum. Superbus autem non vult subiici Deo, nec potest: quia subiectus est diabolo, qui est rex super omnes filios superbiæ. Deuteron. *Locutus sum, & non audistis*, &c. Et sicut veritas dicit, Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

2. ratio.
Deut. 1.
Matt. 6.
Secunda ratio.
Prou. 13.

Secunda ratio est: quia in regno Dei est omnimoda pax, & concordia: quoad proximum. Psal. *Pax multa diligentibus legem tuam*, &c. Superbus autem non potest esse in pace: sed discordat ab aliis. Prouerb. 13. *Inter superbos semper iurgia sunt.*

Tertia ratio.

Tertia ratio: quia in regno Dei est omnimoda quietatio quoad seipsum: quilibet enim est contentus eo, quod habet, scilicet proprio loco, propria mansione, propriis finibus, nec amplius desiderat: minimus enim paradisi nollet effici, sicut Beata Virgo, &c. superbus verò non: sed semper extendit se super terminos per appetitum voluntatis. Vnde dicit Anselm. in libro de similitudinibus, Quod superbia dicitur: quia superiùs, quam debeat, graditur, Iob 11. cap. *Vir vanus in superbiam erigitur.* Psalm. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et ideo in regnum subiectionis omnimodæ, pacis perpetuæ, sufficientiæ plenæ nullo modo superbia, sed per contrarium profunda humilitas intrat. Matth. 18. cap. *Quicunque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste, intrabit in regnum cælorum.*

Iob. 11.
Psal. 13.
Matt. 18.

Tertia gratia perseuerantialis.
Matt. 10.
Necessaria est patientia propter tres rationes.
Luc 21.
Iacob. 1.

Tertia gratia, per quam debemus ingredi regnum Dei, est gratia perseuerantialis. Et ideo dicitur Matth. 10. *Non qui inceperit: sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Est autem triplex gratia finalis, scilicet stabilis patientia, sublimis confidentia, longaminis perseuerantia. Stabilis patientia necessaria est: quia sicut dicitur Lucæ 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et triplex ratio: Prima: quia Deus nullum recipit, nisi amicum. Non est autem amicus, nisi per patientiam in tribulatione, si adsit tempus in quo possit probari. Et ideo dicit Iacobi 1. *Beatus qui suffert tentationem*, &c. Secunda ratio est: quia Deus nullum recipit, nisi ad coronam idoneum: sed nemo est ad coronam idoneus, nisi stabilis in tribulatione, secundum illud Apostoli, 2. Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.*

2. Tim. 2.

Tertia, ratio est: quia nullus potest intrare in regnum Dei, nisi transeat per flammeum gladium, atque versatilem, qui positus est ad custodiam ligni vitæ. Genes. 3. Sed hoc nullus potest facere, nisi per patientiam in tribulatione: gladius autem flammeus, atque versatilis, tribulatio est, affligens animam & corpus: & ideo dicit Apostolus, Actor. 14. *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Gen. 3.
Act. 14.

Sublimis confidentia similiter est necessaria, Psalm. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius:* & alibi. *Qui confidunt*, &c. & hoc prouenit ex triplici consideratione summæ liberalitatis: quia gratis offert nobis regnum Dei, Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei*, ex consideratione primæ veritatis, quæ piè confortat nos, dicens: Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex*, Ex consideratione ineffabilis pietatis, pro qua dicit Ioan. Apocal. 5. *Dignus es Domine accipere librum, & soluere signacula eius.* Sequitur, *& fecisti nos Deo nostro regnum.*

Matt. 6.
Luc. 12.
Apoc. 5.

Similiter etiam longanimis perseuerantia necessaria est. Apocalyp. 3. *Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Hæc enim comparat æternitatem, perficit virtutem, & introducit in æternitatem. Ratio autem, quare perseuerantia ad regnum obtinendum est necessaria, est æternitas voluntatis, punctualitas mortis, & impermutabilitas virtutis.

Apoc. 3.
Cur perseuerantia necessaria est.
Quarta gratia sapientialis.
Sap. 7.

Quarta insuper gratia nobis necessaria ad introitum regni Dei, est gratia sapientialis: quia sicut dicitur Sapient. 7. *Deus neminem diligit, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.* Hanc autem gratiam tria constituunt scilicet, sapientialia desideria, sapientialia speculamina, sapientialia exercititia. Sapientialia desideria necessaria sunt. Et ideo dicitur Sapientiæ 6. *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum*, Et in eodem, *O reges populi, diligite sapientiam: vt in perpetuum regnetis.* Hæc autem desideria eleuant animam, simplificant, & inflammant: vt patet in Daniele, qui propter concupiscentiam secretorum sapientiæ Dei, vir desideriorum ab Angelo nuncupatur: qui eleuauit eum de terra propter desiderium, quod habebat.

Sapientialia desideria necessaria sunt.
Sap. 8.

Sapientialia speculamina necessaria sunt ad regnum, Sapientiæ 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei: & dedit illi scientiam Sanctorum.* Scientia Sanctorum, & splendores Sanctorum sapientialia sunt speculamina: & hæc sunt in triplici differentia. Sunt enim speculamina realia, mentalia, & mortalia. Prima sunt in creaturis vniuersis, secunda in scripturis diuinis, tertia in operibus redemptoris. Prima fiunt per Verbum increatum, secunda per verbum inspiratum, tertia per Verbum incarnatum: & ideo bene dicitur Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

Sapientialia speculamina.
Sap. 10.
Ioan. 1.

Sapientialia exercitia sunt necessaria ad regnum Dei. Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Debemus enim sapientialibus exercitiis spiritum nostrum informare, corpus regere, & proximum instruere: vt ad exemplum Christi incipiamus facere, & docere, Actor. 1. cap.

Sapientialia exercitia.
Matt. 5.
Actor. 1.
Quatuor viæ ad intrandū regnum cælorum.

Recapitulatio. Ex prædictis patet, quòd quatuor sunt gratiæ, quasi viæ ad intrandum regnum cœlorum, scilicet baptismalis, pœnitentialis, perseuerantialis, & sapientialis: & quælibet habet suum ternarium propter mysterium Trinitatis. Gratia baptismalis habet fidem, dilectionem & operationem. Gratia pœnitentialis habet paupertatem, castitatem & humilitatem. Gratia perseuerantialis habet etiam tria, scilicet confidentiam, patientiam, & longanimitatem. Gratia sapientialis habet desideria, speculamina, & exercitia; & sic sunt in vniuerso duodecim, quasi duodecim portæ ad intrandum in ciuitatem summam, Apocalyp. 21. *& ciuitas in quadro posita est* propter quatuor genera gratiarum. Gratia baptismalis ab oriente cum tribus portis: quia inde oritur nobis Sol iustitiæ. Gratia pœnitentialis ab occidente cum portis tribus: quia per illam resurgimus à morte, siue ab occasu peccati. Gratia perseuerantialis ab aquilone cum portis tribus: quia per illam contra aduersarios nostros legitimè dimicamus. Vnde Hierem. 1. dicitur, *Ab aquilone pandetur omne malum.* Gratia sapientialis à parte australi cum suis portis tribus: quia per diuinam sapientiam ad amorem Dei,

Apoc. 21.

&

& proximi inflammamur. Sic ergo patet, quid est regnum Dei, vbi est. quale est, quantum & quorum est.

Articulus Secundus.

De regno Dei secundum metaphoricam similitudinem.

Psal. 77.

DIctum est de regno Dei, secundum suam proprietatem; tunc dicendum est de eodem secundum metaphoricam similitudinem. Proponit autem Dominus in Euangelio duodecim nobilissimas parabolas regni Dei. In quibus eructat nobis abscondita à constitutione mundi, secundum quod promisit per Prophetam Psalm. *Aperiam in parabolis os meum*, &c. Ad istum inuestigationem quatuor operationes diligenter sunt intuendæ, scilicet operatio creationis, operatio redemptionis, operatio doni gratuiti, & cooperatio liberi arbitrij. Has enim operationes quatuor parabolæ comprehendunt.

De operatione creationis.

Cap. I.

1. operatio creationis penes quid attenditur.

OPeratio creationis attenditur in productione vniuersi, gubernatione, & consummatione. Creator enim omnia potenter creat, sapienter gubernat, & gloriosè consummat. Est ergo creatio, gubernatio, & consummatio. Primum sub ratione præteriti, secundum sub ratione præsentis, tertium sub ratione futuri. Regnum ergo cœlorum, quantum ad diuinam potentiam omnia producentem, comparatur homini seminanti, Matthæi 13. *Simile factum est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo.* Deus bonum semen seminauit in agro suo, quando in agro machinæ mundialis fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam; imago namque attenditur quoad naturalia bona, similitudo, autem attenditur quoad gratuita: & hoc dicitur bonum semen. Sed inimicus homo, id est diabolus, cum dormirent homines, id est cum Adam, & Eua negligenter agerent in custodia mandatorum, superseminauit zizania, id est vitia & peccata, ex quibus nascuntur filij nequam. Quantum ad diuinam sapientiam omnia gubernantem, & disponentem, comparatur homini patri-familias in vineam operarios conducenti, Matth. 20. *Simile est regnum cælorum homini patri-familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, scilicet mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima. Primo enim misit operarios, quando dedit legem naturæ: secundò, quando dedit legem scripturæ: tertiò, quando misit Prophetas ad docendum legem suprascriptam; quartò, quando dedit legem gratiæ, & misit Apostolos prædicare: quintò, quando post Apostolos misit Doctores, Prædicatores, & non cessat mittere vsque ad finem mundi. Quantum ad diuinam bonitatem omnia consummantem, comparatur homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, Matth. 18. Et ostenditur in illa parabola opus summæ misericordiæ in dimissione debiti decem millium talentorum: & opus diuinæ iustitiæ in damnatione serui nequam, qui noluit dimittere conseruo suo. Hæc autem duo, scilicet misericordia, & iustitia, & si in omnibus operibus Dei reperiuntur: quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas. Potissimè tamen in consummatione misericordia in retributione bonorum, & iustitia in retributione malorum.

Matth. 13. homo bonũ semen.

Matt. 20.

Quando Deus misit operarios suos.

Matt. 18.

De operatione redemptionis.

Cap. II.

Operatio redemptionis penes quæ attenditur.

SEcundo consideranda est operatio redemptionis, quæ attenditur quantum ad aduentum in carnem, quantum ad aduentum ad iudicium, & quantum ad spatium intermedium, in quo Dei patris sedet ad dexteram. Aduentus in carnem præteritus. Sedere ad patris præsens. Aduentus ad iudicium futurus est. Regnum ergo cœlorum, quantum ad aduentum in carne, assimilatur *homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, Matth. 22. Hic per hominem intelligitur Deus pater, qui tunc fecit nuptias filio suo, quando naturam assumpsit humanam & viuit in vnitate personæ, & hæ nuptiæ factæ sunt in vtero virginali. Et vlterius Christo Deo, & fecit nuptias, quando de latere eius dormientis in cruce fecit, & formauit ecclesiam per emanationem aquæ, & sanguinis, à quibus efficaciam habent omnia Ecclesiastica sacramenta, per quæ formatur ecclesia. Et ideo dicit Apostolus, ad Ephes. 5. de mysterio matrimonij loquens. *Hoc sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo, & in ecclesia.* Sicut enim de latere Adæ formata est Eua, & ei matrimonialiter copulata: sic de latere Christi dormientis in cruce formata est ecclesia, & ei spirituali matrimonio inseparabiliter copulata. Regnum cœlorum, quantum ad sessionem Christi in dextera patris, assimilatum est cuidam viro nobili, *qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti*, Luc. 19. Hic homo nobilis Dominus Iesus Christus est, qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, quando ascendit in cœlum ad regnandum supra naturam Angelicam, & humanam: quia data est ei potestas in cœlo, & in terra: Hic vocatis seruis suis, tradidit eis decem minas: quia ascendens Christus in altum, dedit dona hominibus, dicens: *Operamini dum venio* scilicet vsque ad tempus iudicij. Regnum cœlorum, quantum ad aduentum ad iudicium, assimilatur decem virginibus, per quas vniuersitas Christianorum intelligitur. Matth. 25. Denarius enim vniuersitatem signat: vnde omnes numeros comprehendit. Vltra autem denarium non est numerus; sed replicatio numerorum. Animæ Christianorum dicuntur virgines: tum propter gratiam baptismalem, tum propter gratiam pœnitentialem, per quam integrantur, quæ per peccatum à diabolo corrumpuntur. Et ideo dicit Apostol. 2. Cor. 11. *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*

Matth. 22.

Quandonã Deus pater fecit nuptias filio suo.

Ephes 5.

Matth. 25.

Quandonã animæ dicũtur Virgines.

De operatione boni gratuiti.

Cap. III.

Operatio boni gratuiti pene. quid attenditur.

1. Cor. 12.

TErtio consideranda est operatio boni gratuiti, quæ appropriatur Spiritui sancto, secundum quod dicit Apostolus 1. Corinth. 12. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens prout vult.* Dixerat enim parum supra, diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus. Hæc operatio diuiditur vel distinguitur secundum triplicem gratiam, scilicet præuenientem, cooperantem, & consummantem. Præueniens se habet sub ratione præteriti, cooperans sub ratione præsentis, consummans sub ratione futuri. Hanc triplicem gratiam proponit nobis Saluator. Primam sub metaphora sagenæ ex omni genere piscium congregantis, Matth. 13. Est autem

tem hæc similitudo valde conuenient. Sicut enim sagena missa in marl congregat piscet bonos, & malos: sic gratia præueniens includit teprobos, & electos. Omoibus enim offertur: vnde dictum est, Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omnium creaturæ.* Sed noo omnes eliguntur: quia sicut dicit Dominus, Matth. 20. *Multi sunt vocati*, &c. Et ideo dicitur in hac parabola, qood elegerunt bonot in vasa sua: malos autem foras miserunt. Secundam sub metaphota semioit paulatim crescentis, Matth. 13. Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat semen, &c. & hæc pulchra similitudo. Sicut enim semen iacitur in terram; & imperceptibiliter germinat, crescit & fructificat, tam de die, quam de nocte: sic gratia cooperans imperceptibiliter crescit, & fructificat die, ac nocte, id est in prosperis, & aduersis: quia electia omoia cooperantur io bonum. Tertiam sub metaphora mulieris sapientia, Matth. *Simile est*, &c. Mulier hæc diuina sapientia est, de qua in alia parabola dicitor Luc. 15. *Quæ mulier habens dragmas decem*, &c. Permentum, & si ratione corruptionit aliquando accipiatur in malam partem: vt ibi, *Expurgate vetus fermentum*, &c. Ratione tameo calotit, quo mediante pasta disponitur: vt fiat panis esibilis, accipitur in bonam partem, & seruat charitatem. Hæc enim dispooit oos, vt immediatè Christo incorpotemur, & omnia opera nostia perficit & consummat. Et ideo dicit Apostolus. 1. Tim. 1. *Finis præcepti, est charitas.* Tria sata farinæ, in quibus diuina sapientia ponit fetmentum charitatis, tria negotia sunt, scilicet actuosum, otiosum, & ex vtroque permixtum. Hæc enim competunt tribut clectorum ordinibut. Actuosum actiuis, otiosum, id est quietum contemplatiuis, ex vtroque permiatum prælatis.

Regnum Cœlorum variis similitudinibus significatur.
Marc. vlt.
Matt. 20.
Matt. 13.
1. Tim. 1.

De operatione liberi arbitrij.

Cap. IV.

Cooperatio nostri liberi arbitrij.
Hebr. 12.

QVarto consideranda est cooperatio liberi arbitrij. Est enim oecessaria ad oostram iustificationem: quia sicut dicit August. Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te. Et ideo dicit Apostolus Hebr. 12. *Videte ne quis desit gratiæ Dei.* Est autem triplex operatio liberi arbitrij valde necessaria, scilicet simplicitas iotentionis, studiositas solicitudinis, strenuitas operationis. Et qoantum ad hæc tria. Primo regoum cœlorum comparatur thesaoro abscondito in agro, Matth. 13. Simplicitas aotem iotentionis ibi ostenditot in duobua, scilicet in declinatione periculi, & io appretiatione regni. Vitatio periculi ostenditur in occultatione thesauri: quia, sicut dicit Gregor. Thesaurus inuentut absconditur, oe perdatur. Thesaorus iste desiderium est regni cœlestit, quod occultandom est propter periculum vanæ laudis. Nonne fatuua esset, qoi haberet vnam candelam accensam, & oporteret eum ire in obscura nocte contra ventum, si non occultaret eam, ne à vento extingoeretur? In infinitom magis fatous est, qui lumen gratiæ oon custodit. Appretiatio regoi ostenditur in hoc, qood omnia sua vendidit, & emit agrum illum: præponderaoit enim thesaurum inoentum, id est desiderium regni, omnibus suis boois: quia comparatiooe cœlestiom terrena pro nihilo sunt reputaoda. Regnum cœlorum quaotum ad studiositatem virtutis, comparatur homini negotiatori, Matth. 13. Duo sunt necessaria negotiatori, scilicet qoærere & emere. Vt osteodatur studiositas quam debemus habere in acquisitione ipsius. Si negociatoe mundanus exponit se periculis maris & terræ pro rebus transitoriis & caducis, quanto studiosius oput hominem laborare pro rebus æternis. Si ille prudent est emendo res de quibus pollit temporaliter iucoodari, quæ est illa preciosa margarita pro qoa sunt omnia vendenda oisi regnum cœlorum? Si diligis, vitam da temporalem & habebis æternam. Si diuitias, da temporales & habebis æternas. Si honores, sperne transitorios & habebis æternos. Si delicias, fuge carnales & habebis spirituales: fuge temporalet, & habebis æteroas. Regnum cœlorum quaotum ad streouitatem operis comparatur grano sinapis. Matth. 13. Et est comparatio valde notabilis. Duo enim sunt necessaria ad strenuitatem operis, scilicet & humilitas, & virilitas. Nec sufficit voum sine reliquo: quia humilitas sine virilitate est pusillanimitas & virilitas sine humilitate est temeritas. Et ideo vt hæc duo oobis necessaria esse ostenderet ad obtinendum regnom cœlorum comparauit illud grano sinapis, qood inter omnia grana minutissimom est quantitate, sed maximum virtute. Deo gratias. Amen.

Matt. 13.
Exhortatio à minori ad maius.
Mich. 15.
Duo necessaria strenuitati.

DOMINICA IN Sexagesima.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone,

Qui est de verbo Dei & de conditionibus auditorum, duos habet articulos, quorum primus quatuor continet capita, alter verò tria.

Articuli primi, Quatuor mysteria continentis.

Cap. 1. Primum mysterium est verbi Dei inspiratio.
Cap. 2. Secundum mysterium est verbi Dei acceptatio.
Cap. 3. Tertium mysterium est verbi Dei assaporatio.
Cap. 4. Quartum mysterium est verbi Dei communicatio.

Articuli secundi, De male audientibus verbum Dei.

Cap. 1. Quod mens hominis sit lutosa.
Cap. 2. Quod mens hominis sit petrosa.
Cap. 3. Quod mens hominis sit spinosa.

DE VERBO DEI ET, DE conditionibus auditorum.

Sermo II.

Luc. 8.
De verbo Dei.
Apoc. 10.

EXIIT, *qui seminat seminare semen suum.* Luc. 8. Quia principaliter istud euaogelium continet tria, scilicet semioatorem, semen, & terram: quæ tria necessaria sunt ad fructum colligendum: ideo de his tribus est videndum. Primo igitur videndom est de seminatore, quia dicit, *Exiit qui seminat.* Ideo dicitur Apostol. 10. *Iterum audiui loquentem mecum & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram. Et abii ad Angelum dicens ei, vt daret mihi librum: & dixit mihi: Accipe librum & deuora eum, & faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel: & accepi librum de manu Angeli: & deuoraui eum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus, & dixit mihi, oportet te iterum prophetare populis & gentibus & linguis & Regibus multis.*

In

Quatuor mysteria de verbo Dei. In quibus verbis notantur quatuor mysteria. Primum est verbi Dei inspiratio, secundum est verbi Dei acceptatio, tertium est verbi Dei assaporatio, quartum est verbi Dei communicatio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Continet quatuor mysteria.

Primum est verbi Dei inspiratio. PRimum mysterium est verbi Dei inspiratio, ibi, *Iterum audiui*, &c. Nota iterum, quia fuit duæ voces, quæ faciunt intelligere sacram scripturam, scilicet præcedens & subsequens. Nam Euangelistæ primo scripserunt per inspirationem flaminis Spiritus sancti, & ab eodem spiritu oportet Doctorem illuminari ad declarandum & intelligendum: aliter non potest bene & solide intelligere. Et qui alio modo Psal. intelligit, incassum laborat. Vnde Psal. *Illuminans tu* Pet. 1. *mirabiliter à montibus æternis.* Inde etiam 2. Pet. 1. cap. dicit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines*: quasi dicat, quod tota sacra scriptura referenda est ad Christum, ante & post. Exemplum in textibus præcedentibus & subsequentibus in ramis palmarum. Sequitur: *vade & accipe librum apertum de manu Angeli*, id est recognosce sic intelligere à Christo, quia Scientia aquisita, mortale da ferita, S'ella non è guarnita di cuore humiliato.

Secundum mysterium est verbi Dei acceptatio, ad quod recipiendi quatuor requiruntur. SEcundum mysterium est verbi Dei acceptatio: vt ergo diuina gratia dignus efficiaris, quatuor debent esse in te. Primo de te non confidere, secundo in Christo confidere, tertio à Christo petere, quarto indignum te reputare. Primo igitur de te non confidere, ideo dicit *abi*, scilicet à me. Nam abire, est à se ire per humilitatem, prope vero se stare, est de se Psal 10. præsumere, quasi dicat: O prædicator, non præsumas, nec confidas intelligere à te vnam minimam veritatem: sed dic cum Psal. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem*, sicut passer pennatus virtutibus, & in altis nidificans, licet sit parua auicula. Et sic quanto minor de nobis est confidentia, eo plus Deus porrigit gratiam. Ideo in mysterio Cant. 7. sponsus dicit ad sponsam, Cant. 7. cap. *Vmbilicus tuus quasi crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Vmbilicus*, qui est fragilior pars corporis, significat se videre fragilem. & nullius bonitatis, qui est ad modum crateris facti torno: qui se tunc craterem tornatilem exhibet, quando simul & à se superflua reiicit & virtutum in se vacuitatem humiliter recognoscit. Sequitur, *Nunquam indigens poculis*, quasi dicat: In Christo confidere. Quanto mens de se stat vacua, tanto plus impletur à Deo, quia valles abundabunt frumento. Secundo in Reg. 4. Christo confidere. Ibi *ad Angelum* scilicet Christum qui est Angelus magni consilij. Inde in mysterium nota, quod scribitur, 4 Reg. 4. de vidua debilitata propter mortem viri. &c. vbi nota, quod prius in deficies confidere, quam Deus dare cum vasa defecerint & oleum steterit. Tertio à Christo petere ibi, à Christo petere. *dicens ei*: Quid est dicere. Est orare. Nam in oratione Luc. 11. acquiruntur gratiæ. Inde Luc. 11. cap. *Quærite & inuenietis: petite & accipietis: pulsate & aperietur vobis. Quærite* primo cum desiderio. *Petite* cum oratione vocali. *Pulsate* cum labore perseuerando. *Et sic* tandem *aperietur vobis.* Hic nota quomodo verbum Dei cum oratione ordinatum est quasi Deus incarceratus, ad quem orando & dicendo debemus pro visitando accedere, ideo incarceratum dicit, quia non nimis indignum se reputare. nes capiunt illud. Quarto indignum se reputare ibi, *vt daret mihi librum*: non redderet, quia non meum, Iacob. 1. quasi dicat, *Omne datum optimum, & omne donum per-* Apoc. 1. *fectum desursum est*, Iacob. 1. & Apoc. 1. *Cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius, tanquam mortuus.* Cadere in terram est indignum se reputare. Sequitur, *Et apposuit dexteram suam super me dicens, Noli timere*, ad significandum, quod qui se quantum ad omnia merita tanquam mortuum existimat & inutilem, hunc Christus dextera munificentiæ suæ amplioribus donis cumulat.

Tertium mysterium est verbi Dei assaporatio. TErtium mysterium est verbi Dei assaporatio ibi, *Accipe librum & deuora eum*, &c. Deuorare est cum indigentia auiditate desiderij iugiter meditari. Si cut enim non conferunt cibus, qui receptus mox reiicitur: sic nec intelligentia, quæ frequenti consideratione non consideratur, siue ruminatur. Sic igitur bonus dispensator spiritualis alimoniæ verbi Dei auidus est dulcedinis præmiorum, quæ in scripturis sanctis promittuntur, sic debet compassiuus esse super amaritudine suppliciorum, quæ impijs in ea comminantur. Vnde subditur: *Et faciet amaricare ventrem tuum.* Cum nempe venter sit infirmior pars corporis, infirmitatem indicat humanæ fragilitatis. Venter ergo spiritualis viri amaricatur, cum super miseria peccatorum ex compassione turbatur. In tali casu plangit Hierem. 4. *Ventrem meum doleo, ventrem meum do-* Hier 4. *leo, & sensus cordis mei turbati sunt in me.* Bis dicit se dolere ventrem, qui geminam super talis temporalibus & æternis peccatorum habet compassionem. Et licet sit amarus propter compassionem, dulcis est tamen in ore Doctoris propter diuinæ sapientiæ eruditionem: ideo dicitur, *sed in ore tuo erit dulce tanquam* *mel.* Mel dulcedinem sapientiæ indicat. Vnde Eccle- Eccl. 24. siast. 24. in persona sapientiæ, *Spiritus meus super mel dulcis.* Et hoc quantum ad diuinæ sapientiæ inspirationem, *& hereditas mea super mel & fauum.* Hoc dicitur quantum ad diuinæ sapientiæ, per virtutum vsum. & fruitionem. Qui ergo diuinam sapientiam sobrie & catholice docet, profecto mel in ore habet. Vnde de puero Emanuel dicitur, Isa. 7. *Butyrum &* Isa. 7. *mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Emanuel quidem interpretatur nobiscum Deus, & significat humilem diuinæ sapientiæ Doctorem, qui *butyrum* sapientiæ humanorum, in quo est pingoedo deuotionis per bonam actionem: *& mel* diuinæ sapientiæ, in quo est dulcedo diuinæ fruitionis per Dei meditationem contemplando, debet comedere, *vt sciat malum reprobare*, id est, rationabiliter impiorum hominum facta confutare, & eos à malitia studiorum suorum auertere terrorem suppliciorum eis comminando. *Et bonum eligere*, id est, virtutes bonorum persuadere, vt à vitiosis eligantur.

Quartum mysterii est verbi Dei communicatio. QVartum mysterium est verbi Dei communicatio, ibi, *Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare populis*, &c. Quasi dicat, Oportet te renouare vitam euangelicam, quæ in omnes gentes & linguas & populos & multos Reges dilatata est, vt omnibus prosit, quia *declaratio sermonum tuorum illuminat & intelle-* Psal. 118. *ctum dat paruulis.* Et vt omnibus prosit prædicator, quid agere debeat. Nam Luc. 5. traditur modus, Luc 5. quando dixit Christus Petro, *Duc in altum & laxate* Tria prædicatori requisita. *retia vestra in capturam*, vbi tria requiruntur. Primo altitudo vitæ ibi, *duc in altum*: secundo charitas doctrinæ ibi, *laxate retia vestra*: tertio interiora tecta ibi, *in capturam*;

ARTICVLVS SECVNDVS.

Secundum principale.

Psal. 35. SEcundo videndum est de semine, quia dicitur, *Et dum seminat, aliud cecidit supra petram*, &c. Contra male audientes verbum Dei, Psal. inquit. *Noluit* *Tres sunt in anima vires.* *intelligere vt bene ageret.* Tres sunt in anima vires, scilicet concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Hæ quidem per libertatem arbitrij possunt ad bonum incommutabile subleuari, scilicet in Deum credendo, spectando, & amando: & tunc est terra, in quam si ceciderit semen verbi Dei, facit fructum centuplum, possunt etiam hæ vires flecti ad transitoria bona, scilicet ad delicias, honorificentias, & diuitias: & tunc fit mens lutosa, petrosa, & spinosa. Primo lutosa, & hæc est pars concupiscibilis, cum scilicet in deliciis se immergit, & in hoc plus inuiscantur iuuenes. Secundo petrosa, & hæc est pars irascibilis, cum in honorificentiis se extollit, & in hoc plus inficiuntur viri. Tertio spinosa: & hæc est pars rationalis, cum in diuitiis se effundit, & in hoc plus intricantur senes.

Quod mens hominis sit lutosa.

CAP. I.

Primo lutosa. PRimo quidem fiunt aliqui terra lutosa, id est via per inuiscationem concupiscibilis in delitiis. Cum *Hominum quatuor sunt genera auditorum.* enim fiunt deliciosi, inepti sunt verbo Dei, hominum quatuor sunt genera auditorum. Primi sunt nimis curiosi, secundi nimis delicati, tertij nimis fastidiosi, *Primi sunt nimis curiosi.* quarti nimis teneri. Primi sunt nimis curiosi: hi sunt, qui audire cupiunt in sermone quædam inutilia sicut Poëtica, Philosophica, aut subtilia, & per consequens *Psal. 11.* populo inutilia & vana, contra quos Psal. ait: *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa & linguam magniloquam. Qui dixerunt: linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est.* Illi nempe linguam suam magnificant, qui subtilia, & inutilia verba prædicant, vt aliis videantur Doctores: contra quos Hie- *Hieron.* ronymus ait: Obducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis prophetant, vel philosophantur. Contra quos etiam Do- *Isa. 19.* minus per Isa. 19. ait, *Confundantur, qui operantur li-* *3. Reg. 2.* *num plectentes & texentes subtilia.* Et 1. Reg. 2. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Vnde distinct. 43. cap. dispensatio, quod est vltimum, scriptum est: Qui enim ea docet, quæ ab auditoribus intelligi non valent, non ad eorum vtilitatem, sed ad sui ostentationem facit. Et sequitur: vitium animi est indignis secreta vulgare. Quod fit vel loquacitate incauta, dum sine iudicio volat irreuocabile verbum, vel adulatione, vt ei placeat cui secreta reuelat. Ex hoc enim efficiuntur auditores curiosi talia curiosa & inutilia audire quærentes. Aliique non veri prædicatores, hoc attendentes, vt curiosis auditoribus placeant & ipsi etiam prædicentur à pluribus valentes & docti subtilia prædicant sæpius, nec seipsos intelligentes ignatique populi, vt ait Hieron. quanto minus intelligunt, plus mirantur. Exemplum de duobus fratribus vno subtili ingenio & alio grosso, &c. De talibus dicit Do- *Ose. 8.* minus prædicatoribus per Oseam, 8 cap. *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Hac curiositate superba prædicatores scelestibus inuoluti ascendunt vsque ad cœlos, scilicet per curiositatem intellectus, & descen- *Auditorum nimia curiositas.* dunt vsque ad abyssos, scilicet per prauitatem affectus. Anima vero eorum in malis tabescebat. Hi curiosi auditores gaudent audire, quod non intelligunt, vt occasionem habeant non faciendi, quod facere tenentur. Psal. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Quidam etiam *Psal. 35.* curiosi plus audiunt cum oculis, quam cum auribus, quia cum in prædicatione vident magnum populum, tunc attendunt: cum vero paucum, tunc recedunt, contra quos Apoc. 3. *Qui habet aures audiendi*, non dicit *Apoc. 3.* oculos, *audiat.* Quidam etiam in prædicatore principaliter attendunt pulchram vocem & disertam linguam, vel pulchram personam & vestem. Sed stultus est, qui frumentum emit ex pulchritudine sacci, contra quos 38. dist. cap. sedulo. ait August. Maxime vitile est, nosse ita præponendas esse verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit, vt malle debeant veriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos. Veri autem prædicatores non suam, sed Dei solius quærunt gloriam, non attendentes populi vanam curiositatem, sicut Isa. 24 cap. scriptum est, *In do-* *Isa. 24.* *ctrinis glorificate Dominum.* Et Iob. 38. *Nunquid mittes* *Iob. 38.* *fulgura & ibunt & reuertentia tibi dicent, Ecce assumus,* *Eccle. 1.* & Ecclesiast. 1. cap. *Ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur.* Secundi sunt auditores nimis delicati. Hi *Secundi sunt nimis delicati.* sunt, qui solum vellent de contemplatione & de spiritualibus & de virtutibus, & gratiis atque de cœlestibus audire, intactaque pertransire vitia & Dei flagella peccatoribus data & danda, quod etiam sæpius prædicator libentius ageret, nisi speculum Apostoli Pauli ante oculos haberet, qui de se 1. Corint. 10. cap. *Non* *1. Cor. 10.* *quæro, quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant,* & 1. Corint. 13. *Charitas, non quærit quæ sua sunt* Et 2. *1. Cor. 13.* Tim. 10. c. sic ait: *Argue, obsecra, increpa*, &c. Vbi plus *2. Tim. 10.* dicit contra vitia exprobranda quam pro virtutibus extollendis: quia difficilius est corrigere vitia, quam virtutes operari. Vnde Isa. 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba* *Isa. 58.* *exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum & Domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit.* Veri nanque serui Dei, & spirituales viri non falsi, sed vero Dei lumine illustrati & irradiati considerant populorum corruptiones, & horribilium peccatorum abusiones: Ideo gaudent, cum huiusmodi cernunt horribiliter detestari, argui & increpari. Ter- *Tertij sunt nimis fastidiosi.* tij sunt auditores nimis fastidiosi, hi sunt qui tot prædicationes audierunt, quod fastidiunt nouas audire. Vnde vertuntur eis in nauseam similes populo nauseato dicenti, Num. 21. cap. *Anima nostra nauseat su-* *Num. 21.* *per cibo isto leuissimo.* Contra quos Prouerb. 27. *Anima* *Prou. 27.* *saturata calcabit fauum*, id est dulcedinem verbi Dei & virtus veritatis, scilicet si non tam prolate, delicate & ornate, sicut vellent in auribus suis sonare. Et nota, quomodo apis est prædicator componens fauum mellis ex multis floribus: sed è contra anima esuriens amarum pro dulci sumet. Ad tales mentes non dico corpore, sed fastidio pingues loquitur Amos 4. capit. *Amos. 4.* voce magna dicens bne. *Audite verbum Domini vaccæ pingues.* Sed quæ pinguedine spiritus & dulcedine verbi Dei priuatæ sunt, ossa arida vocantur. Vnde hoc etiam contrario vocabulo, licet vero, Ezech. 37. *Ezech. 37.* scriptum est, *Ossa arida audite verbum Domini.* Quar- *Quarti sunt nimis teneri.* ti sunt auditores nimis teneri, qui cum in aliquo reprehenduntur, indignantur contra veros prædicatores. Odor enim gratus est sano, cum naturaliter hominem recreet atque confortet, sed odiosus est venenoso serpenti eo, quod ipsum fugat & necat. Sic sæpe cum contra scelera & spurcitias, quæ in sacro matrimonio fiunt, præco veritatis elamat, & de odore castimoniæ & sancti coniugij prædicat, luxuriosus, qui quasi in volutabro luti submersus est, abhorret audire de honestatis odore, qui semper stare consueuit in carnalitatis fœtore, similis quidem porco, immo stridet in prædicatorem dentibus suis,

suis sicut porcus, cum ei aufertur cibus iam gostatus: immo nec aromata palatum eorum immutant, nec tali delectantur odore, sed honestus dicit illud, *Cant. 1.* Cant. 1. *Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Exemplum etiam equi recalcitrantis conoenit eis & maxime, quando patitur in dorso. Item assimilantur illis duobus rusticis, qui ad odorem aromatum defecerunt: sed viuificati fuerunt ad fœtorem stercoris. Nullum quippe carnalitatis & impudicitiæ est euidentius signum, quam ægrè & molestè ferre, cum contra abusiones matrimonij & carnis spurcitias *Eccl. 21.* patatur. Vnde Ecclesiast. 21. cap. ait. *Verbum sapiens quodcunque audierit sciens*, scilicet bonum, *laudabit & adijciet*. Audiuit luxuriosus & displicebit ei, & proiiciet post dorsum suum. Exemplum de Domina Cerasagia. Hæc quatuor auditorum genera sunt lutosa via, de qua supra. *Et dum seminat*, scilicet prædicator verbum, *aliud cecidit secus viam*, in deuio prædicti *Psal. 104.* quadruplicis erroris. Psal. 104. *Errare fecit*, scilicet diabolus, *eos in inuio & non in via, & viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt*. Et conculcatum est, id est vilipensum, *Matth. 7.* Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. Et volucres cæli comederunt illud*, id est, dæmones, non tamen illud incorporantes, sed infru*Deut. 32.* ctuosum reddentes. Deut. 32. *Deuorabunt eos aues morsu amarissimo.*

Quod mens hominis sit petrosa.

Cap. II.

Secundo fiunt aliqui petrosi, & hoc per obdurationem irascibilis in honorificentiis, ex quibus inepti fiunt verbo Dei. Et sunt quatuor genera petrinorum auditorum. Primi sunt obstinati, secundi sunt elati, tertij sunt superbi, quarti sunt maligni & peruersi. Primi sunt obstinati, de quibus Iob. 41. *Indurabitur cor eius, quasi lapis*, scilicet in honorificentiis, *& stringetur quasi malleatoris incus.* Scabiosus odit nouaculam, fur lucem, puer magistrum, freneticus ligamentum, adultera maritum. Sic obstinatus verbum correctionis, vetus pellis non tenet, punctum, & carnes suinæ vel suillæ atque antiquæ aqua vel igne coqui non possunt: sic nec peccator inueteratus pia exhortatione, nec aspera correctione coqui potest, contra quos Prouerb. 12. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est.* Secundi sunt elati, qui despiciunt verbum Dei vilipendentes sacram scripturam, & qui ad fabulas conuertuntur, contra quos Psalm. ait. *Proiecisti sermones meos retrorsum*, & August. super Gen. ad literam, lib. 5. Scriptura sacra sic loquitur, vt altitud ne superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate paruos enutriat, & iterum Augustinus 1. q. 1. cap. interrogo. Nota quod ibidem dicitur. Quidam etiam spernunt prædicatorem propter aliquem defe*Luc. 10.* ctum in dicendo, contra quos Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Nec etiam licet spernere prædicatorem peccatorem vtilem. Vnde Hieronymus 83. distinctione §. vlt. Sicut enim lixiuium per humidum cinerem fluens lauit & non lauatur: ita bona doctrina per malum Doctorem animas credentium lauat à sordibus peccatorum. Tertij sunt auditores superbi, qui redargutiones sustinere non possunt. Vnde dicitur in *Psal. 143.* Psal. *Tange montes & fumigabunt.* Nec mirum, quia vt ait Gregorius. Tumor mentis est obstaculum veritatis. Similes freneticis, qui manibus, pedibus & dentibus impugnant eos, qui sibi medentur. Quarti sunt auditores maligni & peruersi & inuidi, qui multis criminibus inuoluti secundum quod in se & de se sentiunt, de aliis male iudicant. Diiudicant enim actus, dicta, facta, nutus & quæcunque minima signa, omnia in malum interpretantes: immo si prædicator optima dicat, si in aliquo prædicatorem obseruare possunt, illud scandalizati reportant similes canibus, qui non nisi ossa de macello asportant. Hi sunt similes scarabæo stercori potius quam flori adhærenti. Aliqui vero inuidia comburuntur, ferre non valentes prædicatorem Deo & populo fore gratum, Psal. *Verbum ini-* *Psal. 4.* *quum constituerunt aduersum me*, &c. Non tamen debent tales prædicatores à prædicatione cessare propter tales canes & scarabæos. Vnde 43. dist. cap. scimus, dictum est: Scimus autem multos ob id infestare Doctores suos, vt eos perdant & propriæ voluntatis placita adimpleant. Non propter ea tamen doctores inquantum vires suppetunt à recta æmulatione & bona intentione recedere debent scientes, *quia beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Si autem propter detractores à prædicatione desistunt assimilantur nubibus sine pluuia quæ à ventis circumferuntur seu autumnalibus arboribus sine fructu seu arboribus quæ à ventis vrentibus arefiunt. Hæc quatuor auditorum genera per petram Luc. 8. significantur, vbi dicitur, *quod aliud cecidit supra petram.* Zach 7. *Cor suum po-* *Zach 7.* *suerunt vt adamantem.* Ideo quærit Amos 6. *Nunquid* *Amos 6.* *currere queunt in petris equi*, id est, prædicatores. Et Iob *Iob 39.* 39. *Nunquid prabebis equo fortitudinem*, scilicet ad fructum in talibus consequendum. Sed vere benedictum lignum, quod plantatum est super aquas, & ad humorem mittit radices, & non timebit cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & non desinet aliquando facere fructum; sequitur. Et natum aruit. Isa. 15. *Aruit herba, defecit germen: viror omnis interiit:* *Isa. 15.* *quia non habebat humorem*, scilicet gratiæ Dei vel charitatis.

Quod mens hominis sit spinosa.

Cap. III.

Tertio fiunt aliqui spinosa terra per effusionem rationalis in diuitiis. Cum humanæ intelligentiæ in diuitiis se effundunt ineptæ fiunt verbo Dei, quoniam statuerunt oculos suos declinare in terram. Et horum sunt quatuor genera scilicet male auditorum. Primi *Quatuor genera male audientium.* sunt quidam auditores negligentes. Secundi sunt quidam indiscreti, Tertij sunt quidam molesti. Quarti sunt quidam alienati. Primo sunt quidam negligentes, *Primi.* tripliciter committi potest negligentia. Primo in ve- *Secundi.* niendo, quia tarde veniunt. Secundo in attendendo, quia hinc inde respiciunt vel dormiunt. Tertio in non continuando, hic pone causam quare multi non continuant, quia si à principio non placet eis prædicator amplius non curant. Secundo sunt quidam indiscreti, qui non curantes ædificari, semper vellent euangeliorum, & legendarum cursum literalem non sensum principalem vtilem & moralem. Exemplum de medico stulto qui non secundum exigentiam morbi medetur: sed secundum ordinem capitulorum Auicennæ. Et exemplum hic nota aromatarij volentis vendere suos bulolos secundum ordinem & non secundum necessitatem. Tertio sunt quidam molesti & ma- *Tertij.* xime auari & vsurarij, quibus panis sapidus non est sed molestus. Vnde si prædicatur de viuta & restitutione male ablatorum aut de contemptu mundi, talis panis doctrinæ Dei eis execrabilis erit similes apibus quæ dum tanguntur mordent, vel à prædicatione fugient similes factis bufonibus, qui comedunt terram & vineam fugiunt dum floret. Quarto sunt quidam *Quarti.* alienati & hi in prædicatione de aliis cogitant, vel cum aliis loquuntur dicentes cum de aliquo vitio prædicatur, Istud tangit talem cum magis ipse sit in tali retitus & inuolutus. Contra quos Matth. 7. *Hypocrita* *Matth. 7.*

quid vides festucam in oculo fratris tui, eiice primum trabem de oculo tuo. Insuper multum gaudet populus eum de sacerdotibus & fratribus fit exprobratio: ita vt omnes hilarescant & suorum obliuiscantur peccatorum, nec aliud in mente retinent nisi tantum peccata sacerdotum & iuxta illa iustificant animas suas vt verificetur illud Hierem. 3. quod per ipsum scriptum est. *Iustificauit animam suam aduersatrix Israel comparatione praeuaricationis Iuda.* Et haec quatuor auditorum genera per spinas intelliguntur, Isa. 7. *Vepres enim & spina erunt in vniuersa terra.* Vnde subdit Lucas. *Aliud cecidit inter spinas*, id est, in mentibus sollicitudinibus plenis Iob 30. *Esse sub sentibus delicias computabant.* Et simul exortae spinae. Isa. 32. cap. *Super humum populi ascendunt vepres, & spina*, quia crescentibus diuitiis crescunt cupiditates, & poenalitates atque angustiae. Et suffocauerunt illud, id est intelligentiam verbi Dei, seu verbum Dei intellectum.

Hierem. *Isa. 7.* *Iob. 30.* *Isa. 32.*

DOMINICA IN Quinquagesima.

SYNOPSIS.

Eorum, quae maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est de sacrificio Abrahae, tres habet articulos, & singuli eorum septem capita continent.

Articuli primi, Quomodo praecepit Deus Abrahae, immolare filium suum Isaac.

Articuli secundi, Quod Abraham se praeparauit ad immolandum filium suum Isaac.

Articuli tertij, Quomodo Abraham praeceptum Dei executioni mandauit.

QVIA LEGITVR DE HISTORIA Abrahae: ideo de illius sacrificio differemus.

Sermo III.

S*I filij Abrahae estis, opera Abrahae facite.* Ioan. 8. Adhibete huc aures, qui accessistis audire sermonem, qui fideles vos esse creditis, & considerate diligentius, quemadmodum fidelium fides probatur ex his, quae hoc die praedicabuntur vobis. *Tentauit Deus Abraham. & dixit ad eum, Abraham Abraham: At ille respondit, adsum.* Obseruate singula, quae scripta sunt. In singulis enim si quis sett in altum fodere, inuenit thesaurum. Et fortassis etiam vbi non aestimatur, latent mysteriorum pretiosa monilia. Abraham vocabatur iste prius, & nusquam legimus, quod hoc nomine eum vocauerit Deus, aut dixerit ad eum, Abraham, Abraham. Non enim poterat vocari à Deo nomine delendo, sed vocat eum hoc nomine, quod ipse donauit. Et non solum vocat hoc nomine, sed etiam ingeminat. Iam incipiunt mysteria. Profectò tentare est, experimentum sumere de eo, quod ignotum est: Deus enim cum lucidè omnia noscat, non tentat, vt sumat experimentum de his quae ignota sunt ei, sed vt aliis per experientiam innotescat, quod ipsi ignorant: sic igitur *tentauit Deus Abraham*, praecipiens ei, quod immolaret dilectum filium suum Isaac, vt in exemplum innotesceret aliis, obedientia eius. Vt omnes parentes discant, quantum praeponenda sit obedientia Dei filiorum dilectioni. Proinde in proposito verbo omnibus parentibus Dominus ait. *Si filij Abrahae estis, opera Abrahae facite*, id est. Si verè Dei fideles cum Abraham estis, imitemini Abraham in filiorum amore, illis praeponentes obedientiam eius. Circa igitur hanc obedientiam Dei tria mysteria in textu Gen 22. per ordinem contemplemur. Primum est mysterium praeceptionis, secundum est mysterium praeparationis, tertium est mysterium executionis.

De nomine Abrahae. *Ioan. 8.* *Gen. 22.* *Quid est tentare.* *Deus quomodo tentare dicitur.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo praecepit Dominus Abrahae immolare filium suum Isaac.

PRimo contemplemur mysterium praeceptionis, id est praeceptum quod quidem Abrahae dedit Deus de filio immolando. Ait etenim illi, *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque offer ibi eum in holocaustum super vnum montium, quem demonstrauero tibi.* In quibus mysticis verbis septem tentationes, vel probationes, seu experimenta continentur de hoc praecepto Dei, qui ostendunt stupendam fidei firmitatem, quae fuit in Abraham. Est enim probatio, prima separationis, secunda promissionis vel generationis, tertia perfectionis, quarta consolationis, quinta dilationis, sexta combustionis, septima praeuisionis.

Mysterium praecepti Dei consideratur. *Gen. 22.*

Prima tentatio.

CAP. I.

PRima est probatio separationis, scilicet si ex sui obedientia re sibi dilectissima, atque dulcissima patienter carere vellet, videlicet vnico filio suo. Propterea ait illi: *Tolle filium tuum*, non seruum, non alienum ad occidendum. Nominat enim illi filium: nam filius dicitur à φιλος, quod est amor, quasi dicat, Separa à te

1. Probatio est separationis. *Filius ab amore dicitur.*

per

per mortem amorem tuum, filium tuum, animam tuam, ſpem & vitam tuam. Nam licet Iſmael eſſet filius eius, tamen Gen. 21. dixerat ei Deus, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, & ad Galat. 4. capite Apoſtolus ait. Scriptum eſt, *quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnum de libera: ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera, per repromiſſionem* Hæc repromiſſio erat, quod in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Vnde ſi ille occidebatur, tota ſpes promiſſionis fruſtrabatur: ac per conſequens ſpes ſaluationis humani generis, atque ſui annihilabatur.

Gen. 21. Gal. 4.

Secunda tentatio.

Cap. II.

2. Probatio generationis.

SEcunda eſt probatio generationis, quia diuino munere datus, & miraculoſe conceptus, ſcilicet ex vxore vetula, atque ſterili, cum & ipſe iam centenarius eſſet, vt patet Gen. 21. Et de hoc ſubdit, *vnigenitum*. Non de multis vnum, quia de vxore libera alium non habebat, quaſi dicat vnum, qui ſit omnes. Aſcenderat enim animos eius in amorem filij non ſolum poſteritatis gratia, ſed & promiſſionis ſpe, ſcilicet ſalutis ſuæ, & omnium ſaluandorum. Sed hunc, in quo ei magnæ, & mirabiles promiſſiones poſitæ ſunt. Hunc inquam filium, in quo vocatum eſt nomen eius Abraham, id eſt pater multarum gentium, holocauſtum Domino iubetur offerre.

Gen. 21.

Tertia tentatio.

Cap. III.

3. Probatio perfectionis.

TErtia eſt probatio perfectionis, Amor naturalis patris ad filium, ſicut iunctus vitiis deterioratur, ſic iunctus virtutibus perfectionatur. Porrò perfectio patris, & filij miram in parte cordis anguſtiæ præſtabat occaſionem. Nam pater tantæ perfectionis erat, quod in ſemine ſuo promiſerat ei Deus ſaluare humanum genus. Puer vero innocens erat, virtuoſus, angelicus, atque ſanctus. Vnde Ioſephus ait, quod tantæ gratiæ erat, quod ad fauorem ſuum parentes ſuos potius prouocabat, eo quod in omni virtute ſtuderet, & parentum haberet ſolicitudinem & affectum circa Dei religionem. Vnde propter hæc omnia ipſum intimè diligebat. Et de hoc ſubditur, *quem diligis*, ſcilicet ſpeciali & cordiali dilectione, & ſuper omnes alias creaturas. Mira tentatio Dei. Dixerat enim, *tolle filium tuum*, nec ſuffecit ei, ſed addidit, *vnigenitum*. Eſto ad hoc quid adhuc addit Domine, *quem diligis*? Sed vide tentationis pondus, charis & dulcibus appellationibus iterum ac ſæpe repetitis paterni ſuſcitantur affectus, vt amoris euigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduerſum fidem animi tota carnis malitia repugnaret.

Pondus huius tentationis.

Quarta tentatio.

Cap. IV.

4. Probatio conſolationis. Gen. 21.

QVarta eſt probatio conſolationis. Nam ipſe erat ſolatium matris ſuæ, quod notatur cum ſubditur, *Iſaac*, quod interpretatur riſus. Dixit enim mater, Gen. 21. eo iam diuinitus ſibi dato, *riſum fecit mihi Deus, & quiſquis audierit corridebit mihi*. Quid enim dixiſſet mater Iſaac, ſi Abraham poſt immolationem filij rediiſſet domum, ac dixiſſet ei: Vxor mea, immolaui, id eſt combuſſi filium tuum? Quanto quæſo dolore ſauciatam ex hoc vidiſſet matrem? Proinde non tantum dutiſſimum eſſe debebat Abrahæ ſic mori filium ſuum propter ſe: ſed etiam propter cruciatum vxoris, quam cordialiſſimè diligebat. Quod porrò maximè accidiſſet, ſi ipſam contingeret audire, quod ipſe pater manibus ſuis filium tam gratioſum, tamque dilectum, & ei diuinitus ſibi datum, filium vnicum, & ſpem vnicam matris ſuæ, puerum vtique iuſtum & innocentem interemiſſet, & combuſſiſſet. Secundum enim Hebræos, vt refert Nico. de Lira ſuper iſtis verbis. Plures reuelationes ſunt factæ, atque plura præcepta data ipſi Abrahæ. Nam primo ait ei Dominus, *Tolle filium tuum. At ipſe reſpondit*, Paratus ſum obedire, ſed duos habeo filios: de quo intelligitur præceptum tuum. At Dominus ſecundo ait *vnigenitum*: ipſo autem reſpondente, quilibet eſt vnigenitus matris ſuæ: Dominus tertio addit, *quem diligis*. Et illo reſpondente, vtrumque diligo. Dominus quarto ſubdit, *Iſaac*. Et factum eſt hoc vt Hebræi dicunt, vt ex pluribus reſponſionibus ad obediendum maiorem haberet mercedem. Doctores autem noſtri dicunt, quod totum vnicum fuit præceptum ſimul datum, vt ſimul & ſubito omnia proponerentur: quæ poſſent ipſum trahere ad præcepti impletionem, vt per hoc amplius appareret obedientia eius.

Tom. IV.

Pura præcepta dat Deus Abrahæ.

Quinta tentatio.

Cap. V.

5. Probatio dilationis.

QVinta eſt probatio dilationis, ſcilicet tam temporis, quam etiam loci: quia voluit Dominus quod duceret dilectum filium per triduum ad immolationis locum, Et de hoc ſubdit. *Et vade in terram viſionis*, id eſt in montem iuxta Hieruſalem: quia ſcilicet altus erat reſpectu aliarum partium terræ promiſſionis: & ideo inde poterat videri terra in circuitu. Ille autem mons demum eſt additus ciuitati, & in illo poſtea ædificatum eſt templum tempore Salomonis, vt habetur 2. Paral. 3. ſecundum Nico. de Lira. Ex hac igitur dilatione cauſa doloris augmentabatur in Abraham. Si enim Deus præcepiſſet ex inſperato filium immolari, quodammodo tolerabilius extitiſſet. Vnde Gloſſ. ſuper hunc locum ait: Non eſt Abraham iuſſus ſtatim occidere filium ſuum, ſed per triduum ducere ad immolationis locum: vt longitudine temporis tentatio augeretur, & creſcentibus curis paterna viſcera cruciarentur. Cum autem hoc tam prolixo ſpatio pater filium intueretur, cibum cum eo ſumit, tot noctibus pendet in amplexibus patris, cubat in gremio, & per ſingula momenta in paterno amplexu dolor occidendi filium cumulatur. Stupendum ſiquidem eſt, quod pater tam dilecti filij virtuoſi, gratioſi, & amoroſi: viſu, colloquio, ſocietate, atque dulcedine à dato ſibi præcepto non ſaltem retardaretur. Intuemini per ſingula, quomodo fiunt tentationis augmenta. Ait enim. *Vade in terram viſionis*, id eſt in locum, qui poſſit à longe circunquaque videri. Nunquid non poterat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelſam, & imponi prius ad montem quemcunque elegerat Deus, & ibi ad eum dici, vt offerret filium ſuum? Sed prius dixit ei, *Vade in terram viſionis*. Quomodo hic ſpectat, vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcrepat, vt hinc perurgente præcepto, hinc vero vnici affectu obluctante intimè concietur, vt in hoc ſpatium certaminis accipiant affectus, & fides, amor Dei, & amor carnis: præſentium gratia, & expectatio futurorum.

2. Paral. 3.

Non retardatur iuſſus ab obedientia Deo debita.

Durum certamẽ Abrahæ in ſeipſo.

Sexta tentatio.

Cap. VI.

6. probatio combuſtionis.

SExta eſt probatio combuſtionis. Præceptum eſt enim ei, quod illum occideret ipſemet. Minor quippe patri fuiſſet dolor, ſi alius occidiſſet eum.

eum. Præcepit insuper, quod coram oculis suis interficeret eum. Leuius enim portatur mors filij, si in patris vel matris absentia trucidatur, quam si in eorum præsentia fiat. Propterea passio matris Dei dolorosior fuit, quia morti filij sui præsens erat. Vnde Ioan. 19. cap. *Stabat autem iuxta crucem* IESV *mater eius.* Proinde Simeon, Luc. 2. cap. ait, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Voluit quoque, quod non solum ipse coram oculis suis, sed & propria manu, non per alium occideret eum. Minor enim dolor fuisset, quod saltem per alium occidisset. Proinde Dominus subdit. *Atque offer ibi in holocaustum.* Ex quo patet, quod non solum præcepit, quod illum per seipsum (vt dictum est) occideret: sed quod per seipsum, & non per alium coram oculis suis, non in absentia sui combureret eum. Non partem, sed totum. Propterea dicit, *In holocaustum*: quod erat sacrificium, quod totum comburebatur, incendebatur, & cremabatur. Insuper voluit Deus, quod non solum non parceret viuo: insuper quod non parceret mortuo, vt nihil remaneret memoriale: nec etiam os, vel puluis ad solatium patris: sed tantum cineres, qui etiam statim per flatum venti dispergerentur. Ecce tentatio, & probatio magna. Grauior quoque hæc tentatio erat, quia aliqua præcepti necessitas, vel vtilitas minimè apparebat. Quæ enim vtilitas, seu necessitas occidere innocentem? Damnum apparebat vtique manifestum, & summa crudelitas videbatur. Præterea quomodo poterat excusare eum auctoritas summi Dei, præcipientis, quando nullus aderat futurus testis? Nec quoque à mundo crederetur ei in apparentia tanti sceleris, & tam crudelis facinoris, si dixisset hoc sibi Dominum præcepisse. Amplius, non enim præcesserat in aliquo antiquorum, atque sanctorum patrum aliquod huiusmodi obedientiæ exemplum consimile: quia si præcessisset, apud se & mundum, præstasset vtique aliquod excusationis velamen. Ex his omnibus patet, quod in conspectu omnium, ad quorum notitiam hoc peruenisset, terribile scandalum generasset.

Ioan. 19. Luc. 2. — *Quid holocaustum.* — *In omnibus obedientia Abrahæ.*

Septima tentatio.

CAP. VII.

7. Probatio est præuisionis.

SEptima est probatio præuisionis, quia ante oculos per longum spatium præuidebat locum, in quo tam amorosum filium propriis manibus immolare, atque comburere tenebatur: proinde verisimiliter credendum est, quod omnes septem probationes, seu probabiles rationes cum connexibus suis, dum iter perageret ad perficiendum Dei præceptum, tanquam prouidus mente discutiebat, atque prudenter meditabatur. Quemadmodum qui videret in altissimo monte erectum patibulum seu furcas in quibus suspendi deberet dilectissimus filius suus: & de hoc subdit, *Super vnum montium, quem monstrauero tibi* Quid tu ad hæc ô Abraham? Quæ & quales cogitationes mouentur in corde tuo? Prolata est vox à Deo, quæ discutiat, & probet fidem tuam. Quid ad hæc dicis? quid cogitas? quid retractas? Putas-ne reuoluens in corde tuo, quia si in Isaac data est mihi repromissio, hunc autem offero holocaustum, superest vt non speretur vlla promissio? Aut magis illa cogitas, & dicis, quia impossibile est mentiri eum, qui repromisit, quicquid illud fuerit promissio permanebit?

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo Abraham se præparauit ad immolandum filium suum Isaac.

1. Mysterium est præparationis. — *Gen. 22.*

SEcundo contemplemur mysterium præparationis, scilicet quomodo Abraham se præparauit ad executionem præcepti Dei. Et de hoc sequitur in textu. *Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul, dixitque ad pueros. Expectate hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos* In quibus sacratissimis verbis ostenduntur septem stupenda signa veræ ac fidelissimæ obedientiæ Abrahæ ad præceptum Dei. Nam obediuit primo simpliciter, secundo libenter, tertio velociter, quarto fideliter, quinto stabiliter, sexto viriliter, septimo indesinenter.

Quomodo Abraham obediuit simpliciter.

CAP. I.

1. signum fidelissima obedientia. — *Psal. 17.*

PRimo enim obediuit simpliciter. Nam de præcepto tam difficili, immo horribili non se excusauit, vt de eo dici possit à Deo propheticum illud, *In auditu auris obediuit mihi.* Non etiam deliberauit, vt manifestè ostendat vno eodemque momento processisse & imperantis imperium, & obedientis obsequium. Non enim quæsiuit à Domino, cur hoc præcipiebat. Nam secundum Bernard. ad fratres de monte Dei, Perfecta obedientia maximè in incipiente indiscreta est, hoc est non discernere, quid vel quare præcipiatur, sed tantum ad hoc niti, vt fideliter, & humiliter fiat, quod à maiore præcipitur: sic & iste fecit.

Quomodo Abraham obediuit libenter.

CAP. II.

2. signum vera obedientia. — *Ioan. 4.* — *1. Reg. 3.* — *Gen. 3.*

SEcundo obediuit libenter seu volenter, voluntatem præcipientis faciens, non suam. Nam vt August. 4. confessio. ait: Optimus tuus minister est, qui non magis intuetur à te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod à te audierit. Exemplo Domini, qui Ioan. 4. cap. ait. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, quasi diceret illud 1. Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Causam quippe præcepti tam insoliti non quæsiuit, sicut faciunt quidam religiosi imitantes diabolum, qui Gen. 3. cap Euæ inquit: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederitis de omni ligno.*

Quomodo Abraham obediuit velociter.

CAP. III.

3. signum vera obedientia. — *Prou. 22.*

TErtio obediuit velociter. Non enim procrastinauit exequi mandatum Dei. Vnde subditur in ipso textu *Igitur Abraham de nocte consurgens*, scilicet festinanter, vt adimpleret mandatum Dei, nec expectauit diem. Nam de nocte factum fuit sibi præceptum, quia tunc communius, & conuenientius diuinæ reuelationes fiunt sedatis exterioribus motibus, atque curis. Multum siquidem gratum solet esse non tantum Deo, sed etiam principibus mundi, cum præcepta eorum velociter adimplentur. Proinde Prou. 22. scriptum est. *Vidisti virum velocem in opere suo coram regibus stabit.* Ad literam quoque festinauit in nocte, vt non videretur, & impediretur.

Quomodo

Quomodo Abraham obediuit fideliter.

C a p. IV.

Signum obedientiæ. Ad Gal. 3. QVarto obediuit fideliter. Nam de re tam ardua nullum consilium requisiuit, tantum de Domino confisus est. Proinde ad Galat. 3. cap. Apostolus ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Et in laudem eius subdit. *Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ. Prouidens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.* Igitur qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham. *Ecclesi. 44.* Eccles. quoque 44. cap. itenim de illo ait. *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo, in carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis.*

Quomodo Abraham obediuit stabiliter.

C a p. V.

Signum obedientiæ. QVinto obediuit stabiliter. Nam quod ei à Deo præceptum erat, nulli reuelauit: nec alij communicauit, ne fortè prohiberetur seu impediretur parere Deo. Vnde 22. quæst. 2. in cap. prophetauit: Ambrosius ait: Prophetauit, quod ignorabat ipse solus, proponebat redire immolato filio: sed Dominus per os eius locutus est, quod parabat. Captiose autem loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio aut impediret eum aliquis, aut gemitu obstreperet aut fletu. Hoc quidem est contra obedientias reuelantes, quæ non complacent eis & procurantes eas reuocari per seculares. Si igitur Abraham aliquod horum quinque præcedentium egisset, forsitan meritum perdidisset: quia Dominus dixisset ei, Nolebam quod faceres hoc: sed ad probandum te hoc dixi. Vnde 22. quæst. 2. in cap non enim Ambrosius inquit: Non enim volebat Deus à patre immolari filium, nec impleri hoc munus, qui ouem pro filio immolandam obtulit, se tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio. Et sequitur, quod Dominus dixisset ei. Affectum tuum inquisiui, non factum exegi, tentaui mentem tuam, si etiam filio dilectissimo non parceres propter me, non aufero quod ipse donaui, nec hæredem inuideo quem largitus sum non habenti. Hæc ille.

Quomodo Abraham obediuit viriliter.

C a p. VI.

Signum obedientiæ. SExto obediuit viriliter, quod patet si consideremus quod sequitur, *Strauit asinum suum.* scilicet ad portandum ligna, quæ in sacrificio holocausti necessaria erant. Et notanter inquit, *strauit*, scilicet ipsemet, nec expectauit, quod surgeret seruus suus, tanto feruore anhelabat implere mandatum Dei. *Non reuelat Abraham præceptum.* *Ducens secundum duos iuuenes.* qui secundum Hebr. fuerunt Ismael, & Eliezer. Et tamen nec ipsis, nec vxori suæ reuelauit præceptum, ne impediretur ab eis. Sequitur, *& Isaac filium suum.* Cumque concidisset ligna, scilicet in itinere in holocaustis, *Abiit ad locum quem præceperat illi Deus.*

Quomodo Abraham obediuit indesinenter.

C a p. VII.

Signum obedientiæ. SEptimo obediuit indesinenter. Nam omne aliud impedimentum, quod obedientiam impedire, vel ab obedientia remouere poterat solicitè à se separauit. Vnde subditur, *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul*, secundum Nicol. de Lira. Locus vnde recessit Bersabee, non erat ita longe à monte Moria, vbi filium debuit immolare, quin debuisset illuc venire in spatio breuiori: quia non distat, nisi per viginti leucas, hoc est per trecenta milliaria vel ducenta. Sed ideo à Domino hæc dilatio facta est, vt omnibus appareret, quod Abraham in hoc facto non fuit leuitate motus, sed ex diuina deliberatione, vt clarius elucescat obedientia eius. *Dixitque ad pueros. Expectate hic cum asino.* Timebat enim, ne impedirent obedientiam eius, si præsentes essent. *Ego & puer*, scilicet Isaac. *Illucusque properantes postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Dic mihi Abraham, vere dicis ad pueros, quod adorares, & cum puero redeas, an fallis? Si verum dicis, ergo cur non facies holocaustum? si fallis, tantum Patriarcham non decet fallere. Quid ergo animi iste indicat sermo? *Obiectio.* Verum, inquit, dico, & holocaustum offero puerum. Idcirco eum, & ligna mecum porto, & cum ipso redeo ad vos. Credo enim & fides mea est hæc, quod & à mortuis eum suscitare potens est Deus. Hæc secundum Origenem. *Responsio.* Nicol. vero de Lira ait, quod hoc prophetice dicit. Non tamen aduertebat, quod diceret. Non tamen intelligebat, quod Isaac reuertetur cum eo. Proinde non fuit propriè & perfectè prophetia, & id non fuit perfectè propheticè dictum. Nam ad hoc requiritur intelligentia dicti. Nam Daniel 4. cap. scriptum est, *intelligentia opus est in visione.* *Dan. 7.* Sed large dicta est prophetia, quia Spiritu sancto mouente protulit verba illa.

A r t i c v l v s T e r t i v s.

Quomodo Abraham præceptum Dei executioni mandauit.

3 mysterium executionis. Gen. 22. TErtio contemplemur mysterium executionis. Et de hoc in textu subditur. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum. Ipse vero portabat in manibus ignem, & gladium. Cumque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: pater mi. At ille respondit: Quid vis fili mi. Ecce, inquit, ignis & ligna, vbi est victima holocausti? dixit Abraham: Dominus prouidebit victimas holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter, veneruntque ad locum, quem ostenderat ei Deus in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit. Cumque colligasset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum: extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, Abraham Abraham. Qui respondit, adsum. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti filio tuo propter me.* In quibus sacratissimis verbis huius executionis septem ordinatè subiunguntur processus. *Septem processus executionis Abrahæ in obediendo.* Primus instrumentorum mortis deportatio, secundus de victima interrogatio, tertius altaris ædificatio, quartus Isaac ligatio, quintus gladij vibratio, sextus præcepti reuocatio, septimus fidelis commendatio.

Prima mandati executio.

C a p. I.

1 est instrumentorum mortis delatio. PRimus processus est instrumentorum mortis delatio. Mira profectò Abrahæ fides, & ad obediendum Deo prompta voluntas. Porrò in omnibus Deo placet, qui hanc habet, semperque Deus animæ multiplicat gratias, quæ eam seruant. Vnde Gregor ait: Non est manus vacua à munere, si arca cordis plena fuerit bona voluntate. Vt ergo Abraham pareret imperanti, eo solo consilio remanente tulit quoque ligna holocausti, scilicet de dorso asini: & imposuit super Isaac filium suum. In figura Domini nostri Iesu Christi, qui vt dicitur Ioann. 19. *Baiulans sibi*

Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvaria locus, ubi & crucifixus est. Ipse vero portabat in manibus ignem scilicet ad filium comburendum: & in omnibus his tentatio cumulator. Mortaliter enim in his duobus duo, quæ in perfecta obedientia requiruntur, notari possunt, scilicet in igne deuotio feruens, in gladio discretio intelligens.

Secunda mandati executio.

Cap. II.

2. est de victima interrogatio. SEcundus processus est de victima interrogatio. Et de hoc subditur, *Cumque pergerent duo simul, dixit Isaac patri suo.* Et hæc in tempore à filio prolata tentationis vox est. Quomodo enim putas immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit? Et quamuis Abraham rigidior esset pro fide, reddidit tamen etiam ipse affectionis vocem. *At ille respondit: Quid vis fili mi? Ecce inquit ignis & ligna: ubi est victima holocausti? Dixit Abraham, Dominus prouidebit victimas holocausti, fili mi?* hoc etiam propheticè locutus est. Quod enim filius victimam ad memoriam reuocet patri. Vnde mors filij sequebatur nouam in patre teneritudinem excitabat. O quanta stabilitas obedientis fidei, ô mens à terrenis abstracta, & ad diuina præcepta implenda intellectualiter, & affectualiter elenata, mira res, non lachrymatur, signum afflictionis seu doloris non ostendit suspirium non emittit, omnia mœstitiæ signa à feruore fidei, & obedientiæ comprimuntur, & suffocantur.

Tertia mandati executio.

Cap. III.

3. est altaris ædificatio. TErtius processus est altaris ædificatio. Vnde subditur: *Pergebant ergo pariter, veneruntque ad locum, quem ostenderat ei Deus in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit.* Super hunc autem locum Iosephus ait, quod ædificato altari, & omnibus præparatis Abraham ad puerum inquit: O puer, quem innumeris votis obtinui, susceptumque diligentissimè alui, in quo felicem me arbitrabar, cum te viderem ad vitilem ætatem venire, vt morientes relinquerem successorem: quia ex voluntate Dei pater tuus factus sum, ex voluntate Dei similiter te deponam, eo quod dignatur accipere te in odorem suauitatis, vt sicut mirabilis fuit ingressus tuus in mundum, ita & mirabilis sit egressus. Non enim iudicauit Deus te dignum ægritudine, seu bello vitam finire: sed cum orationibus, & sacrificiis animam tuam ad se vocare. Et ipse de cætero mei curam gerens, senectamque regens, qua gratia maximè te nutriebam, nunc maneam de te desolatus pro obedientia Dei Patris. Denique Isaac sermonem patris libenter accipiens ait, Iniustum quippe esset, quod natus fuissem, si Dei, & patris iudicium refutarem, quando solo patre ad volente impium esset non obedire. Hæc dicens accessit ad aram pariter & ad mortem, sicut in sequenti cap. patet.

Colloquium Abrahæ patris cum Isaac.

Quarta mandati executio.

Cap. IV.

4. Isaac ligatio. QVartus processus est, Isaac ligatio. Et de hoc subditur, *Cumque collegisset Isaac filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum,* secundum enim Nicol. de Lira, non est intelligendum, quod pater ligauerit eum inuitum, cum secundum Iosephum, Isaac iam esset viginti quinque annorum, & per consequens Abraham erat annorum 125. Nam 100. ann. erat cum natus est Isaac: & sic filius fortior erat patre. Patet etiam hoc, quia portauit in monte holocausti ligna, quæ erant onus vnius asini. Necesse vtique erat, quod tanta quantitas lignorum esset, quod sufficeret ad incendendum, & incinerandum totum vnius hominis corpus. Ligauit autem eum Abraham, non quod timeret eum fugere, vel rebellare, vt ex præcedentibus patet: sed vt immolaret eum sicut & animalia, quæ offerebantur in holocaustum, quæ ligata offerebantur. Insuper vt per hoc mysticè Christi ligatio monstraretur, quæ facta est ante immolationem eius in cruce.

Ligatur Isaac non renuens.

Christi ligatio præfiguratur.

Quinta mandati executio.

Cap. V.

5. gladij vibratio. QVintus processus est gladij vibratio. Et de hoc subditur, *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Multi patres in hac multitudine estis, qui hæc auditis. Putas aliquis vestrûm ex ipsa historiæ, & mysteriorum eius narratione tantum constantiæ, tantum animi robur acquiret, vt eum fortè amittat filius morte communi, & omnibus debita, vel per ingressum religionis, etiam si sit vnicus, etiam si dilectus vel singularis, adducat sibi in exemplum Abraham & magnanimitatem eius ante oculos ponat? Et quidem à te non exigitur ista animi magnitudo, vt ipse colliges filium, ipse constringas, ipse gladium pares, ipse vnicum iugules? Hæc omnia à te mysteria non quæruntur. Proposito saltem, & mente constans esto, fide fixus, lætus offer filium tuum Deo, esto sacerdos animæ filij tui. Sacerdotem autem immolantem Deo non decet flere. Vis videre, quid exigitur homo à te? In verbo proposito Dominus ait. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Ecce istud est opus Abrahæ. Facite opera, quæ fecit Abraham, sed non cum tristitia. 2. Cor. 9. Apostol. ait, *hilarem enim datorem diligit Deus.* Quod & vos si tam prompti eritis, à Domino dicetur vobis: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, & vade in terram visionis, atque offer ibi eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Non in terrenorum profundo, nec in conualle fletus: sed in altis & excelsis montibus offer filium tuum. Ostende, quia fides in Deum fortior est, quam carnis affectus. Amabat enim Abraham filium suum Isaac, sed amori carnis prætulit amorem Dei. Et inuentus est non in visceribus Iesu Christi, hoc est in visceribus verbi Dei & veritatis & sapientiæ fidelis, & perfectus. 2. Cor. 9.

Sexta mandati executio.

Cap. VI.

6. est præcepti reuocatio. SExtus processus est præcepti reuocatio, quia scilicet factum erat ad declarationem obedientiæ Abrahæ: ideo illa declarata reuocatur præceptum. Propterea subditur, *Et ecce Angelus de cælo clamauit dicens, Abraham, Abraham, Qui respondit, adsum. Et dicit ei: Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam.* Licet enim Isaac tam esset, viginti quinque annorum, tamen nominabatur puer: quia adhuc erat sub cura patris. Nam in scriptura sacra subditi ac famuli, licèt sint prouectæ ætatis, sæpius pueri nominantur.

Septima mandati executio.

Cap. VII.

- fidei commendatio. SEptimus processus est, fidelis commendatio, & de hoc subditur, *Nunc cognoui, quia timeas Dominum, & non pepercisti filio tuo propter me.* Hoc quippe dixit, non quia eum latebat ante timere Deum: sed propter te hæc scripta sunt: quia & tu credidisti quidem

dem Deo: sed nisi opera fidei expleueris, nisi in omnibus præceptis etiam difficilioribus parueris, nisi in sacrificium obtuleris, & ostenderis quia nec patrem, nec matrem, nec filios præferas Deo, non agnosceris, quia timeas Deum. Nec dicetur de te, *Nunc cognoui quod timeas Deum.* Porrò Angeli sancti de profectu vniuscuiusque nostrûm lætantur & dicunt, Nunc cognoui quod timeas Deum. Verbi causa propositum habeo martyrij, seu religionis, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, Nunc cognoui, quod timeas Deum. Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si verò accessero ad agonem, vel assumpsero statum religionis, & quæ inferuntur constanter cuncta suscepero vel in religione perseuerauero: tunc potest dicere Angelus velut confirmans me atque corroborans, Nunc cognoui, quod timeas Deum, Quis putas vestrûm audiet aliquando Angeli vocem dicentis, nunc cognoui quod timeas Deum, quia non pepercisti filio tuo, vel filiæ tuæ, vxori: aut non pepercisti pecuniæ, vel honoribus sæculi, seu delicijs mundi, & omnia contempsisti, & omnia duxisti vt stercora, vt Christum lucrifaceres vendidisti omnia, & dedisti pauperibus, & secutus es Christum?

Fides operibus ostenditur.

DOMINICA II. post Pascha.

SYNOPSIS.

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone,

Qui est de Prælatis & Rectoribus vel pro synodo, quique continet duos articulos quorum primus tria, secundus totidem continet capita.

Articuli primi, De triplici exemplo quo prælatus debet pascere oues suas.

Cap 1. *Quod prælatus debet pascere oues suas exemplo dilectionis.*

Cap. 2. *Quod prælatus debet pascere oues suas exemplo sobrietatis.*

Cap. 3. *Quanto honestatis exemplo debet pastor pascere oues suas.*

Articuli secundi, Quod prælatus debet pascere oues suas verbo Dei tripliciter.

Cap. 1. *Quod prælatus debet docendo illuminare animas sibi commissas.*

Cap. 2. *Quod prælatus debet maxime consolari animas mœstas & desolatas.*

Cap. 3. *Quod prælatus debet iuxta posse corrigere delinquentes.*

DE RECTORIBVS ET PRÆLATIS, vel pro synodo.

Sermo III.

1. Ioan. 10.

EGo *sum pastor bonus* 1. Ioan. 10. Proinde Eccle. 32. cap. ad prælatum, sed Dominum, vel rectorem ait: *Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis, curam illorum habe.* In quibus sacratis verbis septem, quæ in quolibet bono pastore necessaria sunt, exprimuntur. Primum est dignitas, secundum idoneitas, tertium auctoritas, quartum humilitas, quintum communitas, sextum benignitas, septimum vtilitas. Primum inquàm est dignitas, & de hoc ait, *rectorem.* Et merito quidem ait rectorem, non raptorem. Rectorem inquit, non destructorem quasi patrem nō carnificem, quasi ministrum, non tyrannū, quasi dispensatorē, non dissipatorem, vel vsurpatorem; vt pastorem, non mercenarium & corruptorē: vt tutorem, non deuoratorem. Proinde 1. Pet. vlt. cum beatus Petrus dixisset prælatis. *Pascite qui in vobis est gregem Dei,* immediatè subiunxit. *Prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Secundum est idoneitas, scilicet eius, qui electus est: & de hoc subdit, *te,* videlicet non tuas diuitias: te, non tua: te, non tuam nobilitatem: te, non tuam progeniem: sed te, id est, tuam personam. Vnde ad quemlibet electorem Deuteron. 26. cap. dictum est: *Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus,* id est in terra loco Dei, *& ambules in vijs eius, & custodias ceremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias eius imperio* Et ad electum immediate subiungit dicens, *Et Dominus elegit te hodie.* Sed hodie tota parentela episcopatur. Vnde & tota progenies nomen suum amittit: & qui prius fabri filius dicebatur, vel Petri, iam nepos Episcopi nuncupatus. Vnde Isa. 49. Admirans Ecclesia ait, *Quis genuit mihi istos?* Et sibimet respondens inquit. *Ego sterilis, & non pariens.* Tertium est auctoritas, scilicet eligentis. Et de hoc adddit, *posuerunt,* id est, canonice elegerunt, scilicet, non dantem coactè, nec ingerentem te inuerecundum, sed posuerunt eum canonicè, iuxta illud Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo,* scilicet per electionem, *tanquam Aaron.* Et Iob 5 cap. de Domino ait. *Ponit humiles in sublime.* Quartum est humilitas, & de hoc addit, *noli extolli,* id est, extra alios tolli, vel contra statum tuum tolli. Nec dicit, non extollaris, sed noli extolli: vt non tantum extollentiam exteriorem, sed etiam interiorem fugere doceret. Nam non immerito Gregor. ait: Vnusquisque superbus rector toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur. Et iterum Bern. ait: Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc vere non sapio quæ Dei sunt. Proinde Apost. 9. cap. ad Rom. tali prælato ait: *Noli altum sapere, sed time,* quasi dicat: Considera tui conditionem, & gregis infirmitatem vt compati scias. Ad Galat. 6. *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Quintum est communitas, & de hoc addit: *Esto in illis,* non supra illos: quasi in potestatis throno: nec extra illos in priuatis cameris, dimittendo communitatem extra necessitatem, sed in illis, id est inter illos, scilicet tanquàm communis homo communitatem tenendo in choro, in refectorio, atque in dormitorio. In cuius mysterium 2. Machab. 11 Ipse primus Machabæus sumptis armis cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis. Contra autem eos, qui non seruant talem communitatem, Zach. 11. cap. ait, *O pastor, & idolum derelinquens gregem,* quasi dicat. O pastor solo nomine, sed & idolum veneratione derelinquens gregem, id est communitatem non sequendo in congregatione. De tali pastore Ioan. 10. cap. ait, Mercenarius fugit, scilicet à communitate: quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Sextum est benignitas. Est enim benignitas bono igne ignita, secundum etymologiam. Est quippe benignitas, virtus sponte ad benefaciendum exposita, lenis, blanda, colloquio dulcis, & sua cunctos inuitans dulcedine, quæ omnia prælato maximè conuenire probantur. Et de hoc subditur, quasi vnus ex ipsis, scilicet ex virtute benignitatis. Nam, vt Apostolus 1. Cor. 13. ait: Charitas, scilicet quæ in prælatis esse debet, patiens est, benigna est. Septimum est vtilitas, & de hoc subditur, Curam illorum habe, quasi dicat: Habe curam

Septem necessaria in bono pastore. 1. dignitas. — *1. Pet. vlt.* — *2. est idoneitas.* — *Deut. 26.* — *Isa. 49.* — *3. auctoritas.* — *Iob. 5.* — *4. est humilitas.* — *Rom. 9.* — *Galat. 6.* — *5. est communitas.* — *2. Mach. 11.* — *Zach. 11.* — *Ioan. 10.* — *6. est benignitas, quid benignitas.* — *1. Cor. 13.* — *7. est vtilitas.*

curam non tantum multiplicandarum possessionum, nec tantum tuipsius, sed & illorum exemplo, & verbo instruendo illos, dissolutos corrigendo, infirmis compatiendo, necessaria prouidendo, mores
Act. 20. vniuscuiusque considerando. Vnde Actor. 20. prælatis dictum est: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* Notantet siquidem ait, *Attendite vobis*, Deinde subdit, *Et vniuerso gregi*: ad mysticè innuendum, quod qui seipsum curare nescit, quam curam subditorum habebit? Proinde. 1.
1. Tim. 3. Tim. cap. 3. Apostolus ait: *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Et iterum Bernardus inquit: Rectus ordo requirit, vt prius proprias, deinde alienas studeas curare con-
Prou. 27. scientias, Sicut Prouerb. 27. cap. scriptum est: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*: nam qui pro eis sanguinem suum fudit, de sin-
Hier. 33. gulis à te requiret rationem, sicut Hieremiæ 33. scriptum est: *Ad hoc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.* Proinde omnes vos admonet Apostolus Petrus in verbo proposito dicens, *Pascite, qui in vobis*
Tripliciter pascit prælatus gregē suum. *est, gregem Dei.* Tripliciter quidem pascere debet prælatus omculas, seu animas sibi commissas. Primo exemplo, secundo verbo, tertio subsidio: seu vita exemplari, verbo doctrinali, & subsidio temporali.

Articvlvs Primvs.

De triplici exemplo, quo prælatus debet pascere oues suas.

PRimo quidem prælatus pascere debet animas sibi commissas exemplo, seu vita exemplari. Ad imitandum summum pastorem Dominum Iesum Chri-
Act. 1. stum, de quo Actor. 1. scriptum est, *Cœpit Iesus facere & docere*: triplici enim exemplo pascere debet etiā. Primo exemplo charitatis, secundo exemplo sobrietatis, tertio exemplo honestatis.

Quod prælatus debet pascere oues suas exemplo dilectionis.

Cap. I.

Primo exemplo charitatis. PRimo exemplo charitatis. Si enim mater diligit filium suum carnalem, quantò feruentius debet pastor filium suum diligere spiritualem? In huius my-
Ioan. 21. sterium Ioan. 21. Dominus Petro ait: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine: tu scis, quia amo te, Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi, etiam Domine: tu scis, quia amo te: Pasce, inquit, agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixerit ei tertio, amas me? Et dixit ei, Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei, Pasce oues meas.* Circa quæ verba tria notanda sunt. Primo notandum est, quòd Christus curam & auctoritatem pastoralem Petru iniungere volens, prius de dilectione sui interrogat eum, & hoc maximè propter tria. Primo vt monstret quod charitatiua cura & dilectio proximorum ex Dei charitate originem habet, atque dependet. Secundo vt ostendat, quod non ex priuato suiipsius amore, sed ex sola Christi charitate ad hoc ferri, & moueri debet. Tertio vt doceat, quod nullus tali auctoritate est dignus, aut ad talem curam idoneus, nisi in charitate Dei præcellat. Vnde Bernardus ait: Non otiosè in commissione ouium dicitur, amas me, quasi dicat Dominus: Nisi amesme, & valde perfectè, id est plusquàm tua, & plusquàm tuos, & plusquàm
Cur ter de dilectione Christus interrogat. te, non te intromittas de ouibus meis. Secundo notandum, quod ter de dilectione interrogat, vt ostendat quod dilectio Dei se habet ad pastoralem curam in triplici ratione causæ. Primo vt ex sola ipsius dilectione, & motu suscipiatur, secundo vt secundum ipsam & in ipsa exerceatur, tertio vt ad ipsam tanquam ad finem vltimum totaliter ordinetur. Tertio notandum est, quod Christus primo dicit bis, Pasce agnos meos, & vltimo dicit semel, Pasce oues meas: vt ostendat quod maior cura spiritualis nutrimenti, & pastus circa tenellos & nouellos habenda est, quam circa grandæuos, atque prouectos: quamuis idem possit per oues & agnos signari, & econuerso. Proin-
de Luc. 2. cap. mysticè scriptum est, *Pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Vigilantes, scilicet pro se quoad Deum, & custodientes vigilias noctis super gregem suum, id est præsentis sæculi per bonum exemplum quoad proximum. Væ igitur iis, qui exemplum charitatis verterunt in exemplum cupiditatis, qui dormiunt ad animam, & vigilant ad substantiam. De dormientibus ad animam. Nahum 3. cap. scriptum est, *Luc. 2.* *Nahum 3.*
Dormitauerunt pastores tui Rex Assur. Assur enim factura vigilans ad tentandum interpretatur; & significat diabolum, qui Dei factura erat. Licet Deus eum fecerit Angelum, & ipse se fecit diabolum. Huiusmodi enim pastores ad sollicitudinem animarum dormire & dormitare probantur. Quomodo ij vigilent ad substantiam, Gregor. 22. moral. cap. 1. testatur dicens: Exigimus quod nostro debetur corpori: sed non impendimus, quod subditorum debetur cordi. Quidam enim vendunt sepulchra, in quibus alij sepulti sunt, quod prohibetur 13. quæst. 2. postquam. Quidam exercent vsuras, contra id quod scribitur 47. dicit episcopus, & cap. sequenti quidam ludunt ad taxillos, qui beneficio priuandi sunt extra de excess. præla. inter dilectos. de vita & honest. cle. si quis & cap. omnis. Quidam promouentur per simoniam, proinde est eis prohibitum celebrare, extra de simo. tanta 1. quæst. 1. quisquis. Quidam pro pœnitentia imponunt missas, quod quidem habet speciem mali, de vita, & honest. cl. si quis & cap. omnis. Quidam quoque celebrant pro pecunia, dantes pro 12. denariis missam: contra quos extra de simo. si est in ecclesiæ corpore, &c. nullus. immo, secundum Host. si sacerdos est ecclesiæ desponsatus, non debet aliquid ex pacto recipere etiam obtentu sumptuum de conse. disp. 1. cap. sufficit. Quidam quoque non orant pro offerentibus oblationes, cum comedant peccata populi, id est ablata pro peccatis. 1. quæst. 5. ipsi sacerdotes. Ars quoque negociationis, & mercaturæ clericis interdicta est, extra ne cleri. vel monast. cap. 1. per totum. 88. distinct. fornicati. *Prælati desides.* *Puniendi prælati desides.* *Pœna quæ mali puniuntur prælati.*

Quod prælatus debet pascere oues suas, exemplo sobrietatis.

Cap. II.

SEcundo quidem prælatus pascere debet animas exemplo sobrietatis. Vnde beatus Petrus 1. Pett. 5. maximè animarum pastores hortatur dicens, *Fratres sobrij estote*, &c. vsque *cui resistite*, &c. Sex præcipue debent esse in conuiuiis clericorum, vt habetur 44. distinct. cap. conuiuia. Primo, vt vitam absentium non mordeant, secundo vt præsentes non irrideantur, tertio vt inania sæcularium non recitentur, quartò vt verba sacræ lectionis legantur, quinto vt cibi non nisi ad sustentationem sumantur: sexto, & vt in principio, & in fine laudes Deo reddantur: hæc ibi, & in cap. pro reuerentia. Sed quidam exemplum sobrietatis vertunt in exemplum, immo in scandalum voracitatis & ebrietatis. Proinde ad quosdam, Iacob. 5. vertitur ait, *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra.* Nam sunt plerique, qui crapulantur, contra quos de vit. & honest. cler. à crapula. Alij quidam intersunt conuiuiis, in quibus credunt interesse *Secūdo exemplo sobrietatis.* *Petri 5.* *Sex præcipue debent esse in conuiuiis clericorum.* *Iacob. 5.*

interesse ioculatores, quod prohibetur, extra de vit. & honest. cler. clerici 23. distinct. His igitur. Quidam alij frequentans tabernas, & ebrietates, contra quos dicitur 44. distinct. non oportet. & duobus cap. seq. 23. disp. cap. his igitur. Lege, vbi præcipit, quod sacerdotes omnia fugiant consortia laicorum, eorumque conuiuia publica omnino non appetant. Quantum sint fugienda consortia laicorum, patet per exemplum cuiusdam Magistri in Theologia, quem ego noui, qui episcopatu desiderans, vt id perficere posset cum auxilio, & pecuniis aliquorum Magistrorum, cœpit in camera sua conuiuia frequentare ciuibus supradictis. Continuabat cœnas & prandia, post cœnas potus, post potus ludos, post ludos clamores & risus. Quid plura? Ad tantam dementiam denique peruenerunt, tantumque domestici facti sunt, quod oblita memoria religionis, scientiæ, atque gradus, more puerorum quando in scholis in posterioribus verberantur iuuenes, illi dissoluti, & vani equestrem illum eleuauerunt, posteriora eius inuerecunde plectentes. Et hoc modo episcopatus, vel potius scopatus est. Nostris quoque temporibus alius quidam magister prudens, & doctus volens experiri amicitiam quorundam ciuium, qui ad eum multum affici videbantur: fecit eis prandium pingue, optime præparatum vinis, ferculis, & dapibus vasiis plenum. Ordinauitque cum socio suo, quod cum in medio prandij essent, vocaret à prandio eum dicens, quod ob instantem necessitatem postulabatur, & interim eo absente, quasi inaduertenter diligentius obseruaret, quid ciues, & amici sui remanentes in prandio loquerentur. Vix aberat magister prudens: & vnus alterium & conuiuantium cœpit dicere, Hem, isti fratres in maioribus deliciis viuunt, quam nos, alius cœpit extollendo laudare vina, alius cibosum varietates, alter multitudinem ferculorum, & multipliciter murmurabant, socio magistri omnia obseruante. Tandem magistro redeunte ad mensam, prandioque completo, cum abiissent amici, qui fuerant in prandio, cœpit magister à socio discere, quæ ipso absente in prandio dicta sunt. Quibus intellectis proposuit firmiter omnia prandia, & conuersationes sæcularium euitare.

Quo tempore sacerdotes a Prælatis fugienda. *A religiosis conuiuia omnia vitanda.*

Quanto honestatis exemplo debet pastor pascere oues suas.

Cap. III.

Tertio pascere debet exemplo honestatis. Vnde maxime pastoribus animarum, Matth. 5. Dominus ait, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant*, &c. Et iterum paulo ante ait, *Vos estis sal terræ. Ad nihilum*, &c. vsque hominibus. Et Hieronym. 13. cap. iterum vobis ait, exemplum enim dedi vobis, &c. Sed heu, heu me miserum, quia exemplum honestatis versum est in exemplum, immo scandalum carnalitatis. Propterea Zach. 10. cap. iratus Dominus ait, *Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo.* Est igitur hircus, animal petulans atque fœtidum. Vnde merito signat pastorem luxuriosum atque infamem. Merito ergo Hieronym. ait, Clericus aut est honestior cæteris: aut est fabula populi. Nihil est quod magis ecclesiam Dei denigret meliores esse laicos, quam clericos 8. quæst. 1. qualis 6. quæst. 1. Et iterum Hieron. ait: Quid tibi cum mulieribus? quid ad altare Dei fabularis? dic sacerdos, dic clerice, qualiter cum eisdem labiis osculatis filium Virginis, qui paulo ante osculatus es labia meretricis? O Iuda! osculo filium hominis tradis? Et quod scelestius est in nefando crimine contra naturam: contra quos clamas, cap. vt clericorum extra de vita & honestat. cler. Prohibentur clerici habitare cum mulieribus 32. distinct. hospitiolum. extra de cohab. cler. & mu. per totum. Pœna clerici continentiam non seruantis est, quod conuictus deponi debet dist. 81. si quis clericus. 15. q. 1. c. presbyter. Quidam quoque non portant habitum clericalem, neque tonsuram: contra quos habetur de vit. & hon. cler. c. clerici. & c. vlt. Quidam etiam nutriunt comam: contra id quod habetur 23. distinct. in cap. clerici. de vit. & honest. cler. in cap. cler. Quidam etiam portant arma offensiua sine iusta causa; contra quos habetur de vita & honest. cler. cap. clerici. 23. quæst. 8. clerici; &c. conuenior.

Tertio exemplo honestatis. *Matt. 5.* *Zach. 10.* *Clericus famosus populo aliis nō est honestior.* *Impudici ... abiiciendi sunt.*

Articvlvs Secvndvs.

Quod prælatus debet pascere oues suas verbo Dei tripliciter.

Secundo principaliter pascere debet prælatus animas sibi commissas verbo, scilicet doctrinali. Simon quippe prælatus instituendus, & pastor à Christo cognominatus est Petrus, qui interpretatur agnoscens. Vnde Mat. 3. scriptum est, *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Triplici quidem verbo debet pastor illuminatus, atque illuminans pascere oues suas. Primo verbo illuminationis, secundo verbo solutionis, tertio verbo correctionis.

Secundo principaliter debet pascere animas verbo doctrinali, & triplici verbo. *Mare. 3.*

Quod prælatus debet docendo illuminare animas sibi commissas.

Cap. I.

Primo enim pascere debet eas verbo illuminationis. Vnde Ecclesiast. 18. scriptum est: *Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum.* Sicut enim diues homo diuersi generis greges habet, quos vna proprietate possidet, & diuersis pabulis eos nutrit & replet: ecclesiasticos pastor diuersi generis homines habet regere & docere, & vnus inuariatus in seipso persistens modificare debet doctrinam pro discreta auditorum conuenientia cum paruulis lacte opus sit, & solido cibo grandæuis. Debet enim docere simplices præcepta communia, symbolum, id est, fidem, & orationem Dominicam extra de vit. & honest. cler. in cap. vt quisque. Similiter & Aue Maria, pro reuerentia matris Dei. Mediocres vero docendi sunt decem Dei præcepta, ecclesiastica instituta, vt sunt ieiunia ordinata ab ecclesia, festa quæ sunt in præceptum. Auditio missæ in diebus præceptis: confessio & sacra communio & similia. Perfectiores vero ad alta consilia Christi animandi sunt. Væ, væ inquam ecclesiæ Dei: & iterum dico væ: nam verbum illuminans in ignorantiam versum est in cuius mysterium Apostol 8. scriptum est: *Et quartus Angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ & tertia pars stellarum:* ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret tertia pars, & noctis similiter. Ad intelligentiam prædictorum aduertendum est, quod triplex est status ecclesiasticus. Quidam sunt summi, vt Papa, Cardinales & Episcopi. Quidam sunt medij, scilicet medias dignitates habentes. Quidam vero infimi. Primi comparantur Soli, medij lunæ, infimi vero stellis. Cum ergo ait, percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum: quid autem significatur exprimit, nisi quod status prælatorum tam maiorum, quam mediocrium, quam etiam minorum in hoc corruptus est, quod in omni ecclesiastico statu ignorantia multiplicata est: Non quod omnino sapientia & scientia defecerit, sed tantum ignorantia creuit, quod obscurata est tertia pars eorum: ita vt diei non luceat tertia pars, & noctis similiter: nam, nec clericalis status, qui per diem: nec laicalis, qui per noctem signatur,

Primo verbo illuminationis Eccles. 18. *Quid docere debet Prælatus.* *Apoc. 8.*

ſignatuc, lucem doctrinæ, & exemplorum ſanctorum ab eis recipiunt, quam ipſi non habent. Nec etiam diem cognitionis diuinæ in vita contemplatiua: nec noctem cognitionis humanorum operum in vita actiua, illuminare poſſunt, deficiente in eis ſcientia, & ſapientia Dei. Vnde de talibus Iſa. 56. ſcriptum eſt: *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi*, hoc quantum ad ſcientiam: *canes muti non valentes latrare*, hoc quantum ad doctrinam. Et poſtea ſubdit, *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam a ſummo vſque ad nouiſſimum.* Debent enim eſſe periti in ſcripturis ſacris, & eccleſiaſticis ſacramentis, extra de ætate & quali ord. cap. fin. Vnde huiuſmodi eſſent excommunicandi, & eiiciendi. Quid enim tales ignorantes poſſunt intelligere de caſibus conſcientiarum? O graue & importabile onus talium ſacerdotum, & epiſcoporum tales approbantium: cum de talibus Matt. 15. cap. Dominus dicat: *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Ex quo patet, quod cæcus ſacerdos cæcum populum ſuper ſe ad inferos ducit. Quidam faciunt breuia contra varias infirmitates, alij incantationibus ſuis inueniunt furta, alij incantationes frequentant & magicas artes, propter quod debet deponi 24. quæſt. 5. non oportet, cum duobus cap. ſe. Multi non faciunt ſibi conſcientiam ſepelire excommunicatos, & eos qui ſemel in anno non ſuſcipiunt corpus Chriſti, extra de pœnitent. & remiſ. omnis vtriuſque ſexus. Quidam abſoluunt excommunicatos, contra quod extra de vſur. cap. 1. Et quod horrendum eſt audire, quidam dant Chriſma, & Corpus Chriſti pro conficiendis maleficiis.

Iſa. 56.

Prælati debent eſſe periti in ſcripturis ſacris.

Matt. 15.

Quod prælatus debet maxime verbo Dei conſolari animas mœſtas, & deſolatas.

Cap. II.

Secundo de verbo conſolationis.

Exod. 3.

SEcundo debet paſcere animas verbo conſolationis, & maxime de gratia & gloria aſſequenda. In huius myſterium Exod. 3. ſcriptum eſt, quod *Moyſes paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian. Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Oreb.* Moyſis manſuetudo, paſtorum conſolatio eſt. Ductio enim ad interiora deſerti exercitatio vel exhortatio eſt ſubditorum ad contemplanda paſcua virtutum & gratiarum, atque gaudia paradiſi. Peruentio enim vſque ad montem Dei Oreb, qui menſa interpretatur, eſt refectio quæ in futuro parata eſt, ſcilicet in ipſa ſuperexcelſa diuinitatis, & humanitatis natura. Proinde Ioan. 10. cap. Dominus ait: *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur & paſcua inueniet.* Nam ingredietur ad contemplandum diuinitatem, & exibit, vel egredietur ad contemplandum Chriſti humanitatem, & vtrobique paſcua inueniet ſcilicet ineffabilium conſolationum, & delectationum. Prouidet enim diſcretus paſtor ouibus ſuis quandoque vmbroſa, atque ſecreta loca ad refrigerium, quandoque herboſa, & mollia ad recubitum, quandoque melodioſa & ſuauia ad remouendum faſtidium, dum ſuauitate fiſtulæ gregem quaſi alloquitur cantans aliquid ſuauitatis atque amoris: vnde quandoque oues ludunt & ſaltant. Vt moraliter inſtruantur animarum paſtores, quandoque ouibus ſuis de ſpiritualibus conſolationibus & iucunditatibus prouidere: & hoc maxime, quando viſitant infirmos. Porro nec obliuioni tradendum eſt, quod quando portant ad infirmum, ſanctiſſimum Sacramentum, portare debent duas hoſtias conſecratas, vt notat Hoſtienſ. extra de celebra. miſ. cap. ſanè. Sed videamus, quomodo verbum conſolationis verſum eſt in verbum ariditatis & confuſionis, atque nullius deuotionis. Quibus rogo, exhortationibus inducet paſtor ad reuerentiam diuinorum, quando tanta negligentia apparet in eo circa diuina & ſacra? Quanta negligentia, obſecro, habetur circa ſanctiſſimum Sacramentum non mutando hoſtias, quouſque à vermibus ſunt corroſæ? Quidam non tenent in eccleſia corpus Chriſti: vel ſi tenent, abſque lumine tenent, contra eccleſiaſtica inſtituta. de conſecrat. diſtinct. 2. in cap. presbyter: Cum quanta autem cuſtodia debeat ſancta Euchariſtia cuſtodiri, patet de celebr. miſſæ cap. ſanè. Cùm quanta negligentia quidam celebrant, quod aliquando inter corporalia, ſeu in calice pars hoſtiæ reperitur. O heu, cum quot quantiſque horribilibus peccatis quidam celebrant miſſas, nec verentur maledictiones & iudicia Dei. De quibus in Pſalm. *Saluum me fac Deus.* Vbi ſubdit, *fiat*, id eſt, *fiat menſa eorum in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum.* Quidam non dicunt miſſam de die, contra id, quod habetur extra de celebr. miſ. cum creatura. O quanta negligentia circa altaria: nam quia teſte Bernard. plus fulgent calcaria, quam altaria. Alij negligunt habere breuiarium, vel miſſale. Habent corporalia horrida & immunda: & tamen fulgent candore niueo ſtrophia & lineamina. Offerunt hoſtiam fractam, & quandoque putrefactam. Ponunt in calice ſine aqua vinum, vel econuerſo: vel ponunt plus de aqua, quam de vino: non lauant calices, neque ſacratas veſtes. Quidam non dicunt officium, contra quos 91. diſtinctio, cap. vlt. extra de celebra. miſ. cap. dolentes. Vel ſi dicunt ſæpius faciunt officium ſanctæ Claræ, vel vtinam ſic dicerent. Et quod horribile eſt non dicentes officium, audent miſeri, & miſerabiles celebrare. Quidam quoque ex auaritia fiunt ſacerdotes, vel vt parentes ditent: contra quos 23. diſtinct. qui epiſcopus in fine. Alij quoque infames celebrant, contra id quod habetur 50. diſtinct. de iis. Aut nunquam, ſeu raro celebrant propter conſcientiam læſam: aliqui propter ignorantiam, contra quos habetur extra de celebra miſ. cap. dolentes. Sunt alij negligentes ad baptizandum. Nota exemplum de beato Marcello. Ad hoc 1. quæſt. 1. baptizandis. Non viſitant infirmum, ad hoc de celebr. miſ. cap. 1. Quanta in quibuſdam fit irreuerentia circa diuina, clarius manifeſtant diſſolutiones, & riſus in officio, interruptiones in choro, mulierum aſpectus: contra quos extra de immunit. eccleſiæ, cap. decet domum Dei, lib. 6. Cantus quoque ad laſciuiam prouocantes. Tantum placet Deo cantus luxurioſorum, quantum cantus aſinorum, ex quibus omnibus manifeſtè clareſcit, quod ſicut dicitur de pœnit. diſtinct. 1. in cap. quis aliquando, huiuſmodi clerici vix, aut nunquam ad pœnitentiam reducuntur.

Ioan. 10.

Quid Prælatus debet ſubditis prouidere.

Negligentia circa ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

Pſal. 68.

Negligentia circa altaria.

Aliquorum impudentia ſacerdotum.

Cantus luxurioſorum Deo placet ſicut cantus aſinorum.

Quod prælatus debet iuxta poſſe corrigere delinquentes.

Cap. III.

Tertio verbo & exemplo correptionis.

TErtio paſcere debet oues verbo, & exemplo correptionis. Cum manſuetudine tamen correptio fieri debet, ne verbum correptionis ex nimia auſteritate exulceret, nec etiam ex nimia lenitate reſoluat, Nam ſi taces, approbate videris. extra de homicid. in cap. ſicut dignum. §. 3. vbi dicitur: non caret ſcrupulo conceſſionis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare, item 86. diſp. in cap. facientis culpam, & 83. diſtinct. cap. error: vbi dicitur error cui non reſiſtitur, approbatur. In correptione igitur temperari debet rigor exterior animi pietate. Vnde in perſona populi ſic correpti propheta ait: *Virga tua*, &c. Quid per virgam, niſi iuſtitiæ rigor, quo per ordinatiam

tiam potestatem notorij, & incorrigibiles compellendi sunt. Proinde Micheæ vltim. Pastori à Domino di- *Mich. vlt.* ctum est, *Pasce populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ.* Tamen, vt dictum est, rigorem suæ correptionis semper temperare debet linimento internæ pietatis: vt quantumcunque foris riguerit per iustitiæ seueritatem, intus tamen seruet piæ compassio- *Virga correctionis animas consolatur.* nis lenitatem: vt licet virgam teneat in manu paternæ discretionis, vbera tamen habeat maternæ compassionis. Et hic est baculus sustentationis cum virga correptionis, quæ animas consolatur. Sunt tamen plerique, qui sub pallio zeli atque feruoris excedunt, & agitantur spiritu indignationis atque furoris, & tamen arbitrantur obsequium se præstare Deo. Hodierno tamen tempore verbum correptionis versum est in verbum taciturnæ permissionis. Proinde Zach. 11. cap. inutili negligenti, & taciturno pasto- *Zach. 11.* ri ironicè dictum est: *Sume tibi vasa pastoris stulti, quia ecce ego suscitabo*, id est suscitari permittam, *pastorem in terra, qui delicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet & carnes pinguium comedet, & virgulas eorum dissoluet.* Vasa quippe pastoris, sunt panis in pera, canis in fune, baculus cum virga, cornu cum fistula. Panis in pera, est verbum prædicationis in memoria. Canis in fune, zelus est cum discretione. Baculus cum virga, est auctoritas grauis, & correptio discreta. Cornu cum fistula, est timor diuini examinis cum spe diuinæ miserationis. Hæc sunt vasa pastoris boni, quæ auferuntur à pastore stulto, & ignorante. Hic profecto est, qui delicta non visitat, dispersum non quærit, contritum non sanat, quod stat, non enutrit: carnes pinguium comedit, & virgulas eorum dissoluit, quia corda vinculo charitatis prius vnita, vt possit regnare, diuidit & dispergit. Vnde impletur hodie quod Genes. 46. in fine cap. *Gen. 46.* scriptum est. *Detestantur Ægyptij*; id est homines sæculares, *omnes pastores ouium.* Quis quæso, est hodie sæcularium, qui pro salute animæ suæ audire velit episcopum suum, aut pro confessione velit ire ad proprium sacerdotem.

Nonnulla desiderantur.

DOMINICA V. post Pascha.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de sacratissima oratione & de circunstantiis eius, quique continet duos articulos, quorum primus tria, secundus vero septem habet capita.

Articuli primi, de necessitate orationis.

Cap. 1. De oratione mentali.

Articuli secundi, de septem circunstantiis, quas debet habere deuota oratio & sancta.

Cap. 1. Quod ad tria dirigi debet oratio nostra.

Cap. 2. Quando & quomodo oratio iusti, vel peccatoris exaudibilis, vel meritoria est.

Cap. 3. Quod pro triplici nostra necessitate orare debemus

Cap. 4. Quod cum tribus conditionibus oratio fieri debet, vt grata sit Deo.

Cap. 5. Quod triplex tempus orationi conuenientissimum est.

Cap. 6. Quod principaliter à Deo postulare debemus tria in nostra oratione.

Cap. 7. Quod à tribus originem debet habere oratio nostra.

DE SACRATISSIMA ORATIONE & de circunstantiis eius.

Sermo I.

PETITE, *& dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Luc. 11. cap. & in Euangelio hodierno. Tractaturi de sacra oratione, primo consideremus eius diffinitionem, *De Oratione. Luc. 11.* & secundum August. Oratio est pius mentis affectus *Aug.* in Deum directus: secundum vero Damasc., Oratio *Damasc.* est ascensus intellectus ad Deum. Vel aliter, secundum eum: Oratio est petitio decentium à Deo. Et hæc diffinitio verissimè essentiam orationis declarat, secundum Thom. in 4. distinct. 15. Et de hac oratio- *Thom.* ne Dominus in proposito verbo ait, *Petite & dabitur vobis*, &c. Quod verbum tripliciter exponi, seu intelligi potest. Primo modo Petite dilectionem. Hanc petebat Propheta, cum dicebat Psal. 142. *Doce me fa- Psal. 142.* *cere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Et dabitur vobis.* Quærite cognitionem dicentes: cum Propheta. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, Psal. 12.* &c. *Et inuenietis. Pulsate* per operationem. Matth. 7. *Matth. 7.* *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei*, &c. *Et* sic *aperietur vobis.* Secundo modo potest intelligi. *Petite* per orationem, *& dabitur vobis: quærite* per lectionem, *& inuenietis. Pulsate* per operationem *& aperietur vobis.* Tertio modo exponi potest, secundum August. in libro retractationum, cap. 18. vbi ait: *Aug.* Melius ad instantissimam petitionem hæc feruntur. De hac instantissima & importunissima petitione Bernard. in sermone de bello, inter Hierusalem & Babylonem inquit: Est enim oratio nuncius fidelissimus *Petitio instantissima.* notus regi & omni curiæ, qui in secreto noctis silentio per occultas & sibi notas semitas arcana cœli penetrare & cubiculum regis adire & sua importunitate, & miserabili supplicatione pium regis animum flectere, & laborantibus opem impetrare solitus est. Et iterum in Psalm. 140. Propheta inquit, *Dirigatur Do- Psal. 140.* *mine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Sicut enim incensum antequam appropinquet igni, quasi mortuum videtur: & igne contactum quasi spirituale fit, & in altum ascendit: sic meritum orationum nostrarum quasi mortuum est, & nihil valet, nisi in quantum illius dilectionis igne, quo Christus pro *Oratio nisi suffragante, Christi merito nihil valet.* nobis meruit viuificatur. Tunc siquidem orationes nostræ, sicut incensum in conspectu Dei diriguntur, cum suffragante merito Christi in nomine eius Deo patri offeruntur. Et ideo ecclesia sic orationes suas concludit, vt in nomine eas exaudiri velit dicens, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Sic & Ioan. 16. petere nos docuit Christus, *Ioan. 16.* cum ait: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* De hoc Apocalyp. 8. cap. scriptum. *Et data Apoc. 8.* *sunt illi*, scilicet Angelo *incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum*, quasi dicat. Hæc incensa sunt orationes iustorum, quæ Deo in ecclesia offeruntur, & hæc per Christum dantur super altare aureum, quod est ante thronum Dei cum merito passionis suæ acceptabiles Deo redduntur. Et tunc ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo, cum lacrymosæ orationis deuotio meretur per Christi mediationem exaudiri à Deo. Vnde Apostol. ad Hebr. 9. dicit, Christum in ipsum cœlum

intcoisse, vt appareret vultui Dei nuoc pto nobis. Talem quippe orationem fundebat Propheta, cum in persona cuiuslibet nostrûm à Domino postolabar dicens: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Et potest esse aliud thema in præsenti materia. In hac oratione debet esse ignis charitatis, & incensum mentalis deuotionis in thuribolo cordis. Circa igitur orationem tria consideremus. Primo eius qualitatem, secundo eius qualitatem tertio eius vtilitatem.

Articvlvs Primvs.

De necessitate orationis.

Circa orationem, tria sunt consideranda. Primo orationis necessitas. Triplex est oratio. Prima est oratio mentalis.

PRimo consideremus orationis necessitatem. Triplex est oratio ad quam diuersimodè & variè diuersi obligantur. Prima est oratio mentalis, secunda est oratio vocalis, tertia est otario clericalis.

De oratione mentali.

Cap. I.

PRima ergo oratio est mentalis, secundum enim Alexand. de Ales ad orationem mentalem homo tenetur ex naturali iure, quod dictat homini r vt disponat se ad ea, sine quibus non est salus. Ad hoc siquidem ius accedit auctoritas Christi, qui Luc. 18. ait: *Oportet semper orare*, &c. Super quo Chrysost. ait. *Oportet*, necessitatem dicit, & addit Dominus, *& non deficere.* Et 1. Thessa 5. *Sine intermissione orate.* Et Eccles. 18. *Ne impediaris orare semper.* Sed quomodo potest hoc fieri: quod homo sit semper in oratione. Nonne oportet eum saltem comedere & dormire? Dicendum, quod ly *semper*, secundum Nicol. de Lyra, non importat continuitatem temporis, quia necesse est orationem interrumpere propter comestionem & dormitionem & alias necessitates: sed importat orationis instantiam temporibus congruis, vel semper iuste viuere, atque æterna desiderare. Item secundum glossam. Non çessat benefacere.

Hic deest secundum & tertium Capitulum.

Articvlvs Secvndvs.

De septem circunstantiis, quas debet habere oratio deuota & sancta.

Secũda orationis qualitas.

SEcundo consideremus orationis qualitatem, scilicet vt fiat exaudibilis coram summo Deo. Quæ autem & quales debeant esse circunstantiæ deuotæ & exaudibilis orationis, ponit Alexand. de Ales super Psalm. in vno versu, dicens.

Ad quem, quis clamet, cur, quomodo, quando,
quid, vnde.

In quo quidem versu notantur septem circunstantiæ eius.

Quod ad tria dirigi debet oratio nostra.

Cap. I.

Prima circunstatia orationis est ad quem. Ad tria in oratione recurrere necesse est.

PRima circunstantia est, *ad quem*, scilicet orare debemos. Circa quod aduertendum est, quod ad tria in oratione recurrere necesse est. Primo ad Deum, secundo ad caput nostrum, tertio ad membrum eius. Primo ad ipsum Deum: & hoc nos docet Dominus Matth. 6. cum ait: *Sic ergo vos orabitis, Pater noster, qui es in cœlis*, De qua sacra oratione in Quadragesimali de Christiana Religione, sermo. 6. diffusius dictum est. Sic orabat Propheta, cum dicebat, *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.* Bernard. Porro quamuis vbique sit Deus in cœlo tamen adorandus est: ibique orationis tempore cogitandus. Sic igitur oret, qui orat: sic semetipsum consideret & attendat, tanquam præsentatum Domino maiestatis. Secundo ad caput nostrum, quod est Christus, vt scilicet propter merita passionis apud patrem pro nostris necessitatibus intercedat. Nam, vt ad Hebr. 9. cap. testatur Apostol. *Iesus introiuit in ipsum cœlum, vt appareat nunc pro nobis vultui Dei.* Et iterum 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Tertio ad membra eius porrigere debemus sanctas orationes, non quod per ipsos implendæ sint, sed vt eorum meritis, & intercessione orationes nostræ desideratum sortiantur effectum. Proinde in persona fidelis orantis Propheta inquit: *Leuaui oculos in montes vnde veniet auxilium mihi.* Et iterum Bernard. ait. Credimus Angelos sanctos astare orantibus & offerre Deo preces & vota hominum. Simpliciter tamen melius est atque vtilius oratione & deuotione pro adiutorio ad Matrem Christi recurrere, quam ad alios Sanctos inferiores. Et plus ad superiores, quam ad inferiores. Vtile tamen est etiam Sanctos minores orare, & maxime propter tres rationes. Primo propter maiorem deuotionem, secundo propter gratiarum impetrationem, tertio propter fastidij amotionem. Primo inquam propter maiorem deuotionem, quam scilicet homo habet cum magno feruore ad aliquem minorem Sanctum, quam ad maiorem. Ex deuotione autem maxime dependet orationis affectus atque effectus. Secundo propter gratiarum impetrationem. Nam quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut sancto Antonio de Padua ordinis Minorum, quotidie eius patrociniis gratias & miracula impetrare: Sanctæ Luciæ multi pro conseruatione luminis corporalis: Et sancto Nicolao, vt euadant à maris periculis deuotione recurrunt: & sic de multis aliis Sanctis. Tertio propter fastidij amotionem. Nam assiduitas vnius rei fastidium parit. Ex hoc autem quod diuersos Sanctos oramus quasi in singulis feruor nouus excitatur deuotionis. Quarto etiam addi potest, quod multorum orationibus impetratur, quod vnius impetrari non valet.

Hebr. 9.

1. Ioan. 2.

Vtile est sanctos minores orare propter tria.

Quando & quomodo oratio iusti, vel peccatoris exaudibilis, vel meritoria est.

Cap. II.

Secũda circunstantia orationis est, quis clamet, circa quod aduertendũ quod oratio quandoque est meritoria.

SEcunda circunstantia est, *Quis clamet*, id est oret. Circa hoc aduertendum est, quod oratio est quandoque meritoria, quandoque impetratiua, quandoque restificatiua. Primo enim est quandoque meritoria, & hoc quoad bonos. Vnde Propheta, *Clamauerunt iusti, & exaudiuit eos.* Et iterum. *Oculi Domini super iustos, & audiet eos in precibus eorum.* Quandoque iustos non exaudit Dominus sicut patet de Apostolo Paulo, 2. Corinth. 12. vbi de se dicit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis mea, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi Dominus: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Operatur enim Deus cum homine, sicut medicus probus cum ægrotante infirmo. Imponit enim quandoque mordax emplastrum, rogat æger medicum vt remoueat ipsum: quem tamen medicus non exaudit exoratus, licet exaudiat ipsum ad bonum suum, sciens infirmitatem suam aliter non curari. Et in hoc apparet admiranda misericordia Dei, quod Paulus non exauditur à Deo pro stimulo carnis: & tamen exauditus est ab eo diabolus, cum poposcit potestatem, quod multipliciter cruciaret sanctissimum Iob, vt dicitur Iob. 1. Secundo vero est quandoque impetratiua, quoad malos, secundum enim Thomam 2. 2. quæst. 83. Si peccator petit aliquid in quantum peccator, id est secundum desiderium peccati, talis à Deo non exauditur ex misericordia: sed quandoque ad vindictam exauditur, dum permittit

Iob. 1.

Quandoque est impetratiua oratio.

Deus

Deus peccatorem amplius tuere in peccata. Deus siquidem quædam negat propitius, quæ concedit iratus, secundum August. Orationem vero peccatoris ex bono desiderio naturæ procedentem exaudit Deus non quasi ex iustitia, quia hoc non meretur peccator sed ex pura misericordia sua. Obseruatis tamen quatuor conditionibus, communiter requiruntur ad orationem, quæ communiter exaudiri debet, scilicet vt pro se petat necessaria ad salutem piè, & perseueranter. Hæc ille. Et hæc quatuor notanter in vno versu Prophetæ, Psalm. 41. cum ait, *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es*, Per hoc enim quod dicit, *Deo*, innuitur piè. Per *vitæ*, ad salutem. Per *meæ*, pro se. Per hoc, quod dicit, *dicam*, perseuerantia denotatur propter propositum de futuro. De hoc patet exemplum de Publicano, Luc. 18. qui ait, *Deus propitius esto mihi peccatori* : & ex hac oratione meruit iustificationem. Et sic debet intelligi verbum cæci nati, Ioan. 9. qui ait, Peccatores Deus non audit. Nam peccatores inquantum peccatores sunt, Deus non exaudit : sed solum in quantum sunt boni, & bono adhærent & detestantur mala. Nam peccatores de peccatis pœnitentes magis connumerandi sunt in numero pœnitentium, quam in numero peccatorum. Tertio quoque oratio est quandoque testificatiua, & hoc quoad bonos & malos. Constat autem, quod miracula non fiunt propria virtute hominum, sed per orationem, scilicet tam à malis, quam à bonis. Vnde August. in lib. 83. quæst. inquit. Aliter miracula faciunt Magi, aliter boni Christiani. Magi per priuatos contractus dæmonum, boni Christiani per publicam iustitiam, mali Christiani per signa publicæ iustitiæ. Vnde notandum sicut dicitur Matth. 7. cap. dicent quidam Domino : *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*. Et tamen dicet eis Dominus, *Non noui vos*. Vnde notandum est, quod omne miraculum, vere quoddam testimonium est, quandoque est in testimonium veritatis prædicatæ, quandoque est etiam in testimonium personæ facientis. Cum igitur omne miraculum verum fiat virtute diuina, & Deus non sit testis mendacij : quandocunque miraculum fit in testimonium doctrinæ vel veritatis, omnino necesse est illam doctrinam esse veram etiam si persona prædicans non sit bona. Quandocunque autem fit in testimonium personæ, similiter necesse est, quod illa persona sit bona. Ex his patet, quod oratio cum qua miracula fiunt, omnino est testificatiua, scilicet aut bonitatis in bonis, aut veritatis in malis. Et in hoc etiam verum est, quod cæcus ait, scilicet, quod peccatores Deus non audit, scilicet in testimonium falsæ doctrinæ, vel malæ vitæ.

Psal. 41.

Luc. 18.

Quod pro triplici nostra necessitate orare debemus.

Cap. III.

Tertia circunstantia est, *Cur* id est quare quis oret. Orare quippe debemus pro triplici necessitate nostra. Primo pro necessitate spirituali, secundo pro necessitate corporali, tertio pro necessitate temporali. Primo inquam pro necessitate spirituali, quæ maximè in hoc consistit, quod Deus inhabitet in corde nostro : & hoc competit primo humanæ capacitati, secundo diuinæ charitati, tertio eius virtuti. Primo competit humanæ capacitati. Nam secundum August. homo ad imaginem Dei est, quod capax Dei est. Si ergo capax Dei est, qui est infinitus, & omnis creatura finita est, & numerata & ponderata : nulla creatura, immo insimul omnes creaturæ non possent animam hominis implere & satiare. Proinde August. ait : Quicquid potest mihi dare Deus vel promittere, non mihi sufficeret nisi seipsum promitteret. Ad hoc Propheta ait, *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Secundo competit diuinæ charitati. Natura quippe frigoris est claudere, caloris autem aperire. Sed Deus vtique calor est : Vnde Deuter. 4. *Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Proinde manum semper apertam habet, iuxta illud propheticum : *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Cum ergo aperitur manus, diffunditur quod in manu est. Deus semper habet manum apertam, immo etiam perforatam, quia ex vtraque parte manus diffundit bonitatem suam, scilicet super omnes creaturas. Nam, vt dicitur Matt. 5. *Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*. Et vnaquæque creatura recipit secundū propriam facultatem. Tertio competit eius virtuti. Virtuosi quippe est facere opera perfecta, secundum quod quid recipere potest. Cum igitur Deus in ciuitate animæ tria palatia constituerit, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in quibus nullus congruenter habitare potest, nisi Deus : ideo homo orare debet, *Adueniat regnum tuum*, id est veniat Pater, & requiescendo regnet in palatio memoriæ, Filius in palatio intelligentiæ, & Spiritussanctus in palatio voluntatis humanæ. Nām & Ioan. 14. oranti ipse promisit dicens. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Secundo autem necesse est orare pro necessitate corporali. De hoc Matth. 8. scriptum est : *Cum descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens : Domine, si vis potes me mundare : & extendens Iesus manum tetigit eum dicens, volo mundare*. In hoc casu tria concurrunt, scilicet infirmitas, necessitas, & sanitas. Primo concurrit infirmitas, scilicet quæ grauissima erat. Vnde Euangelista ait, *Et ecce leprosus veniens adorabat eum*. Ecclesiast. 32. scriptum est. *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia*. Secundo concurrit necessitas, alias veritas, vnde subdit dicens : *Domine, si vis potes me mundare* : In hoc ostenditur eius fides, quia confitetur potentiam Christi. Secundum enim Chrysostom. non dicit, Domine munda : sed ei totum committit & potestatem faciendi ipsum habere asserit: ait enim, *Si vis*. Non dubitat de voluntate Christi ad omne bonum opus præparata, sed de iudicio voluntatis eius. Nec enim omnibus expedit corporis integritas : quasi dicat, Credo, quod vis quod bonum est : ignoro autem si mihi illud bonum est, quod desidero. Hoc autem plane non dubito, quia si bonum est, tu vis. Tertio concurrit sanitas, & de hoc subditur, *Et extendens Iesus manum*, quod compassionem signat, *tetigit eum dicens, Volo mundare*. Secundum Hyeronym. considera quam humilis est, & sine iactantia responsio. Ille dixerat, *Si vis* : *Dominus respondit, Volo*. Ille præmiserat, *Potes me mundare* : & Dominus dicit, *Mundare*, id est, esto mundatus. Sic exemplo huius leprosi debemus in oratione nostra deposcere ea, quæ corporalia sunt, si grata sunt Deo. Hæc corporalia dici possunt corporis fortitudo, prosperitas corporalium sensuum, & humana libertas. Tertio vero nobis necesse est orare pro necessitate temporali. Quomodo hoc autem fieri debeat, ostendit Bernard. super Cantica, sermone dicens : Non rectè oras, si orando præter Deum aliquid quæras : aut quod propter Deum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi profectuum copiæ, ibi resarcitus defectuum, ibi, quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Sine causa ergo à Deo aliud petitur, cum ipse sit omnia. Nam & si ista temporalia, & cum necesse est, postulare videmur, si Deus in causa est, vt quidem dignum est, non vtique illa, sed hunc potius quærimus, propter quem alia postulamus. Hæc ille. Consistunt autem hæc temporalia bona in diuitiis, seu in personis;

Deut. 4.

Ioan. 14.

Oratio pro corporali necessitate fieri debet.

Matt. 8.

Eccles. 32.

Fides leprosi confitendo Christi potentiam.

Tertio necesse est orare.

Oratio pro necessitate temporali fieri debet.

in honoribus, & in latitudine famæ, quæ quæri à nobis in oratione debent secundum prædictum modum, quem Bernardus docet.

Quod cum tribus conditionibus oratio fieri debet, vt grata sit Deo.

CAP. IV.

Quarta circumstantia, quomodo tres sunt modi. QVarta vero circumstantia est, quomodo, scilicet orare debemus. Qui enim desiderat, quod oratio sua sit grata, tres seruare debet modos, scilicet orare primo reuerenter, secundo attentè, tertio deuotè. *Primo reuerenter orare.* Primo orare reuerenter, scilicet tam mente, quam corpore, id est humilem reuerentiam debet seruare interius, & exterius. Parum quippe prodest orare, & caput inclinare, atque pectus exterius tundere, nisi orans incliner, & humiliet interius mentem. De *Eccl. 35.* tali humilitate Ecclesiast. 35. scriptum est, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Hoc inclinat Sanctos ad interpellandum pro nobis. Sancti quippe nubibus comparantur, quia sicut de nubibus pluuia in terram descendit, sic per orationes Sanctos ad nos descendit pluuia gratiarum ad fœcundandam terrã humani cordis. Secundo orare debet homo attente. Triplex est orationis attentio, quam in oratione, & diuino officio seruare debemus. Prima est ad verbalem, & vocalem formationem verborum, scilicet ne quis erret in eis. *Secundo attente. Triplex est orationis attentio.* Secunda est ad sensum verborum, & ad significantiam eorum, quæ orando dicuntur. Tertia est, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem, pro qua oramus, & hæc maxime est necessaria, quam etiam idiotæ habere possunt. Prima attentio est omnium minima, præterquam in illis verbis, quæ sunt de substantia sacramentorum. Ibi enim oportet multum attendi ad integram & rectam & ordinatam formationem verborum, secundum formam ecclesiæ quamuis nimia & immoderata formatio literarum, hic & alibi ridiculosa sit. Illa profecto recta, & sufficiens prolatio est, quæ in communi locutione solet recta & integra iudicari. Nimia enim prolatio & in prolatione protractio litterarum præcipue illarum, quæ consonantes, id est non per se, sed cum alia sonantes denominantur, absurda est & ridiculosa etiam in communi sermone. Si ergo in aliis verbis, quæ non sunt de substantia sacramentorum, impediantur duæ vltimæ attentiones propter primam, aut tertia propter secundam: censeri non debet officium & orationem inattentè dici, immo magis attentè: quia quanto finis est melior & nobilior, atque principalior: tanto in ipsum intendere melius, & rectius *Tertio deuotè. Oratio attenta feruens & ardens.* est. Et iterum ea, quæ sunt ad finem ipsum impedire non debent, sed amplius promouere. Tertio debet homo orare deuotè, seu feruenter, & ardenter. De tali oratione, Eccles. 5. cap. mystice scriptum est: *Eccl. 5.* *Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne*, est supple, *Fulges* enim, quia mentem illuminat: *sed est quasi thus in igne* quia coram Deo, & Angelis odorem *Apoc. 5.* spargit. De hac oratione Apocal. 5. scriptum est, *quod vigintiquatuor seniores, & quatuor animalia habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* In mysterium quoque deuotæ orationis scribitur Iudic. 13. quod cum Manue pater Sansonis sacrificium obtulisset, scilicet hœdum, ascendit flamma ignis de altari in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. In quo mystice denotatur quod orationes flamma deuotionis ignitas in cœlum Angeli repræsentant, in terris orationes tepidas relinquentes. Sic deuote orabat Propheta cum dicebat ad *Psal. 38. Oratio, & deprecatio duos terminos dicunt.* Dominum Psalm. 38. *Exaudi*, id est efficaciter audi *orationem meam Domine: & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.* In quo nota, quod oratio & deprecatio duos terminos dicunt. Oratio enim est ad bonum acquirendum, & deprecatio ad malum amouendum: lachrymæ vero ad vtrumque, quasi condimentum, secundum Alex. de Ales.

Quod triplex tempus orationi conuenientissimum est.

CAP. V.

Quinta circumstantia est quando tres diei horæ in scriptura sacra orationi consecrantur. QVinta circumstantia est, quando scilicet orare debemus. Tres quippe diei horæ in scriptura sacra reperiuntur consacratæ orationi. Prima est mediæ noctis, secunda est diluculum, tertia est hora vespertina. Prima igitur est mediæ noctis hora. Vnde Bernard. in sermone super Cantic. inquit: Locum & tempus obseruare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque est, maxime cum profundus nocturnus sopor inducit silentium; tunc plane liberior exit puriorque oratio sequitur. Quam serena de nocte ascendit oratio solo arbitro Deo sanctoque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam. Quam grata & lucida verecundo colorata rubore: quam serena placida nullo turbata clamore, vel strepitu, quam denique munda, & sincera nullo respersa puluere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata. Hæc ille. Credimus Angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum, vel ibi tamen sine ira, & disceptatione leuari puras manus perspexerint. Est enim mediæ noctis hora aptissima orationi: propterea illam ad hoc elegit Propheta, qui de se ait, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Hinc equidem sumptum est, quod matutinum media nocte fit, quamquam & alia ratio fit, quia Christus media nocte natus est. Secunda hora *Secunda hora. Oratio matutina liberius ad superna eleuatur.* est, diluculum, seu mane. Tunc enim celebrata digestione, & imaginatione iam depurata mens ad superna liberius eleuari potest, & eius oratio melius exaudibilis sit. Hinc Propheta de se ait, *Quoniam orabo ad te Domine, mane exaudies vocem meam.* In mane enim præcipue est tempus orationis. Vnde Augustin. *August.* ait: Turpe est Christiano, si radius Solis eum in lecto inuenerit otiosum. Eccles. 39. *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo, & in conspectu altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.* *Eccles. 39.* Maxime in tempore tribulationis, mane ad Deum recurrendum est. Vnde Oseæ 6. cap. *Oseæ 6.* Dominus ait, *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Et merito mane oratio optima est propter mysterium suum: nam signat gratiæ infusionem, quæ maxime in illa hora à fidelibus per orationem acquiri potest. *Oratio matutina optima.* Primo, quia sicut in aurora fugiunt latrones: sic tunc per orationem infusione gratiæ fugiunt dæmones. Vnde Ioh. 24. Si subito apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis. Secundo sicut in aurora lupi, vulpes, & aliæ feræ se absconduot: cum in tempore noctis hinc inde ad pastum vagantur: vnde Psalm. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ.* De mane idem ait, *Ortus est sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Sic in nocte tentationes multiplicantur, & in aurora tunc per gratiam in oratione infusam discedunt. Tertio, quia sicut mane homo surgens ad bonum opus se parat, sic in tali hora ex accepta gratia ad bona opera melius se disponit, Psal. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam*, quia in illa hora homo acquirit perseuerantiæ gratiam. Tertia hora est vespertina, vt homo gratias agat Deo de bonis operatis in illa die. Vnde in Psalm. *Eleuatio manuum mearum*, id est opera mea ad te leuata, non ad me, seu ad humanum fauorem: *sacrificium vespertinum*, scilicet sit tibi. De hoc mystice Exod. 12. c. scriptum est de agno Paschali, quem immolabat multitudo filiorum Israel ad vesperam. *Tertia hora. Oratio vespertina Deo gratias agendas. Exod. 12.* Nam sicut ille agnus erat immaculatus: sic anima abiicere debet tumultus cogitationum,

num, & distractionum abeuntis diei, vt sit anima io oratione quieta & pura, iuxta quod Beatus Franciscus in regula sua inquit: Et ooo curent nescientes literas, literas discere, sed attendant quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationem, & orare semper ad eum puro corde.

Quod principaliter à Deo postulare debemus tria in nostra oratione.

Cap. VI.

Sexta circumstantia est, Quid.

SExta circuostaotia est, *Quid*, scilicet in oratione principaliter petendum sit. Discamus quid à Deo petere debeamus ab ipso sancto Propheta, qui de se in Psal. 26. ait: *Vnam pety à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius.* In quibus sacratis verbis tres petitiooes Deo porrigit, quæ tamen comprehenduntur io vna. Prima petitio est necessitatis, secunda æternitatis, tertia fœlicitatis, Et has exemplo Prophetæ à Domino etiam debemus postulare. Prima est petitio necessitatis. Ait enim: *Vnam pety à Domino*, scilicet æternam vitam. Et non ponit substantiuum, nec determinat quam vnam petiit, & hoc facit ad iouuendum, quod illud est omne bonum, secundum quod alibi in Psalmo Dominus ait, *Ponam in salutari:* neque determinat quid ponet. Dicit igitur, propter hoc, *vnam pety à Domino*, oon multa, noo multas. Luc. 10. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium.* Et licet nondum receperim eam, non propter hoc deficio sed perseuerabo pulsans. Et hoc est, quod addit, *Hanc requiram*, id est iterum, atque iterum quæram, neque tantum dicit, Hanc quæram, sed ait, requiram. In quo notatur bonorum multorum multiplicatio, atque perseuerantia firma. Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore autem suo metemus non deficientes*: vel dici potest, *Vnam pety à Domino*, scilicet charitatem, & perseuerantiam: primo Corinthiorum nono, ait, *Omnes, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium*, scilicet perseuerans io charitate. Secunda est petitio æternitatis. Et de hoc subdit, *Vt inhabitem in domo Domini*, id est in æterna beatitudine, quæ est vna quam petij. De qua Ioan. 14. Dominus ait, *In domo patris mei mansiones multæ sunt: omnibus diebus vitæ meæ*, id est semper, Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Per austrum æterna gloria sempiterna designatur. Per aquilonem vero, à quo pandetur omne malum, Hierem. 1. signatur infernus. *Lignum quippe est homo, qui si ceciderit ad austrum* paradisi *ibi* semper *erit.* Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te. Si vero ceciderit ad aquilonem* inferni, *ibi* similiter semper *erit.* Iob. 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendet.* Tertia petitio est fœlicitatis. Vnde subditur, *Vt videam voluntatem Domini*, id est videns faciem Domini in ea legam voluntatem eius. Alia litera habet, Vt videam pulchritudinem eius, quia simul videbimus pulchritudinem, & voluntatem eius. De visione pulchritudinis, Isa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* De visione voluntatis, Gregor. ait, Summæ curiæ ciues dum supra se voluntatem sui conditoris semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt. Atque de visione omnium beatorum subdit, *Et visitem templum eius*, id est ecclesiam triumphantem. De quo templo Propheta inquit, *Reuelabit condensa*, scilicet Deus, *& in templo eius omnes dicent gloriam.* Ait ergo, *vt visitem templum eius.* Ad similitudinem amicorum, qui se inuicem gaudeant. Sic in templo primo videbimus fœlicitatem Sanctorum, vt eis congaudeamus. Quod iam per contemplationem Propheta videns ait, *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Hæc igitur tria, quæ reducuntur ad vnum, scilicet ad gloriam sempiternam in oratione nostra exemplo Prophetæ postulare debemus.

Tres petitiones, quæ tamen comprehenduntur in vna. — *Luc. 10.* — *Galat. 6.* — *1. petitio necessitatis.* — *Ioan 14.* — *Eccl. 11.* — *Isa. 33.* — *Psal. 28.* — *Amicorum visitatio grandis est.* — *Psal. 132.*

Quod à tribus originem debet habere oratio nostra.

Cap. VII.

Septima circunstantia orationis est, Vnde. Ex tribus locis prodire debet oratio.

SEptima circunstantia orationis est, *Vnde*, id est ex quo loco procedere habet. Ex tribus quidem locis prodire debet oratio, vt Deo sit grata. Primo ex intellectu, secundo ex affectu, tertio ex affatu vel ex ore. Et sic tria debet habere oratio. Debet enim primo esse iotellectualis, secundo affectualis, tertio vocalis. Hæc tria, licet alio ordine, ponit Propheta, Psalm. 5. dicens: *Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus*, Nam primo ponit vocalem, secundo intellectualem, tertio affectualem: quia ex voce euigilatur intellectus, & ex vtroque inflammatur affectus. Primo igitur oratio debet prodire ex voce, id est esse vocalis: ideo inquit, *Verba mea auribus percipe Domine.* Dicit enim in plurali, *Verba mea*, quia multiplex debet esse oratio, cum homo habeat multas infirmitates, & necessitates. Nam sicut Hyeronym. ait: Non sanat oculum, quod sanat calcaneum: *Auribus percipe Domine*, id est præsentia maiestatis tuæ. Et est hic figura, quæ dicitur Antropopatos, quæ est hominis passio, seu humana, scilicet quando quod est hominis, attribuitur Deo. Aures quippe non sunt in Deo secundum quod Deus, Et dicit Aures pluraliter, quia Deus duas aures habet. Interiorem, qua dicitur audire, quando dat spiritualia bona: Exteriorem, qua dicitur audire, quando dat temporalia. Secundo oratio debet prodire ex intellectu, id est debet esse iotellectualis. Nam verba oris nuo prosunt, sit nisi iotelligentia illorum. Et ideo subdit, *Intellige clamorem meum*, scilicet intellectus, potius quam vocis. Hic clamor est magna intelligentia eorum, quæ orando dicimus. Sic clamabat Moyses tacens, Exod. 9. Et Susanna, Daniel 13. Et de Beato Francisco legitur, quòd Angelus dixit ei: Tu commoues totam cœlestem curiam, quia nullus ibi auditur, nisi tu. Et tamen nihil dicebat ore, nisi corde. Et de hoc habetur ex vi verborum, quæ Propheta ponit: dicit enim, *Auribus percipe verba mea, & intellige clamorem meum.* Vocalis enim clamor aure percipitur, spiritualis vero intelligitur. Tertio oratio prodire debet ex affectu, quia debet esse affectualis: Et de hac subdit, *Intende voci orationis meæ*: quasi dicat, Non solum audi, vel intellige, sed intende: quod quidem plùs est. Hoc profecto facit Deus, cum oratio affectualis est. In his verbis Prophetæ notanter tria comprehenduntur, quæ oratio vera requirit. Primo vocalis psalmodia: sed hæc non est oratio, sed potius carmen vel narratio, nisi quod profertur ore, versetur in corde: & in intellectu. Proinde Amos 5. c. Dominus ait: *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Secunda necessaria est intellectus applicatio: & tamen licet sit vocalis psalmodia in ore, & etiam in intellectu tantum: non potest oratio dici rectè, sed potius lectio nuncupatur. Proinde tertio ibi necessaria est affectio. Quantum ergo ad primum, ait, *Verba mea auribus percipe Domine.* Quantum ad secundum, *Intellige clamorem meum.* Quantum ad tertium, *Intende voci orationis meæ.* Merito ergo diffinitur oratio alio modo quam supra. Vnde ait Alexand. de Ales. Oratio est pius affectus mentis in Deum tendens, plerumque ne pigritetur in vocem prorumpens. Tamen in hac diffinitione notantur ista

Secundo oratio ex affectu seu intellectu prodire debet. — *Tertio.* — *Oratio tria requirit.* — *Alex. de Ales. Orationis definitio.*

ista tria, sed retrogrado ordine secundum, scilicet quod magis grata sunt Deo. Plus enim placet Deo affectus deuotio quæ notatur ibi, Oratio est plus affectus mentis in Deum: quam intellectus applicatio, quæ notatur ibi in Deum tendens. Et plus placet Deo mentis applicatio, quam vocum prolatio, quæ notatur ibi, Plerumque in vocem prorompens. Notanter quoque aduertendum est, quod Propheta ponit in versibus antedictis tria verba, scilicet. *Domine, Rex, & Deus.* Domino debetur timor, Regi honor, Deo amor. Ad timorem pertinet vocalis laudatio. Vnde in Psalm. dicitur: *Qui timetis Dominum laudate eum.* Ad Regis honorem spectat intellectus applicatio Prou. 14. *Acceptus est Regi minister intelligens.* Ad amorem Dei pertinet affectio. Proinde Deuteron. 33. cap. mystice Moyses benedicens filiis Israel ante mortem suam ait, *Benedictus in filiis Asser. Sit placens fratribus suis. Tingat in oleo pedem suum, ferrum, & æs calceamentum eius.* Asser quidem diuitiæ, seu beatitudo, vel beatus erit, interpretatur, & signat affectum, qui cum est diues in orationis gratia, indicium est, quod beatus erit. Hic debet esse in oratione deuotus, quod notatur in ferro: clamorosus quod notatur in ære sonante. Insuper est notandum quod in prædictis Prophetæ verbis trina oratio est, scilicet. *Verba mea auribus percipe Domine:* hæc est prima. *Intellige clamorem meum:* hæc est secunda. *Intende voci orationis meæ:* hæc est tertia. Vt mystice innuatur quod in fide Trinitatis orandum est. Hæc Trinitas notatur in tribus verbis scilicet Domine rex Deus. Per dominum intelligimus Spiritum sanctum. Per regem Filium. Per Deum, Patrem. Ad dominum ergo regem, & Deum dirigit orationem suam: quia ad totam Trinitatem dirigenda est. Aduerte quoque quod licet dicat Domine rex & Deus: quæ plura nomina sunt: non tamen dicit percipite, intelligite, vel intendite; sed percipe, intellige, & intende: in quo vnitas essentiæ denotatur & pluralitas personarum. Et ideo recte ter ponitur, & singulariter denominatur. Morte præoccupatus iste sanctus non compleuit hunc sermonem. Vnde credo, quod hic deficiat tertius articulus de orationis vtilitate. Et non plus inueni in duobus libris & doleo.

Prou. 14.

DOMINICA I. post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum, quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de fructibus Eleemosynæ sanctæ, tres articulos continet, & quilibet eorum quatuor capita.

Atticuli primi, de quatuor primis eleemosynæ fructibus, qui pertinent ad incipientes,

Cap. 1. Duæ generales peccatorum radices per eleemosynas mortificantur.

Cap. 2. De duplici oratione, quæ ex eleemosyna surgit.

Cap. 3. Ex eleemosynarum largitione illuminatur homo ad cognoscenda vitia & virtutes.

Cap. 4. Vita gratiæ, & gloria per eleemosynam acquiri potest.

Articuli secundi, de aliis quatuor fructibus eleemosynæ, qui pertinent ad continuantes.

Cap. 1. Eleemosyna liberat à duplici malo, scilicet temporali, & æternali.

Cap. 2. Per eleemosynam acquiritur sanitas corporalis, & spiritualis.

Cap. 3. Duplex adiutorium, scilicet defensiuum & impugnatiuum eleemosyna præstat.

Cap. 4. Per eleemosynam multiplicantur diuina temporales, & gratiæ spirituales.

Articuli tertij, de vltimis quatuor fructibus eleemosynæ pertinentibus ad perseuerantes.

Cap. 1. Tanta est eleemosyna efficacia, atque virtus, quod superat diabolum & quodammodo etiam Deum.

Cap. 2. Per eleemosynam bona temporalia & spiritualia conseruantur.

Cap. 3. Perfectiones præceptorum & consiliorum per eleemosynam adimplentur.

Cap. 4. Duplex gloria per eleemosynam acquiri potest in præsenti & in futuro.

DE DVODECIM FRVCTIBVS *Eleemosynæ sanctæ.*

Sermo VI.

Date & dabitur vobis. Luc. cap. 6. & in Euangelio hodierno. Ad pleniorem intelligentiam dicendorum quærunt Doctores, per quæ opera potest digne peccatorum satisfactio fieri, ad quod dicendum, quod cum satisfactio fiat per contrariam satisfactionem ad culpam, ideo, sicut culpa fuit cum delectatione propria, sic satisfactio fieri debet per opera ardua & pœnosa: & maxime per illa, in quibus maxime propria concupiscentia punitur, & castigatur. Et quia culpa fuit in contemptum Dei, & quandoque in damnum, & iniuriam proximi: ideo debet per talia satisfactio fieri, in quibus, & Deo honor reddatur, & iniuria & damnum proximi reparetur. Sed quia inter cætera oratio, ieiunium, & eleemosyna in bis conditionibus primatum tenent: propterea singulariter per ista tria opera satisfactio fieri debet. Hæc quidem in sacris litteris singulariter commendantur, & vt opera maxime satisfactoria recitantur. Proinde Tob. 12. cap. Angelus ait, *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Quod verbum etiam potest esse thema in præsenti sermone. Attendendum tamen, quod secundum varias culpas & infirmitates, & personales conditiones, est istorum vnum vel alterum, plus minusue assumendum, & imponendum, secundum tamen appropriationem oratio singulariter mentem in Deum eleuat, & vnit Deo. Ieiunium vero singulariter vitia exterminat, & propulsat vitia carnis. Eleemosyna vero singulariter subuenire proximo comprobatur, secundum vero proprietatem oratio fit respectu Dei, ieiunium respectu sui, & eleemosyna respectu proximi. Et sic fit satisfactio Deo de rebus superioribus, id est de anima, scilicet per orationem. Et de rebus inferioribus, scilicet de corpore per ieiunium. Et de rebus exterioribus, id est de substantia huius mundi per eleemosynam. Hi tres actus maxime satisfactorij sunt, si sumantur communiter, prout oratio pro omni actu contemplatiuo in Deum relato. Ieiunium si sumitur pro quacunque carnis afflictione, siue fiat per vigilias, aut per disciplinas, seu per ciborum abstinentiam, aut quocunque alio modo. Si etiam eleemosyna sumitur pro omni opere pietatis, siue corporali, siue spirituali. Notandum est tamen, quod licet oratio & ieiunium habeant prærogatiuas in ratione satisfactionis, secundum vitiorum, & spiritualium morborum varietatem: tamen eleemosyna omnes duas præfatas quodammodo præcellit propter tria. Primo propter sustentationem, secundo propter obligationem, tertio propter oblationem. Primo inquam scilicet propter sustentationem, inquantum per eam fit quædam elargitio literalis ad sustentationem personæ, & omnium bonorum, quæ in proximo

Luc. 6.

Per quæ opera potest peccatorum satisfactio fieri.

Satisfactio debet fieri per opera ardua.

Satisfactio debet fieri per orationem, ieiunium, & eleemosynam.

Tob. 12.

Ieiunium vitia exterminat.

scilicet

scilicet tam bonorum naturæ, quam gratiæ: quæ quidem instrumenta sunt gloriæ sempiternæ. Secundo propter obligationem, quia secundum Thom. illum, cui eleemosyna datur, constituit debitorem ad orandum, & ieiunandum, & ad alia bona, quæ potest facere faciendum pro eo, qui dedit. Tertio propter oblationem, quia eleemosyna data propter Deum, est quasi quædam oblatio Deo facta. Oblatio autem facta Deo, virtutem orationis habet: continet quoque ieiunium, quo maceratur corpus inquantum per eleemosynam subtrahuntur bona exteriora, quæ ad conseruationem corporis ordinantur. Præterea eleemosyna immediatius se habet ad charitatem, quam ieiunium. Item non est singulare bonum, sed commune, scilicet facienti & recipienti: ideo magis est satisfactoria quam ieiunium: propter hoc eleemosyna magis indicitur, vt vniuersalis medicina peccati quam oratio & ieiunium, sicut patet Luc. 11. cap. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Et Dan. 4. *peccata tua eleemosynis redime.* Et Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat.* Huius sententiæ est etiam Thom. in 4. dist. 15. & Richard. de media villa, eadem dist. art. 2. q. 3. Merito ergo Dominus in verbo proposito ait. *Date, & dabitur vobis.* Date, scilicet eleemosynas proximo: & dabitur vobis, scilicet à Deo multiplex bonum. Denique de eleemosyna tantum ad præsens, hoc est de eius fructibus, qui propter eam à Deo dantur, plenius disseramus. Vnde 12. eleemosynæ fructos, quasi ligni vitæ per ordinem subiungamus, iuxta illud Prou. 3. quod etiam potest esse thema. Lignum vitæ, scilicet eleemosyna hominis, qui apprehenderint eam; & qui tenuerint eam, scilicet perseueranter, beati scilicet erunt. Vel possunt dici 12. gradus scalæ, quam vidit Iacob Gen. 28. cap. Horum autem fructuum primi quatuor pertinent ad incipientes, secundi quatuor ad continuantes, tertij quatuor ad perseuerantes.

Eleemosyna magis satisfactoria quam ieiunium.

Luc. 11.
Dan. 4.
Tob. 4.

Duodecim fructus eleemosynæ.

Gen. 28.

ARTICVLVS PRIMVS.

De quatuor primis eleemosynæ fructibus, qui pertinent ad incipientes.

PRimo ponamus quatuor fructus, qui pertinent ad incipientes bene viuere & eleemosynas dispensare. Primus fructus dicitur mortificatio, secundus supplicatio, tertius, illuminatio, quartus viuificatio.

Quatuor fructus ad bene viuendum.

Quod duæ generales peccatorum radices per eleemosynas mortificantur.

CAP. I.

PRimus fructus dicitur mortificatio, eo quod eleemosyna mortificet radices omnium peccatorum, secundum enim Alex. de Ales, in 4. dist. Vtilitas eleemosynæ magna est, & quodammodo vniuersalis. Est enim efficax contra duas peccatorum radices, vt habetur per Aug. super illud Psal. 79. *Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.* Prima radix est amor ardens, causa commissionis malorum: secunda est timor frigens, causa omissionis bonorum. Prima inquam est ardens amor cupiditatis, qui velut ignis est ad omnem peccatorum commissionem, & malorum operationem incendens, de quo Iob. 31. c. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina.* Contra hunc ignem est eleemosyna, velut aqua. Vnde Eccl. 3. c. scriptum est: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* id est commissionis, *ne multiplicentur & crescant.* Nam sicut propheta ait, *Abyssus abyssum inuocat,* id est peccatum ad peccatum trahit, cui eleemosyna impedimentū præstat. Secunda radix est timor frigēs, & male iacens, qui veluti frigus est ad omnem præceptorū omissionem frigens, & algens. Contra hoc malum frigus est eleemosyna velut ignis. Proinde Prou. 25. scriptum est: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. prunas enim congregabis super caput eius.* Et sic patet, quod per eleemosynam mortificantur radices vniuersales peccatorum commissionis, & omissionis, propter hæc omnia Luc. 11. cap. sicut prædictum est Dominus ait: *Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* Sed quæritur, secundum Thom. vbi supra: Vnde est, quod magis dicitur de eleemosyna, quod omnia peccata emundet, quam de aliis virtutum operibus quibuscunque. Dicendum quod hoc est ex triplici ratione. Primo, quia est opus pietatis, quæ secundum Apost. 1. Tim. 4 *ad omnia valet, promissionem habens vitæ,* quæ nunc est & futuræ. Secundo, quia sicut prædictum est, ordinatur contra duas radices omnium peccatorum. Tertio, quia acquirit sibi omnia adiutoria, scilicet cœli, mundi, & purgatorij. Primo cœli, id est Dei. Nam Matth. 25. Dominus ait, *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Secundo mundi, id est pauperum, qui sunt in mundo, quibus eleemosyna erogatur. Proinde Eccl. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis & hæc pro te orabit.* Tertio purgatorij, quia animæ pro quibus dantur, postquam fuerint liberatæ, pro anima dantis in cœlo orant.

Primus fructus dicitur mortificatio. Maxima eleemosynæ vtilitas.

Psal. 79.

Iob 31.

Eccl. 3.

Psal. 41.

Prou. 25.

Eleemosyna mortificantur radices vniuersales peccatorum.

Luc. 11.

1. Tim. 4.

Matth. 25.

Eccl. 29.

De duplici oratione, quæ ex eleemosyna surgit.

CAP. II.

SEcundus fructus, oratio seu supplicatio nuncupatur. Duplex quodammodo oratio pro dante eleemosynam ad Deum surgit. Prima ab ipsa eleemosyna data, secunda ex illo cui eleemosyna est data. Prima oratio sincera & pura consurgit ad Deum ex ipsa eleemosyna data, non quidem oratione mentali seu vocali, cum talia efficere nequaquam possit: sed orat eleemosyna pro illam distribuente euidentia grati doni. Quemadmodum in malum ad Deum clamabat sanguis Abel iusti ex euidentia patrati sceleris fratricidij. Proinde Gen. 4. Dominus ait ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* De tali eleemosyna hoc modo pro datore orante atque clamante Eccl. 29. cap. sicut prædictum est, inquit: *Conclude eleemosynam in corde pauperis & hæc pro te orabit,* id est Deum oratione misericorditer flectet tibi. Act. 10 cap. Angelus ad Cornelium ait. *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et iterum Chrysost. super Matth. 9. sermone, inde describens eleemosynam ait: Eleemosyna amica Dei consistit, & semper ei propinqua est, pro quibuscunque voluerit facile munus gratiæ impetrabit: vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem: huic cum multa fiducia portæ cœli aperiuntur, & veluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodum qui assistunt, audet dicere: Quæ tu es: vel vnde? Sed omnes eam è regione suscipiunt. Et describens eam subdit: Virgo est habēs alas aureas, circumspecta per omnia vel circumspecta, venustéque succincta: vultum habens candidum atque mansuetum: pennata est & leuis, & semper ante solium regale consistit. Hæc ille. Quomodo Eleemosyna pingi potest. Potest etiam eleemosyna prædicto modo depingi. Quod si fit, ponantur in dextera ala 7 aliæ pennæ cum operibus misericordiæ spiritualis: in sinistra ala 7. aliæ cum septem operibus misericordiæ corporalis. Cætera pingantur, secundum Chrysostomi descriptionem. Ex his autem colligi potest, quod si suscipiens eleemosynam ingratus esset & malus, nec Deum sicuti obligatus est pro dante oraret: oratio tamen pro eleemosyna largiente nullo modo deerit. Secundo vero oratio consurgit ad Deum ex illo, cui eleemosyna data est. Cum enim per eleemosy-

Secundus fructus oratio.
Secūda oratio pro dāte Eleemosynā.

Gen. 4.

Eccl. 29.

Act. 10.

Descriptio eleemosynæ.

Effectus eleemosynæ non deficit.

nam fiat quædam largitio liberalis ad sustentationem *Oratio pro faciête eleemosynam.* personæ, & omnium bonorum, quæ in proximo sunt, & ab eo fiunt sicut prædictum est. Ideo valet ad singulariter participandum omnia bona, & omnia merita ipsorum iustorum, atque sanctorum. Proinde ad hanc orationem, id est ad hanc participationem, & ad multos intercessores per eleemosynam acquirendos hortatur Dominus, Luc. 16. cap. dicens. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis*, scilicet in meritis, vel in morte *recipiant vos in æterna tabernacula*. Tunc siquidem sancti pauperes atque iusti recipiunt eleemosynas, eis dantes in tabernacula sempiterna, cum per orationes illorum coram Deo receptibiles fiunt. Dicuntur autem diuitiæ mammona iniquitatis: quia cum sint ad solam necessitatem datæ, si cætera non impartiuntur pauperibus, cum iniquitate te- *Eleemosyna cæteris paribus danda melioribus.* nentur. Ex his quidem clarescere potest, quod quanto cæteris paribus eleemosynæ melioribus dispensantur, tanto dantes gratiis copiosioribus cumulantur. Proinde *Ecclef. 12.* Eccl. 12. cap. scriptum est. *Bene fac iusto, & inuenies re-* *Matth. 10.* *tributionem magnam.* Et iterum Matth. 10. Dominus ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Solet tamen ex auaritia in quibusdam tanta diligentia in dandis eleemosynis suboriri, vt prius velint in paupere miracula cernere, quam ei eleemosynas dispensare. Contra quos Chrysost. 42. distinct. c. quiescamus, ait. Quiescamus ab hac absurda curiositate & diabolica, & peremptoria. Et sequitur. Si pro nutrimento postulat, ne in his examines. Quomodo Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat: si scrutator esset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim non putasset eos Angelos, sed cum reliquis repelleret: sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos. Non enim ex vita eorum, quos acci- *Eleemosyna potius consanguineo danda quam extraneo.* pis, mercedem tibi retributurus est Deus: sed ex voluntate, & honorificentia multa, ex misericordia & bonitate. Ad hoc etiam glossa in dicto capit. quiescamus ait: Quandocunque quis eleemosynam petit pro nutrimento: tunc semper indistinctè eleemosyna est danda 1. quæst. 2. quam pio. 11. quæst. 3. quoniam. Si autem non possumus omnibus sufficere, tunc danda est potius bono, quam malo, & consanguineo, quam extraneo.

Quod ex eleemosynarum largitione illuminatur homo ad cognoscenda vitia, & virtutes.

CAP. III.

Tertius fructus illuminatio. TErtius fructus, illuminatio dictus est. Duplex quidem illuminatio oritur in anima ex eleemosynarum largitione. Prima quidem præstat cognitionem vitiorum, secunda cognitionem virtutum. Prima inquam præstat cognitionem vitiorum, quæ quisque declinare tenetur, & hæc est quasi illuminatio auroræ te- *Cant. 6.* nebras peccatorum effugans. De qua Cant. 6. scriptum est: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra, vt luna?* Secunda vero præstat cognitionem virtutum, in quibus homo exercere se debet. Et talis illuminatio est quasi meridianus fulgor, de quo *Iob. 11.* Iob. 11. c. ait. *Meridianus fulgor consurget tibi*, scilicet pro eleemosynarum largitione. Per has duas illuminationes potest anima obseruare, quid Dominus per Pro- *Psal. 36.* phetam præcepit dicens: *Declina à malo & fac bonum*, De his quoque illuminationibus ex meritis eleemosy- *Isa. 57.* næ à Domino misericorditer datis, Isa. 58. c. scriptum est, *Cum effuderis esurienti animam tuam*, id est cum manifestaueris per opera misericordiæ affectionem tuam, & animam afflictam repleueris, id est recreaueris per misericordiæ opus: *tunc orietur in tenebris lux tua*, scilicet quasi aurora consurgens ad peccatorum tenebras effugandas. Ecce illuminatio ad vitia cognoscenda. Atque de illuminatione. Secunda etiam subinfertur: *Et tenebræ tuæ*, id est virtutes tuæ intellectuales primitus tenebrosæ, erunt sicut meridies. Ecce lux clara, id est clara intelligentia virtutum, & donorum.

Quod vita gratiæ, & gloria per eleemosynam acquiri potest.

CAP. IV.

QVartus fructus viuificatio dici potest. De tali vi- *Quartus fructus.* uificatione Eccles. 40. cap. ait: Est datum, scilicet *Retributio duplex.* eleemosyna, cuius retributio duplex: quia homo duplici vita per eleemosynam præmiatur in præsenti vita, primo vita gratiæ, secunda vita gloriæ. Primo enim præmiatur vita gratiæ. Proinde Daniel. 4. cap. Nabu- *Dan. 4.* chodonosor ipse Daniel consuluit salubriter dicens, *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Quod quia facere noluit, in bestiam mutatus est. Ad hoc idem Prou. 13. c. scriptum est. *Re-* *Prou. 13.* *demptio animæ viri, propriæ diuitiæ*, scilicet in eleemosynam datæ: propriæ diuitiæ, inquit, non alienæ. Nam, vt scribitur Eccles. 34. *Qui offert sacrificium de substantia* *Eccl. 34.* *pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Quod verbum exponitur 1. q. 1. in cap. non est putanda, vt dicitur: Quantus etiam sit dolor patris, perpendamus si in eius conspectu filius victimetur: & hinc facilè cognoscitur quantum apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Ad etiam 14. q. 5. per totum, immo onus peccati augetur, si de rebus alienis improuidè eleemosyna datur, extra de iureiurando. ex te, & de decimis nobis. a. in fine. Et de homicid. cap. sicut dignum. §. eos insuper, in fine. Sed aduertendum est, quod Gregorius ait: Quoties pro culpis eleemosynam facimus, quasi prauis actibus, pretium damus: sed tunc solum pretium à culpis nos liberat, cum perpetrata plangimus, & abdicamus, in huius quidem mysterium. 4. Reg. 4. cap. Pauper vidua de oleo sibi dato redemit à *4. Reg. 4.* debito se, & filios suos. Secundo etiam remuneratur, & præmiatur in præsenti vita, vita gloriæ. Vnde Prou. 22. *Prou. 22.* Salomon ait: *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera*, scilicet pauperibus, verecundis, & aliis indigentibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De aliis quatuor fructibus eleemosynæ, qui pertinent ad continuantes.

SEcundo subdamus quatuor alios fructus, qui per- *Alij fructus* tinent ad continuantes, scilicet eleemosynas, & bonam vitam. Primus liberatio dictus est, secundus sanatio, tertius defensio, quartus multiplicatio.

Quod eleemosyna liberat à duplici malo, scilicet temporali, & æternali.

CAP. I.

PRimus enim fructus, liberatio nuncupatur. Libe- *1. Fructus liberatio.* rat enim à duplici malo, scil. temporali, & æternali. Primo quidem à temporali. Proinde Propheta Ps. 40. *Psal. 40.* inquit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Ait enim, *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem*, id est super indigentem occultè, & manifestè. Notanter enim ait, *Intelligit*, scilicet ex ardenti compassione, quia maius est animam dare compatiendo, quam pecuniam ipsam.

Proinde

Isa 58. Proinde Isa. 58. c. scriptum est: *Cum effuderis animam tuam esurienti, & animam afflictam repleueris*, sicut superius dictum est. Qui enim hoc modo intelligit super eum, intelligendo considerat, quod est eiusdem naturæ cum eo, & eiusdem conditionis, atque de eodem luto cum eo. *In die mala liberabit eum Dominus.* Dies enim mala, dies subitaneæ mortis est, aut cuiuscunque fortunæ grauis. Pro huiusmodi profectò die mala per eleemosynam præcauenda, Eccl. 7. c. ait. *Diem malam præcaue*, scilicet eleemosynas dispensando. Et conuersus tantus Propheta ad orandum pro huiusmodi viro pio petit, quod impetraturum firma fide tenebat, dicens: *Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* In quibus verbis quatuor gratias temporales prænunciauit Propheta, daturum se Deum eleemosynario pio. Prima est gratia conseruans, secunda est gratia viuificans, tertia est gratia beatificans, quarta est gratia liberans. Prima inquam est gratia conseruans. Et de hac dicit Dominus, *conseruet eum*, scil. qui pius est proximo propter Christum. Vnde Propheta alibi inquit, *Custodit Dominus omnes diligentes se*, vel conseruet, id est cum alijs seruet, quasi dicat eum cum tota familia sua seruet. Proinde August. in Regula clericorum ait: Deus, qui habitat in nobis, etiam isto modo custodiat vos ex vobis, id est si alter sollicitus est ex altero. Secunda gratia dicitur viuificans: vnde subditur, *& viuificet eum*, id est tribuat longam vitam ad bene operandum, iuxta illud Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Et ad malum declinandum. Eccl. 4. *Fili mi conserua tempus, & deuita à malo.* Tertia gratia dicitur beatificans: propterea subdit, *& beatum faciat eum in terra*, id est in præsenti vita. Sed quomodo potest homo esse beatus in vita ista? Dicendum, quod per spem. Vnde ad Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Quarta est gratia liberans. Et de hac subditur, *Et non tradat eum in animam inimicorum eius*, id est in desiderium & voluntatem eorum. Licet enim quandoque tradat eos, seu permittat tradi in manus illorum ad probationem: non tamen tradit eos in voluntatem eorum, quæ scil. est, vt in crimina ruant ad damnationem. Vnde Iob c. 1. ipsi dæmoni de Iob Dominus ait: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt.* Et in c. 2. inquit, *Ecce in manu tua est.* & non dicit in voluntate. Vnde & reprimens diaboli voluntatem, statim subiunxit dicens, *Veruntamen animam illius serua.* Secundo liberat eleemosyna à malo æternali. Vnde Tob 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*, scilicet æternales. Angelus etiam Tob. 12 addit dicens: *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata*, & facit inuenire vitam æternam.

Margin: Dies mala dies mortis subitanea. — Eccl. 7. — Psal. 40. — Eleemosynario quatuor gratia temporales dantur. — 1. Est gratia conseruans. — Psal. 120 — 2. Gratia viuificans. — Gal. 6. — Eccl. 4. — 3. Gratia dicitur beatificans. — Rom 8. — 4 Gratia est liberans. — Iob. 1. — Iob. 2. — Tob. 4. — Tob. 12.

Quod per eleemosynam acquiritur sanitas corporalis, & spiritualis.

Cap. II.

2. Fructus sanatio. Secundus fructus, sanatio dictus est. Duplex enim sanitas acquiritur per eleemosynarum largitionem. Prima est corporalis, secunda est spiritualis. Prima quidem est corporalis. Sanatur enim etiam corpus per eleemosynæ pietatem. Vnde Matth. 12. cap. mysticè homini habenti aridam manum Dominus ait, *Extende manum tuam*, id est pauperibus eleemosynas distribue, *& extendit*, id est eleemosynas dispensauit, *& restituta est sanitati*, sicut altera. Super quo verbo Rabanus in gloss. inquit: Nil plus valet curationi, quam eleemosynarum largitas, quia frustra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes non extendit. Isa. quoque 58. cap. ait: *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur.* Fertur enim, quod cum quædam mulier cæca venisset ad beatum Hilarionem, atque in medicos & medicinas omnem suam substantiam expendisset: ait illi prouidus ille Sanctus. Si hæc omnia pauperibus elargita fuisses, à vero medico Domino IESV Christo fuisses à cæcitate tua curata. Et ad testificandum, quod verum erat quod dixerat, sputo suo liniens oculos eius, illam à cæcitate curauit. Merito ergo Hugo de Sancto Victore ait: Pietas de alienis sordibus se abluit, de alienis vulneribus sibi medicinas conficit, de alieno veneno theriacam sibi efficit, dum malis compatitur, & subuenit alienis. Secunda vero est sanitas spiritualis, quia per eleemosynas anima spirituali restituitur sanitati. Vnde Ambrosius in quodam sermone, ait: Magna est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum. Et Augustinus in sermone de diuite Epulone inquit: Eleemosyna emundat peccata, & ipsa interpellat pro nobis ad Dominum. Maximè tamen est grata eleemosyna illa, quam homo ex suo labore, atque suis manibus operatur. Proinde Hieronymus in quadam epistola ait: Quamuis omnem censum tuum pauperibus distribuas, nihil apud Christum erit pretiosius, quam quod manibus tuis ipsa confeceris. Multo amplius etiam grata est eleemosyna, quæ de sibi necessarijs fit, sicut patet exemplum Mar. 12. de paupercula vidua, quæ in gazophylacium obtulit duo minuta, de qua Dominus discipulis suis ait: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium*: quia ex maiori affectione & deuotione obtulit ea. Item mercator prudens vendit, quando est annona. Sic danda est eleemosyna, quando est annona: quia tunc magis grata est Deo. Plerunque enim ex ira Dei patria fame, & penuria premitur: quia pauperibus eleemosyna denegatur, vt patet 16. q. 1. in c. reuertimini, in medio cap.

Margin: 2. Sanitas acquiritur per eleemosynam. — Matth. 12. — Isa 58. — Eleemosyna infirmitatis corporalis sanatiua. — Sanitas spiritualis per eleemosynam acquiritur. — Gratissima est eleemosyna quæ fit de sibi necessarijs. — Marc. 12.

Quod duplex adiutorium, scilicet defensiuum, & impugnatiuum eleemosyna præstat.

Cap. III.

3. Fructus defensio. Tertius fructus, defensio nuncupatur. Animam quippe iam liberatam, & sanam, nec non & totam ciuitatem & patriam defensat eleemosyna sancta. Proinde Tob. 4. cap. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Tob. 4. Duplices siquidem præstat vires contra omnes iniustè patrias offendentes, vel opprimentes. Primo ad defendendum; secundo ad expugnandum, & triumphandum. De his duobus Ecclesiast. 29. cap. de eleemosyna ait, *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Eccl. 29. Scutum quippe valet ad defendendum, lancea vero ad expugnandum: vt in his duobus omne adiutorium necessarium prouenire ex eleemosyna comprehendatur, vel aliter, & melius dici potest, quod eleemosyna defensat à bello intestino, atque forensi, vt primum per scutum, & secundum per lanceam exprimatur.

Quod per eleemosynam multiplicantur diuitiæ temporales, & gratiæ spirituales.

Cap. IV.

4 Fructus multiplicatio. Quartus fructus eleemosynæ, multiplicatio dici potest: Nam per illam duo bona multiplicantur. Primo diuitiæ, secundo gratiæ. Primò quippe multiplicantur diuitiæ, scilicet temporales. Et de hoc Aug. de verbis Domini ait: Fœcundus est ager pauperum, citò reddit donantibus fructum, scilicet, temporalem Et iterum Prou. 3. cap. scriptum est, *Honora Dominum*

Margin: Per eleemosynam multiplicantur bona temporalia & spiritualia.

de

Prou. 3. Prou. 11. Ioan. 6. *de tua substantia.* Et sequitur, *Et replebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et 11. cap. iterum ait, *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt.* Io huius quippe mysterium Ioann. 6. cap. dum Christus frangendo panem turbis copiosius dispensaret, copiosè multiplicabatur: fimus cumulatus sterilem, dispersus verò fertilem reddit agrum. Sic & diuitiæ congregatæ, seu occultatæ in muro, vel humo, non ferunt fructum, sed vario modo dispersæ. Proinde Cassiodorus in quadam epistola ait: Semina enim spatia in segetem conualescunt, & in vnum coarcta depereunt. Et Prou. 28 cap. Salomon ait: *Qui dat pauperi, non indigebit.* & Luc. 6. Dominus ait, *date, & dabitur vobis.* Vnde Matth. 6. Dominus admonet dicens, *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra.* Quod exponens Chrysost. ait: Quæ stultitia est, illic relinquere, vnde exiturus es? & illuc non præmittere, quo iturus es? Illuc ergo substantiam tuam colloca, vbi patriam habes. Secundo multiplicantur gratiæ. Nec mirum, si gratiæ crescunt ex eleemosynarum largitione, cum etiam ad literam hoc promittat Dominus, Mar. 10. dicens: *Nemo est qui relinquat domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum, nec in hoc tempore domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus,* id est etiam eum persequuntur, *& in sæculo futuro vitam æternam.* Patet etiam hoc experientia clara in renunciantibus sæculo per religionis ingressum, qui amplius recipiunt, quam in verbis præfatis eis repromisit Christus. Considera diligenter, quot domos, & conuentus, & monasteria, quot spirituales fratres, quot sorores, quot patres, quot matres, quot filios spirituales, quot vineas, atque agros, quot etiam alia temporalia bona, quotidie recipiunt serui Dei. Quocunque enim pergunt, reperiunt supradicta satis communiter ampliora, quam eis supra promiserit Christus. Possunt etiam secundo modo prædicta verba Dominica spiritualiter sumi, videlicet quod qui per eleemosynas indigentibus subministrant, etiam in præsenti pro temporalibus recipiunt spiritualia bona, quæ tantum excedunt temporalia bona, quantum centenarius vnitatem.

Pro 28. Luc. 6. Math. 6. Marc. 10.

Articvlvs Tertivs.

De vltimis quatuor fructibus eleemosynæ, pertinentibus ad perseuerantes.

Alij quatuor fructus. TErtio subiungamus quatuor fructus, qui pertinent ad eos, qui perseuerant in eleemosynas dispensando. Primus fructus dicitur triumphatio, secundus conseruatio, tertius perfectio, quartus glorificatio.

Quod tanta est eleemosynæ efficacia, atque virtus, quod superat diabolum, & quodammodo etiam Deum.

Cap. I.

1. fructus triũphatio. PRimus fructus eleemosynæ triomphatio, seu superatio nominatur, profecto admirandam victoriam, & triumphum acquirit eleemosyna sancta. Primo enim superat diabolum, secundo vincit etiam quodammodo Deum. Primo enim per eleemosynam diabolus superatur: hinc Bernard. ait: O homo si ieiunas, in hoc à diabolo non discrepas, quia ipse nunquam manducat: si vigilas, in hoc à diabolo non distas, quia nunquam dormit: si continens es, ille nullum cognouit: si silentium tenes, ille in verba non defluit, in hæc autem diabolum superas, si eleemosynis dandis operam præstas. Gloss. insuper super illud Psal. 143. *Misericordia mea, & refugium meum,* ait: de nullo alio sic vincitur diabolus, vt de misericordia. Diabolo igitur similis erat Iudas, qui Ioan. 12. sustinere non poterat odorem vnguenti, quo Magdelena caput Domini vngebat. Cui vtinam hodie multi similes non reperiantur. Contra quos Pet. Rau. in quadam epistola ait: Sibi apud Deum pietatis ianuam claudit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. Et Propheta in persona Domini ait: *Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Ait enim, *Factus sum tanquam vas perditum*, id est perforatum. In tali vase nullus vult aliquid ponere, quia ab eo effluit liquor: hoc autem dicit, quia diuites nihil in eo ponere volunt pauperibus largiendo: tunc quippe bona nostra Domino commendamus, cum ea pauperibus erogamus, Vnde Pet. Rau. Manus pauperis est gazophylaciũ Christi, & quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Vnde & in signum prædictorum subiungit dicens: *Quoniam audiui vituperationem* actiuè multorum, scilicet pauperum commorantium in circuitu, scilicet domus diuitis, vel id est circumeuntium domos diuitum, & quærentium eleemosynas, qui quoniam ab omnibus repelluntur, clamant ad Dominum in anguistia sua, & maledicunt diuites. Et Dominus audit hunc clamorem, & quandoque etiam in vita præsenti punit, vel in die iudicij reseruat. Secundò autem eleemosyna videtur etiam quodammodo vincere Deum, quia facit Deum quodammodo eleemosynarij seruum: Vnde Prouerbio. 19. cap. scriptum est, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi.* Sed qui accipit mutuus, seruus efficitur fœnerantis. Ergo ea sua benignitate fit Dominus eleemosynarij seruus quodammodo: Vnde Prouerbio. 22. scriptum est, *victoriam & honorem acquiret, qui dat munera sua*, scilicet pauperi. Victoriam videlicet contra diabolum, & honorem à Deo, sicut prædictum est.

Victoria plures eleemosyna. Diabolum superat. Psal. 143. Ioan. 12. Psal 30. Eleemosyna quodammodo vincit Deum. Prou. 19. Prou. 22.

Quod per eleemosynam bona temporalia, & spiritualia conseruantur.

Cap. II.

2 fructus conseruatio. SEcundus fructus, conseruatio dictus est. Conseruantur enim per eam temporalia, & spiritualia bona. Item quippe per eam conseruantur temporalia bona. Vnde Chrysost. super Matth. ait: Melius seruatur pecunia, quæ manu dextera collocatur: hanc calumniator non extorquet, inuidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non distrahit, seruus fugam meditans non inuadit: semper est tuta, semper integra, semper salua. Hæc profectò taliter conseruata, cuncta alia temporalia bona conseruat. Sæpe enim siluestres arbores propter, inhærentem sibi vitem conseruantur. Sic sæpe diuites, ac eorum diuitias conseruat Deus, vt egenos valeant sustentare in vita. Merito quippe quidam ait:

Nec pietas opes, nec missa minuit iter.

De hoc manifestè signum est, quia propter eleemosynarum largitionem nullum legimus, vel vidimus pauperiorem effectum, nisi fortè qui renuncians seculo, pauperibus omnia bona sua dispensat, sequens consilium Iesu Christi, qui Matth. 19. cap. ait: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Sed & his substantia augmentatur, sicut supra in fine 2. artic. dictum est. Secundo conseruat bona spiritualia. Vnde Ecclesiast. 17. & 29. scriptum est, *Eleemosyna viri, quasi sacculus, cum ipso: & gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit.* In quibus verbis tria de eleemosyna exprimuntur, scilicet quod est gratiæ conseruatiua, associatiua, & protectiua. Primo quod est gratiæ conseruatiua? ideo inquit: Eleemosyna viri, quasi saccolus. Sicut enim in sacculo thesauri conseruantur, ne homo quando in necessitate ad eum recurrit, patiatur defectum:

Eleemosynis nullus pauperior redditur. Matth. 19. Eccl. 17. Eleemosyna gratia conseruatur.

sic

ſic eleemoſyna gratiam Dei conſeruat, & fiduciam præſta: tempore neceſſitatis recurrendi ad Deum. Vnde Tob. 4. ſcriptum eſt: *Fiducia magna coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Et ibidem præmittitur: *Primum enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Secundo eſt gratiæ aſſociatiua: propterea ſubditur: Cum ipſo non contra ipſum, vt eſt eleemoſyna hypocritarum. Non poſt ipſum, vt eleemoſyna eorum, qui poſt obitum ſuum relinquunt dandum, quod in vita noluerunt dare. Cuius contrarium beata Lucia fecit, dicens matri: Non ſatis Deo gratus eſt, qui illi hoc dat, quo ipſe perfrui non poteſt: ſed ſi tibi vis eſſe gratum Deum, hoc illi da, quo tu poteris vti. Nam quod tu das moriens: ideo das, quia tu tecum ferre non præuales. Merito ergo ait, Cum ipſo, ſcilicet vt ipſemet eleemoſynam tribuens ad eam in neceſſitate, hoc eſt in die mortis, ſeu iudicij habeat ipſe recurſum. Et Ambroſ. ait, Sola miſericordia comes eſt defunctorum. Proinde quidam Sapiens ait:

Tob. 4. — *Eleemoſyna gratia aſſociatiua.*

Quas dederis ſolas, ſemper habebis opes.

Eleemoſyna gratia protectiua.

Tertio eſt gratiæ protectiua: vnde ſubdit, Et gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. Sicut enim ſollicitudine quadam omnia membra apponimus pro conſeruanda pupilla: ſic meretur eleemoſyna quandam ſollicitudinem conſeruandi gratiam, & omnia exponendi pro gratia conſeruanda. Quod intelligens Propheta de iuſto, qui hoc conſeruat ait, *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius,* ſcilicet conſeruata *manet in ſæculum ſæculi.*

Quod perfectiones præceptorum, & conſiliorum per eleemoſynam adimplentur.

Cap. III.

3. Fructus perfectio. Duplicem perfectionem affert eleemoſyna. Matth. 25. Matth. 22. Rom. 13.

TErtius vero eleemoſynæ fructus, perfectio nominatur. Duplicem quidem perfectionem, ſeu perfectam obſeruationem affert eleemoſyna ſancta. Prima eſt Præceptorum, ſecunda conſiliorum. Prima inquam eſt præceptorum. Non enim Matthæi vigeſimo quinto. Dominus improperaturum ſe diceret operapietatis, niſi illa caderent ſub præcepto. Præcipitur enim Matthæi 22. cum dicitur. *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Et Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Dilectio quippe proximi, maximè per opera miſericordiæ innoteſcit, quare qui illam impleuerit, omnia præcepta impleſſe probatur. At econtra, quando pro ſalute proximi dabit homo vitam ſuam, qui non vult dare indigenti eleemoſynam paruam? Sed quid dicemus de iis, quibus à parentibus ad buccam, ſeu in teſtamentis aliquid ad pias cauſas diſtribuendum relictum eſt, qui vel diu differunt, vel nunquam perficiunt. Contra hos terribiliter loquuntur tria conſilia. 13. quæſt. 2. in cap. qui oblationes, & in cap. præcedenti, & in cap. clerici. Proinde Eccleſiaſt. 3. cap. admonet dicens: *Eleemoſyna enim patris, non erit in obliuione.* Hanc tamen eleemoſynam apertius præcepit Dominus, Deut. 15. dicens, *Præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi,* id eſt patienti neceſſitatem in occulto & in manifeſto. Secundo vero eleemoſyna affert perfectionem, ſeu perfectam obſeruationem cõſiliorum. Eſt enim ſingulare fundamentum euangelicæ perfectionis, ſicut Matth. 19. Dominus ait: *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni & ſequere me.* Et Luc. 12. c. iterum ait: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum: vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam,* ſcilicet ad illud iam perfectè adipiſcendum.

Eccl. 3. Deut. 15. Eleemoſyna fundamentū euangelicæ perfectionis. Matth. 19. Luc. 12.

Quod duplex gloria per eleemoſynam acquiri poteſt in præſenti, & in futuro.

Cap. IV.

QVartus fructus, glorificatio nuncupatur: duplicem profecto gloriam acquirit eleemoſyna animæ piæ. Prima dicitur conſcientialis, ſecunda æternalis. Prima inquam eſt conſcientialis, de qua 2. Cor. 1. Apoſtolus ait: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et de hac gloria Iſa. 58. capite ait, *Frange eſurienti panem tuum.* Et ſubditur, *Et anteibit faciem tuam,* id eſt notitiam tui *iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te,* id eſt gloria, quæ eſt à Domino in conſcientia tua colliget te, id eſt apprehendet te, tanquam maturum fructum, non per ſiniſtram intentionem, aut per errorem acerbum. Hinc beatus Ambroſius in libro de offic. ait: Beatus plane homo, de cuius domo nunquam vacuo ſinu pauper exiuit. Neque enim quiſquam magis beatus, quam qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem, & infirmi, atque inopis ærumnam. Secundo autem eleemoſyna acquirit gloriam in futuro. In cuius myſterium, Matth. 25. quinque prudentes virgines, quæ habebant oleum in lampadibus, venientes obuiam ſponſo & ſponſæ ad æternas nuptias intromiſſæ ſunt; lampas ſiquidem eſt opus bonum, vitrum, de quo lampas fit, ſolidum eſt, & lucens: vt myſticè innuatur quod eleemoſynæ opus debet ſolidum eſſe Deo per firmum affectum, & lucens coram proximo per bonum exemplum. Per oleum quoque pietas, per ignem verò charitas deſignatur: quæ omnia in eleemoſyna grata inſinuantur. Meritò ergo Pet. Rauen. in quodam ſerm. ait: Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum: da minimum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt det tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Et iterum Auguſt. in quadam epiſtola ait: Si vis eſſe mercator optimus, fœnerator egregius: da quod retinere non potes, vt recipias quod non poteris amittere. Da modicum, vt accipias centuplum: da temporalem poſſeſſionem, vt conſequaris æternam hæreditatem. Et iterum de verbis Domini ait: Dicit tibi Chriſtus, Da mihi ex eo, quod dedi tibi de meo, quæro: da & reddo. Habuiſti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem, temporalia mihi des, æterna tibi reſtituam: teipſum tibi reddam, quando te mihi reddidero, ſcilicet in ſempiternum. Meritò ergo Dominus ait, Matth. 6. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo.* Legitur in vitis Patrum, quod quidam de ſanctis Patribus ait, quod homo quidam habuit tres amicos, quos rogauit vt ducerent eum vſque ad imperatorem. Reſpondit vnus, quod duceret eum vſque ad mediam viam, ſed vltra non poſſet. Secundus inquit, quod duceret eum vſque ad portam, ſed vlterius ducere non valebat. Tertius vero ait, quod introduceret eum ad Imperatorem, & eius negocium ageret apud illum: tandem exponens parabolam ait, quod primus amicus eſt abſtinentia, ſecundus caſtitas, tertius eleemoſyna & miſericordia, quæ Deum placat, & vitam æternam donat. Proinde 1. Tim. 4. Apoſtolus ait: *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ,* quod verbum etiam poſſet eſſe thema, & ponitur diſtinct. artic. 1. §. 1. O igitur eleemoſyna amoroſa, gratioſa, & fructuoſa. Tu cuncta mala mortificas, tu feruenti oratione cœlum pulſas, tu mentem illuminas, tu conuerſionem impetras: liberas ab vniuerſis malis, cum corpore animas ſanas, ab inimicis defenſas, multiplicas diuitias vniuerſas. Immenſas potentias ſuperas, conſeruas lucra, animas omni perfectione decoras, & eas ad æternam gloriam introducis. Ad quam nos perducat eleemoſynarius magnus, & cuncto-

4. Fructus glorificatio. 2. Cor. 1. Iſa. 58. Matth. 25. Habemus Deum largitorem habeamus debitorem eleemoſynæ. Matth. 6. 1. Tim. 4. Varia eleemoſynæ encomia.

cunctorum largitor bonorum Dominus Iesvs Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat gloriosus, magnus, & pius, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

DOMINICA III.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est de societate bona & mala, tres articulos continet, & singuli eorum totidem habent capita.

Articuli primi, De multiplici lucro spirituali, quod oritur ex societate bonorum cum bonis,

Cap. 1. Ex societate bonorum cum bonis melius cognoscuntur bona & mala.

Cap. 2. Ex societate bonorum cum bonis sequitur inflammatio affectus.

Cap. 3. societas bonorum contra malum, & erga bonum robustior est.

Articuli secundi, De multis modis per quos à peruersis hominibus fragiles seducuntur,

Cap. 1. De triplici malitia, per quam peruersi seducunt fragiles.

Cap. 2. De tribus blanditiis, quibus à peruersis fragiles peruertuntur.

Cap. 3. De triplici violentia, qua à peruersis fragiles contaminantur.

Articuli tertij, De triplici varia societate bonorum & malorum virorum,

Cap. 1. De mira vtilitate societatis iustorum, & perfectorum cum malis.

Cap. 2. Conuersatio iustorum cum malis quandoque tolerabilis est.

Cap. 3. Propter septem vitandi sunt mali.

QVANTÆ EFFICACIÆ SIT IN BONVM, atque in malum societas bona, vel mala.

Sermo VII.

M*VRMVRABANT Pharisæi, & Scribæ dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, Luc. 15. cap. & in Euangelio hodierno. Omnis quippe vox Christi, quæ mundo tanto ardore insonuit, reuocationis extitit ab errore pro malis cauendis, & ne à dæmonibus, vel ab hostibus malis omnis simplicitas falleretur. Proinde Matth. 10. cap. omnes admonuit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Cauete etiam ab hostibus. Et potest esse aliud thema in præsenti sermone. Prudentia serpentina necessaria est in cognoscendo, & fugiendo tentationem dæmonum: simplicitas columbina in cognitione, & exercitatione virtutum. Sed maxime cautio necessaria est, vt euitentur deceptiones hominum. Vnde & Chrysost. ait: Præ omnibus malis homo est pessimum malum. Bestia habet vnum proprium malum: homo autem omnia. Diabolus enim ad iustum accedere non audet, sed malus homo non timet, sed contemnit. Ex hoc patet quanti periculi sit societas peruersorum. Vnde omnes admonet Propheta in Psal. 17. dicens: *Cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris: quoniam tu populum humilem saluum facies*, & potest esse etiam aliud thema. Sed quia falsa iustitia indignationem habet, vera autem compassionem: ideo dicitur in proposito verbo, *Murmurabant Scribæ, & Pharisæi dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Ideo dicebant, Matth. 9. cum aiunt discipulis Christi. *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magister vester.* Circa autem conuersationem humanam triplicem possumus distinguere societatem. In qua omnis societas, & conuersatio hominum comprehendi potest. Prima est bonorum cum bonis, secunda fragilium cum peruersis, tertia malorum cum bonis. Prima est optima, secunda pessima, tertia vero quandoque est inutilis, quandoque damnosa. Et de his Propheta in verbo proposito ait: Primo enim de societate bonorum cum bonis ait, *Cum electo electus eris.* Secundo de societate fragilium cum peruersis subiungit, dicens: *Et cum peruerso peruerteris.* Tertio de societate malorum cum bonis concludit, dicens: *Quoniam tu populum humilem saluum facies.*

Luc. 15.
Matth. 10.
Prudentia serpentina necessaria est.
Psal. 17.
Matth. 9.
Triplicem distinguimus societatem.

Articvlvs Primvs.

De multiplici lucro spirituali, quod oritur ex societate bonorum cum bonis.

PRima quippe societas seu conuersatio est bonorum cum bonis, & de hac Propheta ait, *Cum electo electus eris.* Et hæc societas optima est. Et potest esse thema in præsenti articulo. Tria quippe bona oriuntur bonis, si conuersantur cum bonis. Primum est intellectus illuminatio, secundum affectus inflammatio, tertium conatus roboratio. Et quodlibet istorium affert duplex lucrum.

1. Est bonorum cum bonis

Quod ex societate bonorum cum bonis melius cognoscuntur bona, & mala.

Cap. I.

PRimum bonum, quod oritur ex societate, est intellectus illuminatio: Nam dum bonum additur bono, totum fit magis bonum, & amplius virtuosum: dumque virtus virtuti adiungitur, ex vnione magis corroboratur. Hoc quippe bonum illuminationis intellectus duplex affert lucrum. Primum est cognitio malorum, secundum est cognitio bonorum. Primum lucrum est cognitio malorum, scilicet ad euitandum. Nam vbi plures virtuosi simul congregati sunt habentes plures spirituales oculos, plura vident, perspicacioresque sunt, atque amplius oculati ad euitandum mala. Nam quod vnus non cognoscit, alius intelligit: & cautius vnus per alium incedere noscit. Hoc autem docet nos Deus per naturam, quam ipse creauit. Nam omnes quinque corporis sensus, videlicet oculos, nares, aures, & quasi omnia eius membra, & venas, & ossa, & neruos multiplicauit: vt quod vnum non posset, aliud suppleret: ac per hoc virtus singulorum fortior in omnibus redderetur, dum vnum alteri vnitum esset. Nullum profectò in humano corpore membrum est, quod non egeat altero, patet de corde, quod cum nobilissimum membrum sit, minimè viuere posset, nisi ei pulmo de aëre subueniret. Nec etiam ipse pulmo aërem attrahere posset, nisi ei cor vitam & motum administraret. Et sic de cæteris membris considerandum est: Nullum enim sibi satis est, nisi altero adiuuetur. Sic profectò in hominibus manifestè contingit: quia vnus alteri necessarius est, ne deuiet à via virtutum. Nam sicuti quidam ait:

1. Bonum est intellectus illuminatio.
Intellectus duplex affert lucrum.
Vnus alteri necessarius est ne à virtute deuiet.

Nemo sibi satis est, eget omnis amicus amico.

Seruo enim Dei tria maximè necessaria sunt, scilicet feruoris voluntas, loci congruitas, & bonorum societas, scilicet à quibus dirigatur ne erret. Secundum

Seruo Dei tria maximè necessaria.

dum vero lucrum est cognitio bonorum. Plures diuersas gratias, & diuersas intelligentias habent: vnde quod vnus homo non intelligit, alter intellectu melius capit: & ex hoc inter plures melius veritas innotescit. Proinde 16. q. 1. in cap. si clericatus. Hieronymus ad Rusticum ait: Primum tractandum est, vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas, mihi placet, vt habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore, seu ductore, gradiaris viam, quam nunquam ingressus es. Candela si sola est, prauo vento extinguitur, sic lumen in homine solo facilè obumbratur: quia facilè à mundo, vel à carne, seu à diabolo decipitur, & illaqueatur. Horum deceptiones melius intelligunt plures, quam vnus solus. Ex mutua societate bonorum contra malum, & erga bonum excrescit feruor.

Quod ex societate bonorum cum bonis oritur affectus inflammatio.

Cap. II.

[...]onum est [...]ectus in[...]flammatio. SEcundum bonum, quod oritur ex bonorum societate, est affectus inflammatio, quæ etiam duplex lucrum afferre solet. Primum est feruor contra malum, quia iuuatur homo à sociis contra insurgentes tentationes consiliis, & exhortationibus sanctis. Miles extra exercitum faciliter superatur. Vnde Propheta inquit, *Cum sancto sanctus eris*, id est firmus contra impugnatores tuos, scilicet propter auxilium prædictorum. Et iterum Ambrosius in sermone de motibus, & honesta vita, inquit: Socios tibi bonos, & honestos coniunge: quia si fueris socius conuersationis eorum, eris & virtutis illorum. Hugo quoque lib. 1. de anima, iterum ait: Amabilis socius omnibus erit officiosus, & nulli onerosus, quia deuotus ad Deum: benignus ad proximum, sobrius ad mundum: Domini seruus, proximi socius: mundi Dominus superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium. Secundum vero lucrum est feruor erga bonum. Titiones igniti alterutrum se incendunt, atque comburunt: plures candelæ accensæ fortius ardent. Equi currentes simul leuius, & feruentius gradiuntur, quia vnus ex altero animatur. De discipulis Domini, Actuum 2. scriptum est, *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco.* Et subditur, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* Ecce quod congregatis in vnum Spiritus sanctus cœlitus datus est. Nam & minori numero hoc promiserat Dominus, Matth. 18. cap. dicens: *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo*, id est in fide, & veritate nominis mei, seu in affectuosa notitia mei: *ibi sum in medio eorum* Hoc quidem ex aggregatione, vel exaggeratiuè inquit, quia si veritas, & concordia, seu societas duorum, vel trium facta in charitate tantæ virtutis & efficaciæ est, quanto magis congregatio, & societas in charitate multorum?

Margin notes: Act. 2. — Matt. 18.

Societas bonorum contra malum, & erga bonum robustior est.

Cap. III.

TErtium bonum, oriens ex bonorum societate, est conatus roboratio, quæ etiam affert duplex lucrum. Primum est conatus contra malum, secundum est conatus ad bonum. Primum lucrum est conatus contra malum: quia homo in bonorum societate fortius potest resistere, & impugnare malum, quam si solus esset. Proinde Ecclesiast. 4. cap. ait: *Melius est duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, non habet sublcuantem se. Etsi dormierint duo fouebuntur mutuò: vnus, quomodo calefiet: & si quispiam prævaluerit contra vnum, duo resistunt ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.* Homo fortis plures virgas non potest frangere, quas separatas homo debilis confringere posset. De tali societate bonorum, & maxime virorum religiosorum. Cant. 6. mysticè in persona expauescentium dæmonum scriptum est: *Quæ est ista, quæ progreditur*, id est procul à mundo graditur, *quasi aurora consurgens*, scilicet quantum ad incipientes. *Pulchra vt Luna*, quantum ad proficientes: *electa vt Sol*, quantum ad perfectos: *terribilis vt castrorum acies ordinata*, quantum ad vnitatem totius societatis. Porrò talis congregatio, vel conuersatio aduersariis Dei, & suis terribilis est maxime propter tria, quæ faciunt militem formidandum: quæ sunt exercitium, robur, & prudentia. Exercitium exprimitur in *castrorum*, quasi dicat, secundum gloss. Non subito militans, sed in castris hæc congregatio est, iugiter consummata, id est multum exercitata in militia spirituali. Robur autem sonat *aciei* nomen, quod dicitur ab aciendo: nam acies est exercitus, qui acutis armis ad bellum incedit. Pro prudentia subdit, *ordinata*. In ordine præcipuè attenditur connexio & indiuisio, atque veritas præliantium, in quo vnitas societatis insinuatur. Vnde gloss. *ordinata*, id est per charitatem vnita, & nunquam interrupta. Secundum autem lucrum est conatus ad bonum, quia in omni exercitio virtuoso amplius proficere potest, atque in bono perseuerare vnita societas, quam quilibet per se solus. Melius enim potest ieiunare, melius orare, melius vigilare, melius laborare, & sic de similibus: melius quoque seruantur tria principalia religionum vota. Quod exprimere volens Propheta inquit in Psal. 132. *Ecce quam bonum*, quantum ad obedientiam, *& quam iucundum*, quantum ad castitatem, *habitare fratres in vnum*, quantum ad paupertatem. Hoc quoque exprimit Bern. exponens illud, Matt. 17. *Bonum est nos hic esse.* vbi ait: *Bonum est nos hic esse*, scil. in societate bona: quia in ea homo viuit purius, cadit rarius, resurgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, & præmiatur copiosius.

Margin notes: [...]onum est [...] robo[...] [...] contra malum alter ad bonum. — Eccles. 4. — Cant. 6. — Societas bonorum aduersariis nostris terribilis est. — Psal. 132. — Matt. 17.

Articvlvs secvndvs.

De multis modis, per quos à peruersis hominibus fragiles seducuntur.

SEcunda societas est fragilium cum peruersis, & hæc pessima est, & de hac Propheta subdit, *Et cum peruerso peruerteris*, scil. si fragilis es: & potest esse thema in præsenti articulo. Tribus modis peruersi peruertunt fragiles conuersantes cum eis. Primo malitiis, secundo blanditiis, tertio violentiis.

De triplici malitia, per quam peruersi seducunt fragiles.

Cap. I.

PRimo quidem peruertunt peruersi fragiles malitiis suis. Tribus quippe malitiis à talibus peruertuntur. Primo malitia naturali, secundo malitia criminali, tertio malitia infernali.

Margin note: Malitia naturali peruersi alios peruertunt. Osee 7.

Prima malitia naturalis.

PRimo enim peruersi peruertunt fragiles malitia naturali. Sunt nempe plerique naturali astutia præditi, & in peccatis multipliciter irretiti, qui quosdam simpliciores conuersantes cum eis decipiunt, & seducunt, & in multis vitiis, & criminibus coinquinant. Et de tali decepto Oseæ 7. c. ait: *Et factus est Ephraim, quasi columba seducta, non habens cor* scilicet

Diabolus aucepi. prudens ad vitandum consortia. Facit enim diabolus sicut auceps, qui ponit columbam, quæ consuetos oculos habet in decipula sua: ad quam aliæ accedentes non intelligunt eam captam: & quod mirum est, cum illa quæ non videt, capiuntur aliæ, quæ oculos habent. Sic diabolus per vnum excæcatum capit alios oculatos, Nam sicut Chrysost. super Matth. ait: Bonus malo si connectitur, aut pares redduntur, aut cito ab inuicem separantur. Amicitiæ enim pares, aut quærunt, aut faciunt. Et iterum ibidem ait: Rerum natura sic est, vt quoties bonus malo coniungitur: non ea bono malus melioratur, sed e. malo bonus contaminatur. Diuersitas enim rerum, nunquam potest habere concordia, & multos solicitat socieras ad nefanda. Fugiat igitur iuuenis ætas, fragilis & imprudens talia consortia mala: quia sicut Isidorus in soliloquiis ait, Melius est habere malorum odium, quam consortium. Sicut multa habet bona communis vita Sanctorum: sic plurima mala societas affert malorum. Proinde sequendum est consilium Cassiodori, qui exponens illud Psal. *Declinate à me maligni*, ait: Remedium enim est, quem conuerti velle non videris, vitare si possis. Prou. quoque 13. c. Salomon ait, *Qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Volunt tamen diuidi ab hominibus malis quidam ex superbia; quidam ex misericordia, quidam ex cautela. Primo enim volunt quidam diuidi à malis ex superbia, sicut faciunt hypocritæ, & superstitiosi. Tales erant Pharisæi, qui Matt. 9. dicebant Apostolis, *Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Et de talibus Isa. 66. c. ait: *Qui dicūt recede a me, ne appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Secundo vero fugiunt quidam malos ex misericordia, videlicet quando recedunt ne illi peiores fiant, sc. eos persequēdo, vel blasphemando. Sic & Ioan. 8. c. *Dominus fugit: nam tulerunt Iudæi lapides, vt iacerent in eum, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Tertio fugiunt quidam malos ex cautela, vel cautelam, videlicet ne ex consortio malorum mali fiant. Sicut Ioan. Bapt. Luc. 1. de quo dicitur: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Et in hymno Ecclesia cantat:

Amicus à pares facit aut quærit.

Psal. 115.

Prou. 13.

Matth. 9.

Isa. 65.

Ioan. 8.

Luc. 1.

Antra deserti teneris sub annis,
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Malitia secunda criminalis.

Aliqui homines scelerati ssimi & ideo periculosi. SEcundò quidem peruertuntur fragiles à malis malitia criminali. Nam sunt plerique homines tam scelesti, quòd vix possibile est aliquo modo conuersari cum eis, quin homo inuoluatur in sceleribus suis aut in pœnis suis. Et de talibus 2. Timoth. 3. capite admonet Apostolus dicens: *Scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa: & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quam Dei.* Et concludit, *hos deuita.* Merito enim tales, & consimiles euitari debent, & maximè propter duo. Primo vt euitemus eorum culpam, secundo vt euitemus eorum pœnam. Primo inquam vt euitemus eorum culpam, id est ne contaminemur ab illis, aut per malum participium, aut per suum colloquium, aut per damnosum consensum. Primo ne contaminemur per malum participium. Nam Eccles. 13. cap. ait: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam.* Secundo ne contaminemur per prauum colloquium. 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Tertio, ne contaminemur per damnosum consensum, quod fit vel arguendo eum possumus, & tenemur illis fauorem, aut consilium, siue auxilium præbendo. Nam, sicut Apostolus ad Rom. 1. cap. ait: *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Propter hanc triplicem contaminationem Isa. 52. cap. ait: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Ter dicit, *recedite*, vel *exite*: quia recedendum est, vel exeundum, ne polluamur in corpore per consensum, in ore per colloquium, & in opere per malum participium. Secundo fugere debemus malos, & sceleratos, vt euitemus eorum pœnam. Vnde Genes. 19. dicit Loth ad socios suos: *Surgite, & egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc, & visus est quasi ludens loqui.* Et sequitur quod Angeli dixerunt ad Loth *Exurge, & tolle vxorem, & duas filias, quas habes, ne tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Numer. quoque 16. cum terra deglutiuit Dathan, & Abiron, & omnia quæ ad illos pertinebant: quia blasphemauerunt Deum, *& omnis Israel, qui stabat per girum, fugit à clamore pereuntium dicentes, ne forte & nos terra deglutiat.*

2. Tim. 3.

Eccles. 13.

1. Cor. 15.

Rom. 1.

Isa. 52. Cur ter dicitur ab Isaia Recedite.

Gen. 19.

Num. 16.

Malitia tertia infernalis.

TErtio autem peruertuntur fragiles à peruersis malitia infernali. Mira res. Tanta est malitia, quam docente diabolo quidam peruersi discunt, vt multas nequitias per eos in mundo dæmones operentur, quas operari quodammodo nequirent per seipsos. Maioremque potestatem habent sancti viri super dæmones, quam super hos peruersos homines. In huius mysterium Matth. 10. Dominus conuocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos: & non dedit eis potestatem super homines malos. Per Euam quippe Adam à diabolo seductus est. Merito ergo draconi, & struthioni tales peruersi assimilantur. Propterea Iob 30. cap. in fine ait: *Frater fui draconum, & socius struthionum.* Dracones etiam, secundum Isidorum, cum flammiuomi sint, ex hoc aër concitatur, virus in caudis habent. Vnde quos caudis ligant, occidunt. Ctura profecto elephantium circumcingendo stringunt, oculos eorum, impetunt, atque eos suffocando perimunt. In his notantur homines peruersi, & peruersores, qui profecto dracones sunt igniuomi, seu flammiuomi. Ideo ex eis concitatur aër, quia peruersis verbis pestifera malitia pleuis corrumpunt illos, qui conuersantur cum eis. Nam draco occultè insidiatur. Caudæ, in quibus habent virus, sunt infernales, & circumuentiuæ malitiæ, quibus homines circumuenientio perimunt trahentes ad malam vitam. Inter quos intereunt elephantes excæcati, id est hi, qui quandoque videntur gratiis, & virtutibus magni, & illuminati. Strutio quidem, secundum Isidorum animal est in similitudinem auis, habensque alas, à terra tamen non eleuatur. Oua fouere negligit, sed proiecta tantummodo fœtu puluerís animantur. De ouorum suorum frigore minimè dolet, atq; induratur ad filios quasi non suos. Per struthiones mysticè designantur parentes, qui de mala societate filiorum suorum, atque de ipsorum fœtu nō curantes, tantum corpora nutriunt, moresq; in eis negligūt & cōtemnunt, vnde scelesti fiunt. Cuius profectò ratio, & causa est, quia licet videātur habere alas Christiani cultus, à terra tamen non eleuantur, nec volant extrarum secularium, & criminum pondere prægrauati. sicq; ad filios indurantur, atque eorum frigore, & vita scelerata ita modicum curant, quasi non sint filij sui. Merito ergo in persona fragillum lamentatur sanctissimus. Iob

Dæmones per malos mala operantur.

Matth. 10.

Iob 30.

Moralitas de elephantis à draco-ne.

Iob 30. Iob dicens, *Frater fui draconum, & socius strutionum*, quasi dicat: Nnn mirum si cum peruersis conuersatus, peruersus effectus sum. Nec insuper mirum est, si fragilis peruersi socius peruersus efficitur, cum in terra, & in cœlo peruersa societas peruersi Sathanæ peruersam fecerit tertiam partem stellarum, id est Angelorum cœli, & misit eas in terram. Apoc. 12. Vnde Apoc. 12. cap. mysticè scriptum est, *quod draco*, id est Sathanas *cauda sua*, id est circunuentiua malitia sua, *trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram*. Prima pars fuit, quæ diuinæ voluntati adhæsit: secunda quæ vacillauit, sed tandem Deo coniuncta est: tertia vero, quæ ex seductione Luciferi peruersi socij à Deo peruersa fuit, *Et misit eas in terram*: quia iam creatorem contemplari non possunt, sed ad solam creaturam considerandam prolapsi sunt. Tanta quippe est in quibusdam ciuitatibus, seu terris, vel nationibus horribilitas, abominabilitas, ac petulantia peccatorum sceleratorum: vt cohabitationem eorum abominentur, & horreant, & fugiant etiam ipsi Angeli Dei. Ezech. 22. Nec mirum, cum & ipse creator benedictus, Ezech. 22. c. dixerit, *Coinquinabar in medio eorum*. Admirabile verbum, & omni stupore dignum. *Coinquinabar*, inquit, non quod vlla inquinationis vta sit inquinamentis ad ipsum Deum: sed quoniam se abstulit ab eis, ac separauit, & longè fecit, quemadmodum facere consueuerunt coinquinari timentes. *Fugiunt Angeli sorditates.* Fugiunt etiam beati Angeli à sordibus, & sorditatis. Et adiuuatur iste sermo ex eo, quod accidit in ciuitatibus Hierusalem imminente excidio eius, quod factum est per Imperatores Romanos, Titum & Vespasianum. Audita namque fuit vox Angelorum, qui dicebant, Transeamus ab istis sordibus. Quo sermone euidentius ostenderunt, sordes illas indignas fuisse contubernio, & cohabitatione illorum. Similis vox audita est in quadam domo religiosa, imminente dissipatione ipsius. Audita inquam fuit ex persona Beatæ Virginis, quæ patrona erat domus illius, cum ædificata esset in nomine ipsius, vel in honore nominis eius. Subsecuta autem dissipatio clarius patefacit Beatam Virginem, iuxta verbum quod auditum fuerat, recessisse à domo illa, eidemque consuetum patrocinium subtraxisse. Ex omnibus supradictis ostenditur, sanctos, ac beatos Principes, & eruditionem, & interpellationem, & defensionem, & gubernationem, & liberationem, atque custoditionem, & alia officiorum suorum beneficia hominibus propter antedictas causas non immerito subtrahere, & auferre. Sap. 1. Si enim, iuxta illud Sapientiæ 1. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*. Quid mirum, si sancti, atque beati Angeli sequentes tantum ad talem ducem, effugiunt scelestissimas nationes? *Deus nos derelinquit ... rum de... ...nes.* Quid mirum, si creator benedictus derelinquit eas, quæ priores illum abiecerunt, si subtrahit eis præcipua beneficia sua, quæ spiritualia sunt; cum ipsæ sacræ, ac beatæ suæ seruitutis officia eidem subtrahere nec veriti sunt, nec adhuc subtrahere expauescunt. Iustissimum quippe est vt hi qui Deo se subtrahunt, se ipse subtrahat ab eis: & ab his, qui se ab illo auertunt se ipse auertat, sicut patet in gente Saracenorum, & aliorum infidelium maximè in Ægypti partibus, in quibus olim fuluerunt tantæ multitudines sanctorum Patrum. *Memoria ... impios li... ...ratione.* Quinimmò admiranda est benignitas Saluatoris, quod talibus vitam & largitur, & conseruat, aliaque multiplicia dona perfectissima largitate præstare non cessat: qui non solum vita ipsa indignissimi sunt: sed etiam omni alio bono, præsertim cum ipsis bonis, quæ ab ipso creatore accepisse illos manifestum est, non solum execrabiliter abutuntur: sed etiam creatorem benignissimum nequissimè impugnant, non solum in semetipsis seipsos nefariè polluentes: sed etiam in Dei cultoribus, quos à Dei cultu, & honorificentia per malam contagionem auertunt: atque non solum corrupta verbis, & nefariis operibus: sed etiam gladio, & igne fideles ad perfidiam infidelitatis eorum peruertere student. *Omnibus periculosa malorum societas.* Vide igitur, maximè tu fragilis conditio iuuentutis, atque etiam tu fragilis vitilisque ætas, quanti periculi sit malorum consortium, cum non solum Angeli sancti, & Beata Virgo: verum etiam ipse Deus quodammodo inquinari pertimescat à sordibus impiorum, & corruptorum.

De tribus blanditiis, quibus à peruersis fragiles peruertuntur.

CAP. II.

Secundo suis blanditiis peruersi fragiles peruertunt. SEcundo peruertunt peruersi fragiles suis blanditiis, quibus tripliciter inquinant eos. Primo blanditiis auaritiæ, secundo blanditiis luxuriæ, tertio blanditiis superbiæ. Et hoc per septé gradus, quib. inquinati descendunt in æterná damnationé. Primus gradus descendendi est per corruptionem, secundus per operationé, tertius per locutioné, quartus per impulsioné, quintus per præcipitationé, sextus per illaqueationé, septimus per æterná damnationé. *1. gradus per corruptionem.* Primus gradus descendendi est per corruptioné. Et de hoc 1. Io. 2. scriptum est: *1. Ioan. 2.* *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Et his inquinati corrumpunt fragiles conuersantes cum eis. *Isa. 45.* Proinde Isaiæ 45. capite admonet eos, dicens, *Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt*: quasi dicat sis cautus, quia alias te corrumpent in eisdem. Per laborem Ægypti designatur labor qui est in procurando peccatum luxuriæ, quod per Ægyptum signatur, quia obtenebrat intellectum, & rationem. *Psal.* Vnde Propheta inquit: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*, scilicet iustitiæ Christum. Per negociationem Æthiopiæ concupiscentia oculorum, quæ semper vult negociari, atque lucrari. Per viros sublimes Sabaim signantur superbi. Sabaim enim interpretatur clamantes: nam secundum Gregorium superbis inest clamor in locutione, hæc tria genera peruersorum faciliter ad fragiles transeunt, vt eos sibi per blanditias conformes efficiant. *2. gradus per operationem.* Secundus gradus per operationem scilicet trium prædictorum vitiorum. Sed hi à fragilibus fugiendi sunt exemplo Prophetæ, qui de se ait. *Eccles. 13.* Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Et de luxuriosorum consortio, Ecclesiastici decimo tertio scriptum est: *3. Reg. 11.* *Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea*. Et de hoc patet exemplum 3. Regum 11. vbi de Salomone scriptum est: *Qui Salomon mulieribus alienigenis*: ecce societas mala contra præceptum Domini *Copulatus erat ardentissimo amore*: & sequitur, quod auerterunt cor eius mulieres. *Cumque esset iam senex, propter mulieres secutus est deos alienos*. *3. gradus per locutionem.* Tertius gradus est per locutionem. Nam quia hæ blanditiæ communiter fiunt verbis. *Matth. 12.* Ideo de talibus Matthæi 12. cap. Dominus ait, *Ex abundantia enim cordis os loquitur*. *1. Cor. 15.* Sequitur, *malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*. Et 1. Cor. 15. Apostolus ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, scilicet tripliciter, blandiendo, & corrumpendo. *Apoc. 9.* Vnde Apocalypsis 9. capite de talibus corruptionibus per has blanditias mysticè scriptum est: *De ore ipsorum procedit ignis, fumus, & sulphur*: & ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum. In quibus sacratissimis verbis tria genera blanditiarum denotantur. Primo in igne signantur blanditiæ cupiditatis. Nam sicut ignis nunquam satiatur lignis, sic blanditiæ cupiditatis ad insatiabilem cupiditatem perducunt: Vnde Ecclesi. 5.

Eccles.5. *Eccles.21.*

scriptum est : *Auarus non implebitur pecunia* : de societate & consortio talium, Eccles.21. scriptum est: *Stuppa collecta synagoga peccantium*, scilicet cupidorum, *& consummatio illorum flamma ignis* : quia inuicem ex consortio incenduntur, & comburuntur. Et

Psal.

iterum de talibus Propheta ait, *Exarsit ignis in synagoga eorum*. Ecce societas mala flamma combussit peccatores, quia inuicem igniuntur. Secundo etiam in fumo blanditiæ vanitatis, & superbiæ indicantur. Fumus quippe aspicientibus cœruleum profert colorem. Ea quo pulchritudinem apparentiæ indicare potest. Qui vero in altum consurgens, citius euanescit, nihil melius, quam superbiam, & vanitatem designat. Et de hoc vanæ mulieres cum resipiscunt in senectute confunduntur, & erubescunt. Vnde ad

Rom.6.

tales Rom.6.c.Apost.ait : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis*, s. vanitatibus, *in quibus nunc erubescitis. Nam finis illorum mors est*, scil. corporalis, spiritualis, & æternalis. Tertio vero in sulphure denotantur blanditiæ luxuriosorum : quia per sermones obscænos ad luxuriæ fœtorem inducunt, qood sulphur manifestè insinuat, cum sit terra ardens, & fœtens. Et

Hier 38.

ad tales seductos, Hier.38.c. dictum est : *Seduxerunt te, & praualuerunt aduersum te viri pacefici tui, demerserunt te in cœno*, s. luxuriæ, *& in lubrico pedes tuos*, id est affectus tuos. Quartus gradus est per impulsionem.

5. gradus per impulsionem.

Vnde Propheta talibus prænunciat dicens : *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos*. In quibus verbis ostendit tria, quæ ruinam innuût fragilium ex peruersorum societate. Primum est obscuritas, secundum lubricitas : tertium est violentia. Primum propter auaritiam, secundum propter luxuriam, tertium propter superbiam. Primum est obscuritas. Vnde ait, *fiat*, id est fiet ea peruersorum consortio *via illorum*, scilicet fragilium, *tenebræ*, iuxta prophetieum illud. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Secundum est lubricitas, & de hoc

Thren.4.

subdit, *& lubricum*, Thren.4. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum*, id est publicè. Tertium est violentia. Vnde addit, *Et Angelus Domini persequens eos*. Angelus iste diabolus est : qui ideo Angelus Domini nuncupatur: quia velit nolit,

Iob.4.

Deo subiectus est, Iob.4. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles*. Et hic Angelus persequitur fragiles, atque impellit, vt in scelera deiiciat eos. Viator quippe, cui hæc tria concurrunt, nun corruere minimè potest. Nam qui incedit per noctem tenebrosam, per viam lubricam, & ad hæc impellitur : subsistere ne-

Hier.23.

quaquam valet. Et de his tribus Hier.23. iterum ait, *via eorum erit quasi lubricum, in tenebris impellentur,*

5. gradus per præcipitationem.

& corruent in ea. Quintus gradus per præcipitationem, quod quidem ad hæc deterius est, quia fragiles ea vno peccato in aliud postea præcipitati ruent: nam ex auaritia ruent in superbiam, & luxuriam; ea luxuria in auaritiam, & superbiam : Ex su-

Isa.24.

perbia in auaritiam, & luxuriam. Nam Isa. 24. capite scriptum est. *Formido & fouea, & laqueus super te, qui es habitator terræ* : scilicet peruersorum. *Et erit qui fugerit a facie formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea tenebitur laqueo* : per formidinem denotatur auaritia diuitiarum, quæ semper

Iob.15.

timet. Iob.15. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur* : Proinde Seneca etiam ait : Videt pauperem, & suspicatur : furem videt diuitem, & æstimat prædonem.

Prou.23.

Per foueam, luxuria designatur. Prouerb. 23. *Fouea enim profunda est meretrix : & puteus angustus, aliena*, scilicet mulier. Per laqueum propriè superbia indicatur, quæ aues id est pennatos virtutibus quandoque capit. Quia, vt ait Aug. superbia bonis operibus

6. gradus per li... Augu... Psal.118.

insidiatur, vt pereant. Sextus per illaqueationem. Nã his tribus vitiis fragiles à peruersis illaqueãtur. De laqueo auaritiæ Propheta in persona fragilis ait *Laqueum parauerunt pedibus meis*, scilicet homines ipsi peruersi, *& incuruauerunt*, scilicet ad terram *animam meam*.1. Tim.6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt*

1.Tim.6.

in tentationem, & in laqueum diaboli. De Laqueo luxuriæ, Ecclesiast.7. *Inueni amariorem morte mulierem*,

Eccl.7. *Prou.6.*

qoæ laqueus venatorum est. Prou. 6. *Mulier autem viri pretiosam animam capit*. Ecce laqueus malus. De laqueo superbiæ Propheta ait : *In via, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi*. Septimus gra-

Psal. *7. gradus per damnationem.*

dus per damnationem. Ideo subditur à Ioanne, *Et ab his tribus plagis*, scilicet ignis fumi, & sulphuris, *occisa est tertia pars hominum*. Sunt namque pleriqoe, qui horrent sceleratorum societatem, & fugiunt eam, propterea non contaminantur ab eis. Sunt quoque viri solidi, & perfecti, qui non contaminantur ex consortio impiorum, sicut in seqnẽti tertio artic. apparebit. Sunt insuper quidam fragiles, qui cõsortio iniquorum impœnitenter inficiuntur, & hi sunt tertia pars hominum, quæ occisa est. Sunt tamen plerique, qui sub pallio pietatis, & misericordiæ vni scelerato viuenti inter moltos fragiles parcunt. Sed audiant, quid Hieron.45. distinct. in cap. sed illud in fine ait : Quæ ista bonitas ? quæ ista misericordia ? vni parcere, & omnes in discrimen adducere ? Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur.

De triplici violentia, qua à peruersis fragiles contaminantur.

Cap. III.

TErtio autem peruertunt peruersi homines fragiles violentiis. Triplici quidem violentia corrumpunt eos. Prima est violentia exemplationis, secunda est violentia continuationis, tertia est violentia infestationis.

Prima violentia exemplationis.

Plus mouent exempla quàm verba.

PRima inquam est violentia exemplationis. Plus enim mouent exempla, quam verba. Et vt Leo Papa in sermone de ieiunio ait : Validiora sunt exempla quàm verba : & plenius opere docetur, quam voce : Proinde Bern. de malo exemplo ait : Corrumpunt bonos mores colloquia praua, quanto magis opera. Et iterum in quodam sermone inquit: Nonne tibi videtur grauiorem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo peruertit animas, quas redemit, quàm à Iudæo, qui sanguinem suum fudit. Maximè tamen nocet ecclesiasticorum exemplum malum. Vnde 83. distinct. in

Grauiter delinquit sacerdos.

cap. nemo. August. ait: Nemo amplius in ecclesia nocet, quàm qui peruersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis, & sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Et de talibus Bern. etiam ait: Mõstruosa res est gradus primus, animus infirmus, sedes summa, vita ima, lingua magniloqua, manus otiosa, sermo multus, fructus nullus, vultus grauis, actus lenis, ingens auctoritas, & nutans stabilitas: quantum talium malum exemplum noceat fragilibus animabus, ostenditur 17. quæstio. 1. in cap. qui bona, vbi Gregor. ait : Sunt qui cuncta relinquere, & Dei seruitio se subdere, & frænos castitatis se restringere deliberant : sed eum post castitatem alios cecidisse conspiciunt, se retrahendo meritum perdunt.

Secunda

Secunda violentia continuationis.

SEcunda est violentia continuationis, quæ paulatim deuincit fragilem cum peruerso, & impio conuersantem. Vnde Isidorus lib. primo soliloquiorum, ait: Ante ignem consistens etiam si ferreus sis, aliquando dissolueris, proximus periculo diu tutus non eris. Per assiduitatem cito peccat homo, sæpe familiaritas implicauit, sæpe occasionem peccandi dedit: sæpe quos voluntas non potuit, assiduitas superauit. Et iterum Seneca ait, Conuictor delicatus paulatim eneruat, & emollit. Necesse est, aut imiteris, aut oderis, vtrumque autem deuitandum est, ne autem similis malis fias, quia multi sunt, vel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Cum his conuersare, qui meliorem te facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere meliores. Ex hoc 1. Cor. 5. c. *1. Cor. 5.* Apost. ait: *Modicum fermentum*, scil. per continuationem, *totam massam corrumpit*. Et de populo Iudæorum *Psal. 105.* Propheta ait: *Et commixti sunt inter gentes*, scil. non tantum corpore, sed etiam opere. Vnde subdit, *Et didicerunt opera eorum*, quia difficile est tangere serpentem, & non venenari: *& seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Acetum mixtum cum bono vino, illud in acetum vertit, secundum Palladium, apes mellificare, seu habitare non possunt, vbi generatur echon. Sic nec homines virtuosi, mel virtutum congregantes inter rixosos conuersari non valent. Ex conuersatione leprosi paulatim fit homo leprosus. Dicitur quoque, quod chorda facta de intestinis lupi, si opponatur chordis factis de intestinis ouis, consumit eas. Item pennæ aquilæ si ponantur cum pennis gallinæ, consumunt eas. Ossa quoque gallinæ auro permixta, ipsius sunt consumptiua. Insuper vna chorda discordans in sono destruit melodiam. Similiter contingit de discordante voce inter cantores. Omnia hæc exempla clamant fragilibus fugienda esse consortia prauorum. Proinde Greg. hom. 9. super Ezechielem. Infirmi prauorum debent societatem declinare, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur *[Eccl.] 7.* imitari. Et Eccl. 7. *Discede ab iniquo, & deficient mala ab te.*

Prima violentia infestationis.

TErtia est violentia infestationis. Tanta est quandoque erga fragiles infestatio peruersorum, vt tædio & importunitate eos deiiciant, & deuincant. *Ioan. 18.* Patet exemplum de Petro, Ioan. 18. Qui existens cum passionum Christi ministris Dominum denegauit, & in negando perseuerauit: sed, vt dicitur Luc. *Luc. 22.* 22. *Egressus foras*, id est separatus ab eis, *amare fleuit.* Et iterum Seneca in quadam epistola ait: Salutare est non conuersari cum dissimilibus, & diuersa cupientibus: turba & si non mutat, te impedit tamen. Multum autem nocet etiam, qui moratur in vitio, alter alterum erudimus. Quomodo autem reuocari possunt ad salutem, quos nemo retinet, & populus impellit. Hoc maximè contingit in eis, in quibus ex corrupta consuetudine vulgus currit. Pleriquе enim licet essent iusti sine consortio peruersorum, tamen *[...] cum impiis [cop]ulantur [pe]ruersissimi [fiu]nt.* cum societate eorum scelesti fiunt. Nam sicut naturales aiunt, venenum artificialiter factum conficitur ex commistione plurium frigidorum, vt dum res frigida frigidis copulatur, frigiditas augetur, & sic naturali calori fortius aduersatur. Proinde contingit sæpe quod id, quod non est per se nociuum, fit venenum ex nociuorum commixtione. Sic contingit plerisque non peruersis, quia dum impiis copulantur, peruersissimi fiunt. Sicut patet diebus nostris in partialitatibus, in stipendiariis, & in Bellis. Fugienda igitur sunt consortia peruersorum, quod vt frequentius fiat, mala peruersi hominis paucis verbis tibi perstringam.

Quid est homo peccator, atque peruersus?

Est enim homo peruersus inimicus Dei, Angelorũ æmulus, amicorum Dei actu, & mente contrarius, *Quis est homo peruersus.* inimicorum Dei amicus, dæmonum seruus, deformata Dei imago, indignitas vitæ, turpator naturæ, corruptio morum, odium sui, subsannatio virtutum, virtuosorum irrisor, contemptor in mandatis Dei, derisor in promissionibus, cœli exul, inferni promissus ciuis, amator mundi, turpitudinis cultor, subsellium libidinis, crudelis & amara vita, cóscientia praua, voluntas iniqua, conscientia cæca, ratio corrupta, memoria sterilis, infructuosus mons, organum & cythara, & instrumentũ diaboli ex malitia, & voluntate, non ex proprietate naturæ: materia infernalis ignis, cœnobium cogitationum malarum, obscuratus Sol, eclypsata Luna, stella de cœlo innocentiæ cadens, ignis in seipso ardens, aqua maris amara ex feruore mali quiescere non valens: fluxibile flumen in mare damnationis, grauissima terra ex ponderibus peccatorum spinas, & tribulos malè germinans. Auis in- *Descriptio viri impij.* constans, aquila per superbiam altè volans, falco insidians innocentiæ, miluus ad viscera putrefacta descendens, coruus procrastinãs pœnitentiam cadaueribus mortuis, videlicet operibus insidens. Vmbra luminis infernalis, nubes aquarum malarum, obscura nebula, tonitruum terrens, vapor percutiens. Quid plura? Ipse est ventus semper contrarius ecclesiæ peregrinæ, & nauiganti. Quis igitur homo fragilis tam insanus, tam temerarius, tamque ignorans, qui non fugiat, & horreat consortia peruersorum, nisi qui cum peruersis vult esse peruersus?

Articulus Tertius,

De triplici varia societate bonorum, & malorum virorum.

TErtia est societas iustorum, seu perfectorum cum malis. Et de hoc Propheta subdit; *Quoniam tu*, scilicet Deus *populum humilem saluum facies.* Et potest esse in hoc articulo thema. Populus quippe *Populus humilis iustos designat.* humilis, quem Dominus saluum faciet, sunt viri iusti atque perfecti, qui ex humili charitate, & ex condescensiua benignitate conuersantur cum malis, vt eos retrahant à peccatis. Neque insuper absque indicio humilitatis est, quod homines mali conuersantur cum iustis. Hoc enim Paganus Seneca sensit, cum in sexta epistola ait: Nulla res magis induit animos honestos, & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim honestas descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, frequenter audiri. Talis societas est in viris perfectis, seu iustis, quandoque desiderabilis, quandoque tolerabilis, quandoque euitabilis.

De mira vtilitate societatis iustorum, & perfectorum cum malis.

Cap. I.

PRimo est, quandoque desiderabilis pro peccato- *1. societas perfectorum cum malis.* rum scilicet conuersione. Vnde Matt. 9. cap. Iam *Matth. 9.* Matthæo ad pœnitentiam vocato à Christo dicitur, *Quod factum est discumbente Iesu in domo: Ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius. Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? At Iesus audiens ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Euntes autem discite quid est, misericordiam volo &*

Christus tripliciter refutat Pharisæos murmurantes.

non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. In qua responsione tripliciter confutat Pharisæos, & similes Pharisæis. Primo ratione, secundo auctoritate, tertio verò exemplo. Primo ratione: Hoc ideo facio, quia non est opus, id est operosus, hoc est necessarius valentibus, id est sanis medicus, sed malè habentibus, quasi dicat: sensibiliter patet quod familiarius se debet habere medicus ad infirmum, qui eo indiget, quam ad sanum. Ego sum medicus animarum, sicut de me Propheta inquit, *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Ideo debeo me sic habere ad peccatores, qui sunt infirmi spirituali infirmitate. Secundo subdit auctoritatem, dicens: *Euntes discite, quid est*, scilicet quod Dominus Oseæ 6. cap. ait, *Misericordiam volui*, scilicet per peccatorum dimissionem, *& non sacrificium*, quasi dicat: Si hanc scripturam diligenter consideretis, reperietis me facere secundum illam. Et meritò, quia Prouerb. 21. etiam scriptum est, *Facere misericordiam, & iudicium magis placet Deo, quam victima.* Tertio addit exemplum de seipso, dicens: *Non enim veni vocare iustos*, scilicet ad pœnitentiam: sed vt proficiant de virtute in virtutem: sed peccatores ad pœnitentiam, vt corrigantur, secundum Bedam, & Rabanum. Vel non veni vocare iustos, id est eos, qui se reputant iustos, quia si conuertantur, iam non sibi iusti videntur, vt Chrysost. ait: de Osea Propheta etiam patet exemplum, de quo 32. q. 1. in cap. non est culpandus, vbi Hieronymus inquit: Non est culpandus Oseas Propheta, si meretricem quam duxit, ad pudicitiam conuertit: sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecit. Non enim qui bonus permanet polluitur, si societur malo: sed qui malus est, in bonum conuertitur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non Prophetam perdidisse pudicitiam fornicatriæ copulatum: sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat. Merito ergo Greg. in 1. Moral. exponens illud 1. cap. *Iob, Vir erat in terra Hus*, ait, Non valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris pœnæ est inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse. Ex quo patet quod intelligit de iam solidis iustis. Ipsa quoque naturæ in elementis docet hoc, vt perfectiora perficiant minus perfecta. Nam aqua perficit terram, aër aquam, ignis aërem. Sic necesse est homines perfectiores perficere imperfectos. Non enim pro se tantum largitur Deus iustis gratiæ largitatem, sed vt salua salute sua illam aliis habeant impartiri. Proinde Matth. 13. cap. de talibus Dominus ait: *Fulgebunt iusti, sicut Sol in regno patris eorum*, id est in statu perfectionis virtutum, vbi Christus in viris iustis perfectè regnat. Ecce quod virum perfectum assimilat Soli. Et merito quidem. Nam sicut Sol sine sui pollutione effundit radios suos super loca, & corpora non tantum munda, sed etiam immunda, ac fœtentia, & sordibus plena, ex quorum contactu, & homines, & plura alia inficiuntur, & tamen radij solis ea contingentes remanent impolluti: sic profectò solaris homo, & iustus inata gratiam à Domino sibi datam, impartitur peccatoribus inquinatis sine sui pollutione radios solares, vel salutares ad gloriam summi Dei. Nam & hoc præcepit Dominus Matth. 5. c. dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona:* quæ quidam radij sunt: *& glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Est enim vir iustus, & grauis, moralis & sanctus, quasi speculum in tota ciuitate, vel regione, ad cuius præsentiam, & aspectum & boni, & mali quadam reuerentia, ac timore pariter, & amore in se consistunt, atque suspensa mente quasi quoddam cœlicum numen, & admirantur, & venerantur.

Psal. 601. *Osea 9.* *Prou. 21.* *Iob. 1.* *Matth. 13.* *Vir perfectus soli assimilatur.* *Matt 5.* *Vir iustus speculum.*

Proinde stellioni merito similatur. Est enim stellio, quidam serpens accipiens nomen, secundum Isidorum, à colore suo. Est enim à tergo depictus, lucentibus oculis in modum stellarum, qui scorpionibus adeo contrarius est, vt eo viso in pauorem; & torporem veniant, in tantum vt sudore frigido perfundatur. Per eum meritò designatur perfectus homo decoratus stellis & radiis virtutum, & gratiarum: ad cuius aspectum etiam qui malè viuunt, virtute cœlestis gratiæ, & timent, & sudore pœnitentiæ madescunt, & ad Dominum conuertuntur.

Quod conuersatio iustorum cum malis quandoque tolerabilis est.

CAP. II.

2. est tolerabilis.

SEcundo societas iustorum cum malis quandoque est tolerabilis. Et de hoc 23. quæst. 4. in cap. tolerandi. Augustinus super illud Isa. 52. *Recedite*, &c. de quo dictum est supra, artic. 8. capite 1. Malitia secunda ait: Tolerandi quidam sunt mali pro pace, nec corporaliter ab eis discedendum, sed spiritualiter. Spiritualiter autem exire est facere, quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiuscunque salua pace displicere est non tangere. Non enim Prophetæ, qui hoc dicebant, populum suum dimiserunt: sed inter eos habitabant, quos increpabant. Hoc ergo exire, est ore non parcere. Hoc est immundum non tangere, voluntati non consentire. Et in sequenti capite idem ait: Tu bonus tolera malum. Nam Christus Iudam, cum sciret furem esse, tolerauit, & ad prædicandum misit, eique cum aliis Eucharistiam dedit, Matthæi 26. Hæc omnia Christus fecit, quia peccatum Iudæ aliis discipulis occultum erat. Et hinc mos Ecclesiæ est, quod peccatori occulto Eucharistia non negatur. Prædicta duo capitula decreti, cum quatuor sequentibus, secundum Archidiaconum, intelligenda sunt, quod tolerandi sunt mali in communione publica & priuata. Societatem tamen malorum tenetur quilibet euitare, sicut in præcede. 2. articul. dictum est. Et ad hoc facit, quod habetur 7. quæst. 1. suggestum, & duobus capitibus sequentibus. Item 2. q. 7. peruenit 28. q. 1. sæpe. Et iterum 23. q. 4. in cap. hæc autem Gregorius ait: Hæc autem vita, quæ inter cœlum, & infernum sita est, sicut in medio consistit: ita vtrarumque partium ciues communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia, & indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernet. Si igitur boni estis, quandiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerate malos. Nam quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel sibi esse renuit, quem Cain malitia non exercet. Qui autem sint isti taliter tolerandi, ostendit Augustinus in eadem quæst. in cap. ecce vbi ait. Ergo, fratres charissimi, quotquot habetis inter vos, qui adhuc amore sæculi prægrauantur, auaros periuros, adulteros, inspectores nugarum, consultores mathematicorum, phanaticorum, augurum, aruspicum, ebriosos, luxuriosos, quicquid inter vos malorum esse nostis, quantum potestis improbare, vt corde recedatis: redarguite vt corde exeatis inde, & nolite consentire, immundum ne tangatis. Et idem de similibus intelligendum est. Vt autem noscamus quid sit sociari malis, vide, quid August. ait in quæst. præal. in c. ita plane, vbi ait. Ita plane sociatur quis malis; si mali aliquid eum eit committit, aut committentibus fauet: si autem nenitum facit, nullo modo sociatur. Porro si addat tertium, vt non sit in vindicando piger: sed vel corripiat iustus in misericordia, id est arguat, vel etiam si eam

Peccatori occulto Eucharistia non negatur.

Quid est sociari malis.

eam personam gerit, & ratione seruandæ pacis admittit, & coram omnibus peccantes arguat vt cæteri timeant: remoueatur etiam vel ab aliquo gradu honoris, vel ab ipsa communione sacramentorum. Sed si hæc omnia cum dilectione corrigendi non cum odio persequendi faciat, plenissimum officium non solum castissimæ innocentiæ, sed etiam diligentissimæ seueritatis impleuit. Vbi autem cætera impediuntur, illa duo semper retenta incorruptum castumque custodiunt. Ista sunt, vt nec faciat malum, nec approbet factum. Et in c. à malis: iterum ait. A malis semper corde distinguimini: ad tempus cautè corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus: si ei non consentias, & si redarguas: hoc est non communicare, non consentire: Communicatur quippe, quando facto eius consortio voluntatis, & approbationis adiungitur. Neque ergo consentientes sitis malis, vt approbetis: neque negligentes, vt non arguatis, neque superbientes, vt insultantem arguatis, ad hoc facit etiam cap. quisquis 23.q.4.

A malis corde distinguimini. Duobus modis non maculamur à malis.

Quod propter septem vitandi sunt mali.

CAP. VII.

Tertio est quandoque euitabilis.

TErtio societas iustorum cum malis est quandoque euitabilis. Vnde 24.q.3.in c. ecce, Prosper ait. Ecce autem crimina quorumlibet, & si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndecúque claruerint, quæcunque non fuerunt patientiæ leni medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis, vrenda sunt & curanda. Quod si nec sic quidé æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela processerit in eis, qui diu portati & salubriter obiurgari corrigi noluerint, tanquam putridæ corporis partes debent ferro excommunicationis abscindi, ne sicut caro morbis est mortua, si abscissa non fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ contagione corrumpat. Ista isti qui emendari despiciunt & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis interficiant insuper hoc idem in sex capitulis sequentibus continetur. Greg. Homil. 6. super Ezech. iterum ait. Vnum vero est, pro quo vitari societas malorum debeat, ne si fortasse corrigi non valent ad imitationem trahant, & cum ipsa sua malitia non mutantur, qui sibi coniuncti fuerint peruertant. Et in plerisque contingit, quod Bern in l. de consideratione ait. Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit, & vbi omnes sordent, vnius minime sentitur fœtor. Porro propter septé à nobis vitandi sunt mali. Primo, ne comprimamur ab eis, secundo, ne ab eis impediamur: tertio, ne demus eis malignandi occasionem: quarto, ne irritemus eos: quinto ne inuoluamur cum illis: sexto, vt confundantur de malis: septimo, ne bonorum auctoritas minuatur. Primo à nobis vitari debent mali, ne comprimamur ab eis. Eccles. 13 c. *si communicabit lupus cum agno, sic peccator iusto.* Secundo, ne ab eis impediamur. Psal. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Per salices enim mali & infructuosi significantur. Organa sunt verba & opera bona, quæ tunc suspenduntur & non ligantur in salicibus, quando suspenso animo cauto & circunspecto verbo & opere quandoque conuersamur cum malis, si eos aliquando vitare non possumus. Tertio ne demus eis malignandi occasionem: sic quoque Apostoli fugiebant malos ex monitione Domini, qui Mat. 10. cap. ait, *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliã.* Quarto: ne irritemus eos, sicut Gen. 28. *Isaac præcepit filio suo Iacob, vt fugeret à facie Esau* Quinto, ne inuoluamur cum illis. Vnde Num. 16. cap. ex præcepto Domini dixit Moyses ad turbam. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum & nolite tangere, quæ ad eos pertinent,* ne inuoluamini in peccatis eorum. Sexto, vt confundantur de malis. Proinde 1. Cor. 5. Apost. ait. *Si is, qui supernominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumere, scilicet debetis.* Et hoc intelligitur, vt supra. Septimo ne bonorum auctoritas minuatur, quæ profecto minuitur, quando religiosi & alij ecclesiastici viri cum sæcularibus nimis intrinsecè & domestice conuersantur proinde Ezech. 42. c. præcepit Dominus, vt habitatio sacerdotum à vulgo separetur.

Quam periculosi nolunt emendari.

Vbi omnes sordent vnius non sentitur fœtor. Propter septem rationes vitandi sunt mali.

Eccles. 13.

Matth. 10.

Genes. 28.

Num. 16.

1. Cor. 5.

DOMINICA VIII.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

DE MVLTIPLICIBVS RATIONIbus, quare à Deo prospera mundi dantur iustis.

Sermo VI.

HOmo quidam erat diues. Lucæ 16. c. & in Euangelio hodierno. Tria profecto sunt, in quibus plerumque solent homines periclitari, scilicet honores, voluptates, & opes. Nam de honoribus vana, de voluptatibus fœda, atque de opibus praua oriri solent. proinde 1. Ioan. 2. cap. scriptum est. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Primum pertinet ad luxuriam, secundum ad auaritiam, tertium ad superbiam.

Luc 16.

Tria in quibus homines maxime periclitantur.

1. Ioan 2.

Superbia est diaboli

Superbia est opus diaboli, luxuria opus carnis, & auaritia opus mundi. Sunt quippe plerique, qui virtutibus præditi tanto virtuoso atque victorioso conatu diuina iuuante gratia se se ab huiusmodi vitiis eripiunt, tantoque rigore ac vigore illa suppeditant, vt ab eis immunes fiant, & in magnificentiis, & deliciis atque diuitiis innocuè conuersantur, & iustè viuunt. Et de hoc Dominus ait, *Homo quidem erat diues.* De

Psal. 115. tali quoque iusto Propheta in Psalm. 112. inquit, *Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in*

Tres virtutes viri iusti. *sæculum sæculi.* In quibus sacratis verbis tres virtutes viri iusti in prosperis innocuè conuersantis per ordinem describuntur. Prima dicitur gloria mansueta, & de hac ait. *Gloria.* Secunda abundantia temperata, & de hac addit, *Et diuitiæ in domo eius.* Tertia iustitia habituata, & de hac subdit. *Et iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Cum prima deiicitur superbia, cum secunda conculcatur auaritia, cum tertia debellatur luxuria. Et potest esse aliud thema. Et de talibus virtu-

Psal. 74. tibus exaltatis in tali iusto, Propheta in Psalm. 74. inquit, *Exaltabuntur cornua iusti.* Quod potest etiam esse aliud thema, Et tunc per cornua denotantur tres præfatæ virtutes, cum quibus deiiciuntur, & debellantur præfati aduersarij nostri. Ex his patet, quod mun-

Prospera dantur etiam iustis. di prospera etiam dantur iustis secreto iudicio Dei. Quandoque enim dantur incipientibus, quandoque proficientibus, quandoque vero perfectis. Et possunt dari causæ vel rationes, quare eis diuinitus dispensantur, de quibus per ordinem subiungamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod propter triplices causas principales mundi prospera dantur incipientibus iustis.

Propter triplicem causam mundi prospera dantur incipientibus iustis. PRimo enim quandoque prospera mundi distribuuntur à Deo incipientibus iustis. Et de hoc dari possunt tres causæ principales. Prima propter declarationem, secunda propter condescensionem, tertia propter discretionem.

Quod iustis incipientibus prospera dantur, vt palam fiat, quod à Deo creata, gubernata & data sunt.

CAP. I.

Primo propter declarationem. PRimo dantur incipientibus iustis propter declarationem, hoc est vt manifeste clarescat, quod hæc temporalia primo sunt à Deo creata, secundo à Deo

Hæc temporalia, primo sunt à Deo creata. gubernata, tertio à Deo dispensata. Primo, quod sunt à Deo creata contra errorem Manichæorum, qui ponebant creaturarum duo principia. Vnum à quo sunt omnia mala: contra quos Ioan. 1. cap. ait: *Omnia per*

Ioan. 1. *ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* id est pec-

Isa. 45. catum Et Isai. 45. scriptum est: *Ego Dominus: & non est alter, formans lucem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Dicitur autem Dominus creare malum, videlicet pœnæ atque permittit in creatura sua

2. à Deo gubernata. malum culpæ. Secundo, quod sunt à Deo gubernata, contra errorem dicentium, Deum non per seipsum gubernare mundum, sed per quasdam potestates sibi

Iob 34. subiectas. Contra quos Iob 34. cap. ait, *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est.* Et iterum Gregor. inquit, Mundum per

3. à Deo dispensata. seipsum regit, qui per seipsum condidit. Tertio quod à Deo sunt dispensata, contra ergo errorem dicentium, quod Deus ignorat hæc inferiora, vel si ea scit, de illis minimè curat. Contra autem hos duos errores Pro-

Psal. 72. pheta ait; *Et dixerunt quomodo scit Dominus, & si est scientia in excelso.* In quibus verbis duo vitia denotantur. Primum est curiositas inquirendi, cum dicitur, *quomodo scit Deus.* Cum impossibile sit homini scire modum scientiæ Dei. Secundum est blasphemia Dei, quando dubitant an inferiora noscat. In horum persona Iob. 22. cap. ait. *Quid enim nouit Deus, & quasi per* *Iob 22.*

caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, hoc quo ad curiositatem. Et addit, *Nec nostra considerat. Circa cardines cœli perambulat.* Ecce blasphemia. Curiositas est quærere quomodo Deus scit: blasphemia, si scit. Se- *Secundo sunt à Deo gubernata.*

cundo contra eos, qui dicunt, quod licet omnia scit Deus, hæc tamen inferiora non curat: subiungit dicens, *& si est scientia in excelso:* quasi dicat. Nunquid ipse, qui habitat in excelsis, curat de his terrenis? De

talibus etiam Ezech. 8. cap. inquit: Dicunt enim, *non* *Ezech. 8.*

videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram, & in fine ibi subditur: *Ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor. Et cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos,* Contra hos

errores Propheta etiam ait, *Dominus pauperem facit,* *Psalm. 17.*

& ditat: humiliat & subleuat, & alibi. *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri ple-*

num mixto, & inclinauit ex hoc in hoc. Et iterum Iob c. 1. *Iob 1.*

Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Quod iustis incipientibus prospera à Deo dantur, scilicet mundi, propter condescensionem.

CAP. II.

SEcundo iustis incipientibus temporalia bona dantur à Deo propter condescensionem. Hoc est, vt *Secundo propter condescensionem.*

infirmis & imperfectis condescendatur. Non enim cogendi sunt omnes ad summæ paupertatis culmen, seu summæ humilitatis atque abiectionis. Contra hos fuerunt hæretici plures, maximè quidam, qui se arrogantissime Apostolos vocauerunt, tenentes nullam spem veram salutis habere eos, qui vtuntur coniugio, aut possident propria temporalia bo-

na. Conceduntur igitur hæc bona fragilibus & *Conceduntur quædam bona fragilibus & qua de causa.*

infirmis, qui forte periclitarentur in statu perfectionis, scilicet in paupertate, vel in castitate, vel in abiectione & vilitate. Primo sunt quidam, qui fortè periclitarentur in paupertate, qui saluantur in proprietate. De non professis in religione loquor. Pro-

inde Eccles. 27. cap. *propter inopiam multi deliquerunt.* *Eccles. 27.*

Cumque Matth. 19. Dominus ait: *Si vis perfectus esse,* *Matth. 19.*

vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesauros in cælo, & veni, sequere me. De perfectione dedit consilium, non præceptum. Secundo sunt quidam, qui forte damnarentur in virginitate, vel castitate, qui saluantur in coniugij honestate.

Hinc 1. Corint. 7. cap. Apostolus ait: *propter forni-* *1. Cor. 7.*

cationem vnusquisque habeat vxorem suam, & vnaquæque vxor suum virum habeat: vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quod tamen secundum Christianam honestatem & religionem intelligi habet. Et 32. qu. in cap. sicut, in §. proximo,

scriptum est. Prima institutio coniugij in paradiso *Primus institutio coniugij in paradiso.*

facta est, vt esset immaculatus thorus & honorabiles nuptiæ, ex quibus sine ardore conciperent, parerent *Coniugium etiam in remedium infirmitatis nostra.*

sine dolore. Secunda propter illicitum motum limitandum extra paradisum facta est, vt infirmitas propria in ruinam turpitudinis honestate exciperetur

coniugij. Matth. quoque 19. cap. Dominus ait: *Sunt* *Matth. 19.*

eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Et ostendens de hoc dare consilium, non præceptum subdit: *Qui potest capere, capiat.* Tertio quoque sunt aliqui, qui perirent in obedientia regulari, qui saluantur in obedientia sæculari, vel clericali. Vnde Matth. 16. c. ait: *Si quis vult post me venire, abnegit semetipsum,* scilicet per obedientiæ votum: *& tollat crucem*

suam,

suam, & sequatur me. De quo etiam consilium dedit, non præceptum, quia supererogationis, non necessitatis.

Quod incipientibus iustis à Deo prospera mundi dantur propter discretionem.

CAP. III.

Tertia propter discretionem.

TErtio etiam à Deo dantur iustis incipientibus temporalia bona propter discretionem, Sicut in qualibet republica ciuitatis, castri vel villæ diuersæ personæ, loca & gradus, diuersa officia habere debent: sic in præsenti sæculo diuersi sunt status cum diuersis officiis à summo dispensatore ordinati, videlicet tres. Primus status est, qui nihil habet in proprio, vel communi. Secundus verò status habet tantum in communi: Tertius autem est, in quo quilibet proprium habere potest. Primo quidem in Ecclesia Dei est primus status, qui nihil habere potest in proprio, vel communi, sicut patet in regula fratrum Minorum. Secundus est status Monachorum, & aliarum religionum, quorum nullus in particulari potest habere proprium, vt patet extra de statu monachorum in cap. cum ad monasterium. Tertius vero status est sæcularium personarum vel clericorum: Et hic status licet præcedentibus inferior sit, tamen vtilis est & necessarius vniuerso, propterea merito debet habere personas, & loca, & gradus suos. Constat enim, quod dispensare temporalia bona in eleemosynam pauperibus & seruis Dei, & vti prosperitate & affluentia rerum discretè & moderatè, gradus est vtilis, & quodammodo necessarius vniuerso. Nam teste Apostolo 1. Cor. 12. *Non potest autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij, sed multomagis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Sic est de statibus huius mundi.

Diuersi hominum status.
Fratres minores nihil possidere possunt proprium in communi nec in particulari.
Status cleric. inferior statu religiosorum.
1. Cor. 12.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod propter tres causas principales mundi prospera dantur proficientibus iustis.

Propter tres causas mundi prospera dantur proficientibus iustis.

SEcundo autem dantur quandoque à Deo prospera proficientibus in virtute. Et de hoc assignari possunt etiam tres causæ principales Primo propter connexionem, secundo propter manifestationem, tertio propter magnificationem.

Quod mundi prospera à Deo donantur proficientibus iustis propter diuersorum statuum connexionem.

CAP. I.

Primo propter connexionem.

PRimo enim dantur proficientibus propter connexionem seu coniunctionem, scilicet statuum atque temporum, vt videlicet io se distincti inuicem seruiant sibi: atque ordinantur vinculis, vt nexibus sibi inuicem coniunguntur. Sunt quippe tres status in Ecclesia Dei. Primus est coniugalis, secundus clericalis, tertius regularis. Status enim coniugalis seruit clericali, & vterque regularis patrocinatur. Insuper in omnibus tribus inferioribus officiis seruiunt statui superiorum. Item superiores de superioribus gratiis inferioribus subministrant. Et hoc modo distinctus fuit status veteris testamenti à nouo, *quasi rota in medio rotæ*, vt dicit Ezech. 1. cap. Ibi enim commendabantur, promittebantur, atque dabantur temporalia bona, & sub illis temporalibus spiritualia signabantur & figurabantur. Nam sicut testa seruit nucleo, sic testamentum vetus seruit Euangelio, & & temporalia spiritualibus subministrant, & Martha Mariæ dignoscitur subseruire.

Tres status in Ecclesia Dei.

Quod à Deo mundi prospera dantur proficientibus iustis propter manifestationem potentiæ, sapientiæ, & clementiæ suæ.

CAP. II.

Secundo, propter manifestationem.

SEcundo dantur proficientibus propter manifestationem. Vult enim palam facere Deus, quod talea in sæculo prosperantes: & tamen in suo timore & amore viuentes, eos eligat, eos diligat, eosque benedicat. Primo, quod eos eligat. Sicut de seipso Propheta inquit, *Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium.* Quia ex pastorali officio pecorum ad regnum hominum translatus est. De post-fœtantes accepit eum pascere Iacob seruum suum, & Israël hereditatem suam. Secundo, quod eos diligat. Vnde Gen. 39. in fine de Ioseph mirabiliter de temporalibus prosperante scriptum est, quod *Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat*, & in principio eiusdem dictum est: *Fuit Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens.* Tertio, quod eos benedicat, propterea in temporalibus prosperantur. Vnde Prou. 10. c. scriptum est: *Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.* Tali diuiti iusto Dominus per prophetam ait, *Intende, prospere procede & regna:* atque propter quæ ad talem prosperitatem ascendat, subiungit dicens: *propter veritatem,* scilicet oris, *& mansuetudinem,* scilicet cordis, *& iustitiam,* scilicet operis: & sequitur, *Et deducet te mirabiliter dextera tua*, id est virtuosa prosperitas tua.

Psal. 77.
Gen. 39.

Quod mundi prospera iustis proficientibus à Deo dantur, vt eorum magnificentia manifestentur.

CAP. III.

Tertio propter magnificationem.

TErtio dantur à Deo proficientibus propter magnificationem: id est vt vt magnificentur, atque in exemplum aliorum appareant. Quis autem magnus sit, ostendit Bernard. in secunda ad Eugenium dicens. Ille magnus est, qui blandientibus secundis non seducitur. Tres sunt victoriæ, quæ in viro potenti in statu prosperitatis cordis magnificentiam apertius monstrant. Prima est humilitas in magnificentiis, secunda sobrietas in deliciis, tertia charitas in diuitiis. Prima quidem victoria est humilitas in magnificentiis, quæ quidem maxima virtus est, & magni muneris Dei. Vnde Iob c. 5. de Domino dictum est, *Ponit humiles in sublime.* Nec victoria hæc potest obtineri, nisi plene tria deuicta sint, videlicet amor dominandi, libido vlciscendi, & cupiditas honorandi. De tali victoria Apoc. 2. ca. mystice scriptum est, *Qui vicerit omnia*, scilicet supradicta, *& qui custodierit vsque in finem opera mea*, id est opera virtuosa in statu prosperitatis: *dabo illi potestatem super gentes*, id est super vitia & peccata, quæ statum prosperitatis impugnant. Sicut enim populus Israëliticus mysticè virtutes, sic gentes designant multitudines vitiorum. Hanc quippe homo in prosperitate per gratiam roborat, in flexibili institia sic comprimit, vt sine difficultate omnes vitiorum incursus comprimere possit. Et de hoc Ioan. subdit, *Et reget eas in virga ferrea*, scilicet inflexibilis rectitudinis, quantum ad voluntatem iustam. Cùm enim voluntas in statu prosperitatis fuerit recta, & potestas per gratiam Dei perfecta, non erit alicuius momenti resistentia vitiorum,

Tres victoriæ, quæ monstrant magnificentiam in statu prosperitatis viri potentis.
Iob. 5.
Prima victoria. Apoc. 2.
Vitia prosperitatis statum impugnant.

Propterea

Propterea subdit, *Et tanquam vas figuli confringentur.* Vas quidem figuli vtile est, & faciliter frangibile, atque fractura eius irrecuperabilis & inutilis est. Qui ergo in prosperitatis statu in bello vitiorum vtiliter exercitatus est, hic munus gratiæ Dei consequitur: vt vitia ei vilia fiant, faciliter cedant, & nunquam amplius conualescant. Secunda victoria est sobrietas in deliciis, vbi omnino necessarium est, quod tria vitia deuicta sint, videlicet gula, luxuria, & vana gloria, exemplo Apostoli, qui ad Philipp 4. cap. xit. *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio humiliari, scio & abundare vbique, & in omnibus institutus sum & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.* De hoc victorioso Apoc. 2. cap. Dominus ait, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Lignum vitæ profecto est sapientia, quæ simul hæc tria includit, scientiam, iustitiam, & internam mentis dulcedinem, seu suauitatem: de hoc ligno scriptum est, Eccles. 6. cap. *In eo exiguum laborabis, & cito edes de generationibus eius.* Fructu huius ligni pascitur in statu prosperitatis, qui pro iustitia semper proficiendo certat: cum damodico labore in victoriæ de deliciis peruenit ad immensam illam consolationem Dei pro deliciis mundi, de qua Propheta ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Et ideo hoc lignum in paradiso Dei esse dicitur: *quod est*, inquit Ioan. *In paradiso Dei mei.* Paradisus quippe Dei, est conscientia huius viri victoriosi virtutibus plantata, amœna, iucunda, atque fructibus plena. De qua s. Corinth. 1. cap. Apostolus ait: *Gloria hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Tertia victoria, est Charitas in diuitiis, vbi etiam necesse est, quod alia tria vitia sint deuicta, scilicet amor acquirendi, timor amittendi, & dolor relinquendi. Tali vincenti, Apocal. 3. cap. promittit Dominus, dicens, *Qui vicerit*, scilicet prædicta tria, *dabo ei sidere mecum in throno meo.* Thronus siquidem iste est tranquillitas mentis, quam participant qui pauperes sunt spiritu, sicut prædictus victoriosus. Hanc sedem vocat Christus Matt. 5. regnum cœlorum, cum ait: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* In hac sede quieuit Christus nascens, viuens, & moriens: quia pauper natus est, omnibus destitutus, pauper vixit, ac pauper in cruce, & nudus mortuus est. Hanc participat in affectu, qui prædicto modo pauper est. Proinde Hugo de claustro animæ ait: Sunt enim qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu. Et hæc est etiam vera paupertas: quia licet affluant diuitiæ, corda tamen nolunt apponere, iuxta propheticum consilium. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Hanc paupertatem habuerunt omnes sancti patres, qui in veteri testamento diuites extiterunt, sicut Abraham, Iob & consimiles. In nouo testamento reperti sunt multi reges, & magni domini, & alij mirabilis sanctitatis, sicut patet de rege Luduuico, rege Francorum: de sancto Elziario, de domino Roberto Arimini domino, in quo hanc admirandam paupertatem spiritus ego met per experientiam noui.

2. Victoria sobrietas in deliciis. *Ad Phil.* *Apoc. 2.* *Lignum vitæ sapientia tria includit.* *Psal. 30.* *Paradisus Dei conscientia viri iusti.* *2. Cor. 1.* *Tertia victoria charitas in diuitiis.* *Apoc. 3.* *Matt. 5.* *Thronus Dei mentis tranquillitas.* *Quinam veri pauperes spiritu.* *Psal. 61.*

Articvlvs Tertivs.

Quod Deus quandoque dat perfectis prospera huius mundi, vt iam in præsenti participent gloriam paradisi.

Tertio insuper mundi prospera à Deo perfectis misericorditer dispensantur. Piissimus Deus quibusdam tribuit magnificentias aut delicias, seu diuitias: vt non solum b. atitudinem possideant in futurum, sed etiam participent in præsenti: vnde notandum est, quod triplex est glotia beatorum, videlicet substantialis, consubstantialis, & accidentalis, de quibus Propheta inquit, *Ecce quam bonum*, hæc est prima: *& quam iucundum*, hæc est secunda: *habitare fratres in vnum*: hæc est tertia. Prima gloria substantialis, qua in Deo anima præmiatur. Nam ea merito fidei videt Deum, id est filium Dei & sapientiam patris. Et merito spei possidet potentiam Dei, id est æternum patrem. Ex merito charitatis fruitur Deo, id est suauitate Spiritus sancti. Secunda est gloria consubstantialis, qua etiam ipsum corpus propter quatuor virtutes cardinales in æternum remuneratur. Nam ex prudentia obtinet subtilitatem, ex iustitia agilitatem, ex fortitudine impassibilitatem, ex temperantia luciditatem, sicut in Quadragesimali de Christianæ Religione, sermone 63 artic. 1. & cap. 3. diffusius dictum est. Tertia est gloria accidentalis, quæ quidem est gaudium, quod de amore proprio & communi actiuo & passiuo, inter omnes Beatos mutuo generatur. Sic etiam in præsenti vita dat prospera Deus propter triplicem huius gloriam participationem. Primo vt participet gloriæ substantialem, secundo vt participet gloriam consubstantialem, tertio vt participet gloriam accidentalem.

Mundi prospera à Deo perfectis misericorditer dispensantur. *Triplex est gloria beatorum.* *Substantialis.* *Consubstantialis.* *Accidentalis.*

Quod Deus mundi prospera dat perfectis, vt eis participet gloriam substantialem.

Cap. I.

Primoquidem dat Deus prospera mundi perfectis; vt eis participet gloriam substantialem, quasi dici potest, quod gloria substantialis consistit, in fide, spe, & charitate. 1. Corinth. 13. *Fides, spes, charitas: tria hæc*, scilicet quasi gloria substantialis. *Maior autem horum est charitas.* Proinde 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, scilicet in his tribus. Seu gloria hæc est illa, de qua 1. Timoth. 1. Apostol. ait, *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Primum pertinet ad charitatem, secundum ad spem, tertium ad fidem.

1. Cor. 13. *2. Cor. 1.* *1. Tim. 1.*

Quod Deus mundi prospera dat perfectis, vt eis participet gloriam cœli consubstantialem.

Cap. II.

Secundo dat Deus prospera perfectis, vt eis participet gloriam consubstantialem. Nam potest dici, quod gloria consubstantialis consistit in morali vita per exercitium quatuor cardinalium virtutum: videlicet prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ. Vnde Ezech. 1. cap. mysticè scriptum est. *Facies hominis & facies leonis, à dextris ipsorum quatuor. Facies vituli à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* In facie quippe hominis temperantia designatur. Proprium hominis inter alia animantia est in operibus suis rationis seruare temperamentum. In facie leonis iustitia designatur. Proinde Prouerb. 28. cap. scriptum est, *Iustus quasi leo confidens.* In facie vituli; virtus fortitudinis indicatur. Vitulus enim ad laborem, & mortem paratus est, sicut scriptum est, Psal. 43. *Propter te*, scilicet Domine, *mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* In facie aquilæ prudentia demonstratur, quæ cæteris virtutibus altius prospicit, & prouidet, atque superintendit. Porro ad faciendum bonum, temperantia & iustitia requiruntur. Et hæ sunt à dextris. Ad sustinendum sinistra, patientia operatur, & hæc est à sinistris; Ad prouidendum autem virtutibus prudentia primatum tenet. Bene igitur facies aquilæ desuper esse dicitur propter intelligentiæ visionem,

Ezech. 1. *Virtutes quatuor cardinales quibus denotantur.* *Prou. 28.* *Psal. 43.*

Quod

Quod Deus prospera mundi dat perfectis, vt eis participet gloriam cæli accidentalem.

CAP. III.

[illegible] bona spiritualia. *Bona corporalia quæ[illegible].* *Bona temporalia in qui[illegible] consi[illegible].*

TErtio Deus prospera mũdi perfectis dat, vt participet eis gloriam cœli accidentalem. Porrò hæc gloria accidentalis in præsenti vita quodammodò triplicia bona in se comprehendit, videlicet spiritualia, corporalia, & temporalia. Bona spiritualia dici possunt ratio sensata, scientia acquisita, & multorum practica luminosa & clara. Bona corporalia dici possunt corporis fortitudo, prosperitas sensuum, atque humana libertas. Bona temporalia consistunt in creaturis, sicut sunt filij, consanguinei, famuli, serui, atque amici. Consistunt in honoribus, & maximè magistratuum, officiorum & dignitatum. Consistunt in fama, scilicet virtutum & gratiarum. Consistunt in substantia temporali. Horum omnium plura & varia quibusdam communicantur iustis secreto iudicio Dei,

Prouer. 1.

sicut Prouerb. 4. c. scriptum est. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.* Deus enim duas perhibetur habere manus, dexteram videlicet & sinistram. Longitudo quidem dierum in dextra æternitatis, gloriam iustis merito præparatam demonstrat. Sinistra vero temporalis prosperitas designatur, quę etiam iustis quandoque dispensatur à Deo.

[illegible] sinistra temporalis pro[illegible] figu[illegible]. *Cant. 2.*

De quo iubilans anima iusti, Cant. 2. cap. ait: *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vel aliter & breuius dici potest, quod gloria substantialis est perfectio habitus charitatis, quæ in præsenti vita continuè crescit ex actibus virtuosis. Gloria vero consubstantialis est quædam corporalium sensuum consopitio, qui ad peccandum sunt proni ex innata, & ex peccatis acquisita, mala dispositione, seu infectione. Gloria autem accidentalis sunt spiritualia sentimenta, quæ animæ virtuosæ diuino munere communicantur. Quandoque etiam simul animæ & corpori à Deo misericorditer dispensantur, sicut factum est in sanctissimo Rege & Propheta Dauid. Hæc triplex gloria est magna, maior & maxima in præsenti vita, secundum charitatis perfectionem.

DOMINICA VIII.

Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de aduersitate mundi à Deo Iustis data, tres habet articulos, & quilibet eorum seorsim tractatur.

Articulus primus,

Quod pro remedio medicinali dantur Iustis aduersa mũdi.

Articulus secundus,

Quod pro exercitio virtuali dantur Iustis aduersa.

Articulus tertius,

Quod pro bono iustitiali dantur Iustis aduersa.

DE ADVERSITATE MVNDI à Deo Iustis data.

Sermo II.

Psal. 33 *[illegible] permit[illegible] [illegible] ad.*

MVltæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus. Psal. 33. O abyssus diuinæ sapientiæ, &c. cum iustis Deus permittat aduersa accidere, possumus dicere quod triplici ex causa. Primo pro remedio medicinali, secundo pro exercitio virtuali, tertio pro bono iustitiali.

[illegible] ex triplici causa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod pro remedio medicinali dantur iustis aduersa.

SEptuplex medicina est iustis. Prima purgatiua, secunda præseruatiua, tertia consolidatiua, quarta conseruatiua, quinta illuminatiua, sexta separatiua, septima lætificatiua. Prima igitur medicina dicitur purgatiua. Quis vnquam tam innocenter vixit, quod aliquando non peccet, vel polluatur à sorde peccati? Quapropter inquit Hieron. Rubigo peccati sine igne tormenti consumi non potest, & Gregor. Quod lima ferro, fornax auro, tribula grano, hoc facit tribulatio viro iusto. Sicut namque sarculo spinæ euelluntur de sulcis, & nouacula pili superflui de corpore, & acuta pectinibus purgantur lanæ, & capita à fæcibus suis panno tudi, sapone, & lixiuio, aut fullonum herbis mundantur: sic iustorum mentes à tribulationibus tolerantur. Inde ait Psal. 6. *sicut examinatur argentum.* & Malach. 3. *sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum & erunt Domino offerentes sacrificium in iustitia.* Leui interpretatur assumptus, vel applicatus, & designat hominem iustum, qui assumptus est per gratiam prædestinantem: & applicatus est per charitatem diligentem. De his Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni:* sicut enim ex terminando desiforea eicitur iurgium de medio populorum, sic per aduersitates exterminantur corruptæ affectiones & mores & gestus inordinati, & ineptæ lætitiæ de medio animarum acidiosarum.

Tribulatio maxime vtilis. *Psal. 6.* *Malach. 3.* *Apoc. 7.*

Secunda medicina est præseruatiua. Præseruant enim iustorum mentes non solum à peccatis & malis, sed etiam à periculis & occasionibus peccatorum. Est enim tribulatio sicut fossatum vel murus, castrum mentis muniens. Exod. 14. *Aquæ erant filiis Israël pro muro à dextris*, &c. Est sicut sepis nutriens hortum animæ ab auaritiæ. Oseæ 2. *Ecce ego sepiam vias tuas spinis*, idest tribulationibus. Est sicut abstinentia perseuerans ab indigestionibus, & persequens luxuriam. Est etiam locus aridus, quem diabolus abhorret: *cum immundus spiritus*, & Luc. 11. Loca arida sunt animæ temperatæ contra gulam, & per consequens contra luxuriam. Vnde Hieron. ad Rusticum dicit, quod in quodam cœnobio quidam adolescens nulla operis magnitudine tentationem carnis poterat extinguere; vnde ipse periclitabatur: pater monasterij hac arte saluauit. Imperauit enim cuidam, vt iurgiis atque conuiciis eum infestaret, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querelas: vocati testes loquebantur pro eo, qui iniuriam irrogauerat, solus pater monasterij defensionem suam opponebat, ne abundante tristitia super eum absorberetur: vnde annus ita decursus est: quo expleto interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis respondit: viuere non licet, & fornicari libet?

Tribulatio seruat iustos à periculis peccatorum. *Exod. 14.*

Tertia medicina est consolidatiua. Sicut enim ignis consolidat lateres, quos decoquit, ita ignis tribulationis consolidat & cor mentes quas exurit, quod patet in Apostolis, cum enim molles essent, & non valerent tribulationes ferre ante Spiritus sancti aduentum, statim eo recepto tanto robore consolidati sunt, quod quanto maioribus tribulationibus obuoluebantur, tanto robustiores resurgebant. Ratio est, quia veritas interior mentis, dum à suo contrario exterius prouocari se sentit, mox etiam sopita consurgit, &

Tribulatio mentem consolidat.

contra

contra pulsans vitium inualescit. Nam certissimo experimento videmus, quod ignis non tactus, nec vllo vento pulsatus, citò extinguitur per seipsum: & econtra competenti vento pulsatus in maiorem flammam exurgit, & fortius consolidatur & vigoratur.

Tribulatio à casibus & peccatis seruat. Quarta medicina dicitur conseruatiua: tribulatio enim conseruat & præseruat, a multis casibus & peccatis, & hominem volentem saluari quasi cogit, vt pugnet per veritatem, contra quam tentatus est, & vt fortius effugiat occasiones eorum, & vt fortius requirat auxilium gratiæ Dei, interim misericors Deus tribulatis in auxilium prope est. Vnde *Psal. 33.* Psal. 33. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.* Item Bern. Nisi Psalmista per tribulationem melius se seruari nosceret, non *Psal. 25.* diceret, *proba me Domine, & tenta me*, &c. Psalm. 25. Sic Deus permittit insurgere tentationes validas contra oculus interius nostræ, ne bona quæ operamur videamus, & per superbiam perdamus. Hinc *Vana gloria adimitur per tribulationem.* etenim est, vt occulto iudicio misericors Deus quandoque contra iustos infamias per malos suscitari permittat, vt infamiæ aqua, vitium nimis gloriosi nominis temperet. Vnde Bern. & habetur 8. q. 1. cur sunt plurimi, qui vitam beatorum fortasse amplius, quam deberent laudant, elatio de laude surripiat, permittit Deus malos in detractionem, & obiurgationem prorumpere: vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Neque altiora dona consequi solent adepta: nisi labore & ærumna fuerint acquisita, vt exemplis sacræ scripturæ aperte manifestatur in Lucifero, Adam & Eua, Salomone, Petro, & pluribus aliis, quorum casuum auribus eorum, qui altiora dona absque multo labore adepti sunt contumeliæ clamant pro Dei acceptis gratis: caueant in Domino cum tremore.

Tribulatio mentem illuminat. Quinta medicina est illuminatiua. Est enim que tribulatio collirium, de quo dicitur suasiuè tribulatio mentis, Apoc. 3. *Collirio vnge oculos tuos, vt videas* Collirium est vnctio medicinalis composita ad testificandum oculorum albuginem per acrimoniam suam. Quid per collirium, nisi tribulatio pertungens, quia per patientiam vncti sunt oculi mentis, vt videant? quia vt Greg. loquit. Oculos quos culpa claudit, tribulatio aperit, O quam bonum col-*Isa. 38.* lirium est istud Isa. 38. *Sola vexatio dabit auditui intellectum.* Ob hanc igitur causam homines qui mente alienantur, consueuerunt ligari, & in plantis pedum flagellari: vt per dolorem corporis sensus redeat mentis. Vnde Prou. *Stultitia colligata est in corde* *Prou. 22. Tribulatione virtus.* *pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Tribulatio est fel amarum, quo illuminati sunt oculi Tobiæ. Per tribulationes enim homo cognoscit Deum, seipsum, peccatum, mundum, & diabolum, recognoscit gratias, virtutes, paradisum insuper & infernum, & vt dicitur, Ioan. 9. tales in cæco nato miraculosè illuminato mystice designantur.

Tribulatio optimum condimentum. Sexta medicina dicitur soporatiua. Facit nanque gustui venire appetitum bonum. Tribulatio est condimentum sancti Bern. imo verius condimenta Dei, petite cui non sapiunt bona cibaria cum modico, vel aceto, aut sinapi. Deus ergo, vt pia mater dat suis filiis sapores tribulationum, quos cum Psalmista gu-*Psal. 22.* stasset dixit, *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata* *1. Cor. 1. Luc. 22.* *sunt.* Psal. 22. & Pau. 1. Cor. 1. *Sicut abundant pa. Christi in nobis: ita, & per Christum a. con. no.* Vnde Luc. 22. promisit dicens, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Quod quidem non fit per consolationem in terram sed per futuram in vita æterna ea mali gustu fit dulcius omne bonum. Nonne sæpe post febres acutissimas grauesque dolores sanitas secunda succedit? quæ tanto amplius cordi fit gratior quanto præcessit voluntas grauior, quoniam nescit quantum sit bonum sanitatis, qui non est expertus infirmitatem: nam mel dulcius sapit, si prius aliquid gustatum amarum.

Tribulatio lætificat. Septima medicina est lætificatiua. Habet enim tribulatio cor, sicut quædam cordialia exhilarare. Vnde Psal. in persona hoc cognoscentium dicit. *Psalm. 22. Iacob. 1.* *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti*: ad hanc medicinam dulcius accipiendam hortatur Ia. 1 dicens, *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia opus perfectum habeat*, & Psalm. *secundum multitudinem dolorum meo-* *Psal. 93.* *rum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Et Apo. Col. 1. *Gaudeo in passionibus meis*, *Colos. 1. 2. Cor. 1.* & 2 Cor. 1. *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Et Act. 5. *ibant Apostoli gaudentes*, &c. Hinc promisit Deus *Act. 1.* electis suis dicens, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*, Io. Psal. 6. *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*, &c.

Articulus Secundus.

Dantur iustis aduersa pro exercitio virtuali.

SEcundo principaliter iustis dantur aduersa pro exercitio virtuali. Septem namque virtutes per ipsam exercentur, quarum prima est prudentia, 2. est patientia, 3. est spes firma, 4. innocentia, 5. humilitas, 6. charitas, 7. experientia.

Virtutes per tribulationem exercentur. Prima est prudentia, siue sapientia. Vnde Pro. 29. *Virga atque correctio tribuit sapientiam.* Hier. 31. *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* August. de ciui. Dei. Patientia Dei sicut ad pœnitentiam inuitat malos, sic flagellum eius erudit bonos. Ratio prædictorum est, experientia multiplicium tentationum redditur homo discretior, & cautior, maxime contra malitiam, proditiones blandientis, & proditoris mundi, malitiam dæmonum atque ignorantiam & fragilitatem sui. Vnde Eccl. 34. *qui non est tentatus,* *Eccle. 34. Iudic. 3.* *quales sint tentationes nescit.* Et Iudic. 3. dictum est *Hæ sunt gentes, quas dimisit Dominus, vt erudiret Israelem*: omne per plurimorum exercitia fiunt milites strenui, & discreti: medici quoque propter curam grauissimorum morborum fiunt in medicina periti. Scholastici etiam disputando, & varia sophismata soluendo fiunt acutiores & magis prompti.

Patientia per tribulationem acquiritur. Hebr. 4. Rom. 5. Secunda virtus est patientia, quæ per tribulationes acquiritur. Quis enim patiens esse potest, nisi tribulationibus conquassetur? Sed quia patientia est nobis necessaria, vt inquit Apost. Hebr. 4. Sicut tribulatio nobis necessaria erit, sine qua patientia perspecta esse non potest, teste Apost. Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur.* scilicet in sapiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, sed stultos in tribolationibus nesciens esse patiens, angostias & flagella portat, & nullum lucrum inde scit habere. Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus qui sub pœna 1000. ducat. vel mortis in carcere missi erant, quibus à deuoto viro duæ bursæ cum totidem florenis proiectæ sunt per fenestram, quibus carcerati percussi sunt: quorum vnus ægrè ferens percussionem bursæ, ipsam extra per fenestram reiecit: alter verò suam pro euadenda morte dedit debitoribus suis. Spiritualiter nos omnes sumus debitores non carni, sed diuinæ iustitiæ pro peccatis. Deus autem proiicit nobis bursam patientiæ cum flagello, quam qui eiicit, meritum perdit, & tamen pœnam flagelli non euadit: Immo sibi tanto grauior fuit, quanto minus voluntariè flagella suscepit. Hoc autem est sciendum de diuina misericordia, quod tribulationes

1.Cor.10.

nes vltra vires non permittit: sed vt inquit Apostolus, *fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum*, &c.

Spes firma per tribulationem acquiritur. *Psal. 26.*

Tertia est firma spes ad Deum Vnde ait Psal. 26. *Si exurgat aduersum me prælium*, &c. Vnde Bern. Tanta spes in Deo solidior surgit, quanto quis grauiora pro eo pertulerit, Bern. super illo verbo, *qui seminat in lachrymis*. Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic pia tribulatione seminatur. Quia igitur nec per tribulationem seritur, vt post gaudij fructus metatur, tanto maior fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate afflictio angustat. Aug. In Deo fixæ spei tribulatio causa est. Sap. 3. *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est*. Merito nempe spem de regno cœlorum habet qui monetam tenet qua emi potest, quæ est patientia in tribulationibus. Vnde Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*. Sine hac moneta non potuit Christus ingredi æternum regnũ, vnde *oportuit pati Christum*, Luc. 24. Glossa magistralis super 1. verbo Iaco. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei*, &c. Non indignemini si mali in hoc mundo florent, & vos patimini: quia non est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi: mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mũdo, sed spe illius boni, ad quod tenditur quicquid in via contingat, gaudere debetis. Et Bern. inquit, quanto lignum fortius percutitur, tanto terræ cui inhæret, magis infigitur.

Sap. 3. *Matth. 5.* *Luc 24.* *Iacob 1.*

Innocentia per tribulationes acquiritur.

Quarta virtus est innocentia, quæ per tribulationes acquiritur. Tria siquidem requiruntur ad innocentiam vestrã. Primo abstinentia à malo, & hæc non sufficit, nisi faciat bonum: quia lapides abstinent se à malo, tamen virtute innocentiæ non sunt ornati. Secundo facere quod bonum est, sed nec hoc vero christiano sufficit: nam & oues hãc innocentiam habent quia facit & dicit bonum. Tertio necessariũ est christiano ad innocentiã virtuosam inimicis, & persecutoribus suis habere pacẽ, Psal. 33. *Inquire pacem*, scil. corde, ore, & opere, quantum in te est, *& prosequere eam*, id est perfectè sequere eam totis viribus aduersum te prosequentes te: nam hoc se fecisse, dicit Psal. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*. Vide igitur quàm necesse est habere tribulationes & persecutiones, cũ sine ipsis vera innocentia nequaquam haberi possit. Ad hanc hortabatur Dominus Mat. 6. *Diligite inimicos vestros*. Quinta est humilitas, propterea stimolus carnis Apostolo datus est dicens. *Ne magnitudo*, &c. Vnde Bern. dum vos vitia tentant proficientes, in vobis virtutes humiliant. Et ideo Iebusæum Israel tolerat, vt de se humilia sentiat, dum minima peccata nun superat. Item Bern. Vnde in nobis potest esse superbia, cum velimus nolimus, in terra sit habitatio nostra, vbi concupiscentia sopiri potest, extirpari omnino nullatenus potest. Sexta est charitas feruida: nam crescit ex percossionibus amoris Dei, & proximi scintilla, sicut ex duri percussione corporis generatur ignis. Vnde Psal. 9. *Dum superbit impius*, scil. persequẽdo, *incenditur pauper*, scil ad amorem. Exemplum de primo socio S. Francisci, qui in puncto mortis testificatus est, qui postquam factus est frater, nunquam fuit ab amico persecutus, quin in persecutione creuerit amor: Bern Electorum desideria dũ premuntur aduersitate crescunt: sicut ignis, dum flatu premitur creditur, vt extinguatur: & vnde creditur extingui, roboratur: ita diabolus immittit nobis tribulationem, credẽs charitatem extinguere, & fortius augmentaror. Septima est probatio siue experientia, quam omnes præcedentes virtutes in homines roborant, & hoc septemplici persecutione, seu comprobatione, quarum quatuor pertinent ad humanum corpus, & tres ad humanam mentem, quæ figuratur in quatuor diebus, & tribus noctibus, quibus Iesus parentibus nescientibus remanserat in Hierusalẽ, Luc. 2. Sic in istis tribulationibus, quibus Deus probat electos suos, videtur eos dereliquisse. Prima persecutio corporis in amissione rerum temporalium, secunda est in susceptione variarum infirmitatum corporalium, tertia in afflictione, & amaritudine cogitationum mortalium, in quorũ persona, Psal. 68. *Veni in amaritudinem maris: & tempestas demersit me*: quarta fuit in priuatione delectationum spiritualium. Apost. *Scio abundare, & penuriam pati*. Inter hus quatuor dies afflictionis abiectionis Iesu, tres noctes intermediæ currunt, id est tres persecutiones, quæ tribus potentiis animæ dantur. Prima datur in voluntate, vt videatur quasi obstinata teneri ad duo: primo, vt quasi nõ possit velle virtuosa opera operari, secundo, vt quasi contra summũ velle cogatur velle in horribilibus delectari: secũda persecutio datur intellectui etiam quoad duo. Primum ipsum obfuscando ad intelligentias speciales, secundum ipsum coarctando ad speculandum varius errores horribiles: tertia persecutio datur in memoria, etiam circa duo. Primo eam spoliando summum vestimentum, & habitum spiritualem, secundo inducẽdo circunstantias fœtidorum, & abominaliũ peccatorum. Tanta afflictione in his tribulationibus anima cruciatur, quod capere intellectualiter non valet, qui eas ferre experimento non probat. Sed qui eas experitur dolorosissime cum Psa. 3. clamat, *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis*. Satis tamen dolorosior lamentatio est, quæ ex anima, & corde originem habet, quam ea quæ ortum habet ex incommodo temporali. Hinc enim Isaac ad Iacob, qui interpretatur luctator, dixit, *Accede huc vt tangam te & probem, vtrum tu sis filius meus, an non*. Gen. Et Angelus inquit ad Tob. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tẽtatio probaret te*: si probatus est Iob, vt ait octauo *probabit me quasi aurum, quod per ignem probatur & transit*, Est Sapientiæ tertio. *In igne probatur aurum & argentum*. Sic Laurentius probatus est, qui lætanter inquit, *probasti cor meum, & vi. no.* &c. vbi glossa dicit, Nemo vires suas in pace cognoscit: si bella desunt, virtutum experimenta non proderunt. Item Bernardus. Nemo quidem quantum proficit, nisi inter aduersa cognoscit. Insuper Sap. 3. de Martyribus dictum est, *Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se* Bern. etiam ait: si quis in aduersitate positus Deum veraciter amat, arbor quanto copiosior est in fructibus, tanto amplius verberatur: & quanto altius ascendit, tanto amplius à vento percutitur. Septem igitur aduersitates prædictæ erant septem sagittæ, de quibus Iob. 6. *Verba mea dolore sunt plena, quia sagittæ Domini in me sunt*. Et pius Dominus c. 5. *Spem dedit ei dicens. In sex tribulationibus liberabo te, in septima non tanget te malum* Ad hoc pertinet exemplum, quod ponit Iosephus in 2. li. circa finem, quod cum egrederentur filij Israel ex Ægypto, & tenderent versus quandam ciuitatem, &c.

Psal. 33. *Psal. 119.* *Matth. 6.* *2.Cor. 12.* *Charitas tribulatione acquiritur.* *Psal. 9.* *Probatio seu experientia.* *Tribulantur iusti in septẽ.* *Psal. 68.* *Philip. 4.* *Psalm. 3.* *Gen. 27.* *Tob. 12.* *Iob. 8.* *Sap. 3.* *Iob. 6.* *Iob. 5.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Dantur aduersa iustis pro bono iustitiali.

Iustitia euigilans tribulatione habetur.

TErtiò principaliter dantur aduersa iustis pro bono iustitiali, pro septemplici enim iustitiali aduersitates electis dantur. Prima est iustitia euigilans, secunda compatiens, tertia multiplicans, quarta conformans, quinta triumphans, sexta demonstrans, septima glorificans. Prima iustitia euigilans nominatur sæpe: quia aliquando iustus quædam opera iustitiæ exercendo, & quodammodo sibi ipsi satisfacere credens quodam pigritiæ somnu torpescit, & talentum gratiæ ad lucrum sibi concessum in terra reponit: hunc autem Deus pugno tribulationis excitans per Apostolum ait,

Surge, qui dormis. Et Act. 12. Dum dormiret Petrus, *ecce Angelus Domini astitit: percussoque latere Petri excitauit eum, dicens, Surge velociter*, suasitque Angelus, vt vincula Herodis, & carcerem relinqueret, spiritualiter percutitur iustus, &c. Ex hac autem percussione duo bona sequuntur. Primum est, quod mens flagello percussa euigilans aptior sit ad gratiam acceptandam, quàm dormiens: secundum, quod Deus affectuosius inuocatus, largius virtutes, & dona multiplicat, Vnde Augustinus. Premuntur iusti in Ecclesia, vt oppressi clament, clamantes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Tria nempe faciunt auxilium inuocando clamare, scilicet ignis in domo accensus, aqua in naui subintrans, & tem-
Matth. 8. pestas vehemens in mari. Vnde Matth. Clamabant discipuli, *Domine salua nos, perimus.* Ecce, quod ignis afflictionis, aqua aduersitatum, & tempestas persecutionum excitant torpentes cunctos, & faciunt auxilium inuocare: & tunc Deus, vt ait Psal. *prope est omnibus inuocantibus eum in veritate.* Secunda est iustitia compatiens. Tanta nempe est inexpertientes passionum valetudo, vt bene compati nesciat, qui
Iustitia compatiens tribulatione habetur. experientia non didicit pati. Medicus enim qui infirmitatem non sentit, infirmantibus compati nequaquam nouit. Hinc ait Apostolus Hebr. 5. *Non enim ha-*
Hebr. 5. *bemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*, &c. Et cap. *Cum esset filius Dei didicit, ex iis, quæ passus est*: nec enim ad culmen quintæ beatitudinis potest Deus conscendere nisi aduersa experiendo
Matth. 5. habeat. Vnde Matth. 5. *Beati misericordes.* Et vere namque misericordes sunt, qui in omnibus proximorum miseriis transformati per amorem, ita compatiuntur eis, vt magis desiderent ea pati, quam compati, omnia eorum mala, sua reputando. Ad hoc nemo peruenit, nisi aduersa tolerauerit. Hinc etenim beatus Benedictus in regula sua constituit, quod illi maximè infirmantibus deseruiant, qui fuerunt infirmitatibus vexati.

Tertia est iustitia multiplicans. Augetur enim per
Iustitia multiplicans tribulatione acquiritur. aduersa spiritualiter lucrum in iustis. Magna enim ars est lucrosa facere, quæ perdita sunt, Vita autem ista, & tota prosperitas eius iam omni hora perdita est: quia, vt ita dicam, omnes mortui nascimur, & filij iræ, & ita certum est nos omnia amissos, quæ pro amissis reputari debent. Si igitur hæc quæ nos tolerare oportet in lucrum faciemus, faciendo de necessitate virtutem, sagaces erimus mercatores, quod à
Matth. 5. Domino promissum est, Matth. 5. *Beati eritis, cum male, &c. vsque est in cœlis.*

Quarta dicitur iustitia conformans: membra enim
Iustitia conformans tribulatione habetur. suo capiti conformari debent. Caput nostrum Christus est nosque membra eius. Augustinus in Homilia ipse autem pro nobis multa est passus: ergo conueniens est, quod eius membra sibi conformantur: quia, vt ait ipse, *non est discipulus super magistrum*: vsque perse. e. o. si sit *sicut magister eius*: nonne hoc est animæ nostræ magnum pretium fieri Christo consocia passionum? Si enim inquit Apost. *erimus so. pas. er. & consola.*

Quinta iustitia est triumphans, siue coronans. Sic
Iustitia triumphans tribulatione acquiritur. enim scriptum est. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Insuper legitimè nullus certat, nisi qui vincit: amplius non potest vincere, nisi certet. Item certare nemo potest, nisi qui inimicos, & aduersa habet: ergo necessarium est triumphatori, & coronando aduersitates hilariter vincendo triumphare. Victoribus autem corona debetur: & certè ipsa victoria est magna corona. Nunquid enim martyres fortiter certando, & viriliter de seipsis triumphando, & passiones carnis strenuè deuincendo coram Deo & hominibus facti sunt gloriosi? Ergo viris strenuis & optantibus triumphare præoptanda sunt bella, vt virtus, quæ vilescit exerceatur in bello, & per hoc plures sancti Patres non solum hostiles diaboli insidias sustinebant, sed eos ad prælia prouocabant, & tentari petebant Nouerunt nempe ipsi, quia aqua maris, quæ amara est, sapidiores & grandiores pisces, sicut cete grandia facit, quam faciat aqua dulcis, quia hominibus magnæ virtutis & animi, qui constantes sunt plus in aduersitatibus, quam in prosperitatibus, ampliora merita cumulantur.

Sexta est iustitia demonstrans. In aduersis autem *6. Iustitia demonstrans.*
patet, quis amat eum gratuito etiam vsque ad mor- *Ioan. 5.*
tem. Vnde Ioann. 15, *Maiorem hac dilectionem nemo habet*: &c. per tribulationes ad Dei gloriam proximis monstratur, virtus quæ intus latebat in iustorum corde, sicut stellarum decus in obscura nocte. Christi autem præceptum est, *Sic luceat lux vestra*, Mar- *Matth. 15.*
thæi quinto: sic enim iustus vas solidum ornatum omni lapide pretioso est. Monstratur per aduersa, non solum quod iustus diligat Deum, sed etiam quod ipse diligitur à Deo. Vnde ait Deus Apo- *Apoc. 3.*
cal. 3. *Ego quos amo, corrigo & castigo.* Et Prouerb. *Prou. 3.*
3. *Omne quod diligit Deus corrigit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et Ecclesiast. 30. *Qui diligit* *Eccl. 30.*
filium, assiduat illi flagella, vt laetetur in nouissimo. Su- *Heb. 12.*
per Paul. Hebr. 12. *Quis enim filius, quem non corripit pater.*

Septima iustitia est glorificans. Dantur autem ad- *Septima iustitia glorificans.*
uersa iustis pro maioris gloriæ triumpho. Vnde Iacob. *Beatus vir qui suffert tentationem.* Psalm. *Cum* *Iac. 1.*
ipso sum in tribulatione. Vnde Bernardus super Psal. Qui habitat, vtilis est tribulatio, quæ probationem operatur, & ducit ad gloriam: vere tribulatio est necessaria, quæ in gloriam vertitur, tristitiáque in gaudium mutatur. Sanè verum & summum, quod cum semel acceperimus, nemo tollet à nobis. Gloriemur igitur in tribulatione, in qua spes gloriæ. Im- *Tribulatio porta cœli.*
mo ipsa est gloria, sicut spes fructus in semine. Vn-
de tribulatio est. Vnde porta cœli. Vnde ipse Chri- *Luc. 24.*
stus, Luc. 24. *Oportuit pati Christum.* Psalm. 117. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*, & quidem angusta, ad quam hortatur Dominus intrare per angustam portam, & arcta via est, & verè arcta, quoniam in ea Paulus dimisit caputium, Bartholomeus mantellum, beata Agatha mammillas, Act. *Per multas tribulationes oportet.* Vnde & Gregorius. Nisi enim eis, quos corrigit Dominus, hereditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret, & addit, Dominus hic quibusdam parcit: vt eos in perpetuum feriat, & quosdam alios hic ferit, vt eis in æternum parcat. Eligunt ergo pagani consolari, Iudæi, hæretici, auari, superbi, luxuriosi, omnes filij diaboli, qui æterno sunt iudicio condemnari, Tu autem dilecte fili, qui cupis vitam æternam possidere, audi Augustinum. Noli iniquo attrahi spiritu, sensu, & puerili agitari insania: vt apud te dicas, plus pater meus diligit fratrem meum, cum ei omne, quod vult facere, permittit, quam me, quem acriter verberat, sed potius sub flagello gaudeas: quia tibi seruatur hereditas: sed illis nunc ad modicum hic relinquit, quos in æternum damnabit: ergo perseueranter in tribulationibus. Vnde Apostolus vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.

DOMINICA

DOMINICA VIII. Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de aduersitate malis concessa, tres habet articulos, & singuli eorum seorsim tractantur.

Articulus primus,
Quod pro misericordia dantur malis aduersa.

Articulus secundos,
Quod pro veritate dantur malis aduersa.

Articulus tertius,
Quod pro veritate dantur mali aduersa.

DE ADVERSITATE MALIS *concessa.*

Sermo X.

Psal. 31. Dantur malis aduersa propter tria. Psalm. 84.

MVlta flagella peccatoris. Psalm. 31. Incipit enim. *Beati quorum*, &c. Dantur enim malis aduersa propter tria. Primo pro misericordia, secundo pro veritate, tertio pro iustitia. De his tribus dicitur Psalm. 84. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt.* Prima igitur vocatur misericordia. Septem nempe misericordias facit Deus sceleratis peccatoribus, dum eos flagellat, quarum prima dicitur viuificans, secunda sanctificans, tertia alleuians, quarta desiccans, quinta soluens, sexta inflammans, septima consolans.

ARTICVLVS PRIMVS,

Quod pro misericordia dantur malis aduersa.

misericordia viuificans. Psal. 22.

PRima est misericordia viuificans. Per tribulationes enim anima in peccatis mortua, sola sua misericordia viuificatur. Vnde Psalm, *Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me.* Et Greg. Mens viuificatur interius ex vulnere, quæ mortua iacebat ex
4. crimine. Et ad idem Iob 4. *Tentatio est vita hominis super terram.* Multi namque viuificantur ex aduersi-
90. tate, qui damnarentur ex prosperitate iuxta Psalm. sententiam. *Cadent a latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Vnde Au. Hic quidem mundus periculosior est blanditiis, quam molestiis. Nonne primus pater noster Adam in paradiso deliciarum peccauit, qui extra in lacrymarum valle putredine resurrexit? Nonne regem Dauid virum tam eximiæ bonitatis tribulatio in omni bono mutauit, quem sic regem deiecit? Nonne Paulus Apostolus, qui stans Christum persequebatur in suis deiectis in terram, & lumine corporali priuatus fuit, lumine viuificante illustratus?

misericordia est sanctificans. Iob.

Secunda misericordia est sanctificans. Vnde Iob. 5. *Percutit & manus eius sanat.* O ipse habet bonam misericordiam ad rectificandum distorta, & curabit nos. Et Psal. *Qui sanat contritos corde, & alligat eum eo.* scil. quando peccatores crura, vel brachia fracta, vel febres, & alias infirmitates & pestilentias patiuntur. Nam luxuriam sanat fames, auaritiam bellum, superbiam mortalitates, vanam gloriam febres. Ergo peccator, accipe calicem tribulationis, & manu dextra claude oculos, obtura aures & nares, & aperto ore deglutias calicem misericordiæ Domini, dicito cum Psal *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, & dicat Iesu, id est Saluatori, Salua me, & humili corde adde, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, vsque ad animam meam*, Psal. 68. Psalm. 115. Psal. 68

Tertia est alleuians. Plerumque enim ita onerati sunt deliciis, honoribus, gradibus, possessionibus, domibus, filiis, aliisque temporalibus bonis: quod nec currere, nec itinerare quouis modo possunt. Hinc est quod pius Dominus prædicta grauamina misericorditer leuat, ne eis grauati deficiant in via, & vitam æternam perdant. Vnde Gregor. Qui mihi onus abstulit, me ad currendum velocius expediuit. Et Apost, Hebr. 12. inquit, *Deponentes, omne pondus*, &c. *vsque Deus sedet.* 3. misericordia est alleuians. Hebr. 12.

Quarta est misericordia desiccans: hæc est illa diuina pietas, quæ per tribulationes à noxiis cor hominis delectationibus voluptatum desiccat. Vnde Gregor. in Pastorali cor Salomonis idcirco funditus sapientia deseruit: quia ipsam exterius nulla disciplina exercuit tribulationis. Habet enim tribulatio naturam ignis, cuius est ligna viridia desiccare, & postea accendere, seu incendere,: nam dum vnum agens contrarium agit in alterum, primo ab eo tollit, quod sibi contrarium existit. Sic Deus de peccatoribus, per tribulationem facit. Primu desiccat in eo culpam, & demum inflammat ad charitatem perfectam. 4. misericordia desiccans.

Quinta est misericordia soluens alligatus est peccator funibus delectationum, qui sunt septem, scil: amor, timor, spes, dolor, gaudium odium, & desiderium. Sed pius Dominus videns hominem tot vinculis alligatum à corruptibilibus bonis adhibet tribulationem. Exemplum in vinculis puerorum, quibus cum ligati essent in igne Babylonicæ fornacis combusta sunt. Quid Babylon, nisi confusio interpretatur? ideo mundum signat confusione plenum. Fornax autem ignis, quid quam tribulationes, & amaritudines exprimere potest. Vnde Gregor. Cum mundus nos tot tribulationibus premat, tot calamitatibus inuoluat, quid aliud quam vt nunc ametur, clamat? Accidit in quadam obsessione cuiusdam castri Saracenorum, quod cum illud Christiani obsiderent: quendam nobilem, quem Saraceni ceperant per funes pendentem ex illa parte, qua machina percutiebant, opposuerunt, qui Christianis magna voce clamauit, quod propter eum machinas iactare, & castrum expugnare non desisterent: accidit, quod primus ictus machinæ funem rupit, & ille cadens in fossatum à Christianis liberatus est. Vnde potuit dicere cum Psal. *Dirupisti Domine vincula mea.* Sic accidit de hominibus existentibus in manibus Saracenorum, id est dæmonum, qui per tribulationem liberantur. 5. est misericordia soluens.

Sexta est misericordia inflammans. Sæpe enim corda dura & frigida, atque lapidea, & omnino obstinata tribulationibus inflammantur, Quid enim ferro durius, quo vniuersa domantur? quid etiam auro solidius? & tamen non solum ad fortem ignem fiunt tenera, & mollescunt: sed, quod maius est, liquefiunt & currunt. Sic & fortis tentatio corda durissima mollificat, & ad currendum post Dominum disponit. Exemplum de hoc in lib. Iudic de filiis Israel, qui ad mala indurati, postquam grauiter se videbant afflictos, & ab inimicis oppressi in lacrymas resoluti petebant Deum sibi fieri propitium. 6. est misericordia inflammans.

Septima est misericordia consolans. Multum Deus afflictionibus conquassat malos pro consolatione, fide & spe electorum, & pro subleuanda tribulatione ad tempus. Expedit enim eis aliquando fides, & in extremo impiorum spes eorum non modice roboratur. Vnde Machab. 5. *Mathathias monens filios suos*, inquit, *post multas tribulationes Daniel in sua simpli-* 7. est misericordia consolans.

citate liberatus est de ore leonis. Et sequitur: *quia omnes, qui sperant in eo, non confundentur, & a verbis viri peccatoris ne timueritis*, &c. Et Iob. 20. *Si ascenderit in cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Et in Psalm. *Vidi impium*, &c. Baruc. 3. *Persecutus est te inimicus tuus, sed cito videbis perditionem eius.*

Articvlvs Secvndvs.

Dantur aduersa malis pro veritate.

SEcundo principaliter dantur aduersa pro veritate, quæ septuplex est. Prima dicitur illuminatiua, secunda dicitur excitatiua, tertia inuocatiua, quarta reuocatiua, quinta compassiua, sexta expulsiua, septima impeditiua.

1. veritas est illuminatiua. Ierem. 3.

Prima veritas, pro qua dantur aduersa malis, est illuminatiua. Vnde Ier. 3. dicit in persona percussi peccatoris, *Ego vir videns paupertatem in virga indignationis.* Et Gregor. Oculos, quos prosperitas claudit, aduersitas aperit. Et Apostolus. Quicquid agitur, à lumine manifestatur. Tobias quoque, qui stercoribus hirundinum excæcatus est, amaro felle linitus, est illuminatus. Hirundinum nempe stercora, temporalis est affluentia, quam Sancti vti stercorare putauerunt, Fig. 3. Reg. 21. *Cum audisset Acab verba Eliæ prædicentis mala, quæ ventura erant super eum, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite: & factus est sermo Domini ad Eliam dicens. Nonne vidisti Acab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inducam malum in domum suam.* Nabuc. in prosperitate, superbia sensum amisit, quem post septem annos tribulationis ad cœlum oculos recuperauit. Dan. 4.

Quos prosperitas claudit aduersitas aperit.

3. Reg. 21.

Secunda veritas est excitatiua veniens ex tribulatione. Vnde ad peccatorem continentem in peiora mentem per aduersitatem, inquit Dominus Ap. 3. *Esto vigilans & confirmare*, &c. peccator euigilat, cum per mentis attentionem, & boni operis executionem in diuinis præceptis obseruandis instat tribulationibus instructus, & addit; & confirma cætera, quæ moritura sunt.

Apoc. 3.

3. veritas est inuocatiua. Ierem. 2. Psal. 114.

Tertia veritas est inuocatiua, Ierem. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem*, sed in die tribulationis dicent, surge libera nos: & Psal. *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocabo.* Item Psal. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.*

4. veritas est reuocatiua. Psal. 117.

Quarta veritas est reuocatiua. Psal. 117. *Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.* Exemplum de filio prodigo, qui postquam cœpit egere, reuersus est ad patrem.

5. veritas est compassiua.

Quinta veritas est compassiua. Sunt nanque quidam ita crudeles in omnes, quod in conuitiis & aliis iniuriis nullis sciunt compati: propterea Dominus eis aduersitates infundit: vt gustent salsam, quam aliis propinant. Vnde Iaco. *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam.*

Iacob. 2.

6. inimicorum expulsiua.

Sexta est inimicorum expulsiua. Dicit enim Iob. de diabolo *sub vmbra illius dormit in secreto calami in locis humentibus*, per tribulationem ille diabolus expellitur.

7. impeditiua.

Septima est veritas impeditiua. Nam Deus per tribulationem, quoad impios multa impedit, per quæ sibi, & aliis possent nocere. Psal. *viri sanguinum.*

Articvlvs Tertivs,

Dantur aduersa malis pro iustitia.

TErtio principaliter aduersa dantur pro iustitia. Septem enim sunt iustitiæ, quæ exercentur à Domino per flagella, prima correctionis, quarta conuersionis, quinta placationis, sexta terroris, septima liberationis.

Prima iustitia correctionis.

Prima namque iustitia est correctionis, nam quotidie flagellat malos, vt corrigat; dat bella, & pestilentias, dissensiones, terrarum vastationes, &c. Vnde Deus per Prophetam: *Mittet super te Deus famem, & esuriem, & increpans ait, duces vxorem, & alius dormiet cum ea.* Vnde vulgare est in Apulia, quando rustici vadunt post asinum cum baculo: Qui egressus est de itinere per deuia pergens lacerat saccum, & spargit frumentum, tunc ipsum remittendo, & verberando dicunt. Vscisti della semita, intrasti la cena, aiacestiti alla sepe, lacerasti lo sacco, spargisti lo tritico, è alleuato lo baculo, & percutiendo dicit, ergo recipe.

2. iustitia dicitur compulsionis.

Fœlix necessitas quæ ad meliora compellit.

Secunda iustitia dicitur compulsionis. Compellunt enim tribulationes malos ad bene agendum, sicut stimulus & calcaria iumentum lentum. Psal. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt.* Et Gregorius. Fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit. Idem, mala quæ nos hic premunt, ad Dominum nos citius ire compellunt. Tribulationes nempe calcaria sunt, quibus pungitur equus, & ad viam reducitur, & ambulare fortius cogitur. Disce Ergo anima ab animalibus brutis, cum angustias sentis, ad vitam redire. Augustinus Cum tentationes, & molestiæ huius vitæ fragilis crescunt, æterna bona nos amplecti compellunt, & se considerare faciunt.

3. iustitia humiliationis.

Tertia iustitia est humiliationis. A iusto enim iudice ab initio lex constituta est, qua scribitur: *Qui se humiliat exaltabitur.* & è contra; & Psal. *propter iniustitias enim suas humiliati.*

4. est conuersionis. Psalm. 17. Ionæ 2.

Quarta est conuersionis. Vnde Psalm. *Cum occideret eos, quærebant eum*, &c. & Ionæ 2. *Cum angustiaretur anima mea Domini recordatus sum.* Exemplum de filiis Israel, qui non sunt egressi de Ægypto, id est, de mundo obscuro: nec venerunt in desertum pœnitentiæ, nisi vrgentibus Ægyptiis, quasi compellentibus, vt exirent.

5. est iustitia placationis. Psalm. 2.

Quinta est iustitia placationis. Placatur enim Deus in peccatorum flagellis. Vnde Psal. 2. *Apprehendite*, scil. per pœnitentiam, *disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

6. est iustitia terroris.

Sexta est iustitia terroris. Flagellat enim Dominus Deus malos incutiendo timorem, ne peccata similia perpetrentur.

7. est iustitia liberationis. Matth. 5.

Septima est iustitia liberationis. Sicut enim iusti propter iustitiam tribulati iam participant in conscientia gloriam beatorum, secundum illud Matth. 5. *Beati qui persecutionem*: sic & impij per tribulationes iam incipiunt fieri participes Sanctorum Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua.* *Psal. 118.*

DOMINICA X.

Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone.

Qui est contra contra confidentiam sui ipsius, & de humiliatione superborum, & exaltatione humilium in Euangelio Pharisæi, & Publicani, qui quæ continet tres articulos, quorum primus, secundus, & tertius duo seorsim habent capita.

Arti

CONTRA CONFIDENTIAM SVIIPSIVS, & de humiliatione superborum, & exaltatione humilium in Euangelio Pharisæi & Publicani.

Sermo XI.

Luc. 18. OMNIS, *qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 18. & in E-
Iob 28. uangelio hodierno, secundum Beatum Greg. Moral 18. & c. 20. super illud Iob 28. *Omne pretiosum vidit oculus eius*, sciendum magnopere est, quod tantum vnaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quantum pro amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos, hinc 1. Reg. 15. ad Saul dicitur: *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* Ac si aperte diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: sed nunc quia magnus tibi es factus, es despectus mihi. Vnde per Prophetam Isa. in c. 5. dicitur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quanto propter eum fit vilior, scil. quia humilia respicit & alta à longe cognoscit. Proinde 11. q. 3. c. iniustum, scriptum est: Melior est in malis factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. Hanc sententiam verissimam esse ostendit Dominus, cum in verbo proposito ait, *Omnis qui se exaltat*, &c. Quod verbum quædam regula diuina dici potest, quæ initio creationis rationali naturæ, id est Angelis & hominibus, tradita est à Deo, vt iuxta eam quælibet creatura saluanda, seu damnanda esset. Vnde de angelica natura, Luc. 1. c. gloriosa Virgo hoc manifestauit, dicens: *Fecit potentiam in brachio suo*, id est in filio suo Christo, *dispersit superbos mente cordis sui.* Nomine quippe mentis, ostendit superbiam Angelorum reproborum præsumptuosissimam extitisse, qui filio Dei Christo se subdere contempserunt. Ostendit quoque illam fuisse affectuosissimam, ac per hoc malitiosissimam, quia ex præcordiali affectu propriæ dignitatis contra Dei voluntatem se extulerunt: propterea inquit, *cordis sui.* In corde quippe sedes sanguinis est, & affectualis amoris. Ac per hoc manifestè ostendit, quod fuerunt propriæ excellentiæ maximi amatores, vnde merito subdit, *Deposuit potentes de sede*, &c. Hanc quoque regulam à Deo esse seruandam in hominibus ostendit Dominus in Euangelio hodierno, in quo parabolam ponit de Pharisæo & Publicano, de quibus triplicem differentiam in triplici mysterio ordinatè describit. Nam fuit inter eos primo differens status, secundo differens actus, tertio differens fructus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De differentia status Pharisæi & Publicani.

PRimum mysterium continet Pharisæi & Publicani differentiam status: In quo mysterio duo insinuantur. Primo quorundam confidentia, secundo contra eos parabola. *Primum mysterium in quo duo insinuat.*

De quorundam confidentia arroganti, & vitiosa.

CAP. I.

PRimo insinuatur quorundam confidentia. Vnde Luc. ait, *dixit Iesus ad quosdam, qui in se*, id est in suis mentis *confidebant tanquam iusti*, id est non vere iusti, cum non haberent humilitatem, quæ est fundamentum omnis ædificij virtuosi. Proinde Gregor. ait, Eam quippe quam non inuenit humilem veritas, fugit mentem. Talis quippe præsumptio de seipso semper proximi contemptum parit. Vnde Gregorius ait, Vera iustitia compassionem habet, falsa vero indignationem, hinc contra tales ad Rom. 14. c Apost. ait: *Qui non manducat manducantem non iudicet*, huiusmodi erant, de quibus Dominus subdit, & *aspernabantur cæteros*, parabolam istam, scilicet in detestationem superbiæ & commendationem humilitatis. *Humilitas fundamentum ædificij.* *Rom. 14.*

De differenti statu Pharisæi, & Publicani.

CAP. II.

SEcundo insinuatur contra eos parabola, cum Dominus subdit. *Duo homines*, scilicet vterque fidelis, vnus verbis, alius factis, *ascenderunt in templum*, quod scilicet erat in monte vt orarent. Laudatur quippe ascensus: *sed beatus, qui ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum*, laudatur ascensus si non fiat fumo superbiæ, si fiat ab imis ad superna, si à carne in spiritum, si à spiritu in Deum, si de mundana conuersatione in orationis & contemplationis locum. Ac de dispari statu illorum meritò subinfertur. Vnus Pharisæus, scilicet apparentia iustus, sed sibimetipsi placens. Alter Publicanus, scilicet apparentia malus, sed sibi displicens. Ascensio quippe communis fuit, sed oratio differens, vt patebit. *Psal. 83.* *Oratio iustorum & superborum licet eadem videatur diuersa est.*

ARTICVLVS SECVNDVS

De differenti actu Pharisæi, & Publicani.

SEcundum mysterium continet Pharisæi & Publicani differentiam actus. Primo ponit Dominus actum Pharisæi arrogantis, secundum actum Publicani se humiliantis.

De duplici parte iustitiæ, quam sibi arrogabat Pharisæus.

CAP. I.

PRimo inquam ponit Dominus actum Pharisæi arrogantis, Arrogat enim sibi Pharisæus duplicem iustitiæ partem. Primo declinare malum, secundo facere bonum. Primo quippe arrogat sibi declinare malum, cum tamen triplex interius perpetret malum. *Mira Pharisæi arrogantia.*

malum. Primum contra Deum, secundum contra seipsum, tertium contra proximum. Primo quidem ostendit Deum, & hoc cum toto suo esse, videlicet, irreuerentia corporis, arrogantia mentis, & iactantia oris. Primo quippe irreuerentia corporis. Vnde de modo suæ orationis Dominus subdit, *Pharisæus stans*, scilicet ante Deum irreuerenter, cum oraret, cum in oratione corporalis reuerentia maximè necessaria sit, vt à Deo gratia impetretur, sicut Eccles. 32. scriptum est, *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia*. In hoc quippe quod dicit, *stans*, manifestè ostenditur, quod sibi ipsi placendo orabat. Proinde oratio eius Deo grata non erat. Nam teste Gregor. Oratio hominis placentis sibi non ascendit ad Deum. Secundo quidem offendit Deum arrogantia mentis, Vnde subditur, *Hæc apud se orabat*, scilicet non apud Deum, quia arrogantia & complacentia sui, obliuio Dei sunt. Vnde de talibus Oseæ 13. c. ait, *Eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei*. Tertio offendit Deum iactantia oris. Et de hoc subdit, *Deus gratias ago tibi*. Non enim reprehensibilis erat hic Pharisæus, quia gratias Deo agebat, sed quia illud superbo modo agebat. Incepit quippe à magnificatione bonorum, quæ acceperat, cum à sui cognitione & accusatione incipere debuisset, vt ab infimis perueniret ad summa. Teste enim Hier. humilitas est prima virtus Christianorum. Proinde ipsa prætermissa laboratur in vanum. Secundo vero offendit seipsum, & maximè in tribus, scilicet in inculpabilitate, in singularitate, in impietate. Primo inculpabilitatem habere se dicit, cum ait, *quia non sum sicut cæteri*, quasi dicat, quia innocens ego sum, nesciens quod 1. ioann. 1. cap. scriptum est: *Si dixerimus, quoniam quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Proinde non rectè agit, dum seipsum commendat. Nam bona, quæ agimus, commendatione non indigent: nec quoque expedit ad memoriam reducere eius, qui antequam fiant, omnia nouit. Nec tamen commemoratio suorum bonorum fuisset ad culpam sibi, si ex humilitate fecisset. Nam hoc quidem fecit Zachæus, Luc. 19. & Paulus 1. Cor. 11. Ille, vt aduersus Christum murmurantes reprimeret: Paulus verò, inaniter gloriantes humiliaret. Secundo singularitatem quoque ostendit, cum addit, *hominum qui*, scilicet sunt peccatores, ego vero tantummodo iustus, profectò periculosa res est etiam in anima virtutibus plena ipse singularitatis affectuosus sensus, cum in mente omnes depascat virtutes, quemadmodum Propheta testatur, dicens: *Singularis ferus depastus est eam*. Tertio etiam impietatem se habere monstrauit, cum etiam addit, *raptores, iniusti, adulteri*: quia in his tribus omnes radicatas iniquitates in omnibus aliis hominibus esse insinuauit, iuxta quod 1. ioann. 2. scriptum est: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Concupiscentiam oculorum expressit, cum ait, *raptores*: superbiam notauit, cum subdit, *iniusti*: concupiscentiam carnis subiunxit, cum inquit, *adulteri*. Ecce quam impiè aggrauat cæterorum culpas, quod quidem est signum temerariæ crudelitatis. Tertio quoque offendit proximum. Nam ne videretur loqui, quasi victus in exemplum posuit Publicanum, dicens velut etiam Publicanus iste, vel hic Publicanus, quod non dixit compatiendo, sed despiciendo contra illud Eccles. 7. *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ suæ*. Non est ergo ista oratio, sed iudicium temeritatis, non supplicatio, sed superlatio temeritatis: non gratiarum actio, sed præsumptio fatuitatis. Nam teste Gregorio, incendium elationis est consideratio deterioris, sicut cautela humilitatis est consideratio melioris. Vide insuper miram fatuitatem huius Pharisæi, quia in oratione sua, ac si nihil indigeat, nihil petit. Vnde merito ei Apocal. 3. cap. à veritatis spiritu dictum est: *Et dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & pauper, cæcus & nudus*. Ad intellectum arrogantiæ huius Pharisæi aduertendum est: quia secundum Gregorium quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium se demonstrat, cum bonum à semetipsis habere se existimant: aut si sibi datum desuper credunt, pro suis meritis se hoc accepisse putant: aut certè cum iactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt quod habent. Qua Pharisæus ille iactantiæ peste manifestè deprehenditur laborasse. Secundo Pharisæus iste arrogat sibi secundam iustitiæ partem, quæ est facere bonum, & hoc dupliciter. Primo quantum ad seipsum, secundo quantum ad Deum. Primo quantum ad seipsum, & hoc in corporis afflictione. Vnde ait, *Ieiuno bis in sabbatho*, id est septimana, quam à sabbatho tanquam à die festo, & principali Iudæi denominabant. Secundo quantum ad Deum, & de hoc subdit. *Decimas do omnium quæ possideo*. Nam secundum quosdam Pharisæus ille erat de Pharisæis illis, qui decimas minimorum, vt rutæ, mentæ, & cumini, & similium, ad quas minimè tenebantur dabant, vt apparerent cæteris iustiores. De prædictis quippe duobus Pharisæus iste se iactat, de quibus consueuit superbia nasci, id est de se & de suis. Hoc est de abstinentia & eleemosyna, quæ sine charitate nullius valoris sunt. Proinde 1. Cor. 13. Apostolus ait: *Si tradidero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest*.

Eccl. 32.

Quæ oratio Deo inuisa.

Complacentia sui obliuio Dei.

Gratiæ agi superbe non admittuntur.

1. Ioan. 1.

Qui seipsum commendat vituperatur.

Luc. 19.
1. Cor. 11.

1. Ioan. 2.

Aliorum culpas grauans crudelis est.

Eccles. 7.

Apoc. 3.

Sine charitate aliæ virtutes informes.

1. Cor. 13.

De digna præparatione humilis Publicani ad conuersionis orationem.

CAP. II.

SEcundo ponit Dominus actum Publicani se humiliantis. Vbi considera duplicem actum. Primum præparationis, secundum orationis. Primo itaque considera actum præparationis. Cum tribus quippe Publicanus se præparauit. Primo cum timore, secundo cum pudore, tertio cum dolore. Primo præparauit se cum timore. Et de hoc Dominus ait. *Et Publicanus à longè stans*. Non appropinquans ad sancta sanctorum, non ad propitiatorium, non ad secreta velamina, longe siquidem stabat, quia à longè se existere cognoscebat, quia ille Deus ipse homo: ille creator, ipse creatura: ille immortalis, ipse mortalis: ille iustus, ipse iniustus & iniquus: ille pius, ipse impius & scelestus. Pro signis equidem sunt ostensiones qualescunque forinsecæ, cuiusmodi existant inuisibiles animæ qualitates. Nam ipse à longè non tantum humili reputatione, & studio mentis, sed etiam corporis exercitio factus. Multo ergo à longè stat, vt iudicet se abiisse in regionem longinquam. Secundo præparauit se cum pudore, & de hoc Dominus subdit. *Nolebat nec oculos ad cælum leuare*, quia cognoscebat se Deum cœli offendisse multum. Proinde cordis clamore dicebat cum filio prodigo. Luc. 15. *Pater peccaui in cælum, & coram te*. Sed dic mihi publicane, nunquid aliquid ibi nosti, quin non audes ad cœlum oculos tuos leuare? Ignoro quid ibi noueris, nisi fortè vt dum erubescis pro vili delectatione te sic offendisse Deum, quod amiseris cœlum, cum Propheta deplorans & dicens: *Quid enim mihi est in cœlo*, scilicet vnde suspiciam cœlum, cum inde exul effectus sim? Tertio præparauit se cum dolore, quia subditur, *sed percutiebat pectus suum*. gloss. premebat conscientiam, sed spes subleuabat eum In pectoris tonsione ostendebat cor introrsum supplicio dignum. In cuius mysterium 2. Reg. vlt. dicit Dauid ad

Secundo ponit Dominus actum Publicani.

Vbi primo considera actum præparationis.

Cum tribus Publicanus se præparauit. 1. cum timore.

2. cum pudore.

Luc. 15.

3. cum dolore.

4. Reg. vlt.

ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: *Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi.* Et sic in pectoris tonsione indicatur culpę reflexio in scipsum, nō in alium. Contra quosdā, qui inculpant diabolum, aut mundum, seu fragilē carnē, siue fatum, vel stellas, aut aliquem proximum suum, aut necessitatem, seu cōsuetudinem, & similia. Et hi omnes non tondunt pectus suum, sed illorum quos falso inculpant. Contra quod Propheta Psal. 140. orabat Dominum, dicens: *Non declines*, id est nō declinare permittas cor meum *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* In pectoris etiam tonsione omnes partes pœnitentiæ denotantur. Nam in pectoris læsione contritio, in sono confessio, in manu virtutis operatio, & satisfactio denotatur. In pectore quoque discretio indicatur, quia pœnitentia in qualibet sui parte debet esse discreta, iuxta illud Apostoli Rom. 12. *Rationabile obsequiū vestrum.* Gens autem Christianorum ad huius Publicani exemplum ad eleuationem Dominici sacramenti, vel alias in pœnitentiæ signum tōdere solet pectus, quod si vera pœnitentia fit, meretur cum Publicano omniū peccatorum remissionem: si vero fictè vel ex consuetudine hoc agitur, potius huiusmodi tonsionibus peccata perpetrata firmantur, quā veraciter deleantur. Secūdo consideta actum eius orationis, cum subdit, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Vide diligenter quam breuissimè, quamquam perfectissimè orat. Nam orando seipsum humiliat, Deumque magnificat, sciens quod Ecclesiast. 35. scriptum est, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Magnificat ergo Deum, dum illum nominat Deum. Primo enim Deus nomen est summæ maiestatis, sicut Propheta testatur, dicens: *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Secundo est nomen summæ veritatis. Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur.* Tertio est nomen summæ charitatis. 1. Ioan. 4. *Deus charitas est.* Quarto est insuper nomen summæ pietatis. 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarū, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Eleuato igitur corde & inclinato capite, humili oratione ac supplicatione postulat, dicens: Deus summæ maiestatis, ad tuam manifestandam potestatem, *propitius esto mihi peccatori.* Sap. 11. *Misereris omnium, quoniam omnia potes & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Deus summæ veritatis, ad insinuandam iustitiam tuam, *propitius esto mihi peccatori.* Psal. *In veritate tua exaudi me in tua iustitia.* Deus summæ charitatis, ad declarandam charitatem tuam *propitius esto mihi peccatori.* Sapient. 11. *Parcis autem omnibus, quoniā tua sunt Domine, qui amas animas.* Deus summę pietatis, ad magnificandam tuam misericordiam, & pietatem *propitius esto mihi peccatori:* quasi dicat cum Propheta: *Miserere mei Deus,* &c. Ac si apertius dicat: Te Deum verum, & Dominū meum inuoco, atque oro esse propitium: propono, quod fecisti & quod ego feci. Tu fecisti me nobilem, ego me feci peccatorem. Ergo pro te remitte quod feci propter id, quod creando fecisti, & sic propitius esto mihi peccatori, quasi dicat: Si peccatorem solum aspicis, quem ego feci, pereo. Si vero me, quem tu creando fecisti consideras, propitius eris iniquitatibus meis. Non ergo detoges creaturæ tuæ. Nō enim tātum allego, quod fecisti, quia culpa excusatione caret: nihil enim maculatum facere potuisti. Propitiatione non indiget, quod culpa non habet: nec dontaxat allego quod feci, quia dignum est à propitiatione repelli. Vtrunque connecto petens & postulans. Deus propitius esto mihi peccatori, fidelis sermo & omni acceptione dignus veritatem confiteri existentem, sc. creatum & peccatum. Creatum Dei, & peccatum hominis. Creatum mihi, & peccatum peccatori: vt ex humili confessione gratia exauditionis obueniat. Quid est homo, nisi creatura quædam digna, sancta, sūmè dotata pro eo, quod in sua editione imaginē sui Creatoris accepit, nō in visibili, sed in inuisibili parte, vt esset spiritus inuisibilis, incorruptibilis, immortalis, libera arbitrio, & quædam eluxio diuinæ bonitatis in terris, prout separata substātia erat in cœlis apta volontati diuinæ, quam in fine sæculorum accepit, receptaculum charismatum diuinorum, cui dæmones ad exercitium Angeli ad custodiam deputati sunt: susceptibilis ex demeritis pœnæ pro merito gloriæ: tantumque à Deo diligi potuit, vt pro sua redemptione illum asceperit suæ pœnę. Quid autem peccator, nisi omnium horum, vt in se est, destructor & dissipator, auertens se à potioribus se ad minora cōuertens? Propria delectatus potestate, amore sui abiiciens legem Dei. Propter se contēnens Deum, propter quem contemnere debet semetipsum. Proinde vide me factum tā dignum à te, & peccatorē à me pro quo tibi porrigo preces, dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Dicat igitur secundum Bern. Anima mea supplicetet, & submissa obsecret. Deus omnipotens miserere supplici tuo, quia nō sum sicut innumeri serui tui, contemptu sæculi sublimes, iustitiæ merito gloriosi, castitatis laude Angeli, veluti etiam multi illorum, qui post flagitia publica pœnitendo meruerunt esse deuoti. Qui etiam si quid boni tua gratia largiente fecero, si sine re hoc faciam qua à te districtione penfetur, ignoro. Hæc ille.

Psal. 140.
Rom. 12.
2. considera actum eius orationis.
Ecclesi. 35.
Deus nomen summæ maiestatis & summæ veritatis.
Num. 23.
1. Ioan. 4.
2. Cor. 1.
Sap. 11.
Psal. 142.
Sap. 11.
Psal. 50.
Mira pœnitentiam gratitudo.
Peccator bonorū destructor.
Bernard.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Pharisæi, & Publicani differenti fructu & ratione.

TErtium mysterium continet Pharisæi, & Publicani differentiam fructus. Vbi ponuntur duo. Primum fructuum variatio, secundum fructuum ratio.

Quod fuit varius fructus superbi Pharisæi, & humilis Publicani.

CAP. I.

PRimo ponitur à Domino fructuum variatio. Vnde subdit dicens, *Amen:* idest fideliter dico vobis, *descendit hic,* scilicet Publicanus de templo Dei, quod erat in monte, *iustificatus in domum suam ab illo,* id est Pharisæo. hoc est plusquam ille, quia Pharisæus descendit iustificatus secundum suam opinionem: sed iste secundum Dei veritatem, vel ab illo, scilicet Pharisæo remanente in altitudine cordis sui, vel iustificatos ab illo, id est respectu illius. Et est modus loquendi, ac si homo coloris fusci nigerrimo diceret. Tu me facis album: quia licet non sim absolutè albus, sum tamen respectu tui. Similem autem loquendi modum habes Ezech. 16. vbi ipsi Hierusalem dictum est, *Iustificasti sorores tuas,* scilicet Sodomam & Samariam *in omnibus abominationibus tuis,* & post iustificatæ sunt à te. Merito ergo Augustinus scribens ad Dioscorum, in epistola ait: Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatis viam inuenies, quam quæ inuenta est ab illo, qui gressuum nostrorum, tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autem est prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem. Alludens dicto cuiusdam petentis à quodam Pharisæo, quid esset melius in rhetorica. Respondit, Prima est pronunciatio, secunda est pronunciatio, tertia pronunciatio, quasi dicat, sic dicere possumus de vera humilitate. Proinde consulit B. Bernar. quemlibet peccatorem, & Publicanum in quadam epistola, dicens: Fode in te fundamentum humilitatis, & peruenies ad fastigium charitatis. Vis capere celsitudinem Dei, cape prius humilitatem Christi. Sola enim virtus humilitas læsæ charitatis reparatio.

Primo ponitur fructuum variatio.
Ezech. 16.
August.
Dictum cuiusdam Pharisæi.
Bernard.

Secundo ponitur fructuũ prædictorum ratio.

Ratio regularis, quare vnus humiliatur, alter exaltatur.

Cap. II.

SEcundo subditur à Domino fructuũ, scilicet prædictorum ratio. Vnde quia *omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur,* Nam sicut in statera materiali vna parte depressa altera eleuatur, & econuerso: Sic in statera diuinæ iustitiæ decretum est, vt qui in præsenti eleuatur per superbiam, in futuro deprimatur per confusibilem pœnam: Et econuerso qui se humiliat in præsenti propter Deum, in futuro ab eo eleuabitur in gloria sempiterna. Sed quare Dominus non ait simpliciter, *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*, sed cum additamento, *Omnis qui se exaltat humiliabitur.* Dicendum est, quod varijs modis homines in hoc sæculo, & in futuro exaltantur, & humiliantur, secundum Bedam, Nam aliqui hîc & in futuro exaltantur: aliqui hîc & in futuro humiliantur: aliqui hîc exaltantur, & in futuro humiliantur: aliqui hîc humiliãtur, & in futuro exaltantur, Primò sunt aliqui, qui hîc & in futuro exaltantur sicut Rex Dauid, & Iob, & Ezechias, & Iosias: & cæteri tales, qui gloriosi in hoc sæculo fuerunt, & gloriosiores in futuro Secundo sunt aliqui, qui hîc
1. & in futuro humiliantur, sicut sunt superbi pauperes:
vel certè illi, qui in hoc sæculo de peccatis vindictas
recipiunt, & in futuro ad pœnam perpetuam trans-
2. eunt: qualis fuit Herodes, Antiochus, Nabuchodo-
nosor, & Pilatus: & multi tales de quibus Hieremi.
17. scriptum est, *duplici contritione contere eos.* Tertio
nonnulli alij hic exaltantur, sed in futuro humilian-
tur, sicut sunt superbi diuites, qui iuxta scripturæ vo-
Hier.17. cem, Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos,* &c. Quarto ve-
3. ro sunt alij, qui hîc humiliantur, & in futuro exaltã-
tur: sicut sunt sancti pauperes & illi, qui præcipuè
propter Deum omnia relinquentes semetipsos spon-
Iob 21. tanea humilitate humiliant, vt in futuro à Domino
4. exaltari mereantur. Et iterum Bern. in sermone 3.
super Cantica ait. Aliqui humiliantur, qui humiles non sunt: alij cum rancore humiliantur: alij patiẽter, alij libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxij, vltimi iusti. Quis autem potest dicere, bonum mihi, quia humiliasti me, is vere humilis est Non potest hoc dicere, qui inuitus tolerat; est autem humilis, qui humiliationem conuertit in humilitatem, ipse est qui dicit Deo: bonum mihi, quia humiliasti me. Quæstio.

Quis verè humilis.

Sed cum hæc eadem sententia videlicet. *Omnis qui se exaltat* &c. ponatur Luc. 14 ad nuptias inuitatis, quare hoc iterum iteratur. Dicendum quod duplex humilitas reperitur. Vna charitatis; alia veritatis. Prima est charitatis qua quis voluntarie se humiliat 1. ex feruenti dilectione atque affectu. Sicut enim patiens dolorem dentium existimat se præ aliis pati nõ quia per rationem iudicet suũ esse maiorem, sed quia intimius & fortius & certius sentit dolorem suum quã alienum. Et ideo secundum primum sensum maiorẽ æstimationem habet de suo dolore quam aliorũ. Et de hoc patet exemplum in epistola Pauli qui 1. Tim. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego,* id est, maximus sum. Secunda est humilitas veritatis, qua quis parua & humilia ex lumine intellectus de se cognoscit & sentit, scilicet comparando id quod homo habet proprium ad alia secundum quod sunt opera Dei. Hominis quippe proprium est esse de nihilo & quantum ex ipso est redire in nihilum & semper etiam esse nihil. Peccata quoq; & omnes hominis actus proprij sunt. Reliqua vero inquantum sunt opera Dei participantia ipsum non habent proprium nisi ratione entis & boni. Si igitur homo hoc modo se comparat illis, inuenit se in infinitum viliorem illis: & hanc viam docet Anselm. Ad propositum ergo Luc. 14. inuitaris ad nuptias, hoc verbũ dicit vt eos incitaret ad charitatis humilitatem, hic vero idipsum repetit vt incitet ad humilitatem luminis veritatis. Quod maxime necessarium est in confidentibus in seipsis & similibus Pharisæo. Ad hoc inducit Basilius in exameron dicẽs. Tria sunt quæ radicatam nutriunt humilitatẽ, scilicet, Assiduitas subiectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & consideratio rei melioris. Contra quæ omnia Pharisæus operatus est. Vnde merito fuit humiliatus & Publicanus fuit non immerito exaltatus vt sic semper appareat infallibilis hæc regula Saluatoris qua dicitur, *Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur,* hic per gratiam & in futuro per gloriam: Quam nobis tanquam Publicanis hic misericorditer largiatur amator humilium Dominus Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu sancto humilia respicit & alia à longe cognoscit, per infinita sæcula sæculorum Amen.

1. humilitas. 1. charitatis.

Alia veritatis.

Luc.14

Tria sunt quæ nutriunt humilitatem.

DOMINICA XII.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone,

Qui est de diuina dilectione, & quare & quomodo diligendus est Deus, & continet tres articulos, quorũ primus quatuor, secundus tria, tertius denique, quinque habet capita.

Articuli 1. Quod super omnia Deus à nobis quærit dilectionem.

Cap. 1. *Quare potius præcepit nobis Deus eum diligere quam cognoscere.*

Cap. 2. *Quare præcepit nobis Dominus potius ipsum diligere, quam timere.*

Cap. 3. *Quare præcepit Deus potius diligere quam diligi.*

Cap. 4. *Quare præcepit nobis Dominus tantum diligere.*

Articuli 2. De quadruplici sensu vel intellectu obiecti diuinæ dilectionis.

Cap. 1. *Primus sensus.*

Cap. 2. *Secundus sensus.*

Cap. 3. *Tertius sensus.*

Articuli 3. De modo diuinæ dilectionis, qui viginti modis exponi potest.

Cap. 1. *Quod quadrupliciter exponitur modus diligendi Deum.*

Cap. 2. *Secũdo addantur quatuor alij modi diligendi Deum.*

Cap. 3. *Tertio subdantur alij quatuor modi diligendi Deum.*

Cap. 4. *Quarto addãtur quatuor alij modi diligendi Deum.*

Cap. 5. *Quinto subdantur alij quatuor modi diligendi Deum,*

DE DIVINA DILECTIONE, ET QVARE & quomodo diligendus est Deus.
Sermo. XII.

DIliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Matth. 22. secundum enim Nic. de Lyra super hunc locum Matt. hoc præceptum in quatuor locis traditur scripturæ. *Matth. 22*
Primo Deuter. 6. vbi ponuntur tria: scilicet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota fortitudine tua.* Secundo Matth. 22. *Deut. 6.*
vt patet in proposito verbo, vbi patet, quod dimittitur fortitudo, & additur vnum, scilicet, *ex tota mente tua.* *Matth.22.*
Tertio verò Mat. 12. ponuntur ista tria, & additur, *& ex tota virtute tua*, quod idem est, quod *Matth.12.*
dicitur Deuter. 6. *& ex tota fortitudine tua.* Quarto

autem

Deut. 6. Luc. 10. Quatuor ibi requiruntur ad dilectionem Dei.

autem Luc. 10. eodem modo habetur, niſi quod ibi dicitur, *Et ex omnibus viribus tuis*, quod idem eſt quod ex virtute vel *fortitudine tua*. Ex his patet, quod quatuor ſunt de neceſſitate huius præcepti, ſ. *Diligere Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex tota fortitudine*. Cuius ratio eſt, quia diligere eſt actus voluntatis. Duplex ſiquidem voluntatis eſt actus. Vnus eſt elicitus, alius eſt imperatus. Actus elicitus eſt, qui immediate egreditur ab ipſa voluntate, & hic actus tangitur, cum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, hoc eſt ex tota voluntate. Nam ſicut ex corde oritur motus ad alias corporis partes, ſic voluntas alias potentias animæ mouet. Actus autem imperatus ipſius voluntatis, eſt actus alterius potentiæ mouentis ad ſuum actum per ipſam voluntatem, & ex hoc triplex amor in anima generatur. Primus eſt intellectualis, ſecundus eſt ſenſualis, tertius affectualis. Nam primo per ipſam voluntatē per charitatem informatam intellectus mouetur ad aſſentiendum his, quæ fidei ſunt, & ad meditandum de Deo dilecto. Et hic actus denotatur, cum dicitur, *ex tota mente*. Ibi enim mēs, ſumitur pro ipſo intellectu, & ſic eſt amor intellectualis. Secundu per voluntatem mouetur appetitus ſenſitiuus, vt conformetur parti ſuperiori: quia ſicut ſphæra ſuperior ſuo motu mouet inferiores: ita voluntas mouet appetitum ſenſitiuum, vt habetur 3. de anima. Et hic actus notatur, cum dicitur, *ex tota anima*. Per animam quippe intelligitur hic pars ſenſitiua, ſecundum quod ſcribitur Gen. 2. vbi dicitur, *Et factus eſt homo in animam viuentem*, id eſt vitam animalem & ſenſibilem corpori dantem, vt dicit gloſſ. Et hic dicitur amor ſenſualis. Tertio per voluntatem mouentur potentiæ motiuæ & executiuæ ad operandum ex dilectione, & de hoc ſubditur, *Et ex tota fortitudine tua*, ſeu *ex omnib. virib. tuis*, quod idem eſt. Hæc ille. Et in hoc denotatur amor affectualis. Ait igitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua & ex tota mente tua*. In quibus ſacratiſſimis verbis tria contemplemur de diuina dilectione. Primo dilectionis actum ibi, *Diliges*, ſecundo dilectionis obiectū ibi, *Dominum Deum tuum*, tertio dilectionis modum ibi, *ex toto corde*, &c. In primo intelligens actum meritorium, in ſecundo obiectum glorioſum, in tertio modum fructuoſum. Seu aduertes in ſupradictis verbis, actum nobiliſſimum, obiectū digniſſimū, & modum perfectiſſimum.

Triplex amor in anima. Amor intellectualis. Amor ſenſitiuus. Gen. 2. Amor affectualis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod ſuper omnia Deus à nobis quærit dilectionem.

Actus dilectionis nobilis.

PRimo inquam circa diuinam dilectionem contemplemur dilectionis actum nobiliſſimum, qui eſt diligere. *Diliges*, inquit *Dominum*. Circa quod aduertēdum eſt, quod non præcepit Dominus Deum cognoſcere, nec inſuper Deum timere, nec etiam diligi: ſed præcepit eum diligere.

Quare potius præcepit nobis Deus eum diligere quam cognoſcere.

CAP. I.

Non præcepit Dominus Deum intelligere ſed diligere. Nam quadruplex eſt differentia diligere & amare. 1. differentia ex parte boni vel mali.

PRimo inquam non præcepit Dominus Deum intelligere ſed diligere dicens, *Diliges*. Ratio eſt, quadruplex eſt differentia inter intelligere & amare. Prima eſt ex parte boni vel mali, ſecunda ex parte meriti, tertia ex parte doni impenſi, quarta ex parte præmij. Prima differentia eſt ex parte boni vel mali. Nam ex cognitione boni vel mali, per ſe homo non eſt bonus vel malus; ſed ex amore boni vel mali eſt homo bonus vel malus. Ratio eſt, quia ille eſt bonus vel malus, qui gaudet vel triſtatur bene vel male, ſecundum Philoſophum 2. Ethicorum. Sed amor eſt eſt cauſa gaudij vel triſtitiæ non cognitio, ergo amor rectus vel non rectus cauſa eſt, quod aliquis bonus vel malus ſit, & non cognitio. Auctoritate etiam confirmatur. Vnde Auguſt. in retract. ait: Voluntas eſt, qua peccatur. Poteſt tamen per accidens in cognitione peccari & vilium rerum etiam eſſe peccatum: & hoc duplici ratione. Primo propter abſtractionē, ſecundo propter affectionem. Primo propter abſtractionē, dum quis peccata mala vel aliqua vilia conſiderat, vel cognoſcit à nobiliorib. & vtilioribus cognoſcendis, vel cogitandis abſtrahitur vel impeditur. Secundo propter affectionem, ſc. dum ex conſideratione vel meditatione peccatorum vel aliorum vilium in affectiones indebitas inclinatur, ſecundum Tho. contra Gentiles, l. 1. c. 7. Secunda differentia eſt ex parte meriti, quia diligere Deum in præſenti vita, maioris eſt meriti, quam cognoſcere eum. Ratio eſt, quia ex hoc, quod homo diligit Deum amore amicitiæ, ſicut Dominum & creatorem ſuum magis facit Deum quaſi debitorem ſuum, vt benefaciat ei, quam ex hoc quod cognoſcit eum. Vnde licet intelligere vel cognoſcere ſimpliciter & abſolutè actus nobilior ſit, atque nobilioris potentiæ, quam ſit diligere: tamen quantum ad meriti rationem diligere magis neceſſarium eſt. Quia quod non fit ex amore Dei vel ſaltem cum amore eius, bene fieri non poteſt, ſaltem bonitate perfecta: ſicut ſi conſideretur quod inter alia condimenta ſal melius eſt. Non quia ſimpliciter melius ſit, ſed quia magis neceſſarium, eo quod abſque illo non eſt bonus ſapor. Tertia differentia eſt ex parte doni impenſi. Nam ſummum donum, quod homo in hac vita Deo impendere poteſt, eſt Deum amare amore amicitiæ. Cuius ratio eſt, quia ex quo dat ſibi amorem ſuum, ſi perfectè dat, conſequens eſt, quod paratus ſit dare omne, quod poteſt. Et quantū ad hoc Deum amare excedit cognoſcere Deum. In alia vero vita ſummum, quod creatura rationalis poterit impēdere Deo, erit videre eum, quod eſt ſummè manifeſtatiuū ſuæ perfectionis. Ratio huius eſt, quia tota ſubſtantialis gloria attribuitur viſioni. Vnde ſuper propheticum illud, *Oſtendam illi ſalutare meū*, Gloſſ. inquit, quod viſio eſt tota merces. Et eſt verbum Auguſt. 1. de tri. c. penul. Ad hoc etiam Ioan. 14. *Oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis*. Et Ioan. 17 *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum*, ſecūdum enim Bona. in 14. actus, ſcilicet viſio, dilectio & poſſeſſio Dei in patria, ſunt in anima omnino coniuncti atq; cōnexi. Vnde qui perfectè videt, perfectè amat & habet. Proinde in ſanctorum verbis propter cōnexionem, quod eſt omnium, attribuitur vni. Magis autem viſioni appropriatur, quia in viſione diſtinguitur ſtatus patriæ à ſtatu viæ: non ſic autem in dilectione, quia vtrobiq; dilectio eſt. Sed in patria eſt viſio, non in via. Nam in via credulitas eſt de non viſo. Hæc illē. Quarta differentia eſt à parte præmij. Nam perfectius eſt amare Deum amore amicitiæ, quam amare eum amore concupiſcentiæ, aut videre Deum ſecundum quod eſt cōmodum hominis. Sed videre Deum ſecundum quod eſt manifeſtatiuum diuinæ bonitatis, eſt perfectius quam amare Deum quocūque modo, vel quam videre Deum, ſecundum quod eſt proprium commodum hominis. Sicut v. gr. Qui dat ouum alicui, plus dat ei virtualiter, quam ſi daret ei gallinam, quia in ouo continetur virtualiter bonus gallus, vel bonus capo. Et hoc modo qui dat voluntatem ſuam, ſiue amorem ſuum Deo vel alteri ſi perfectè dat, conſequens eſt quod paratus ſit dare ſibi quicquid poteſt, Sed actualiter & formaliter ſicut plus dat, qui dat gallinam quam ouum, ſic pluſquam poteſt creatura rationalis impendere ad honorem Dei eſt ipſum videre, eo quod inter omnia ſummè manifeſtatiuum eſt ipſius diuinæ bonitatis. Et hoc modo actus intellectus, qui eſt intelligere, nobilior & perfectior eſt actu voluntatis, qui eſt ipſum amare. Hæc magiſter Henricus ordinis Prædicatorum, in lib. de quatuor materiis, materia 4. 10. q. ſecun

2. ex parte meriti. 3. differentia ex parte doni impenſi. Ioan. 14. Ioan. 17. 4. differentia ex parte meriti.

Amor Dei in via melior eſt quam cognitio propter quadruplicem rationem.
1. Cor. 13.

ſecundum vero Tho. in 3. diſt. 27. art. 4. Amor Dei in via melior eſt, quam cognitio Dei. Primo quia amor Dei habet rationem meriti, non autem cognitio. Secundo, quia cognitio Dei in patria euacuatur propter hoc quod habetur mediantibus creaturis: Amor autem Dei nunquam euacuatur, *quia charitas nunquam excidit*, vt dicitur 1. Corinth. 13. Immo perficitur, ſcilicet in gloria ſempiterna. Tertio, quia in via Deus immediatè amatur: non autem immediatè cognoſcitur. Quarto, quia amor pertingit vſque ad intima, non autem cognitio. Vnde Hug. de ſancto Vict. ſuper illud Dionyſij 7. c. de diuinis nominibus. Mobile & acutum dicit, quod dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt ſcientia intelligentia: plus enim diligit, quam intelligit: & intrat dilectio, vbi ſcientia foris ſtat. In patria vero viſio Dei non erit ſine amore in præmio, ſicut nec in via amor fuit ſine cognitione in merito: tamen præmium magis attribuitur cognitioni in patria, meritum autem magis attribuitur amori in via. Cuius ratio eſt, quia præmium non eſt ſecundum operationem ſed ſecundum receptionem, qua quis in ſeipſo perficitur. Meritum autem eſt, ſecundum operationem, qua quis in remuneratorem ſe extendit & ei ſe coniungit.

Cap. II.

Quare præcepit nobis Dominus potius ipſum diligere, quam timere.

Non præcepit Dominus Deũ timere, ſed diligere. Diligere enim maius eſt, quam timere.

Secundo non præcepit Dominus Deum timere, ſed diligere. *Diliges* inquit. Ratio eſt, quia diligere maius eſt, quam timere. Et hoc propter quatuor rationes. Prima eſt, quia timere eſt ſeruorũ: ſecunda eſt, quia timor ſub neceſſitate eſt; dilectio vero in libertate: tertia eſt, quia timor pœnam habet, dilectio vero non ſentit pœnam, ſed gaudium & lætitiam: quarta ratio eſt, quia qui in timore ſeruit Deo, pœnam quidem euadit, mercedem vero iuſtitiæ non acquirit, quia bonum inuitus propter timorem facit. Non vult igitur Deus quod timeatur quaſi Dominus, ſed vt diligatur quaſi pater pios, qui adoptionis ſpiritum hominibus largitus eſt. Has rationes ponit Chryſ. ſuper prædictum verbum Matth.

Quare præcepit Deus potius diligere, quam diligi.

Cap. III.

Non præcepit Dominus Deus diligi, ſed diligere, actus enim charitatis nõ conſiſtit in amari, ſed in amare propter quatuor rationes.

Tertio non præcepit nobis Dominus diligi, ſed diligere: ad denotandum quod actus charitatis, ſeu amicitiæ vel amoris non conſiſtit in amari, ſed in amare, quod probatur quadruplici ratione. Primo ratione cognitionis, ſecundo ratione commendationis, tertio ratione obligationis, quarto ratione præmiationis. Primo ratione cognitionis. Nam nobilius & certius eſt quod ſcitur, quam quod creditur, ſed quod amemus alios ſcimus: quod autem amamur, non ſcimus ſed credimus. Secundo ratione commendationis: patet enim quod amici laudantur ex hoc, quod amat, non ex hoc quod amatur, hæc enim laus amantium eſt, ſ. quod amant. Præterea vnuſquiſque laudatur ſecundum propriam virtutem, ſed virtus amicorum attenditur ſecundum hoc, quod eſt amare. Quod enim amamus alios, eſt propriæ virtutis, ſecundum quod amamur ab alijs alienæ virtutis eſt. Tertio ratione obligationis. Nã melius eſt quod alij obligentur nobis quam nos alijs: ſed cum amamus, nobis alios obligamus: cum vero amamur alijs obligamur. Quarto ratione præmiationis. Nam illud quo meremur & præmiamur, eſt melius eo quo nec meremur, nec præmiamur: ſed cum amamus, meremur nobis & præmiamur: cum vero amamur, alij merentur ſibi & præmiantur. Hoc quoque atteſtatur etiam Aug. in lib. de catechizandis rudibus, dicens. Nulla maior eſt inuitatio ad amorem, quã præuenire amando, vel amantem. Et nimis durus eſt animus, qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Seneca quoque 10 epiſtula de amicitia ad Lucillum ait: Si quæris quomodo ſis facturus amicitiam, vel amicum: monſtrabo amatorium ſine medicamento herbarum, ſine vllius veneficij carmine. Si vis amari, ama. Et ſubdens cauſam ait: Iucundius eſt amatorem facere, quam habere: quomodo artifici eſt iucundius pingere, quam pinxiſſe. Idem etiam poteſt ſimilitudine demonſtrari. Nam matres, quarum vehemens eſt amor ad filios, magis gaudent & delectantur in hoc quod filios amant, quam quod amentur ab eis. Sunt enim pleræque matres, quæ nutricibus ad nutriendum filios tradunt, & ſcientes eos eſſe filios ſuos diligunt eos, nec tunc multum curant quod reamentur ab eis: quia infantes & ignorantes ſunt. Et ſic filios amant, licet non poſſint retribuere eis conuenientem dilectionem, quia eas ſuas eſſe matres ignorant.

1. ratio. *2. Ratio.* *3. ratio.* *4. ratio.*

Matris erga filios amor intenſus.

Quare præcepit nobis Dominus tantum diligere.

Cap. IV.

Principaliter Dominus præcepit diligere quã propter quatuor rationes.
1. Propter facilitatem

Qvarto autem non præcepit Dominus principaliter aliud, quam diligere, & hoc maxime propter quatuor rationes. Primo propter facilitatem, ſecundo propter ſuauitatem, tertio propter gratioſitatem, quarto propter vnitatem. Primo inquam propter facilitatem. Nam nihil eſt tam facile, tam liberum & tam in hominis poteſtate, ſicut diligere. Proinde nemo ſe poterit excuſare de mandato dilectionis. Nam qui diligit, non laborat, imò amor cuncta leuia reddit: voluntas enim eſt, quæ diligere habet, ipſa libera eſt. Sola cum amore ſufficiens eſt, forinſeco adiutorio non eget, Merito ergo Dominus Deuteron. 30. cap. ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo*, &c. ſed quaſi dicat, In te eſt locus & poteſtas dilectionis, id eſt in corde tuo. Proinde Luc. 17. Dominus ait: *Regnum Dei*, id eſt libera voluntas, vnde per dilectionem acquiritur regnum cœlorum, *intra vos eſt*. Secundo propter ſuauitatem, quia amor omnia ſuauia reddit. Vn Bern. ait, Amanti nihil difficile eſt. Merito ergo ad hanc ſuauitatem dilectionis hortatur Dominus, Matt. 11. c. dicens: *Tollite iugum meum ſuper vos*, & ſequitur, *Iugum enim meum ſuaue eſt & onus meum leue.* Eſt enim amor ſuauiſſimum manna, quod ſecundum diuerſas diſpoſitiones & ſtatus hominum diuerſimodè animæ guſtui ſapit. Quod cum Propheta guſtaſſet, alios adhortatur dicens. *Delectare in Domino*, in amore Dei, & dabit tibi petitiones cordis tui. Tertio propter gratioſitatem, quia amor Dei omnia opera noſtra gratuita reddit ei. Non enim coacta ſeruitia amat Deus, ſed gratuita tantum. Vnde 1. Corinth. 13. Apoſtolus ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quarto propter vnitatem, id eſt vt vnus ſpiritus fiat anima noſtra per dilectionem cum Deo. Nam, vt 1. Cor. 6. Paulus atteſtatur: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* Hæc autem adhæſio non fit, niſi per dilectionem & charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis, quo membra ſuo capiti Christo per omnes coniuncturas connectuntur in vnum corpus, hoc vinculo cum Chriſto ligatus erat Apoſtolus. Proinde audenter ad Rom. 8. c. ait, *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an perſecutio? an fames?*

Deut. 30. *Luc. 17.* *2. propter ſuauitatem.* *Matt. 11* *3. propter gratioſitatem.* *1. Cor. 13.* *4. propter vnitatem.* *Rom. 8.*

an nuditas? an periculum? an gladius? Validum profecto vinculum est, cui nulla violentia præualet inseparabiliter continens amantem pariter cum amato. Hæc siquidem charitas est, qua homo secundum cor Dei totis votis vnitur Deo glutino, quod non dissipatur, & vinculo quod non disrumpitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De quadruplici sensu, vel intellectu obiecti diuinæ dilectionis.

SEcundo circa diuinam dilectionem consideremus dilectionis obiectum dignissimum, de quo subditur, *Dominum Deum tuum* Quod tripliciter exponi potest, secundum triplicem sensum.

Primus sensus.

CAP. I.

Deus super omnia est diligendus propter triplicem rationem, propter potentiam, Iosue 23. PRimus sensus est, quod Deus super omnia est diligendus, & hoc triplici ratione. Primo ratione potentiæ, secundo ratione sapientiæ, tertio ratione clementiæ. Primo quidem ratione potentiæ. Et de hoc ait: *Diliges Dominum,* qui est creator ad esse, recreator ad bene esse, glorificator in optimo esse. Proinde Iosue 23. scriptum est: *Diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum.* Secundo est super omnia diligendus ratione sapientiæ. *propter sapientiam, Rom. 8.* Propterea subdit, Deum. Nam, vt dicitur Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, quod patet ex tribus diffinitionibus Dei. *Dei varia descriptio.* Prima hæc est: Deus est, quo nihil melius cogitari potest. Secunda est, Deus est amor, qui plus habitus, plus placet. Tertia est, Deus est cuius posse non numeratur, cuius bonitas non terminatur. *propter clementiam.* Tertia est super omnia diligendus ratione clementiæ: propterea subdit, *tuum*: & de hoc Propheta inquit, *Ipse est Dominus Deus noster.* Et iterum Deuter. 30. *Considera vt diligas Dominum Deum tuum.* *Deut. 30.*

Secundus sensus.

CAP. II.

[Deus] ratione ... bonorum ... Deum. Deut 32. SEcundus sensus est iste. Primo inquit, *Diliges Dominum*, qui est principium creationis & gubernationis creaturæ. Secundo *diliges Deum*, in quo est exemplar dispositionis, & causa regiminis, Deuter. 32. *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit & fecit & creauit te?* Tertio *diliges tuum*, in quo est finis & consummatio gloriæ sempiternæ. 1. Ioan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in ea, in Deo manet, & Deus in eo.* *1. Ioan. 4.*

Tertius sensus.

CAP. III.

TErtius sensus est superaddendus: ait enim primo, *Diliges Dominum*, scilicet vt creatorem in esse, quia ad eum diligendum inducit natura. Secundo *diliges Deum*, scilicet vt redemptorem in bene esse. *Deus diligendus, vt creator, vt redemptor, vt glorificator.* Vnde ad dilectionem eius inducit gratia. Tertio diliges *tuum* glorificatorem in optimo esse: sic enim fit tuus. Et ideo ad eum diligendum inducit gloria, quam expectando iusti desiderant. Psalm. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c.

ARTICVLVS TERTIVS.

De modo diuinæ dilectionis, qui viginti modis exponi potest.

TErtio circa diuinam dilectionem contemplemur dilectionis modum perfectissimum. Et de hoc Dominus subdit, *Ex toto corde*, &c. Vbi aduertendum est, quod in dilectione Dei Dominus duo ante præmisit. *In Dei dilectione Dominus ante præmisit duo. Integritatem* Primo integritatem, secundo quantitatem. Primo inquam præmisit integritatem, cum dicit, *toto*. Nam totum dicitur illud, cui nulla suarum partium deest, secundum Philosophum 5. Metha. Sic spiritualiter in Dei dilectione nulla subtractio, seu diminutio debet esse. Vnde super illud verbum Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum*, *Deuter. 6.* &c. ait gloss. quod triplicis naturæ est anima, ideo tripliciter iubetur diligere. *Dei amor non diuidendus.* Non vult Deus amorem suum partiri, vt simul diligamus Dominum & aurum, vel vxorem, & filios. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6. *Matth. 6.* Ipse super omnia est diligendus, ideo eius dilectioni præponitur totum, cum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Secundo præmittit quantitatem seu magnitudinem amoris Dei, *Quãtitatem seu magnitudinem.* cum etiam dicit totum: Nam totum, & perfectum idem penitus sunt, secundum Phil. 3. physic. per quod intelligit plenitudinem & perfectionem diuini amoris. Vnde super illud verbum, Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Luc. 10.* Basilius ait: Quantuncunque dilectionis in infimis expenderis, hoc tibi necessario deficiet à toto. Quod per exemplum ostendit dicens: Sicut enim in vase aliquo pleno liquore quantum emanat foras, tantum necesse est plenitudinem derogare: sic & in anima quantum emanauerit, vel defecerit à Dei dilectione & deflexerit ad illicita, tanto necessarium est minui amorem Dei. Modum autem perfectissimum diuinæ dilectionis diuersi Doctores diuersè exposuerunt. Vnde de hoc quinque quaternarios subiungamus.

Quod quadrupliciter exponitur modus diligendi Deum.

CAP. I.

PRimo autem modo exponitur secundum intelligentiam naturalem. *Modus diligendi Deum quadrupliciter exponitur.* Porrò dilectio est voluntatis actus, qui hic per cor denotatur. Cuius ratio est, quia sicut corporale cor est principium omnium corporalium motuum, sic etiam voluntas est principium omnium spiritualium motuum. Tria quidem sunt principia, quæ mouentur à voluntate, sc. intellectus, qui signatur per mentem. Vis, appetitiua quę signatur per animam, & eius executiua exterior, quæ per fortitudinem seu virtutem signatur, aut per vires. Secundo modo sic. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, 2.
Nostra intentio debet in Deum ferri. id est ex tota tua intentione, vt tota intentio nostra feratur in Deum. *Ex tota mente*, id est ex toto intellectu, ita quod totus intellectus noster ipsi Deo subiiciatur. *Et ex tota anima*, id est appetitu interiori, ita quod totus noster appetitus reguletur secundum Deum. *Et ex tota fortitudine*, vel virtute, seu viribus, hoc est ex omni actu exteriori, ita quod omnis actus noster exterior obediat summo Deo Hæc secũdum Thomam. Tertio modo exponitur secundũ Chrysost. super illud Matt. 22. hoc modo. *Diligere Deum ex toto corde est*, quod 3. *Matth. 22.*
cor tuum non sit inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quam Dei. *Diligere Deum ex tota anima* est certissimum animum, vel intellectum habere in veritate, & firmum esse in fide. Qui enim credit apud Deum esse omne bonum, & nihil esse extra ipsum: hic diligit Deum in tota anima. Diligere

vero

Seruire nostri Deo vacare debent. vero Deum in tota mente est, vt omnes sensus tui Deo vacent. Cuius enim intellectus Deo monstrat, cuius sapientia omne donum, cuius cogitatio ea
4. quæ Dei sunt tractat: cuius memoria ea, quæ Dei sunt recordatur, tota mente diligit Deum. Quarto autem modo exponit August. lib. 1. de doctrina Christiana, vbi refert cor ad cogitationem, animam ad vitam, mentem ad intellectum. Vnde sic ait: Deum ex toto corde diligere præciperis, vt omnes cogitationes tuas: *ex tota anima tua*, vt omnem vitam tuam: *ex tota mente tua*, vt omnem intellectum tuum in illum conferas, à quo habes ea, quæ confers. Nullam ergo vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui. Et subdit: Tunc est enim optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabile bonum.

Secundo adduntur quatuor alij modi diligendi Deum.

Cap. III.

Aliter etiam quatuor modis exponitur. *1. modo.* SEcundo adduntur quatuor alij modi. Primo modo exponit gloss. dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est intellectu, vt desit error. *Ex tota anima*, id est voluntate, vt tollatur omnis contraria affectio. *Ex tota mente*, id est memoria, vt absit obliuio, vt nihil ei contrarium sentias, velis, vel recordetis. Secundo modo exponit Origenes dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est secundum totam recordationem, & cogitationem & operationem. *Ex tota anima*, vt paratus sis eam ponere pro pietate Dei. *Ex tota mente*, vt nihil aliud proferas nisi quæ Dei sunt. Tertio modo exponit
3. modo. Greg. Nicænus super 10. c. Lu. di. In terra autem quædam animæ vis discernitur. Vna est vegetabilis, & hæc est augmentatiua & nutritiua solum quæ etiam in plantis reperitur. Alia est anima sensibilis, quæ saluatur in natura irrationabilium animalium. Alia est anima perfecta, scilicet rationalis, quæ in natura humana inspicitur. Dicendo ergo cor, signat animam vegetabilem: dicendo vero animam, significat animam mediocrem: dicendo autem mentem, significat animam altiorem, scilicet rationalem, seu intellectiuam. Ergo dilige *ex toto corde*, quantum ad animam vegetabilem: *ex tota anima*, quantum ad sensibilem: *ex tota mente*, quantum ad rationalem: quia hoc quo nutrimur, sentimus & intelligimus, debemus ad
4. modo. Deum referre. Quarto modo exponit Ber. in lib. de diligendo Deum. Dilige toto corde prudenter, tota anima dulciter, tota virtute tua fortiter. Et subdit, Disce
Quomodo Christus amandus. Christiane homo amare Christum. Sed quomodo? ama dulciter, ne illectus: ama prudenter, ne deceptus: ama fortiter, ne depressus ab amore Domini auertaris. Dilige eum sapienter, ne deceptus ab errore diaboli, dilige dulciter, ne illectus ab amore carnis dilige fortiter, ne abstractus ab amore mundi. Et subdit: Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec frangi iniuriis: est Deum toto corde, tota anima & tota fortitudine diligere. Hæc autem expositio sumitur penes impedimenta Dei dilectionem.

Tertio subdantur alij quatuor modi diligendi Deum.

Cap. IV.

Alij quatuor modi diligendi Deum. *1. modo.* TErtio quatuor modi alij subdantur. Primo modo exponit Hugo de sancto Victo. dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, id est ex deuotione, quoad virgines: ex tota anima, id est discretione, quoad Confessores: *ex tota virtute*, id est
2. modo perseuerantia & fortitudine, quoad Martyres. Secundo modo Augustinus exponit dicens, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, id est ex toto intellectu sine errore. *Ex tota anima*, id est ex tota voluntate sine contradictione: *ex tota mente*, id est memoria sine obliuione. Hæc expositio sumitur penes diligens, quod est anima quam tota dilectio diuina requirit.
Tertio modo exponitur secundum Greg. *Ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente diligere Deum*, est super omnia diligere eum. Et est conculcatio verborum, quæ significat excellentiam amoris, vt sit eiusdem crebra ingeminatio ad fortius exprimendum, & imprimendum altitudinem, & vehementiam mandati Dei. Quarto modo exponitur, secundum Alex. de *3. modo.* *4. modo.*
Ales super 10. c. Luc. qui ait, quod ista quatuor reducuntur ad tria. Vt hoc membrum, *ex totis viribus tuis*, referatur ad quodlibet aliorum trium, quasi modus, vt sit sensus: *Diliges Dominum Deum tuum ex totis viribus* totius cordis tui, *& ex totis viribus* totius animæ tuæ, *& ex totis viribus* mentis tuæ.

Quarto adduntur quatuor alij modi diligendi Deum.

Cap. V.

QVartò exponitur hoc præceptum aliis quatuor modis. Primo modo secundum Alexandrum de *1. modo.*
Ales, super 12. cap. Mar. vbi ait, quod ad determinationem modi dilectionis ponuntur quatuor modi. Cum enim Deus, qui diligendus est, vna sit essentia in tribus personis, & anima rationalis sit eius imago: quia vna substantia est in tribus potentiis, scilicet memoria, intelligentia & voluntate: ideo intentio amoris in Deum perfectè ab ipsa essentia animæ signatur. Dicitur ergo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est, ex tota diligentia, vt omnis intellectus tuus sit subditus intellectui Dei, iuxta propheticum illud, *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* *Ex tota anima*, id est ex tota voluntate, vt omnis voluntas tua voluntati diuinæ subdita sit, iuxta illud Deuteron. *Psal. 118.* *Deut. 11.*
11. *Diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra.* *Ex tota mente tua*, id est tota memoria. Et de hoc Tob. 4. *Tob. 4.*
ait. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri.* Et iterum Prouerbiorum decimo quinto cap. scriptum est, *Mens iusti meditabitur obedientiam.* *Et ex tota virtute tua*: hoc est ex tota vi rationalis substantiæ. Vnde Tob. 14. *Prou. 15.* *Tob. 14.*
ait Tob. filio suo & nepotibus suis. *Filiis vestris mandate, vt faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant Deum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.* Secundo modo potest exponi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est intelligentia cognosce summam veritatem. Sapient. 7. *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* *Ex tota anima*, id est voluntate ama suam bonitatem, Ecclesiast. 7. *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.* *Ex tota mente tua*, id est memoria recole creatricem potestatem. Ecclesiastic. duodecimo. *Memento creatoris tui in die iuuentutis tuæ.* *Ex tota virtute tua*, scilicet exhibendo illi tuæ perpetuitatis æternitatem. Tertio modo potest exponi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quia Dominus: *ex tota anima tua*, quia Deus: *& ex tota mente tua*, quia tuus: Quarto modo. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, scilicet cogitando, in Psalm. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* *Ex tota anima tua*, desiderando Isa. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo* *2. modo.* *Sap. 7.* *Eccl. 7.* *Eccl. 12.* *3. modo.* *4. modo.* *Psal. 118.* *Isa. 26.*

meo in præcordiis meis mane vigilabo ad te. Ex tota mente tua, id est recordando. Isa. 63. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus. Ex tota virtute tua*, id est operando secundum quod mysticè. 2. Reg. 6. scriptum est, quod Dauid saltabat totis viribus ante Deum.

Isa. 63. *2. Reg. 6.*

Quinto subdantur alij quatuor modi diligendi Deum.

Cap. V.

Aliæ quatuor expositiones. Prima. Deut. 6.

QVinto addantur quatuor aliæ expositiones. Prima est Nico. de Lyra exponentis illud Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, idest ex toto motu voluntatis tuæ quæ hîc cordis nomine designatur. Nam sicut cor alia membra mouet: sic & volontas mouet potentias animæ & actus suos. *Et ex tota anima tua*, idest ex toto intellectu, ac sensitiuo appetitu, vt ex motu dilectionis Deo sit subditus intellectus, maximè in his quæ pertinent ad ipsam fidem. Et appetitus sensitiuus sit secundum ordinem diuinæ dilectionis regulatus. *Et ex tota fortitudine tua* Per hanc designatur vis exterior executiua. Quod fit cum exterior noster actus com diuina dilectione exequitur imperium voluntatis promptè & expeditè. Secunda expositio est, vt dicatur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, hoc est omnes cogitationes tuas in Deum Dirige. *Ex tota anima tua*, idest affectiones in Deum retorque. *ex tota mente tua*, hoc est omnes cogitationes altissimo Deo subde. *Et ex tota fortitudine tua*, idest omnes operationes propter Deum exerce. Tertia expositio est Ioan. de Pictiano super Cantica Canti. qui ait, quod amor seu affectus hominis ad tria diuidi, seu affici potest. Primo ad res exteriores, secundo ad res interiores, tertio ad res superiores. Primo quidem amor afficitur ad res exteriores, cuiusmodi omnia sensibilia dici possunt, vt puta omnes diuitiæ, omnes delitiæ, omnes magnificentiæ. Et hic amor seu affectus in corde designatur. Est enim cor domicilium vitæ, principium motus & sensus. Est insuper organum concupiscibilis & irascibilis. Intelligitur ergo in toto corde amor & affectio ab omnibus sensibilibus & transitoriis eleuata in Deum, vt humana mens nullo affectu, hoc est nulla complacentia, seu displicentia ob sensibilem de diuino amore quomodolibet distrahatur, sed potius per hæc sensibilia in eorum opificem eleuetur, exemplo Prophetæ, qui de se ait, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, scilicet non in hæc transitoria bona, & alibi, idem ad Deum ait: *In toto corde meo exquisiui te ne repellas me à mandatis tuis.* Secuodus amor afficitur ad res interiores, vtpote ad propriam corporalem vitam, & talis affectus in anima denotatur. Anima quippe ab animando denominatur, quia animat corpus quodam naturali affectu. Igitur ex tota anima Deum diligere, est propter diuinum amorem despicere etiam propriam vitam. Nam sicut Dominus Ioan. 12. inquit: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Tertio insuper afficitur homo ad res superiores, vtputa ad res spirituales & intellectuales. Et talis affectus in mente signatur. Mens enim ab eminendo dicitur. In mentis ergo nomine superior pars spiritualis animæ, quæ in homine eminet, denotatur. Proinde 2. Cor. 5. Apostolus ait: *Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis: charitas enim Christi vrget nos.* Tota igitur mente Deum diligere nihil aliud est, quam omnia intelligibilia despicere respectu diuini amoris. Et in hoc philosophorum curiositas conuincitur & condemna-

2. expositio. *3. expositio. Affectus hominis ad tria affici potest. 1. ad res exteriores.* *Cor domicilium vitæ.* *Psalm. 83.* *2. ad res interiores.* *Ioan. 12.* *3. Ad res superiores.* *2. Cor. 5.*

tur, necnon & quicunque alij qui anteponunt quamcunque scientiam diuino amori, ad quem omnibus præponendum quilibet necessario obligatur. Quarto exponitur secundum Thomam in lib. de perfectione vitæ spiritualis, cap. 6. vbi ait, quod modus perfectionis dilectionis Dei, quæ conuenit viatori, est vt totum cor hominis habitualiter feratur in Deum, ita quod contra Dei dilectionem cor hominis recipiat. Et hæc est perfectio viæ cui non contrariatur veniale peccatum: quia non tollit habitum charitatis, cum non tendat in oppositum obiectum sed solum impedit charitatis vsum. Vnde vt homo ita Deum diligat in hac vita, quod cor eius nihil accipiat, quod sit contrarium diuinæ dilectioni: talis perfectè diligit Deum. Et talis diuinæ dilectionis perfectio est de necessitate præcepti. Quod autem talis diuinæ dilectionis perfectio detur homini in præceptum, patet quantum ad quatuor, quæ continentur in præcepto diuinæ dilectionis. Oportet enim quod ille, qui vult in hac vita perfectè diligere Deum, quatuor seruet. Primum est, quod omnia in Deum tanquam in vltimum finem referat. Secundum est, quod intellectum suum Deo subiiciat. Tertium, quod omnia quæ amat, in Deum dirigat. Quartum, quod omnia exteriora nostra ex diuina charitate procedant. Primo enim oportet quod homo omnia, quæ agit in Deum, tanquam in vltimum finem referat, iuxta illud Apost. Primo Corinthiorum decimo. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quod quidem impletur. cum aliquis vitam suam ordinat ad seruitium Dei, per consequens omnia, quæ propter seipsum agit, virtualiter ordinat in ipsum Deum, nisi sint talia, quod à Deo abducant, quemadmodum sunt peccata. Et sic diligit homo Deum *ex toto corde*. Secundo oportet de necessitate præcepti, vt intellectum suum homo Deo subiiciat, ea credens quæ diuinitus traduntur, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Omnis quippe intellectus quantumcunque sapientia eleuatus, subiici debet doctrinæ Christi, & sic diligit homo Deum *tota mente.* Tertio oportet de necessitate præcepti, vt quæcunque homo amat in Deo, diligat ea & vniuersaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat. Proinde dicebat Apost. 2. Corinth. 5. *Sicut enim mente excedimus Deo*: vel contemplando, sicut fit in raptu, *siue sobrij sumus vobis*, vel verba humilia vel ædificatoria proferendo, *totum fit Deo*, id est ad honorem & gloriam Dei. Et de hoc reddit rationem dicens, *Charitas enim Christi*, idest charitas, *qua dilexit nos Christus*, & quam nobis exhibuit, *vrget nos, vt omnia propter Dei gloriam faciamus.* Et sic diligit homo Deum *ex tota anima.* Quarto oportet vt omnia exteriora nostra verba, & opera ex diuina charitate procedant, iuxta illud Apost. 1. Cor. 4. Omnia vestra in charitate fiant. gloss. interlinearis. Non causa inanis gloriæ, sed in charitate, eo quod ea quæ sine charitate facimus, non sunt meritoria vitæ æternæ.

4. expositio. *Qui perfectè in hac vita vult diligere Deum quatuor debet seruare primum.* *1. Cor. 10.* *Secundum.* *2. Cor. 10.* *Tertium.* *1. Cor. 5.* *Quartum.* *1. Cor. 4.*

R DOMI

DOMINICA XII. Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est de Amore inter Deum & animam, quique continet tres articulos, quorum unusquisque tria habet capita.

Articuli 1. De triplici signo per quod cognoscere potest homo si diligatur à Deo,

Cap.1. De primo signo eorum qui diliguntur à Deo, & de his qui tentationibus resistunt vel non resistunt.

Cap.2. De secundo signo & diversis indiciis, quibus per reprehensiones cognoscitur utrum Deus diligat seu odiat peccatores.

Cap.3. De tertio signo & variis indiciis, quibus per flagella cognosci potest quos diligit aut odit Deus.

Articuli 2. De triplici statu amoris animarum diligentium Deum,

Cap.1. De amore incipientium & de triplici æmulationis varietate.

Cap.2. De amore proficienti & quomodo per bona opera diversimode crescit.

Cap. 3. De amore perfecto & quomodo per pœnitentiam ad Deum diversis gradibus pervenitur.

Articuli 3. De triplici amore quo copulatur anima cum Deo amato,

Cap.1. Quantum Deus stimulat animam ut semper crescat in suo amore.

Cap.2. Quod quanto fidelius anima obsequitur voci Christi, tanto copiosius ei confert gratiam & amorem,

Cap.3. De prandio & cœna à Domino ab anima postulatu & sibi ab eo repromissis.

DE AMORE INTER DEUM ET animam.

Sermo. XIII.

Apoc.3. EGo *quos amo, arguo, & castigo*, Apoc. 3. Proinde Apoc. 3. & in septima ecclesia dilectis, & dilectoribus suis loquitur Christus, dicens: *Ego quos amo, arguo, & castigo: æmulare ergo, & pœnitentiam age. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum, & cœnabo cum illo,* Tres funiculi amoris Dei cum anima. *& ipse mecum.* In quibus sacris verbis tres amores, quasi tres funiculi animam cum Deo ligantes, per ordinem describuntur. Primus amor est Dei ad animam, secundus animæ ad Deum, tertius inter Deum, & animam,

ARTICULUS PRIMUS.

De triplici signo, per quod cognoscere potest homo, si diligatur à Deo.

PRimus inquam amor est Dei ad animam. Et de hoc Ioan. in persona Domini ait: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Quod verbum potest esse thema in præsenti articulo, cum solum de Deo sit sermo: secundum hunc primum amorem tria sunt hominum Tria sunt genera hominū qui à Deo diliguntur. genera dilectorum à Deo. Primum eorum, qui pugnant contra tentationes; quia inquit, *Ego quos amo.* Secundum est eorum, qui patienter portant reprehensiones: quia dicit, *arguo.* Tertium est eorum, qui cum patientia ferunt tribulationes: quia ait, *Et castigo.* Primum pertinet ad corda, secundum ad verba, tertium ad verbera: quasi sint tria, in quibus iuxta vulgare, Deus dimisit virtutem suam, scilicet verba, herbas & lapides.

De primo signo eorum, qui diliguntur à Deo, & de his, qui tentationibus resistunt, vel non resistunt.

CAP. I.

PRimum quidem genus hominum dilectorum à Deo, est eorum, qui pugnant contra tentationes. Et de hoc per Ioan. Dominus ait *Ego quos* Tria genera hominum qui tentationibus resistunt. *amo.* Huius quidem generis dilectorum à Deo tres sunt hominum varietates. Quidam aliquantulum tentationibus resistunt, quidam eis diu resistunt, alij vero semper eis resistunt, licet sint rari. Primi sunt, qui aliquantulum resistunt tentationibus mortalis culpæ, quas suscitant contra animam diabolus, caro, & mundus. Cum enim quis tentationibus aliquandio resistit, nec subito ab eis se superari permittit: tantum meretur à Deo diligi, quantum ipsis tentationibus contradicit. Et hos Dominus tentari permittit; ut erudiantur ad pugnam. Proinde Ecclesiast. 34. *qui non est tentatus,* Eccles.34. *quid scit?* Secundi vero diu resistunt tentationibus malis: tandem cum displicentia, & dolore eis succumbunt. Et hi amplius, quàm præcedentes merito à Deo diliguntur: cum in eis de suo plus inuenit Deus. Et hos Deus tentari permittit: ut humilientur ad victoriam. De talibus Lucæ Luc.8. octauo Dominus ait, quod *ad tempus credunt, & in* Bern. *tempore tentationis recedunt.* Proinde Bernardus ait: Multi audientes disputationem contra auaritiam, & luxuriam, dicunt, contemptores sæculi, & castos homines esse beatos. Sed ubi species concupiscibiles eorum obtutibus præsentantur, mox recedit ab eis quicquid prius rectè cogitauerant. Tertij sunt, qui in tentationibus agitati eas vincendo superant, & triumphales victores tentationes prosternunt, & absque mortali culpa se seruant in gratia Dei, & viuunt. Et hi sunt dilectissimi Dei, quos etiam Deus tentari permittit: ut exaltentur ad gloriam. Nam ut scribitur 2. Petr. 2. *Nouit* 2.Pet.2. *Deus pios de tentatione eripere.* Et Iac. 1. dicitur: Iacob.1. *Beatus vir, qui suffert tentationem,* &c. Hanc coronam tribuit eis, qui legitimè & triumphaliter certant. Sicut Apostolus 2. Tim. 2. ait: *Non coronabi-* 2.Tim.2. *tur, nisi qui legitimè certauerit.* De his tertiis principaliter Dominus ait: *Ego quos amo.* Amat tamen sicut prædictum est prædicta duo hominum genera contra tentationes pugnantium, tanto tamen amplius, quanto in eis maior resistentia reperitur. Tria insuper alia hominum genera occultè odit Tria genera hominum occultè odit Deus. Deus. Primi sunt, qui tentationibus non resistunt: sed eis absque ulla repugnantia assensum præstant: secundos autem maiori odio habet, videlicet eos, qui non tantum tentationibus assensum præbent, verum etiam cum gaudio suscipiunt tormenta. Tertij quoque sunt, quos odit in summo Deus, scilicet eorum, qui non tantum venientibus tentationibus assensum præbent, & cum iucunditate suscipiunt: verum etiam tentationes, & tentatores anxio desiderio præstolantur, vel quærunt, vel tardantem tentationem cum toto De pœ.dist. 5.c.1. peccandi studio præueniunt. De talibus, de pœnit. dist. 5. cap. 1. Augustinus ait: Sunt qui non solum non vincuntur: sed ultro peccato se offerunt, nec expectant tentationem: sed præueniunt voluptatem. Isa.57. Tali animæ. Isa. 57. Dominus ait, *misisti legatos tuos procul.* Hi legati sūt cogitationes, & affectiones malæ: sequitur,

sequitur,& humiliata es vsque ad inferos in sceleribus tuis. Hi profectò non habent in se vnde diuino amore sint digni: nec frustra Christus operam suam erga eos dignatur expendere,sicut & medicus in desperato ægro laborare non curat. Grauis profectò infirmitas, de cuius salute medicus cœlestis desperat,qui *venit quærere, & salaum facere, quod perierat*,Luc. 19. Talis siquidem motus ad peccandum tentatio minimè potest dici: cum in tentatione repugnantia propriè sit,non delectatio mentis. Porrò hic peccandi modus non tantum peccatum,sed pœna quoque peccati est,de quo per Prophetam Dominus ait: *dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis*: in quibus verbis triplex huius peccati pœna subinfertur.Prima est in peccantis effrænatio,secunda peccatorum adinuentio, tertia peccatorum punitio,seu damnatio. Prima pœna est in peccatis effrænatio. Ait enim:*Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*:quasi dicat. Non flagellaui eos,vt filios:sed vt seruos reprobos: dimisi eos liberè sequi concupiscentias suas. Et de talibus Propheta ait:*In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Proinde tali animæ per Ezech. 16. Dominus ait: *Auferetur zelus meus a te: & quiescam, nec irascar amplius*. Sed caue infelix peccator. Nam ita Dei maximè contra peccatores sæuit, quando eos peccare sinit,& non punit: flagellare autem delinquentes manifestum signum est misericordiæ eius. Vnde 2. Machab. 6. cap. scriptum est: *Multo tempore non sinere peccatorib. ex sententia agere,sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium*. Et post de reprobis subinfertur. *In aliis nationibus Deus patienter expectat: vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat*. Secunda pœna est peccatorum adinuentio ex propria ,scilicet iniquitate, non ex dæmonum malignitate. Et hoc est præcepto sequi solet. Vnde additur à Propheta: *Ibunt in adinuentionibus suis*. Hoc est in peccatis nouis, quæ adinuenient, proficient eontes de peccato in peccatum absque diaboli tentamento. Proinde sancta Syncletice ait: Non omnes tentationes ex suggestione dæmonum sunt: sed quemadmodum nauis nimis onerata , absque vento submergitur , sic mens impia ex pondere peccatorum suorum ruit in scelera multa,iuxta illud Esa. 57.cap. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest: & redundant fluctus eius in conculcationem , & lutum*. Tertia pœna est peccatorum punitio, seu damnatio , quæ denotatur cum inquit,*Ibunt*. Ire enim motum dicit, & terminum quærit. Finis autem motus , & viæ omnium peccatorum,est infernus. Recte igitur dicitur:*Ibunt*, scilicet in infernum: & hoc *in adinuentionibus suis*, quasi in quibusdam vehiculis , quibus ad inferos portabuntur,iuxta illud Osee 12.cap.*Iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei*,scilicet Dominus Deus iustus.

[Luc.19.] [Psal.] [Psal.72. Ezech.16.] [2.Mac.6.] [Esa.57.] [Osee 12.]

De secundo signo,& diuersis indiciis , quibus per reprehensiones cognoscitur: vtrum Deus diligat,seu odiat peccatores.

CAP. II.

[Secundum hominum genus, quod Deus amat.] [Tripliciter arguit Deus.]

Secundum hominum genus, quod Deus amat, est eorum , qui patienter sustinent reprehensiones. Et de hoc per Ioan. Dominus ait: *Arguo*, scilicet *quos amo*. Qui enim motui impendent, non totaliter succumbunt: sed aliqualiter reniturtur , adhuc aliquid habent , quo mereantur amari à Deo, sicut prædictum est. Et si sunt, quos arguit Dominus , quod quidem efficit triplici modo,id est tripliciter reprehensione. Primò per internam inspirationem , secundo per supernam correptionem , tertio per publicam prædicationem. Primo enim arguit Deus per internam inspirationem ,scilicet in corde peccatoris factam, dicens animæ illud Prophetæ , *Filia Babylonis misera*,&c. & Osee 2.ait Dominus de anima peccatrice:*Ego lactabo eam* ,scilicet inspirando in eam aliquam dulcedinem spiritualem : *& ducam eam in solitudinem* ,scilicet conscientiæ internæ: *& loquar ad cor eius* ,scilicet arguendo,increpando, suadendo, confundendo , & exprobrando , comminando , alliciendo,promittendo, dicens illud Isa. 23. cap. *Sume tibi cytharam , circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita*. Porrò instinctu interiori spiritus sui mentem arguit Deus: vt ei turpitudinem suam ostendat ad suæ superbiæ humiliationem:proinde Ioan. 16. Dominus ait: *Cum venerit ille spiritus veritatis*, scilicet inspiratus in mentem : *arguet mundum de peccato , & de iustitia, & de iudicio*. De peccato quidem arguit scelerum commissorum adducendo pudorem.De iustitia arguit de defectione eius immittendo dolorem. De iudicio arguit futuri iudicij suggerendo timorem. Secundo vero arguit Deus per fraternalem correptionem : iuxta regulam à Domino datam, Matthæi 18 vbi scriptum est: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum inter te , & ipsum solum*, &c.Ad hoc hortatur Salomon, Prouerb. 9.*Argue sapientem, & diliget te*. Et iterum. 25. *In auris aurea ,& margarita fulgens,qui arguit sapientem*.

[Psal.136. Osee 2.] [Esa 23.] [Ioan.16.] [De quibus arguit Spiritus sanctus.] [Matth.18.] [Prou 9. & 25.]

Tertio arguit per publicam prædicationem, mittendo ad ciuitates,& terras prædicatores, quod verè est signum magnæ misericordiæ Dei , sicut Iob 37.mystice insinuat dicens:*Nubes*, id est prædicatores , qui pluunt veritatis doctrinam ,*spargunt lumen suum*,id est luminosam doctrinam suam , quæ illustrant cuncta per circuitum,quocunque eas voluntas gubernantis duxerit ad omne , quod præcipit illis super faciem orbis terrarum:siue in vna tribu,siue in terra sua,siue in quocunque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri. Vnde veritatis prædicatoribus quasi ab eo missis nubibus, Matth. 10. Dominus ait: *Non enim vos estis,qui loquimini:sed spiritus patris vestri,qui loquitur in vobis*:& Exod.4.dicit Dominus ad Moysen ,id est ad veritatis Doctorem:*Ego ero in ore tuo, & docebo te,quid loquaris*. Porrò tales audiendi sunt,& præcepta eorum implenda.Nam sicut Gregor.ait : Omnis qui rectè prædicat,si audiatur , iram irritati creatoris super præuaricantem populum placat. Et iterum Propheta inquit : *Si populus meus audisset me : Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*. Audisset me inquam , scilicet credendo,& obediendo , hoc est opere adimplendo, sicut Rom. 2. Apostolus ait : *Non auditores legis iusti sunt* , scilicet apud Deum : sed factores iustificabuntur : sequitur: *Israel si in viis meis ambulasset* , id est in præceptis meis,quæ sunt viæ meæ, quas feci , per quas venitur ad me. Si inquam ita fecisset, *pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, id est inuisibiles dæmones,visibiles homines , vitia & peccata in tantum,quod essent pro nihilo. Quod autem ait,*forsitan* ironia est,quasi dicat: verè fecissem hoc. Prædicatori ergo Dominus per Prophetam præcepit , dicens: *Increpa feras arundinis* , id est elatos , vacuos , & superbos *congregatio taurorum in vaccis populorum* , scilicet increpentur à te. Et hi sunt lasciui , & luxuriosi.Et prædica insuper: *Et excludant eos, qui probati sunt argento*: & hi sunt vsurarij, & cæteri cupidi, & auari: vt mysticè innuatur,quod ista vitia arguenda,& redarguenda sunt, in quibus cætera mundi vitia comprehenduntur. Et 2. Tim. 4. Apostolus dicit prædicatori; *Argue , increpa , obsecra in omni patientia, & doctrina*. Tria quoque genera hominum prædictis opposita odit, seu non diligit Deus. Primum est eorum,qui obuiant & impugnant diuinas inspirationes:secundum, qui impatienter ferūt reprehen-

[Matth.10.] [Exod.4.] [Gregor.] [Psal.80.] [Rom.2.] [2.Tim.4.] [Tria adhuc hominum genera ipsis opposita odit Deus.]

siones : tertium, qui deteriorantur per prædicationes. Primum est eorum, qui obuiant, seu impugnant diuinas inspirationes : vnde Dominus merito dedignatur, & indignanter talibus per Oseam cap. 4. comminatur, dicens : *Non visitabo*, scilicet per inspirationem *super filias vestras, cum fuerint fornicatæ : & super sponsas vestras, cum adulterauerint.* Secundum est eorum, qui impatienter ferunt reprehensiones. Proinde Prouerbior. 9. Salomon admonet, dicens : *Noli arguere derisorem, ne oderit te*, id est si oderit te. Non hoc propter te : sed propter se, scilicet ne deterior fiat te odiendo, cum fraterna correptio pro emendatione, non pro fratris deterioratione instituta sit. Tertium est eorum, qui deteriorantur propter prædicationes. Et de hoc Hierem. 7. Dominus dicit : *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene sit vobis : & non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam : sed abierunt in voluptatibus, & in prauitate cordis sui mali* ; & sequitur, *Et misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem consurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam : sed indurauerunt ceruicem suam, & peius operati sunt.* Contra tales. Matt. 10. Dominus prædicatoribus suis ait : *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : euntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium contra eos. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati.* Proinde Luc. 10. Dominus ait : *Qui vos audit me audit : & qui vos spernit, me* Porrò qui Deum spernit, in amore aut in gratia eius esse non potest.

Osee 4. Prou. 9. Hier. 7. Matth. 10. Luc. 10.

De tertio signo, & variis indiciis, quibus per flagella cognosci potest, quos diligit, aut odit Deus.

Cap. III.

Tertium genus hominum, quod diligit Deus.

TErtium genus hominum, quod diligit Deus, est eorum, qui scilicet cum patientia portant tribulationes. Quia enim quidam nimis sunt graues, & propriæ salutis immemores. Propterea Dominus addit castigationem : ideo inquit *castigo* ; id est castifico, vel castum facio, secundum etymologiam : quod maximè fit per diuina flagella, quæ maxime tria sunt, secundum quod in mundo regnant tria principalia mala, scilicet superbia, luxuria, & auaritia : superbia in mente, luxuria in carne, auaritia verò in diuitiis huius mundi, iuxta verbum Ioan. 1. Ioan. 2. *Omne quod est mundo*, &c. Primò pro humilianda superbia dantur bella, secundò pro flagellanda luxuria dantur pestes, tertiò pro castiganda auaritia dantur patriarum exterminia, & sterilitates, quæ sunt tria indicia diuini amoris, licet sensualibus videantur dura : propterea *Castigo*, inquit. Primo pro peccatis superbiæ dantur bella, permittuntur & diuisiones : vnde Isa. 42. in fine. *Dominus ipse est, cui peccauerunt, & noluerunt in viis eius ambulare, & non audierunt legem eius : & effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum & combussit eum in circuitu, & non cognouit*, scilicet prius, *& succendit eum, & non intellexit* ; & Matth. 12. *Omne regnum contra se diuisum desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se non stabit.* Secundo pro peccatis luxuriæ, & maxime contra naturam, immittuntur à Deo pestes. Vnde Deuteronom. 28. *Si non audire volueris vocem Domini*, &c. *adiunget tibi pestem, donec consumat te Dominus ?* sequitur, *& percutiet te Dominus egestate, febri, frigore, ardore, & æstu, & aere corrupto, atque rubigine, & persequetur te donec pereas.* Pestis enim propterea à Deo mittitur : vt ex subita admiratione mortis homo plus

1. Ioan. 2. Quibus flagellis hæc vitia puniuntur. Isa. 42. Matth. 12. Deut. 28.

paueat mortem, & fugiat illud peccatum, propter quod tale flagellum datur. Tertio propter peccatum auaritiæ dantur exterminia patriarum, ac sterilitates. Et de hoc intelligi potest, quod Dominus Isa. 57. ait : *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum*, scilicet prædictis flagellis : Isa. 33. iterum scriptum est : *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis.* Hæc igitur sunt tria indicia diuinæ dilectionis. Amorosa quippe mater filium proprium castigat, non alienum : & Apostolus Hebr. 12. cap. ait, *Quem enim diligit Dominus castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit* : sequitur, *Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis*, &c. & August. ibidem in glossa ait : Qui exceptus est à numero flagellorum, exceptus est à numero filiorum : proinde Prouerb. 3. cap. admonet Sapiens dicens : *Disciplinam Domini fili mi, ne abiicias, nec deficias cum ab illo corriperis : quem enim diligit Deus, corripit : & quasi pater in filio complacet sibi*, scilicet si patienter, & æquanimiter portet aduersitatem. Tria quoque opposita antedictis manifeste ostendunt, quos in talibus odit Deus, videlicet eos qui deteriores fiunt, & amplius indurantur. Primò ex bellis, secundò ex pestilentiis, tertiò ex exterminiis, & sterilitatibus. Primo considerent qui ex bellis deteriores, & indurati effecti sunt, quod Salomon Prouerb. 29. annunciat eis dicens : *Viro qui corripientem se*, scilicet Deum, qui corripit superbiam per bella *dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Et hoc idem Ecclesiast. 19. attestatur, dicens : *Qui odit correptionem*, scilicet bellorum : *minuetur vita*, id est diu non viuet. Ratio autem huius ponitur Prouerb. 17. vbi dicitur : *Plus proficit correptio apud prudentem*, id est humilem, *quam centum plagæ*, scilicet bellorum apud stultum, id est superbum. Secundo insuper ponderent, qui deteriores, & duriores fiunt ex peste, quod Prouerb. 15. Salomon ait : *Non amat pestilens* id est luxuriosus, & Sodomita : *eum* scilicet Deum, *qui se corripit*, scilicet tempore pestis, *nec ad sapientes*, scilicet confessores *graditur*, videlicet pro pœnitentia assumenda. Tertio quoque aduertant, qui deteriorantur & indurantur ex exterminiis, & sterilitatibus, quod in eis verificatur, quod Ecclesia. 1. dicitur : *Peruersi difficile corriguntur.* Peruersi sunt cupidi, & auari, qui peruertunt affectum à cœlestibus ad terrena, qui per prædicta flagella difficile corriguntur ; vt merito de ciuitate, vel terra, vel patria, vel anima verificetur, quod Hierem. 51. in persona prædictorum flagellorum Dei dictum est : *Curauimus Babylonem, & non est sanata*, id est fuimus ei causa sanationis, & conuersionis, & non est emendata : sed timeo, & valde pertimesco, verificari in multis de vobis, quod Ioan. Apocal. 9 dicit : *Væ vnum abiit, & ecce adhuc duo væ veniunt post hæc* : quod verbum quomodo intelligi debeat, dictum est circa finem.

Isa. 57. Isa. 33. Hebr. 12. August. Prou. 3. Prou. 29. Eccles. 19. Prou. 17. Prou. 15. Qui flagellis non emendantur sunt pessimi. Eccles. 1. Auari sunt Peruersi. Hier. 51. Prou. 9.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De triplici statu amoris animarum diligentium Deum.

Secundus principalis amor. Triplex status amoris.

SEcundus principalis amor, est animæ ad Deum. Ad hoc Ioan. inquit : *Æmulare ergo & age pœnitentiam.* Quod verbum potest esse etiam thema in præsenti articulo. In quibus verbis triplex amoris status per ordinem denotatur. Primus est incipientium, secundus proficientium, tertius perfectorum,

De amore incipientium, & de triplici æmulationis varietate.

C a p. I.

Primus est incipientium. PRimus amoris status est incipientium, & de hoc Dominus animæ exhortatoriè, ait: *Æmulare.* In bonum, & in malum sumitur æmulari. Vnde æmulari, est sequi per inuidiam, vel amorem. In malum sumitur. 1. Corinth. 13. *Charitas non æmulatur in bonum.* *Cor.13.* 1. Corinth. 12. *Æmulamini charismata meliora.* *Cor.12.* Et tunc componitur ab æmulor æmularis. Vnde versus,

Æmulor inflatur, amat, inuidet, ac imitatur.

Æmulari igitur sumitur hic pro desideranter, & amorosè sequi. *Tria desideria distinguuntur. Primum mortuum.* Tria desideria, seu æmulationes per ordinem distinguamus. Primum est mortuum, secundum est frigidum, tertium est tepidum. Primum desiderium est mortuum, quod quidem est in his, qui absque bono opere, immo cum impia vita, dummodo sciant quid agendum sit, iuxta iudicium hominum, qui foris vident, hoc est: quia alij hoc credunt, secundum sententias eorum sperant salutem adipisci. Sicut contingebat Pharisæis, qui cum audirent Dominum prædicantem, & cupidinem detestantem: vt testatur Luc. 16. cap. *Luc.16.* *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Dominus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* *Secundum est frigidum.* Secundum est frigidum, & hoc est in eis, qui adipisci vellent salutem, & in virtutibus exerceri: sed absque labore, & expensis, id est saluo l'hauere, & la persona. De quibus patet exemplum Matth. 19. & Luc. 18. de iuuene, cui Dominus ait: *Math.19. Luc.18.* *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia,* &c. Cum autem audisset à Domino verba hæc, abiit: Tristis erat enim habens multas possessiones. Quod verbum copiosius exponitur in Quadragesimali in Euangelio æterno, sermone 14. artic. 8. *Tertium est tepidum.* Tertium autem desiderium dici potest, & est illorum qui virtuosè viuere concupiscunt, & labores subire: sed ea tepiditate de die in diem procrastinant inchoare bonum. De talibus patet exemplum, Matth. 8. & Lucæ 9. *Math.8. Luc.9.* vbi scriptum est, quòd *quidam discipulus Christi dicit ad eum: Domine permitte me ire primum, & sepelire patrem meum. Cui Dominus respondit: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Secundum mysticum intellectum, quasi dicere velit: longè factus à desiderio mortuo, & à desiderio frigido, & aliquid caloris in tepiditate iam habes, progredere in melius, noli abire retrorsum ad desiderium mortuum, à quo iam elongatus es. Ad hoc etiam Chrysost. super Matth. exponens prædictum verbum, *Nihil ita necessarium quam negotium rerum cœlestium.* sic inquit: Hæc Dominus ait, non iubens contemnere honorem, qui est ad parentes, sed monstrans, quoniam nihil cœlestibus negocijs nobis necessarium magis esse oportet, & quoniam toto studio his iungi debemus, & neque parum tardare, etiam si valde ineuitabilia incitantia fuerint, quæ attrahunt. Quid enim magis necessarium, quam sepelire patrem? quid etiam facilius? Neque enim multum tempus consumendum erat: sed diabolus instat attentius volens aliquem aditum inuenire, & si modicam seruat negligentiam, magnam cooperatur pusillanimitatem: proinde Ecclesiast. 5. *Eccles.5.* admonet dicens: *Ne tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem.* Nihil enim aliud inde docemur, nisi quod minimum temporis frustra deiicere docet, & dissimulare cogentia, quanto præferre spiritualia cunctis etiam admodum necessariis. *Duæ sunt tepiditates.* Est nihilominus aduertendum, quod duæ sunt tepiditates ex opposito laborantes. Prima est, quæ descendit à calore in frigus. Et hæc Apocal. 3. mirabiliter vituperatur à Christo, *Apoc.3.* cum ait: *Vtinam calidus esses, aut frigidus,* id est calidus per feruentem amorem: aut frigidus per humiliantem amorem: *sed quia tepidus es,* id est absque amore, atque timore, *incipiam te euomere ex ore meo,* scilicet tanquam cibum abominabilem, & inuisum. Secunda tepiditas ascendit à frigido ad calorem, & hæc amoris caliditas in peccatoribus initium sumit, & laudabilis est. Et de hac loquimur in præsenti, atque de ista dicit Dominus. *Æmulare,* id est in sancto desiderio cresce.

De amore proficienti, & quomodo per bona opera diuersimode crescit.

C a p. II.

SEcundus amoris status est proficientium, atque de illo Dominus ait: *Et age.* *Secundus amoris status est proficientium.* Mira quippe est natura operum virtuosorum, ad quod vel charitatem in anima generant, vel iam generatam magnificant, & dilatant: quemadmodum & corporaliter laborare, vel calorem in homine frigido excitat, aut iam calidum hominem plus inflammat. Meritò ergo Dominus ad bene operandum iustum hortatur dicens: *Et age.* id est labora, *vt bonus miles Christi,* vt dicitur 2. Tim. 2. *2.Tim.2.* Proinde Cantic. 5. *Cant.5.* cum describeret Salomon hominem iustum, inquit, *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis.* In quibus verbis ponuntur tria, per quæ proficit de bono in melius anima iusti, velut sint tres gradus animæ proficientis. *Sunt tres gradus animæ proficientis.* Primus est amor operans, secundus amor diligens, tertius amor eleuans. Primus est amor operans & de hoc dicit: *Primus gradus.* *Manus illius tornatiles,* id est aptæ ad tornandum meritò nominantur, eo quod per considerationem defectuum in bonis operibus commissorum humiliando se despicit & contemnit. Tornus enim dicitur à torqueo, ques: quod instrumentum est, cum quo vasa tornantur: & inde hic & hæc tornatilis, & hoc tornatile, id est quod est habile ad tornandum, quod quidem contingit operibus iusti in virtutibus proficientis. Vnde in torno plura considerantur. *In torno plura considerantur.* Primo baculus sursum eleuans est intentio recta in omnibus operibus suis, scilicet ad Deum se erigens, iuxta Propheticum dictum, *Ponebā Dominum in conspectu meo semper.* Secundò pes deorsum deprimens, est fortis conatus in bonis operibus se exercens, Ecclesiast. 9. *Quodcunque potest manus tua instanter operare.* Tertio corda sursum, & deorsum trahens, est Dei gratia, omnia bona in nobis operans, & perficiens in declinando malum, & faciendo bonum. Ad Philippen. 1. *Operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Quarto acuto ferro aliquo superfluum remouens, & euacuans vasa: quia iustus subtili examinatione bona sua perscrutans opera, semper in eis defecisse se conspicit, iuxta documentum Apostolis à Christo datum, Luc. 17. *Luc.17.* vbi ait: *Cum hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* Exemplum Beati Francisci, qui cum iam ad culmen perfectionis venisset: sociis suis dicebat. Incipiamus iam aliquid boni agere: iuxta illud Ecclesiast. 18. *Eccles.18.* cap. *Cum consummauerit homo,* scilicet iustus: *tunc incipiet: & cum quieuerit,* scilicet in summa perfectione contemplationis: *tunc operabitur,* id est non in totum derelinquet actiuam vitam. Quintò velociter operatur: quia feruenter absque negligentia, & torpore debemus exerceri in bonis operibus. *Eccles.32.* Ecclesiast. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox: & omnis infirmitas,* scilicet spiritualis, *non occurret tibi.* Duplex ferrum, in quo voluitur lignum, est ratio, & voluntas, quibus iustus meritoriè operatur. Ecclesiast. 15. *Eccles.15.* *Deus ab initio constituit hominem, & dimisit eum in manu consilij sui.* Duo ligna, in quibus infixa sunt ferra, sunt duo cum

quibus instus operatur bona scilicet corpus, & ani-
Deut 4. ma, Deut. 4. cap. dictum est in fine omnium prædicto-
rum: *Custodi igitur teipsum*, id est corpus tuum, &
2. gradus. animam tuam sollicitè. Secundum autem, per qnod
proficit anima insti, est amor diligens. Proinde Salo-
mon subdit: *Aurea*, scilicet sunt manus, & opera iusti:
Aurum siquidem non putrescit, & pretium est ven-
dibilium rerum. Et perseuerans charitas, pretium est
Matth 10. omnium, quæ operatur iustus, Matth. 10. *Qui autem
perseuerauerit vsque in finem*, scilicet in aureis operi-
3 gradus. bus charitatis, *hic saluus erit*. Tertium vero, per qnod
proficit anima viri iusti, est amor eleuans. Et de hoc
Salomon dicit: *Plena hyacinthis*, scilicet sunt opera
viri iusti. Hyacinthus est quidam flos, quidam etiam
lapis pretiosus nominatur hyacinthus: quia habet
purpureum, & aereum, ac cœruleum colorem admo-
dum illius floris. Et signat cœlestia bona, quæ scilicet
promittuntur proficientibus in operibus factis, re-
spectu cœlestium præmiorum: vnde mystice 2. Para.
2. Para. 2. 2. Dominus Ecclesiæ loquens de viro proficienti, &
iusto inquit: *Mitte mihi*, scilicet ad cœlum *virum eru-
ditum, qui nouerit operari in auro, & hyacintho*, id est
qui operatur in charitate pro cœlesti regno.

De amore perfecto, & quomodo per pœnitentiam ad Deum diuersis gradibus inuenitur.

Cap. III.

Tertius est status perfectionis. Tertius est status perfectorum: & de hoc Domi-
nus ait, *pœnitentiam*, scilicet *age*. Omne quidem
insolitum bonum, primum pœnale est, antequam in
consuetudinem perducatur. Idcirco cum pœnalitate,
& pœna seruari solet. Et hæc est profecto pœniten-
tia vera: quod scientia salutis dictauerit cum diffi-
Etymologia pœnitentiæ. cultate & pœna, voluntate & opere obseruare. Vnde
secundum etymologiam pœnitentia dicitur quasi
pœnæ tensio, eo quod amorosa voluntas teneat pœ-
nam. Quemadmodum patet in duobus principali-
bus lignis, quæ constituunt crucem. Nam lignum
sursum erectum tenet, & portat lignum transuersum:
sic & amor portat in patientia, & pœnitentia pœ-
In sacrificio animalium septem seruabantur. nam. At econtra in cruce Simonis Cyrenæi. In huius
mysterio Leuit. 1. in sacrificio animalium septem ob-
seruabantur. Primo animal ab aliis segregatum liga-
Primum. batur, secundo mactabatur, tertio sanguis eius effun-
debatur, quarto excoriabatur, quinto diuidebatur,
sexto lauabatur, septimo super altare positum crema-
Psal. 11. batur. Primo inquam ab aliis segregatum ligabatur,
sic cor à peccandi proposito segregatum à conscien-
tia ligari debet exemplo Prophetæ, qui de se ait:
Ezech. 41. *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*. Et Ezech.
4. tali animæ pœnitenti Dominus ait: *Ecce circunde-
di te vinculis, & non te conuertes à latere tuo in latus
Secundum. aliud*, scilicet per peccatum. Secundo autem macta-
batur: sic & pœnitens tunc mactatur, quando non
propriam, sed Dei in opere suo quærit facere volun-
Psalm. 148. tatem, atque fideliter orat cum Propheta, Domino
dicens: *Doce me facere voluntatem tuam*, Et illud Matt.
Matth. 6. 6. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo*, scilicet meæ mentis:
sic & in terra, scilicet meæ carnis, quæ aduersus spi-
Tertium. ritum concupiscit. Tertio sanguis animalis effun-
debatur: sic sanguis carnalis delectationis omnino
Galat. 5. ab anima fundi debet: quia vt dicitur ad Galat. 5.
*Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus
Quartum. carnem*: hæc enim sibi inuicem aduersantur. Quarto
excoriabatur, quod fit per pomparum, & vanitatum
abiectionem, & honesti habitus assumptionem,
Eccles. 11. iuxta illud Ecclesiast. *In vestitu ne glorieris vnquam*.
Sed aduertendum est, qnod quanto pellis animalis
subtilior est, tanto difficilius excoriatur caput, quam
cætera membra: sic & delicatiores, atqne maiores
difficilius deponunt curiositates, & vanitates, quam
personæ simpliciores. Insuper sicut anguilla, quæ
habet lubricam pellem, vix teneri potest ad exco-
riandum: sic lubrici iuuenes, & mulieres cum ma-
gna difficultate per Prædicatorem, vel Confesso-
rem lasciuis vestibus priuari possunt. Sed de Deum
timente, Iob 2. dicit: *Pellem pro pelle*, id est vestem Iob 2.
curiosam & vanam, pro veste honesta, atque Chri- Quintum.
stiana: vel vestem vitiorum, *& omnia quæ habet homo*,
id est omnia temporalia, quæ habet iustus, *dabit pro
anima sua*, scilicet in æternum saluanda. Et sicut in Qui mundo
excoriatione animalis viui est dolor: sic qui mundo viuit difficile
viuit, nec mortuus est peccato, absque magno dolo- se separat
re lasciuis indumentis priuari non potest: hoc in fru- ab eius blandimentis.
sta diuidebatur. Tunc siquidem membra à se inui-
cem diuiduntur, qnando nullum mortalis corporis
membrum, nec oculus cordi, nec oculo manus, &
sic de cæteris in peccati officio subministrat. Proin-
de Matth. 5. Dominus ait: *Si oculus tuus dexter scan- Matth. 5.
dalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi,
vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus
tuum eat in gehennam ignis. Et si dextera manus tua
scandalizet te, abscinde eam, & proiice abs te, expedit*,
&c. Sexto lauabatur. Nam etsi cum omnibus supra- Sextum.
dictis vitam duxerimus innocentem, nihilominus
saltem peccata venialia committemus. Nam teste
Ioan. prima ep. c. 2. *Si dixerimus, quia peccatum non* 1. Ioan. 2.
habemus, scilicet veniale, sine qno humana vita
transire non potest: *ipsi nos seducimus, & veritas in
nobis non est* sed vetus pœnitens obseruat propheti- Psal. 6.
cum illud, *Lauabo per singulas noctes*, &c. Septimo,
super altare positum cremabatur. Cor hominis est
altare, quasi alta res, de quo præceptum est, Leuit. 6. Cor hominis
Ignis, scilicet diuini amoris, in altari semper arde- quasi altare.
bit. In igne igitur huius altaris fit hoc sacrificium Psal. 50.
sanctum. Et ad hoc hortatur Propheta, dicens: *Sa-
crificate sacrificium iustitiæ*. Qui ergo in hoc sacrificio
iugiter perseuerat, citò ad hoc culmen perfectionis
ascendet: vt non iam cum difficultate, & pœna opus
bonum perficiat; sed ignis diuini amoris in altari
cordis succensus pœnitentem non solum, cum de-
lectatione interna opus bonum perficere faciet, ve-
rumetiam quicquid carnale in eo prius fuerat, diui-
ni amoris incendio consummet.

Articulus Tertius.

De triplici amore, quo copulatur anima cum Deo amato

Tertius amor est inter Deum, & animam. Et de Tertius amor
hoc Ioan. subdit: *Ecce sto ad ostium*, &c. In
quibus sacratis verbis triplex amor insinuatur, quo
anima copulatur cum Deo. Primus dicitur amor sti-
mulatus, secundus amor multiplicatus, tertius amor
remuneratus.

Quantum Deus stimulat animam: vt semper crescat in suo amore.

Cap. I.

Primus autē est amor stimulatus. Et de hoc Ioan. Primus amor
inquit: *Ecce sto ad ostium, & pulso*. Ostium enim stimulatus.
mentis voluntas est, seu consensus eius, quod & bo- Ostium mentis voluntas.
no, & malo à libertate arbitrij per assensum, & dis- Eccle. 15.
sensum aperiri, & claudi potest. Ex quo patet, qnod
liberum arbitrium portarius est ad aperiendam
hanc ianuam voluntatis: quemadmodum Eccle-
siast. 15. scriptum est: *Deus ab initio constituit homi-
nem, & dimisit eum in manu consilij sui*. Porro cum Vnumquodque
vnumquodque diligibile sit, secundum quod bo- diligibile sit
num est: bonitas autem Dei cum sit infinita, infinitè cum sit
diligi debet. Infinite autem diligere eum impossibile bonum est.
est

est cuilibet creaturæ: cum nullius virtutis finitæ potest esse infinitus actus: propterea ad hoc non obligamur. Insuper in præsenti vita non plenè, atque completè, & perfectè impleri potest præceptum de diuina dilectione, sicut implebitur in beatitudinis regno. Tamen semper quilibet proficere potest in amore Dei, licet sit anima sancta, & perfecta. Vnde Philipp. 3. cap. Apostolus de se ait: *Non quod iam acceperim*, scilicet perfectum amorem, sicut beati, *aut quod iam perfectus sim*: vt non possim amplius proficere in amore: *sequor autem si quomodo apprehendam*. Et post modicum subdit: *Quicunque ergo perfecti sumus, sentiamus*. Ex quibus verbis apertè colligitur, quod & si non sit nobis possibilis in præsenti vita perfectio comprehensorum, æmulari tamen debemus, vt in similitudinem perfectionis illius, quantum possibile est, nosmetipsos trahamus. Et in hoc perfectio huius vitæ consistit: proinde Dominus stans ad ostium voluntatis pulsat, scilicet stimulando: vt in illius amore crescamus, & nunquam in amando terminum statuamus. Homo enim ex infectione naturæ ad corruptionem, & imperfectionem pronus est, nisi à Domino stimuletur, & ad spiritualia attrahatur: proinde Ioan. 6. à Domino dictum est: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit illum*, scilicet solicitando, & stimulando ad meliora. Duodecim enim stimulis excitat, & sollicitat nos Deus ad suum amorem. Primus stimulus est Dilectio Dei, dum anima considerat, quis eam amat: quia summus bonus, quantum eam amat: quia ad mortem Filij sui, quare eam amat: quia non propter se; sed propter illam. Secundus est passio Christi. Stimulat enim ad considerandum, quantus est, qui patitur: quanta sunt, quæ patitur: qua de causa patitur. Tertius est largitas donorum: dedit enim dona spiritualia, corporalia, & temporalia. Quartus est inquinatio animarum, considerando peccatorum multitudinem, magnitudinem, ingratitudinem, & turpitudinem. Quintus pulchritudo virtutum: considerando quantum per eas anima decoratur, nobilitatur, & deiformatur. Sextus est perfectio Sanctorum, considerando puritatem virginum, fortitudinem martyrum, atque prudentiam, & lumen Doctorum. Septimus est abominatio peccatorum, scilicet considerando inquinamenta luxuriarum, & superbiarum, & auaritiarum. Octauus est multiplicatio tentamentorum, considerando tentationes multiplices mundi, carnis, & dæmonis, quæ alliciunt, seducunt, & decipiunt. Nonus est affligentes pœnæ, considerando pœnas, quas homo patitur in hoc mundo, in purgatorio, & in inferno. Decimus est conditio humanæ vitæ, considerando breuitatem, labilitatem, incertitudinem. Vndecimus est natura diuinæ gratiæ, considerando quantum est desideranda, quantum æstimanda, quantum custodienda. Duodecimus est præmium æternæ gloriæ, considerando iucunditatem, societatem, & æternitatem. Vel possunt hic adaptari duodecim amoris stimuli, de quibus dictum est in Quadragesimali de Euangelio æterno, sermone 56. in fine secundæ partis principalis, Dominicæ Passionis: nam & illi etiam incitant animam ad diuinum amorem.

Quilibet proficere potest in Dei amore.

In quo perfectio vitæ consistat.

Ioan. 6.

Duodecim stimulis nos excitat Deus.
1. Stimulus dilectio Dei.
2. Passio Christi.
3. Largitas donorum.
4. Inquinatio animarum.
5. Pulchritudo virtutum.
6. Perfectio Sanctorum.
7. Abominatio peccatorum.
8. Multiplicatio tentamentorum.
9. Affligentes pœnæ.
10. Conditio humanæ vitæ.
11. Natura diuinæ gratiæ.
12. Præmium æternæ gloriæ.

Quod quanto fidelius anima obsequitur voci Christi, tanto copiosius ei confert gratiam, & amorem.

C A P. II.

Secundus amor multiplicatus.

SEcundus est amor multiplicatus, & de hoc Dominus ait: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad eum.* Vox equidem Christi, est verbum Dei prædicatum, vel inspiratum. Verbum autem Christi, quo excitat, & stimulat hominum mentes per inspirationes internas, aut per voces, & res externas, auribus humani cordis insonat. Non minus insuper rebus asperis, aut prosperis, quàm vocibus internis, aut externis loquitur Christus. Vnde & per totam scripturam sacram non minus res, quam voces mysticum signatum habent. Oportet ergo quemlibet ad hanc allocutionem non se per contemptum exhibere surdum: sed solerter, & obedienter audire auribus cordis, & ostium voluntatis Christo pandere sollicitanti, & stimulanti. Ipsa enim ianua, seu ostium est, quod principaliter ad amandum se Dominus postulat aperiri. Sicut enim diabolus non potest confringere clausam voluntatem, sic Christus per iustitiam suam non vult per confractam ianuam introire voluntatis. Vnde & Ioan. 20. legitur, Christum intrasse ianuis clausis: hoc familiaribus discipulis suis fecit, non alienis. Cùm enim homo voluntariè, & perfectè se subiecerit Christo, ex tunc frequenter ex priuilegio singulari cum donorum, & charismatum suorum diuitiis, quas sui nec æstimare sciunt, nedum desiderare queant, quasi clausa voluntatis ianua ad eum misericorditer intrat. Ex communi autem lege qui Christo pulsanti, & stimulanti aditum præbuerit, cum cumulo amplioris gratiæ ad eum intrabit: propterea inquit: Intrabo ad eum. Talis quidem introitus est per influxus, & illapsus, & robur gratiæ amplioris, quæ animæ à Domino donatur ad magis perficiendum Domini voluntatem in declinando malum, & faciendo bonum, & ad inquirendum, & acquirendum meritis, & conscientiæ pacem, quasi omnes supradictæ Domini voces illud propheticum animæ ingerant: *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam*, scilicet vsque ad pacem, quæ exuperat omnem sensum.

Vox Christi verbum Dei prædicatum.

Ioan. 20.

Qui Dei voci obedit, ampliorem gratiam accipit.

De prandio, & cœna à Domino ab anima postulatis, & sibi ab eo repromissis.

C A P. II.

Tertius amor remuneratus.

TErtius autem dictus est amor remuneratus. Et de hoc Dominus concludit: *Et cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Cœna quidem nouissimum diei prandium est, & in mane prandium præsupponit. Parumque est Christo in mane ad prandium intrare, si non cœna subsequatur. Vult vtique Christus eum, qui diligere cœperit in finem diligere eum, sicut in finem dilexit suos: vt dicitur Ioan. 13. vt & qui diligit eum, parem dilectionem, id est perseuerantem in finem rependat ei. Huius igitur dilectionis suauitas in iuuentute incepta prandium est, quod damus Christo: sed vsque in finem vitæ seruata cœna merito nuncupatur, ad quam pauci peruenire probantur. *Cœnabo*, inquit, *cum illo*, scilicet perseuerante acceptando, & mihi amatiuè incorporando ipsum, & omnia bona eius: tanquam cibos mihi amabiles, & suaues. Dat quoque electis suis prandium Dominus ante cœnam, cum eos in præsenti iam reficit spiritualibus bonis, sicut 2. Cor. 1. de se, & imitatoribus suis testatur Apostolus, dicens: *Gloria nostra hæc est*, scilicet in præsenti vita initiata, *testimonium conscientiæ nostræ.* Cœnam quoque dabit electis suis Dominus in futuro. Vnde ait, & ipse mecum, scilicet cœnabit. De qua cœna, Luc. 14. ipse ait: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Primo magna valde est hæc cœna ex magno factore: quia, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, sicut Propheta inquit: *Magnus Dominus, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.* Et iterum: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster, qui in altis habitat.* Secundò magna ex magna

Qui Deum incipit diligere, in eius dilectione perseueret.

2. Cor. 1.

Luc. 14.

Psalm. 47.

Psalm. 144.

Psalm 16.

æternorum appositione, & ineffabilium bnnnrum acquisitionne: vt nullus eorum apprehenderit pondus, numerum, & mensuram, qnamnis iuxta pondus, numernm, & mensuram, æternis pnnitoribns contribnta. *Isa. 64.* Vnde Isa. 64. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Et iterum *1. Cor. 2.* 1. Cntinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris,* &c. Tertiò magna ex magnitudine domns. Baruc. 3. *O Israel,* *Baruch. 3.* *quam magna est domus Dei,* &c. Quartò magna ex ma- *Luc. 13.* gnitudine cunninarum, Luc. 13. *Cum videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei.* *Luc. 22.* Et Luc. 22. *Vos estis, qui mansistis mecum in tentationibus meis,* &c. *vsque, in regno meo.* Quintò, magna: *Luc. 12.* quia magnus minister. Luc. 12. *Amen dico vobis: quia præcinget se, & faciet illos,* &c. Sextò, magna ex *Psalm. 30.* dulcedine magna. Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,* &c. Septimò, magna ex magnitudine temporis. In æternnm exultabunt: & propterea habitabis in eis: qnod erit cnnsummata *Matth. 20.* gloria Beatorum. Sed heu: quia vt dicitur Matt. 20. *Multi sunt vocati*, scilicet ad hanc cœnam: *pauci vero electi*: qnod verbum potest esse thema in præsenti articuln pro septuagesima. Multi quidem terrentur ex hnc verbo. Sed nnranter aduertendum est, qund hæc electio, & reprobatio non humano, sed diuino liberandæ snnt iudicin: quia inter iudicia dinina, *Electi quasdam imagines cum cœlestibus habent.* atque humana comparatio nnlla cadit. Verumtamen electi Dei quasdam imagines cum cœlestibus habent, qni via regia gradiuntur, non exorbitantes ad alteram partem, & cnnditionatam electionem adiuuant ordinatis, atqne appositis argumentis. Non enim prædestinatio, sen electin simpliciter à Deo factæ sunt: vt nullo additamento electio, & prædestinatio in glnriam, aut in damnarinnem tendant: sed auxilia, & signa plurima sunt pro eis, qui saluandi *Septem auxilia pro eis qui saluandi sunt.* sunt. Et possumus septem dinumerare. Primnm est nbseruantia mandatorum, sicut Matth. 19. Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Secun- *Matth. 19.* dum est purgatin interior post lapsnm, sicut Hier. 4. *Ier. 4.* dicitur: *Laua a malitia cor tuum Hierusalem; vt salua fias.* Tertium est nperatinnes pertinentes ad vitam *Ioan. 6.* facere, Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit: sed qui permanet in vitam æternam.* Quartum est abun- *Matth. 5.* dantis, iustitiæ super Iudæns. De qun Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus, quam Scribarum,* &c. *Luc. 6.* Quintum cordialis remissio ad lædentes: vnde Luc. 6. Dominus ait: *Dimittite, & dimittemini.* Sextum est *Matth. 18.* pnra humilitas: proinde Matth. 18. comminatus est Salnator, *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Septimum est *Matth. 10. & 24.* persenerantia in virturum decnte. Hinc Matth. 10. & 24. Dominus ait: *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Hæc & similia sunt in electionis, seu prædestinatinnis testimonium, & iuuamen appnsita, & innenta. Ac per hoc nemo præsnmat Denm de vocatione, aut electione causari, ant sibi *Nostris demeritis condemnamur.* de prædestinatione inferre. Nam suæ prædestinatinnis est, qnod salnamur, si illam appnsitis adiuuerimus, & nnn quæ præscientiæ: sed nostris demeritis propriisque damnamur, & non cœnamns cum Christn. Vide igitur quanta nperatur amor ipsius Dei ad nos, & nostri ad ipsum Denm, atqne inter nos & Deum, dum per primum anima in intelligentia eruditur. Per secundum in volnntate inflammatur, atque per tertium in facultate ad perseuerandum roboratur, qun pertingere possit ad primnm consnmmatum amorem, in quo per gloriosum amplexum perficitur, & præmiatur in Domino Iesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu sancto remunerator est omnium dilectorum suorum: inter quos amplissima dulcedo, & misericordia sua nns connumerare dignetur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA XVI.

Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de calamitatibus & miseriis humanæ vitæ maxime senectutis, quique continet tres articulos, quorum primus septem, secundus sex, tertius septem continet capita.

Articuli primi, de septem calamitatibus, seu miseriis spiritualibus humanæ vitæ & maxime malorum senum.

Cap. 1. *Quanta impatientia cruciantur hi, qui in vitiis nutriti senescunt.*
Cap. 2. *De tædio præsentis vitæ quo cruciantur vitiosi sines.*
Cap. 3. *De periculosa ignorantia diuinorum quæ in vitiosis senibus regnat.*
Cap. 4. *Quomodo in prauis senibus periculose tenebrescit lumen intellectus & rationis.*
Cap. 5. *De triplici prauitate vitiosorum senum quam incurrunt ex longa mala vita.*
Cap. 6. *Ad quantam diuinorum insensibilitatem perducat senem longior mala vita.*
Cap. 7. *De mentis cæcitate quam incurrunt mali senes, & de eorum sera conuersione.*

Articuli secundi, de admiratione insperata snpernæ mentis senectutis, & de septem calamitatibns corporis senum.

Cap. 1. *Quod in sene omnia corporis ossa per iuncturarum laxationem mouentur.*
Cap. 2. *De crurum debilitate.*
Cap. 3. *De dentium diminutione.*
Cap. 4. *De caligine oculorum.*
Cap. 5. *De immobilitate labiorum.*
Cap. 6. *De lenitate senum.*

Articuli tertij, de septem experimentalibus calamitatibus senectutis,

Cap. 1. *De tremore capitis in sene.*
Cap. 2. *De tremore membrorum senis.*
Cap. 3. *De canitie capitis senum.*
Cap. 4. *Quomodo in sene tremescunt membra.*
Cap. 5. *Quomodo in sene frigescit virtus generatiua.*
Cap. 6. *De morte senis.*
Cap. 7. *De lachrymis veris & fictis in morte senum.*

DE CALAMITATIBVS, ET miseriis humanæ vitæ, & maxime senectutis.

Sermo XIV.

AMICE, *ascende superius.* Luc 14. cap. & in Euan- *Luc 14.* gelio hodierno. Scriptum est enim. 1. Ioan. 2. *1. Ioan. 2.* c. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est; & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Vbi to- *Peruersus amor mundi in tres vitiosos amores distinguitur.* tum peruersum amorem mundi, & mundanorum in tres vitiosos amores distinguit, atqne comprehendit, scilicet amorem carnalium deliciarum, & visibilium, seu temporalium diuitiarum, & superborum honorum, sen excellentiarum. Seu in delicias, diuitias, & magnificentias. Aut in appetitum delectandi, & in appetitum inexperta curiosè experiendi,

riendi,& in appetitum dominandi. ſiue ſe ſuper alios efferendi. Sed qui ſapiens eſt, conſiderat quod delitiæ decipiunt, faſtidiunt, & tranſeunt. Aduertit quod diuitiæ cum labore acquiruntur, cum timore cuſtodiũtur,& cum dolore amittuntur vel relinquuntur. Intelligit, quod excellentiæ habent ſeruitutem, dolorem, atque timorem: & quod omnium prædictorum temporalium bonorum finis extremus eſt tranſitus breuis, & varius. 1. Cor. 7. Apoſtolus ait: *Fratres, tempus breue eſt, reliquum eſt*: ſequitur, *Qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur*, ſcilicet ſic: *præterit enim figura huius mundi*. Et iterum 1. Ioan. 2. Spiritus ſanctus, omnes, & maxime ſeneſcentes reddit. *Mundus tranſit in concupiſcentia eius*; quia tam ex parte ipſius mundi, quam ex parte corrupti amoris omnium mundanorum delectabilia fugiunt, tanquam vmbra. In quo manifeſtè oſtendit calamitatem huius vitæ. Merito ergo ſenibus in verbo propoſito Dominus ait: *Amice, aſcende ſuperius*, ſcilicet ad ſtudium ſupernorum; quod ſecundum Hieronymum. Iuuenis cito poteſt mori, & diu non poteſt viuere ſenex. Hoc tamen ſeriosius & myſtice ſcribit Eccleſiaſtes, c. 14. dicens: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, antequam tenebreſcat Sol, & lumen, & Luna, & ſtella, & reuertantur nubes poſt pluuiam, aliæ mutabuntur quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes imminuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina, & claudentur oſtia in plateis in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis. Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amigdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes.* In quibus ſacris verbis tria genera calamitatum humanæ vitæ, & maxime ſenum per ordinem deſcribuntur. Primæ ſunt calamitates ſpirituales, ſecundæ corporales, tertiæ experimentales. Vel ſunt tria genera laborum, quia vt dicitur Iob 5. *Homo naſcitur ad laborem*. Quod verbum poteſt eſſe thema.

Delitiæ decipiunt.
1. Cor. 7.
1. Ioan. 2.
Eccl. 12.
Tria genera calamitatum humanæ vitæ.
Iob. 5.

ARTICVLVS PRIMVS.

De ſeptem calamitatibus, ſeu miſeriis ſpiritualibus humanæ vitæ, & maxime malorum ſuorum.

PRimæ ſunt calamitates, & miſeriæ ſpirituales & maximè in ſenibus malis. Et ſunt ſeptem. Prima eſt impatientia, ſecunda triſtitia, tertia ignorantia, quarta tenebroſitas, quinta prauitas, ſexta inſenſibilitas, ſeptima cæcitas.

Primæ ſunt calamitates ſpirituales.

Quanta impatientia cruciantur, hi qui in vitiis nutriti ſeneſcunt.

CAP. I.

PRima calamitas, ſeu miſeria humanæ vitæ & maximè prauorum ſenum, eſt impatientia. Ait enim Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ. Aduertendum eſt autem, quod licet gratia iuſtificans ſubito, & tota ſimul auertente ſe honore à Deo auferatur, gratiæ tamen & dona gratis data non omnes ſtatim, ſed paulatim minuuntur, atque decreſcunt. Nam ſecundum Alex de Ales, gratia gratificans aufertur à Deo ex conſenſu mortalis culpæ: gratiæ vero gratis datæ paulatim auferuntur ex operibus prauis. Fit autem ex euidenti diſpenſatione miſericordiæ Dei vt ex ea parte qua gratiæ minuuntur, homo ad pœnitentiam moueatur: & ex alia parte, qua gratiæ nondum omnino ablatæ ſunt, iuuetur ad pœnitentiam peragendam, cui maxime iuuentus conueniens eſt: & hoc eſt, quod hortatur Eccleſiaſt. dicens: *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* Periculoſiſſimum quidem eſt in malo ſeneſcere, ſicut exemplum patet de Salomone: qui cum ſapientiſſimus fuit in iuuentute, perſeuerando in peccatis ſic paulatim infatuatus eſt, vt idola ſequeretur, vt patet 3. Reg. 11. cap. Iuuentus profecto ad conuerſionem aptior eſt, ſcilicet cum vigent gratiæ naturales, & gratuita dona non ſunt adhuc diminuta, nec omnino ablata. Cum vero iam ſeneſcente ætate ſuccreſcunt infirmitates, niſi tunc virtutibus anima plena ſit, fere cuncta aduerſa impatienter. Et hoc eſt, quod ſapiens admonet, dicens: *Antequam veniat tempus afflictionis tuæ.* Ad hoc hortatur Eccleſiaſtic. 18. *Ante languorem adhibe medicinam*, quæ eſt vita virtutibus plena, qua medicina homo reſiſtit cuilibet paſſioni. Sanè ergo 2. Corinth. 6. Apoſtolus nos hortatur, cum ait: *Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: quæ eſt iuuentus virtutibus plena, vel apta. In vanum profecto gratiam Dei recipit, qui ſe in bono opere non exercat per iuuentutis gratiam, quam recepit. *Cum vero venerit tempus afflictionis*, id eſt anguſtiarum mundi, curæ rei familiaris, filiorum & filiarum, infirmitatum, & aliorum, quæ mentem affligunt, qui tunc non eſt virtutibus aſſuetus, cum magna difficultate euadet pericula mundi ſine graui offenſione.

Prima calamitas eſt impatientia.
Gratiæ gratis datæ paulatim auferuntur ex prauis operibus.
Periculoſiſſimum in malo ſeneſcere.
3. Reg. 11.
Eccl. 18.
2. Cor. 6.
Qui in vanum gratiam Dei recipit.

De tædio præſentis vitæ quo cruciantur vitioſi ſenes.

CAP. II.

SEcunda calamitas eſt triſtitia. Et de hac ſubdit, ſupple memento creatoris tui, antequam appropinquent anni, ſcilicet ſenectutis, de quibus dicas, non mihi placent. Hi profecto ſunt anni, in quibus natura humana propter innumeras moleſtias ſpirituales, corporales, & temporales in ſenectute inquietatur, & tam ex operibus præteritis, quæ fuerunt infructuoſa, quam ex præſentibus, quæ ſunt ærumnoſa, dicit cum Iob. 10. c. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Licet enim viuere, naturaliter delectabile ſit, tamen in ſenectute, & in multis anguſtiis viuere tædioſum eſt. Hoc maxime euenit illi, qui iam ſenex & in vitiis aſſuetus conſiderat tempus præteritum malè ab eo expenſum, & in futurum ad deteriora ſe conſpicit inclinatum. Ad emendationem tamen anni præteriti recogitandi ſunt iuxta illud Propheticum, *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Paſſiuè legatur. Aranea telam texendo multum laborat: ſe euiſcerat, atque tabeſcit. Primo multum laborat, & tamen opus ſuum citius diſſipatur. Sic conſideret homo, quot labores, & ærumnas tulerit in diuitiis congregandis, & ſæpius perituræ ſunt, vel pereunt ſtatim: In delitiis proſequendis, & citius faſtidiunt; In magnificentiis aſſequendis, & citius derelinquunt. Et de tali Iob. 8. cap. ait: *Sicut tela aranearum fiducia eius.* Secundo euiſcerat ſe. Sic conſideret homo, quod ſe euiſcerauit in congregatione terrenorum inutilium. Et de talibus Iſa. 59. ait: *Telas araneæ texuerunt.* Proinde Iob, 8. cap. ait: *Non placebit Deo vecordia ſua.* Vecors enim dicitur ſine corde, quia in terrenis proiecit cor ſuum. Vnde Eccleſ. 10. ait: *Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam.* Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Tertio vero tabeſcit, cum tela ſua aliqualiter laceratur. Sic talis homo, cum diſſipantur labores ſui tabeſcit. Tabeſcere enim eſt pigere, tædere. Et de eo etiam Propheta alibi inquit, *Tabeſcere feciſti ſicut araneam*

Secunda calamitas eſt triſtitia.
Iob. 10.
In ſenectute viuere tædioſum eſt.
Meditatio de Aranea
Pſalm. 44.
Mira hominum miſeria.
Iob. 8.
Iſa. 59.
Iob. 8.
Eccl. 10.
Pſal. 38.

araneam animam eius, id est tabescere permisisti. Et nunc appropinquauerunt anni, de quibus hic homo dicit, Non mihi placent: id est mihi tædium vita est.

De periculosa ignorantia diuinorum, quæ in vitiosis senibus regnat.

Cap. III.

Tertia calamitas est ignorantia. TErtia calamitas, ignorantia nominatur. Cum enim homo iam senex effectus, quia in iuuentute diuinis non extitit assuetus, reperit se plenum ignorantia diuinorum, & intellectum se habere obtusum in his, quæ pertinent ad salutem animæ suæ. *Vitiosorum senum in diuinis ignorantia.* Hinc profecto obscuratus est sol. Proinde Sapiens subdit. *Antequam tenebrescat sol*, id est, antequam in senectute reperiat se homo plenum ignorantia diuinorum. Nam de huiusmodi senibus plenis ignorantia Dei, Propheta ait: *Psalm. 27.* Psalm. 27. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos*, ait enim, *Destrues illos*: scilicet tu iudicium, seu iustitia Dei. Et non quacunque destructione, sed irreuocabili, id est æterna. Et de hoc addit, *Et non ædificabis eos.* Vnde *Hierem. 30.* Hierem. 30. *Insanabilis fractura tua*, scilicet æterna, *pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum curationem tuam, vtilitas non est tibi.* Et rationem prædictorum Propheta præmisit, dicens: *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, scilicet vt tenebantur in minori ætate, *& in opera manuum eius*, scilicet non posuerunt attentionem, & intellectum, quasi dicat: Hi non cognouerunt opera creationis, nec opera redemptionis, nec glorificationis, quia scilicet omnem intellectum in mundanis, & transitoriis posuerunt. Nam oculos suos statuerunt declinare in terram. Ideo obtenebratus est eis Sol iustitiæ Christus Deus noster. Et de talibus *Amos 8.* Amos 8. cap. ait: *Occidet eis sol meridie*, id est quando magis debuerunt esse de diuinis illuminati. Sol quippe non tantum illuminat, sed etiam inflammat. Et sic gratia gratificans cum cæteris virtutibus est in anima Sol cum radiis suis. Et de hoc Iob 11. cap. ait: *Meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*, id est in senectute tua. Sed hominibus in malis inueteratis Sol iustitiæ tenebrescit, & obscuratur per opera mala.

Quomodo in prauis senibus periculosè tenebrescit lumen intellectus, & rationis.

Cap. IV.

Quarta calamitas est tenebrositas. QVarta calamitas tenebrositas dicta est, quæ in hominibus malis, & inueteratis oriri solet. *Et lumen*, supple, memento creatoris tui, antequam tenebrescat lumen. Hoc est lumen, de quo Propheta ait: *Psal. 4.* *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Super nos*, id est in superiori parte nostri: hoc est in anima: *lumen vultus tui*, id est luminosus vultus tuus, id est ratio, *Eccl. 17.* De quo Eccles. 17. cap. ait: *Posuit oculos ipsorum super corda illorum.* *Ratio dicitur vultus Dei.* Dicitur autem ratio vultus Dei: quia sicut per vultum homo homini assimilatur, & homo hominem cognoscit: ita per rationem *Similes sumus Deo per rationem.* similes sumus Deo. Similes enim sumus ei, quantum ad essentiam: quia sicut Deus æternus est, sic nos perpetui sumus. *In quo sumus similes.* Et quantum ad Trinitatem Personarum, quia similes sumus Patri per memoriam, Filio per intellectum, & Spiritui sancto per voluntatem. *Triplex est bonum.* Et hæc est signatio vultus Dei super nos. Aduertendum est etiam, secundum Thomam 2. 2. q. 86. quod triplex est bonum. *Primum bonum naturæ.* Primum naturæ, secundum gratiæ, tertium habilitatis ad actum, seu aptitudinis ad bene faciendum. Primum est bonum naturæ, vt puta intellectus, atque voluntas, & hoc bonum per quodcunque peccatum, nec tollitur, nec minuitur: sicut nec per tenebras aër tollitur, nec substantia aëris minuitur. *Secundum bonū gratiæ.* Secundum est bonum gratiæ, & hoc per peccatum omnino ab anima remouetur. Vnde sicut lumen per tenebras, & per cæcitatem: sic per culpam gratia remouetur. *Tertium bonum habilitatis ad actū.* Tertium est bonum habilitatis ad actum, & hoc non tollitur, sed per peccatum diminuitur. Sicut enim per multiplicationem nebularum inter corpus luminosum, & aërem diminuitur habilitas aëris ad susceptionem luminis: nunquam tamen manente aëre, inclinatio, & habilitas eius ad lumen totaliter remouetur. *Inclinatio ad gratiam totaliter non remouetur.* Sic quamuis in infinitum possit fieri additio in peccatis, nunquam tamen inclinatio animæ ad gratiam totaliter remouetur. Sed sicut nebulæ sunt obstaculum inter lucem & aërem: sic peccata inter Deum & mentem. Et hoc est, quod Sapiens sit, *Memento creatoris tui, antequam obtenebrescat lumen*, scilicet intellectus, & rationis. Et non dixit antequam amoueatur lumen, quia nunquam vt dictum est, amouetur. Possunt tamen tantum in sene nebulæ peccatorum multiplicari, quod lumen intellectus, & rationis tenebrescit ita, vt virtutum iter non cognoscatur, & via perditionis pro via salutationis sumatur. *Sapient. 4.* Tales erant, qui dolendo inutiliter tamen, Sapient. 5. dicebant. *Errauimus à via veritatis & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Porro si malum est deuiare in mane, peius est deuiare in vespere à tramite veritatis. Et iterum de eis Isa. 5. ait: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

De triplici prauitate vitiosorum senum, quam incurrunt ex longa mala vita.

Cap. V.

Quinta calamitas est prauitas. QVinta calamitas, prauitas nuncupatur. Et de hac Sapiens subdit, *Antequam tenebrescat Luna*, secundum Naturales Luna non habet lumen, nisi à Sole: sed quando Soli propinqua est, non illuminatur ex parte nostra: propterea non apparet nobis. *Anima fidelis Luna comparatur & quare.* Quando vero recedit à Sole, tunc nobis corniculata incipit apparere. Et hoc congruit animæ virtuosæ, atque fideli, quæ totum lumen spirituale recipit ab ipso Sole Iesu Christo, qui *Ioan. 8.* Ioan. 8. de se ait, *Ego sum lux mundi*, scilicet qui solus possum de anima tenebras effugare: qui sequitur me, scilicet per fidem formatam, non ambulat in tenebris, scilicet ignorantiæ, culpæ, ac per consequens non veniet ad tenebras gehennæ, quæ quidem sunt terminus prædictarum tenebrarum. Propterea hæc autem, *Matth. 8.* Matth. 8. Tenebræ exteriores dominantur; id est vltimæ. Sed per Christum facta est veritas contra tenebras ignorantiæ, & gratia contra tenebras culpæ, iuxta illud *Ioan. 1.* Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Christum facta est.* Et Gloria ab eo misericorditer largitur contra tenebras gehennæ. Et sequitur, sed habebit lumen vitæ, scilicet gratiæ & gloriæ. Et merito: quoniam sicut Propheta ait, *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* *Tripliciter Luna tenebrescit.* Tripliciter tenebrescit Luna. Et licet à Sole illuminetur, tamen tripliciter saltem à nostris oculis tenebrescit. Primo per nubium interpositionem, & tunc apparet lutosa, secundo per reuolutionem, & tunc videtur obscura, tertio per eclipsationem, & tunc ostenditur cruentata. *Lunæ defectus semper non accommodantur.* Vt in his tribus triplex prauitas mali, & inueterati senis insinuetur, videlicet, prima est augmentatio culpæ, secunda defectus naturæ, tertia induratio consuetudinis prauæ. Primo quidem tenebrescit Luna per nubium interpositionem, & tunc apparet lutosa, & signat culpæ multiplicationē, quæ maximè à superbia

princi

Eccleſi.10. principium ſumit, iuxta illud Eccleſiaſt. 10. *Initium omnis peccati, eſt ſuperbia.* Sed audiant, quid de talibus, Iob 20. ait: *Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit:* per multiplicationem peccatorum, *quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Et ſic merito Luna ex nubibus apparet lutoſa, vel lutoſa apparet propter auaritiam terrenorum, quæ lutea ſunt: & tamen in eis quanto ſenex prauus in annis antiquior eſt, tanto magis inſanit. Sunt tales ſibi, & aliis inquieti. *Prou.15.* Prouerb. 15. cap. *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam.* Et tamen *Eccl.5.* Eccleſiaſtic. 5. ait: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Et Propheta iterum ait: *Theſaurizat & ignorat cui congregabit ea.* Et iterum inquit, *Dormierunt ſomnum, ſcilicet, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* *Diuitiis dominantur auari.* Non dicit diuitiæ virorum, ſed viri diuitiarum; vt indicet diuitias dominari ſuper auaros, & non è conuerſo, ſicut fit in iuſtis qui diuitiis dominantur. Secundo tenebreſcit Luna per reuolutionem, & hoc proprie tenebreſcere eius eſt, quia deficit, & tunc non apparet nobis. Et ſignat defectionem naturæ, quia deficiunt omnes vires prauæ mentis, & creſcunt multæ infirmitates in ſenectute, vt infra patebit. Si autem ſenex eſt in virtutibus aſſuetus, & virtutibus augmentantur vires gratiæ, dum deficiunt vires naturæ. *Iob 12.* Vnde Iob 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia.* *Senes quanto antiquiores tanto ſtultiores.* At è contra ſi ſunt in vitiis aſſueti, quanto ſunt antiquiores, tanto ſunt ſtultiores. Proinde Eccleſ. 25. ait: *Tres ſpecies odiuit, anima mea, & aggrauor valde animæ*, id eſt pro anima illorum. *Pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, & ſenem fatuum, & inſenſatum.* Quæ in iuuentute tua non congregaſti, in ſenectute tua quomodo inuenies? Quam ſpecioſum canicij iudicium, ſcilicet verum. Si autem ſenex eſt fatuus, & inſenſatus, tunc Luna videtur obſcura, quia reuoluta eſt ſapientia eius, & intelligentia, iuxta il- *Iſa.13.* lud Iſa. 13. *Luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Hi ſunt, *Defectus ſenectutis.* de quibus Innocentius de vilitate conditionis humanæ ait: Senex facile prouocatur: citò credit, & tardè diſcredit: tenax & cupidus; triſtis, & querulosus; velox ad loquendum, & tardus ad audiendum: laudat antiquos, & ſpernit modernos; vituperat præſentia, & commendat præterita: ſuſpirat & anxiatur, torpet & infirmatur. Tertio etiam tenebreſcit Luna propter eclipſationem, & tunc ſignat indurationem conſuetudinis prauæ, quia tunc cruentata videtur. Ex longa enim conſuetudine talia corda praua crudeſcunt & indureſcunt, vt non tantũ contra Deum, Optimum Maximum; ſed etiam contra proximum corde, ore, & opere crudeles & ſæui fiant. De tali inueterato dierum malorum, Hierem. 6. ait; *Crudelis eſt*, ſcilicet corde, *& non miſerebitur*, ſcilicet ore detrahendo & murmorando, & opere non miſerendo. *Pſalm.* Et iterum Propheta ait: *Filij hominum*, id eſt dæmonum, *dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* *Hierem.13.* Et ad tales, Hierem. 13. ait: *Si poteſt mutare Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* *Mala conſuetudo difficile deponitur.* Ecce color ruſus & cruentatus conſuetudinis duræ, atque crudelis. Hi ſunt, qui Threnor. 3. dicunt: *Vetuſtam fecit pellem meam, & contriuit omnia oſſa mea.* Vetuſta pellis præ nimia vetuſtate putrefacta durare non poteſt, nec aliquam ſuturam tenere. Sic tales inueterati ad veram pœnitentiam redire non poſſunt. Contritio enim eſt quaſi acus pungens: filum verò quod introducitur per hanc acum, & diſſoluta reſarcit, ſatisfactionis vincula ſunt, quæ iniunguntur à ſacerdote. Sed in his inueteratis talis ſutura tenere non poteſt. Et hoc eſt, quod ait: Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam, ſcilicet inueterata conſuetudo: & contriuit omnia oſſa mea, id eſt naturalem virtutem meam, ſiue naturales virtutes.

Ad quantam diuinorum inſenſibilitatem perducat ſenem longior mala vita.

Cap. VI.

SExta calamitas, inſenſibilitas dici poteſt. Quinque ſunt corporis ſenſus: videlicet viſus, guſtus, auditus, odoratus, & tactus. *Sexta calamitas eſt inſenſibilitas.* Quinque igitur ſunt ſenſus animæ, ex quibus ſenſus corporis naturaliter virtutem ſumunt, ſcilicet guſtus, & viſus. *Quinque ſunt corporis ſenſus, & quinque animæ.* De quibus Propheta inquit, *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* De auditu etiam ait Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.* De odoratu Cantic. 1. cap. *Cantic.1.* ait ſponſa ad ſponſum. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* De tactu etiam Propheta inquit, *mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Hi ſenſus cum de diuinis rebus imbuti ſunt in ſenibus virtutibus, & bonis moribus antiquatis efficiuntur quaſi ſtellæ cœli in ornamentum animæ virtuoſæ. In huius myſterium Eccl. 43. cap. ſcriptum eſt: *Species cœli gloria ſtellarum mundum illuminans*, quia tales ſunt ſibi lumen, & *Eccl 43.* aliis in animarum ſalutem. At è contra cum inſenſibilitas omnium diuinorum ex antiqua malitia repleuerit mentem, omnes mentis ſenſus neceſſario tenebreſcunt. Et hoc eſt, quod Sapiens ait: *Antequam tenebreſcunt ſtellæ.* Proinde de obtenebratis ex cauſis ſupradictis, Ioel. 2. cap. ait: *Stellæ retraxerunt ſplendorem.* *Ioel 2.* Et Iſa. 13. iterum ait: *Stellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum.* *Iſa.13.* Et efficitur ſenex de diuinis, tanquam animal inſenſatum. Et verificatur de eo, quod Propheta ait: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* *Pſal 48.*

De mentis cæcitate, quam incurrunt mali ſenes, & de eorumlibet ſera conuerſione.

Cap. VII.

SEptima calamitas ſenectutis eſt cæcitas, ſcilicet mentis. *Septima calamitas eſt cæcitas mentis.* Sicut enim ex præcedentibus patet, varia ſunt genera gratiarum, quæ gratis dantur. Hæ paulatim tenebreſcunt, cum exigentibus culpis diuino iudicio minuuntur, vt tanto maior in mente contemptoris cæcitas fiat, quanto magis præcedentium gratiarum fuerit in humana mente data claritas. Hanc cæcitatem Sapiens in obſcura nube demonſtrat, cum ſubdit: *Et nunquam reuertatur nubes poſt pluuiam*, ſcilicet merito creatoris tui. *Maior cæcitas in aliquo peccatore quam in alio.* In iugibus enim imbribus nubes ſemper ſpiſſior eſſe ſolet, quæ poſterior eſt. Sic profecto quanto imber diuinæ gratiæ iugior, mentem irrorauerit, & maius ingenium nobiliorque natura data fuerit, & diu malè vixerit, tanto cæcitatis nubes quæ contemptam gratiam ſubſequitur, ſpiſſior erit. Sanè ergo & iuuenes & ſenes admonet ſpiritus veritatis, Apoc. 3. *Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant.* *Apoc.3.* Maiora quippe opera, ſcilicet theologicarum, atque cardinalium virtutum iam mortua ſunt in homine vitioſo. Minora vero, vt ſunt gratiæ gratis datæ, licet ſalutẽ animæ non contineant, nihilominus ad ſalutem iuuãt, quia ad principalia & neceſſaria bona auxilium præſtant. Iuſto quippe Dei iudicio fit; vt qui maiora quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria per prauitatem vitæ contemnit, minora ad ſalutem vtilia funditus tandem amittat, atque ad tantam neceſſitatem deueniat, vt in profundo ſcelerum inquietè quieſcat. *Qui maiora ad ſalutẽ neceſſaria contemnit, minoribus priuatur.* Et de talibus Sap. 2. ait: *Excæcauit enim illos malitia eorum.* *Sap.2.* Poſſunt tamen per miſericordiam Dei tales ipſis ſe iuuantibus ad pœnitentiam, & ſalutis ſtatum redire.

Nam

Matth. 20.

Nam de bia Matth. 20. misticè Dominus ait. *Circa vndecimam vero exiit, & inuenit alios stantes*, scilicet otiosos, *& dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit.* Dixit illis: *Ite & vos in vineam meam.* Hæc est enim ætas illa, quæ veterana, seu decrepita nominatur. Et vocati in ista ætate, quandoque prius remunerantur. Propterea à Domino subinfertur. *Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis.* Quod potest esse thema in præsenti articulo pro Dominica in Septuagesima. Non immerito hi prius remunerantur, quia plerunque feruentiores, & humiliores sunt, qui post multa tempora, & peccata, quasi post multum otium vocantur ad sanctam vitam. Sicut ego in aliquibus per experiantiam vidi. Proinde licet minori tempore in bono laborauerunt, tamen propter maiorem charitatem, & humilitatem maius præmium consequuntur, quia Deus plus intendit quantitatẽ interni amoris, quã quantitatẽ temporis, & exterioris operis. Posuit autẽ hanc parabolã Christus, vt ad spiritum erigeret veritatis, & desperationis in antiquis aculeum remoueret: & de hac sera vocatione etiam Propheta in Psalm. 134. ait, *Educens nubes ab extremo terræ*, id est amouens præfatas 7. calamitates spirituales ab his, quæ iam sunt quasi in vltima senectute. Et potest esse etiam aliud thema. Porrò filius impius esset, qui patri vel matri postulantibus potum, saltem fæces vini sui non daret: vinum bonum naturalia iuuentutis sunt: fæcea enim ætas decrepita, vel senectus. Filius quilibet homo, pater Christus, mater Ecclesia sancta est. Illi vni bono stabili in iuuentute insistendum erat, si neglectum fuit difficiliùs ad extremum, fateor, peruenitur ad illud, sed virtutis studium nulla respicit ætas: immo quo difficilior, eo clarior virtus, nosse multi seipsos, ac sapere vix tandem in senio cœpere. Serum quidem, ac intempestiuum minimè. Nam nec frustra nascitur, qui bene moritur: nec inutiliter vixit, qui feliciter terminauit: ideo, Amice, ascende superius.

Maximus peccator cum ad meliorem frugem se recipit aliquando humilior.

Psalm. 134.

Virtutis studium conuenit ætati.

Articulus Secundus,

De admiratione insperata superna mentis senectutis, & de septem calamitatibus corporis senum.

Secunda senum calamitates corporales.

SEcundæ senum calamitates & miseriæ sunt corporales. Mira res, viuere optat homo: & cum senex est, vixisse se pœnitet. Ibat assidue, & peruenisse se stupet. Iuuenis quippe ante oculos ætatem habens, longissimam opinatur hanc ipsam, senex à tergo respiciens videlicet esse breuissimam. Iam iam terram aspice senex, vnde venis, & quò pergis cogita. Hinc egressus huc redis: nam principium te simulque finis admonent, poteras aberrare, publicum tibi iter ostendit. Quod si subito senuisse te doles, in singulis diebus præteritæ tuæ vitæ dolere debebas. Istis enim passibus ad hunc terminum veniebas. O votorum instabilitas! huc maxime anhelabas, huc peruenire optabas, huc non posse pertingere formidabas: quò cum perueneris, ingemiscis. Monstrum profectò incredibile, nisi tam crebrum esset. Senes fieri volunt omnes, senex esse vult nemo. Stultum profectò est senectutem non cogitare, nisi cum venerit. Nam qui venturam, se assidue venientem prospiceret, præsentem cum tolerantia supportaret. Amico suo ait quidam: Compatior tibi: nam vt video iam senescis: esses vtinam qualis eras, quando te primum noui. Subito ille respondit. Noli quæso mihi compati, quia sum senex: sed compatere, quia iuuenis fui. Sed ad Sapientis verba iterum redeamus, qui admonet iuuenes, atque senes dicens, *Memento creatoris tui*, &c. Et subdit septem corporales calamitates, vt cum prudentia expectentur, & cum patientia tolerentur. Prima calamitas est commotio ossium, secunda debilitatio crurium, tertia diminutio dentium, quarta obscuratio oculorum, quinta immobilitas labiorum, sexta lenitas dormientium, septima obturatio aurium.

Senes omnes volunt fieri nullus tamen, vult esse senex.

Septem corporales senum calamitates.

Quod in sene omnia corporis ossa per iuncturarum laxationem mouentur.

Cap. I.

Prima calamitas corporalis senũ commotio ossium.

PRima calamitas corporalis senum, est commotio ossium, quæ sunt ad corpus protegendum. Et de hoc Sapien. dicit, *Quando commouebuntur custodes domus.* Domus quippe machina humani corporis est, quæ quia fragilitatibus plena est, ideo custodes illi necessarij sunt. Proinde Philosophus ait, quod natura fecit ossa dura ad membra mollia custodiendum, & conseruandum. Sicut sunt costæ ad ventrem, & testa ad caput, & sic de cæteris corporis membris, quæ per ossa custodiuntur. Hæc quippe mouentur, quandò eorum iuncturæ laxantur, & tunc curuatur homo, & tota forma corporis deformatur, vt homo iam formam animæ sit sollicitus amare.

De crurium debilitate.

Cap. II.

Secunda est debilitas.

SEcunda calamitas, est debilitas crurium, scilicet ad pondus corporis sustinendum. In omni ædificio periculosissimum illud est vitium quod fundamentis insidet. Cætera enim vtcunque corriges, hoc ruinam trahit: qua instante quid est reliquum, nisi vt quam primum à ruinanti migretur hospitio? Et de hoc corporis fundamento, Sapien. ait: *Et nutabunt viri fortissimi.* Hi viri fortissimi sunt crura. Nam sicut fortiores portant pondus totius belli, sic crura pondus totius corporis humani. Hi fortissimi viri tunc nutant, quando crura tremulant, & vacillant, & non securè sustentant: sed tamen vani discursus saltem occasio amputatur.

De dentium diminutione.

Cap. III.

Tertia est diminutio dentium.

TErtia calamitas, est diminutio dentium, scilicet ad cibaria masticandum. Et de hac subdit, *Et otiosè erunt molentes imminuto numero.* Molæ duæ, maxillæ sunt, quia cibum conterere nequeunt, vt iam inermis cum voluptate luctetur homo, minus comedat, parcius rideat, lentius mordeat, alienam famam loquacitate facta sæpe frænet, atque mendacia & similia.

De caligine oculorum.

Cap. IV.

Quarta est obscuratio oculorum.

QVarta calamitas, est obscuratio oculorum, scilicet ad videndum. Et de hoc addit: *Et obtenebrescent videntes per foramina.* Per foramina quippe vidant oculi, qui quasi sunt duo foramina ad videndum. Isti tenebrescunt, quando senes lumen videre non possunt. Sicut Heli. 1. Reg. 3. qui non poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Sicut etiam Isaac, de quo Genes. 27. scriptum est. *Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre*

1. Reg. 3.

Genes. 27.

non

non poterat. Nec tamen quisquam de hoc contristari debet, cum obicuratur multis vitiis iter, scilicet auaritia, gula, luxuria: pestesque aliæ satellites suos, atque ministros amittunt. Debilitantur duces mali, qui in præcipitium animam ducunt. Mirum dictu, sæpe quædam lucidissima pars corporis totam animam in tenebris trahit. Solent qui alterum amiserunt oculum, altero (vt aiunt) acutius videre. Quod si ita est, quid rear nisi vt duobus oculis debilitatis duobus aliis acutius homo videre possit? Ideo exterioribus percuntibus interiores purgandi, & illuminandi sunt. Hoc postulabat Propheta dicens, Psal. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.*

Oculi vero aliquando ad peccatum.

De immobilitate labiorum.

Cap. V.

Quinta est immobilitas labiorum.

QVinta calamitas, immobilitas labiorum est, scilicet ad verba pronunciandum. Et de hoc ait, *Et claudentur ostia in plateis.* Ostia quidem sunt labia, per quæ clauditur porta oris: hæc ostia in plateis clauduntur, quando propter senectutem homo altè non potest loqui, & exclamare, vt audiatur à multis. Proinde subdit, *in humilitate vocis molentes*, id est planè loquentes. Molere dicit loqui: quia sicut homo mouet maxillas ad cibaria, sic & labia ad verba formata pronuncianda.

De leuitate somni.

Cap. VI.

Sexta est leuitas dormientium.

SExta calamitas, est leuitas dormientium, quia modicum dormiunt, & cito excitantur in nocte, quasi in gallicantu. Vnde subdit, *Et consurgent ad vocem volucris*: id est galli, quia ab eius voce læduntur, & excitantur. Vt quodammodo etiam ab animalibus excitentur vigilare ad salutem animarum suarum. Proinde talibus comminatur Dominus Apocal. 3. cap. dicens; *Si non vigilaueris*, scilicet prædicto modo: *veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam.* Benigne profectò & iustè vult Dominus horam visitationis suæ hominem ignorare. Vt vel ex parte vna semper in bono sollicitus sit, qui præmium à Domino semper attendit. Vel ex parte alia, qui Deum & ea quæ sua sunt, diu in senectute neglexerit, horam visitationis suæ prævidere non possit: vt qui vsque ad senectutem tempore amisso frustra vixerat, etiam horam visitationis suæ à Deo lucrari non queat. Proinde cauet nobis Sapien. Ecclesiast. 11. cap. dicens, *Attende tibi à pestifero*: id est à diabolo, qui fur est auferens ab anima gratiæ sanitatem: fabricat enim mala, scilicet culpæ ne vna hora, scilicet inspirata inducat super nos subsannationem in perpetuum, qui totum tempus vsque ad senectutem in vanum impendimus.

Apoc. 3.

Cur Deus vult horam [illegible] ab homine ignorari.

De auditus amissione.

Cap. VII.

Septima est obturatio aurium.

SEptima calamitas, est obturatio aurium: quia non possunt audire consonantia, & sonora. Propterea inquit: *Et obsurdescent omnes filiæ carminis*, filiæ quippe carminis, quæ consonantiam audiunt, aures sunt. Hæ in senibus obsurdescunt, vt etiam voces sonoras audire non possint. Philomelam credo, vel cytharam, tibiasque non audiret surdus, sed nec rudentes asellos: nec grunientes sues, nec vlulantes lupos, nec latrantes canes, nec rugientes leones, nec gementes pueros, nec altercantes ancillas, nec postremo his omnibus grauiores vndique personantes ineptissimos risus, & inconditos fletus, & confusas rumorum voces, quo nullus vsquam sonus iniamœnior est. Porrò surdus multiplicibus ereptus est fraudibus, atque malis. Nulla re crebrius falluntur homines, quam verbis. Hinc periculi res est adulantium, susurronum, detrahentium & similium pœnas euasit. Colloqui quoque surdo permissum est, legendo videlicet & scribendo. Cum antiquis profectò loquitur, qui legit: atque cum posteris ille, qui scribit: Ad hæc cœlestis philosophiæ libros, qui legit, Deum audit: & alloquitur ille, qui orat. In hoc profectò gemino colloquio, nec lingua, nec auribus, sed oculis digitisque, & animo Deo deuoto opus est. Si non potest surdus homines audire, scriptos ab hominibus libros scribat. Cœlum præterea ac terras & maria respiciat, horumque omnium creatorem in silentio contempletur. Nil ad hoc surditas ista nocuerit, multum fortasse profuerit. Ideo *Amice, ascende superius.*

Nulla re crebrius falluntur homines quàm verbis.

Articulus Tertius,

De septem experimentalibus calamitatibus senectutis.

Tertiæ senum calamitates experimentales.

TErtiæ senum calamitates, sunt experimentales. Durum ac difficile stadium cucurristi, senex iam fessus, & quietis appetens lætè proximam metam spectes. Vtere iam animæ deliciis, quæ multo maiores atque stabiliores sunt, quam corporeæ voluptates. Hæ venientes culpam ferunt, abeuntes pœnitentiam pudoris, & doloris materiam derelinquunt. His te explicitum ac liberum gaudere debes, & liberatrici tuæ, scilicet senectuti gratiam exhibere, quæ te de manibus hostium tuorum liberauit. De his autem deliciis, Hier. ad Nepotianum ait, Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, *& in lege Domini meditati sunt die ac nocte*, ætate fit doctior, vsu certior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum fructus dulcissimos metit. Et Ambrosius in Exameron lib. 1. iterum ait: Senectus ipsa in bonis moribus dulcior, in consiliis subtilior, ad constantiam subeundam mortis promptior, ad reprimendas libidines fortior, infirmitas corporis, sobrietas mentis est. Cyprianus quoque de duodecim abusionibus inquit; Plus omnibus religiosi operam dare senibus conuenit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deserit. Et Augustinus etiam ait: Cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant nisi longam infirmitatem? Et iterum Hieron. ait: Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cæteræ virtutes, Proinde septem alias calamitates Sapiens subdit. Prima est tremor capitis, secunda est nutatio corporis, tertia canicies verticis, quarta tumor ventris, quinta infrigidatio, seu remissio libidinis, sexta mors senis, septima luctus, & mœror hæredis.

Encomia optima senectutis.

Aug.

Hier.

De tremore capitis in sene.

Cap. I.

Prima calamitas tremor capitis.

PRima calamitas senum, est tremor capitis. Et de hoc Sap. ait, *Excelsa quoque timebunt.* Excelsa quoque hominis, caput illius est, in quo sunt principaliter quinque corporis sensus, qui quia excelsi, id est præcellentes, & in excelso capite sunt, excelsa denominantur. Excelsa tunc profectò timent, cum caput cum omnibus sensibus agitatur, qua agitatione capitis continuè insinuans

noant de vita præsenti recessum: vel si male vixerint, quasi capite negant se non posse, tunc faciliter emendare. At si bene, iam non faciliter à bonis moribus declinare. Vtrique licet vario intellectu dicere possunt propheticum illud. *Timor & tremor venerunt super me*, quia & senex peccator timet iam mortem, & senex iustus etiam timet, scilicet Deum, dubitans ne in puncto mortis coram Deo peccator inueniatur. Et de tali Propheta iterum ait, *Posuisti firmamentum eius formidinem.* Ad peccatorem senem Iob. 11. c. ait: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris à te: & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia: tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis*, scilicet in mente, licet videaris agitare caput, *& non timebis mortem, miseriæ quoque*, scilicet quæ est in senectute, *obliuisceris: & quasi aquarum, quæ præterierunt non recordaberis: & quasi meridianus fulgor*, id est lumen spirituale, *& magnum consurget tibi ad vesperam* in senectute, *& cum te consumptum putaueris*, scilicet propter senectutem, *orieris vt Lucifer*, id est totus in mente illuminatus eris.

Psal. 54.

Psal. 88.
Iob. 11.

De tremore membrorum senis.

CAP. II.

Secunda calamitas est nutatio corporis.

SEcunda calamitas senum est nutatio corporis. Et de hoc Sapiens subdit, *Et formidabunt in via*, scilicet omnia corporis membra, quia tremula efficiuntur, quod est signum resolutionis, ac debilitationis virtutis contentiuæ membrorum, quæ membra continere non valet, propterea compellitur corpus continuè agitare. Talis cum Propheta orare debet ad Dominum, & ab eo humiliter postulare, ac dicere: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et iterum, *& vsque in senectam, & senium Deus, ne derelinquas me*, scilicet sicut promisisti amicis tuis. Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

Psal 30.
Psal. 70.

Matth. vlt.

De canicie capitis senum.

CAP. III.

Tertia est canicies.

TErtia eorum calamitas, est canicies verticis, boni senis veneranda canicies plus habet, non modo auctoritatis, sed & honestæ voluptatis, quam fœdæ omnes iuuenum illecebræ. Neque enim mutati coloris pœniteat senem. Nam quis tanto corrupto sensu, tanquam obliquo potest esse iudicis, vt non candidorum calatos liliorum, quam nigrantium carbonum malit cistas inspicere? Aut si transformandus sit, non potius se velit similem esse cygno, quam coruo? Et de hac canicie supra inquit. *Florebit amygdalus*, id est canescet caput. Nam & amydalus albescit, cum floret. Ad literam canicies est signum debilitatæ virtutis. Quia enim virtus contentiua humorum debilitatur in sene, ideo putrescunt humores, ac frigescunt. In cuius signum superfluitates de corpore senis albæ procedunt. Proinde canescunt. De hac enim canicie Ioan. Chrysost. sermone 7. super epistolam ad Hebr. ait; Canicies tunc venerabilis est, quando ea gerit, quæ caniciem decent: cum vero senex iuueniliter conuersatur, plus iuuenibus ridiculus est. Canicies tamen communiter veneranda est. Vnde Leuit. 19. scriptum est, *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.*

Quæ canicies venerabilis.

Leuit. 19.

Quomodo in sene tumescunt membra.

CAP. IV.

QVarta calamitas, est tumor ventris vel aliorum membrorum. Et de hoc dicitur, *Impinguabitur locusta.* Impinguatio locustæ circa senium, est potius tumor, quam vera pinguedo. Et per hunc modum est impinguatio senum, quod est signum debilitati caloris digerentis. Quia enim calor digerens deficit, abūdat phlegmaticus humor, & aquosus, atque indigerens, qui corpus senis implet & impinguare videtur. Hæc profectò pinguedo grauitatem corporis gignit, quamuis interdum non ætatis, sed naturæ comes inueniatur. Vnde fit vt iuuenes, quandoque graues, & senicolos agiles videamus. Cæterum, & si grauis sunt corpore, sæpe animus leuis, & sub leui habitat grauis. Et de talibus Propheta ait, *In populo graui laudabo te*, Corporis tamen, atque animi proportio quædam, si obuenerit, non aspernanda est.

Quarta est tumor ventris.

Sæpe animus leuis sub graui corpore.

Psal. 34.

Quomodo in sene frigescit virtus generatiua.

CAP. V.

QVinta calamitas, est infrigidatio, seu remissio libidinis. Et de hoc ait *Dissipabitur capparis.* Est enim capparis quædam herba, vel frutex, qui secundum Dioscor. est spinosus, & expansus super terram, & habet in summitatibus rotunda seminum capula, quæ duriciei splenis super omnis medicamenta valet, prodest quoque renibus, vt dicit gloss. & confortat actum virtutis generatiuæ, & secundum Hierony. in Hebræo commune nomen habet ad herbam, & ad amorem libidinosum. In quacunque igitur significatione sumatur, est sensus: *dissipabitur capparis*, id est remittetur feruor libidinis. In actu enim generationis mouet calor, & materiam ministrat humor. Quia igitur senectus est frigida, & sicca, deficit calor & humor, & ideo libidinis minuitur feruor. De talibus Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate*, scilicet intellectus diuinorum. *Immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.*

Quinta est infrigidatio. Quid capparis.

Sap. 4.

De morte senis.

CAP. VI.

SExta vero eorum calamitas, est mors senis, Et de hac Sapiens subdit, *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Domus enim post mortem æterna est, quia Ecclesiast. 11. cap. ait: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Lignum istud est homo, de quo Iob. 14. cap. ait: *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit.* Auster signat charitatis calorem, & gloriæ statum, Cantic. 4. *Veni auster & perfla hortum meum.* Lignum igitur cadere ad austrum est hominem in morte reduci in gloriam. *Et erit ibi*, quia nunquam poterit demereri. Si ceciderit ad aquilonem, *ibi erit*, id est si ad pœnam infernalem ierit, nunquam egredietur, Iob. 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendet.* Infernus quidem per aquilonem significatur, Hiere. 1. *Ab aquilone pandetur omne malum. In quocunque loco ceciderit*, scilicet siue bono, siue malo, *ibi erit*, quia sicut Galat. 6. Apostolus ait, *Quæ enim seminauerit homo, & metet.* O senex, audi Apostolum 8. cap. ad Hebr. in fine dicentem: *Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Iuuenis cito

Sexta est mors senis.

Eccles. 11.

Iob. 14.

Cant. 4.

Iob. 7.

Hier. 1.

Gal. 6.

Hebr. 8.

mori

mori potest, senex autem diu viuere non potest. Et sicut Cyprianus de duodecim abusionibus ait: Quid stolidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitu senectute confectus homo ad interitum properat, dum caligant oculi, aures grauiter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinat, genua trepidant, talos ac pedes tumor inflat, homo interior qui senescit his omnibus aggrauatur. Et hæc omnia ruituram iam itaque domum corporis cito pronunciant. Et tamen, sicut Hieron. in quadam epistola ait: Nemo tam fractis viribus, & decrepitæ senectutis est, vt non se putet vnum adhuc annum esse victurum, & Hugo de Sancto Victore in lib. de claustro animæ, lib. 2. etiam ait: Inter abusiones sæculi huius mundi sola maior est senis obstinatio, qui morti proximus mortis non abhorret aduentum, qui, quasi ad ostium mundi huius positus foris expectat: nec tamen vitæ præsentis attendit egressum. Audit nuncios mortis & credere non vult eis. Tres enim sunt nuncij mortis, casus, infirmitas & senectus. Casus dubia, infirmitas grauia, senectus certa nunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, senectus præsentem. Ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio sed afflictio & humilitas sequi deberet. Senex enim aut peccator, aut moritur iustus. Si peccator audiat Bern. qui in quadam epistola ait. Mors peccatorum pessima. Mala quidem in mundi amissione, peior in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione. At econtra bona mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem. Preciosa mors sanctorum: preciosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua & perfectæ securitatis ingressus. Et tunc siue male moriens, siue bene, ibit homo in domum æternitatis suæ.

De lachrymis veris & fictis in morte senum.

CAP. VII.

Septima vero calamitas licet proprie non sit senum, tamen ad hæredes & consanguineos ortum habet. Et hæc est luctus & mæror hæredis. Et de hoc Sapiens subdit. *Et circuibunt in platea plangentes* scilicet quando funus ad sepulturam fertur. Quod fit maxime magnatibus, quando equi & famuli prædictorum cooperti & induti funereis vestimentis in plateis, & veris gemitibus, clamoribus & lamentis: quandoque veris sed sæpius fictis defunctum plangunt. Et de hoc Propheta ait. *Caput circuitus eorum labor labiorum ipsorum*, id est dolor quem sentientes in corde de mortuo sene verbis quæ continere non possunt ostendunt esse caput, id est causa *circuitus eorum*. Vel de ficte plangentibus potest dici. *Caput* id est superbia *quæ initium est omnis peccati*, vt dicitur Ecclesiast. 10. *Circuitus eorum*, scilicet causa est. Hoc est circumeunt in plateis plangentes ad sæculi pompam. Et quia non ex corde planctus ille procedit subdit labor labiorum: & non cordis ipsorum operiet eos, vel quia fingunt à dolorosis clamoribus se superari: vel quia dolor quem ficte ostendunt diuino iudicio superueniens opprimit, & occupat eos. Et subdit. *Cadent super eos carbones*, quia diuitiæ quæ à defuncto relictæ sunt scilicet, propter quas hæredes flent: quia scilicet tandiu defunctus vixit, carbones fiunt scilicet tam temporaliter, quam æternaliter his quibus relictæ sunt, quia sæpe inter hæredes oriuntur, ex tali hæreditate odia, & inimicitiæ atque desolatio eorum, & tandem ignis & desolatio sempiterna. Vnde subditur. *In ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent*, scilicet sed deficient quandoque temporaliter, & sæpius æternaliter, quia sicut Propheta ait. *Sicut oues in inferno positi sunt*, Psal. 48.
id est ponentur, mors depascet eos. Et vt dicitur 13. quæst. 2. in cap. Animæ defunctorum. Curatio funeris conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis sunt viuorum solatia: quam subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio, vilis autem nulla. Age igitur iam senex qui ad naturæ maturitatem venisti. Poma igitur cum maturuerint si sensus atque sermo daretur illis gratularentur se ad id peruenisse, ad quod nata sunt. Et vt cæterarum rerum sic ætatis maturitas quædam est, quæ senectus denominatur; quod vt ita est videas, & ætas, & mors iuuenum acerba quidem dicitur & acerba est. Maturescit homo sicut & poma, & fruges quæ cum in eis maturitas bona sit quanto melior in homine? Propter quem omnia maturabilia maturescunt. Maturuisse iam debes si quid in te succi nobilis fuerit. Iam messoris tui manum securus expecta. Non mors illa quam metuis sed laborum finis ac principium vitæ est. Quia igitur in te mundus transit & concupiscentia eius, ideo amice ascende superius. Age iam sic denique reliquum vitæ viue vt fessa iam puppis ad portum tranquillitatis veniens æternaliter requiescat in gloria sempiterna. Ad quam nos perducat Dominus Iesus Christus qui cum Patre & Spiritu sancto est portus & tranquillitas omnium beatorum per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Margin notes: *Exhortatio ad senes.* — *Psal. 50.* — *Eccles. 10.*

DOMINICA XVII.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est, de Taciturnitate, tres habet articulos, & quilibet eorum duo continet capita.

Articuli primi, De silentio laudabili & vituperabili.

Cap. 1. De silentio laudabili.

Cap. 2. De silentio vituperabili, & quomodo homo in eo tripliciter peccat.

Articuli secundi, quando tacere est peccatum mortale vel veniale.

Cap. 1. Quando & in quibus casibus tacere mortale peccatum est.

Cap. 2. Quando tacere veniale peccatum est.

Articuli tertij, Quodnam sit maius peccatum tacere an loqui.

Cap. 1. Quod communiter plus peccant homines loquendo quam tacendo.

Cap. 2. Quod communiter damnosius est hominibus tacere quam loqui.

DE TACITVRNITATE BONI & mali.

Sermo XV.

Luc. 14. *Tria considerantur circa taciturnitatem.*

AT illi tacuerunt. Luc. 14. Circa igitur taciturnitatem tria consideremus. Primo eius conditionem. Secundo eius offensionem. Tertio eius comparationem.

ARTICVLVS PRIMVS.

De silentio laudabili, & vituperabili.

Silentium duplex.

PRimo enim consideremus, eius conditionem. Nam tacere dupliciter potest fieri, aut virtuose, aut vitiose. Proinde duplex silentium distinguere possumus. Primum est laudabile. Secundum vituperabile.

De silentio laudabili.

CAP. I.

1 silentium est laudabile. Eccles. 3.

PRimum silentium est laudabile, quia scilicet virtus est quod ex parte temporis patet. Nam sicut Ecclesiast. 3. cap. patet. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*, quod exponens Gregorius 7. moral. ait. Os discretum congruo tempore vocem aperit, & rursum congruo tempore taciturnitas claudit. Et Hier. in quadam epistola inquit. Diu considera quid loquendum sit & adhuc tacens, proinde ne quid pœniteat, sapiens enim vt loquatur multa prius considerat, quid alicui, quo loco vel tempore dicat.

De silentio vituperabili & quomodo tripliciter homo in eo peccat.

CAP. II.

Silentium vituperabile.

SEcundum silentium est vituperabile quod est delictum, secundum Alexandrum vnde Gregorius vbi supra inquit. Discedite, vicissitudinum pensanda sunt tempora; ne autem cum restringi lingua debeat, ad peruersa se inutiliter soluat: aut cum loqui vtilius valeat, semetipsam per tristitiam restringat. Et hoc modo tacere vel loqui vitium est, & alibi idem. Sicut incauta locutio in errorem protrahit: ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant in errorem derelinquit. Proinde Iob. 16. cap. inquit. *Si locutus fuero non quiescet dolor meus, & si tacuero non recedet à me.* Vbi glossa ait. Congruit hoc verbum personæ beati Iob vel ecclesiæ, quæ cum loquitur dolor eius, minime requiescit, quando locutione sua peruersos corrigi minimè conspicit. Et hoc ipsum amplius quod tacet gemit, quia se tacente, peruersorum culpas excrescere conspicit. Tacere igitur tempore quo homo tenetur, & potest loqui peccatum est. Maxime triplici tempore. Primo tempore laudationis. Secundo tempore confessionis. Tertio tempore correptionis. Primum pertinet ad Deum. Secundum ad seipsum. Tertium ad proximum. Non licet tacere tempore diuinæ laudis. Primo quidem non licet tacere tempore laudationis. Vnde Gregorius ait. Si immoderatum silentium culpa non esset. Isaias Propheta non dixisset. *Væ mihi quia tacui*, scilicet à laude Dei, secundum glossam interlinearem At econtra Isa. 62. cap. scriptum est, *tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt*, glossa interlinearis. *Tota die & tota nocte*, id est prosperitate & aduersitate non tacebunt à desideriis piis & à precibus sanctis. *Vel in perpetuum non tacebunt*, id est super horis & temporibus constitutis & opportunis exhortabuntur, laudabunt, orabunt, & prædicabunt. Vnde de iustis Ioan. Apoc. 4. cap. ait, *Requiem non habebant die ac nocte dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* Die ac nocte laudem Dei proclamant, qui in omnibus prosperis & aduersis Deo gratias agendo, omnem prouidentiæ in se dispositionem gratissimam habent & ipsum de omnibus operibus suis laudant. Ter igitur Sanctus clamant qui trinitatem in personis & in natura vnitatem ardenter amant. Vnde secundum tria, tribus personis attributa, scilicet potentiam Patri, sapientiam Filio, & bonitatem Spiritui sancto dicunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens.* Vere enim Dominus est, qui omnia nouit. Verè Deus, qui omnia bene vult. Verè opus, cui nihil impossibile est. Qui per omnipotentiam suam omnia creauit. Per sapientiam suam omnia reconciliauit. Per bonitatem suam omnia in electorum gloriam consummabit. In præsens quoque Propheta ait in persona iusti. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Aduertendum est tamen quod duplex est oratio siue laus. Vna est publica, alia est secreta. Prima quæ est publica est illa quam ministri ecclesiæ faciunt in persona totius populi finalis. Et talis secundum Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. in corpore quæstionis debet esse vocalis, & de hac Propheta ait. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Secunda vero oratio est secreta, quam homo pro se vel pro aliis facit; & hæc potest cum voce vel sine voce fieri, secundum quod orantis animæ magis vtile est. Tacere non licet tempore confessionis. Vnde de se Propheta ait. *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* Inueteratio enim ossium spiritualis fortitudinis defectus est, qui nōnisi per peccatum contingit. Et addit Propheta, *Dum clamarem tota die.* Quæ verba Aug. exponens in glossa ait. Tacui peccata dum clamarem immerita. Et ponit exemplum de Pharisæo Luc. 18. c. dicens. Pharisæus tacuit peccata, & clamauit merita. Tacuit confessionem & clamauit meriti præsumptionem. Sana membra medicamenta ostendebat, vulnera tegebat dicens. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri hominum.* Tacere non licet tempore correptionis. Tertio autem non licet tacere tempore correptionis. Nam Augustus super illud Matth. 18. cap. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei vsque septies.* Ait non passim iubet peccatum dimittere, sed pœnitenti. Et subdit. Ita peccat qui fratrem suum peccare videt, & tacet sicut qui peccanti non indulget. Quando autem peccatum mortale sit non corrigere proximum plenius dictum est in quadragesimali de Euangelio æterno sermone 28. articulus 1. per totum. Hæc secundum Alexandrum de Hales in 2. quæst. 44. de peccato oris, articulus 1. Insuper aduertendum est quod si homo videt proximum suum damnificari iniuste, & credit quod solo verbo absque periculo suo auxilium præstare potest iniuriam patienti & non corripit offendentem: sed tacet non tantum mortaliter peccat, sed totum illatum damnum in foro conscientiæ satisfacere obligatur, & hoc si tali damno obuiare ex officio tenebatur quia facit contra præceptum quod Prou. 24. datum est. In quo dicitur. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* Si autem homo ad hoc ex officio non tenetur, mortaliter peccat tunc tacendo & non corrigendo tamen restituere obligatur. Ratio prædictorum est, quia non corrigendo dat efficacem causam prædictæ impietati.

Iob. 16. *Quando tacere peccatum est.* *Isa. 6.* *Isa. 62.* *Apoc. 4.* *In prosperis & in aduersis Deo gratias referenda.* *Deus verè Dominus.* *Psal. 118.* *Duplex oratio.* *Quando tacere non licet.* *Psal. 31.* *Luc. 18.* *Matt. 18.* *Prou. 24.*

Iuxta illud quod ponitur extra de hom. in c. Sicut in §. illi vbi dicitur. Non caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare. Et extra de iniur. & dam. da. in c. Si culpa. vbi textus ait. Qui occasiooem damoi dat, damnum dedisse videtur. Sed de hac taciturnitate plenius dictum est in quadragesimali de Christiana religione sermone 34. capite vlti circa principium.

Qui occasionē damni dat, damnum dedisse videtur.

Articulus Secundus

Quando tacere est peccatum mortale vel veniale.

Ex taciturnitate peccatum.

SEcundo consideremus taciturnitatis offensionem. Contingit enim hominem dupliciter ex taciturnitate peccare. Primo mortaliter, secundo venialiter secundum Alex. de Ales in 2. q. 43. art.

Quando & in quibus casibus tacere mortale peccatum est.

Cap. I.

PRimo contingit peccare mortaliter ex taciturnitate. Et hoc generaliter io omnibus iis quæ homo dicere obligatur. Vel ex præcepto vel ex officio. In iis enim duobus casibus tacere peccatum mortale est. Quando homo loqui tenetur ex præcepeo. Primo si tenetur loqui ex præcepro, vt puta cum homo ex præcepro tenetur peccatum proprium coofiteri pro tempore debito, & cum aliis circumstantiis requisitis. Et hoc maximè in duobus casibus. Primo tacendo in iudicio exteriori. Secundo tacendo io indicio interiori. Primo mortaliter peccat tacendo in iudicio exteriori. Vbi aduertendum est quod iuste accusato ooo licet veritatem negare. Cum enim iudex veritatem requirit ab accosato secundum ordinem iuris in tribus casibus tenetur veritatem confiteri. Primos quando de crimine publica processit infamia. Secundus quando de crimioe apparuerunt indicia certa. Tertius est cum de crimine præcessit probatio semiplena. In his tribus casibus qui veritatem tacet aut falsitatem dicit, mortaliter peccat qood probari potest triplici ratione. Prima propter Dei gloriam, secunda propter iudicis iustitiam, tertia propter accusatoris pœnam. Primo propter Dei gloriam quam non tribuit. Nam qui non dat gloriam in honorem Deo, mortaliter peccat: eo quod ex diuioo præcepto omnes ad hoc generaliter obligamur. Vnde 1. Cor. 10. c. Apostol. ait: *Omnia quæcunque facitis, in gloriam Dei facite.* Sed qui interrogatus à iudice secundum ordinem iuris in iudicio confitetur peccatum suum, dat gloriam Deo. Ita dicit Iosue ad Achan 7. c. *Fili mi da gloriam Deo Israel & confitere, &c.* Ergo per oppositum qui celat vel excusat peccatom suum, vel negat mortaliter peccat. Secundo propter iudicis iustitiam quam impedit. Ratio est quia qui non obedit suo superiori in casu io quo obligatur, mortaliter peccat. Sed iudex est superior respectu eius qui accusator vel iudicatur, ergo ei obedire tenetur. Sed veritatem tacens & non confitens vel falsum dicens suo iudici non obedit: immo eius iustitiam impedit: ergo mortaliter peccat. Proiode Iob 31. c. ait. *Si abscondi quasi homo peccatum meum & celaui in sinu meo iniquitatem, &c.* vbi gloss. ait. Si abscondi id est timore pœnæ in iudicio ioteriori, scilicet conscientiæ vel timore pœnæ in iudicio exteriori, scilicet curiæ. Et hoc indebite excusando vel negando. Et subdit *quasi homo*, quod exponens Gregor. ait Vsitatum humani generis vitium est & libenter peccatum committere & commissum negando abscondere: & conuictum defendendo multiplicare, vel dicie quasi homo, sicut Adam peccatum excusare voluit per mulierem: & mulier per serpeotem. Geoes. 3. Et subdit *peccatum meum*, scilicet quasi homo quo bona vbique vult prædicari & mala tegi, & addit. *Et celaui in sinu meo iniquitatem meam*, gloss. In sinu iniquitatem celare est latibulis conscientias occultare, vel peccata in mente tanquam in sinu retinere. Tertio propter accusatoris pœnam, offeosam vel iniuriam quam intendit. Nam qui scienter est causa mali vel alterius nocumenti mortaliter peccat. Sed accosatus iuste negans veritatem vel coofitens falsitatem est causa mali vel damni accusatoris qui punitur si in accusatione deficiat ergo, &c. Vnde Proph. ait. *Nam declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Secundo mortaliter peccat tacendo in iudicio ioterinri. Quod dupliciter cooringit fieri. Primo non confiteodo, secundo peccatum non reuelando. Primo noo coofitendo, scilicet saltem semel in anno & talis mortaliter peccat quia contra præceptum Ecclesiæ facit quod habetur extra de pœnit & remission. in c. Omnis vtriusque sexus Secundo mortaliter peccat peccatum non reuelando hoc est aliquod peccatum tacendo, scilicet ex malitia vel verecundia contra quod Osee 13. scriptum est. *Absconditum est peccatum eius, dolores parturientis venient ei.* Et iterum Prouerb. 28. dicitur. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit & dereliquerit ea misericordiam consequetur.* Quando homo loqui tenetur ex officio. Secundo autem principaliter homo mortaliter peccat tacendo si loqui tenetur ex officio. Nam Prælatus ex officio corrigere subditum obligatur. Quod autem mortaliter peccet non corrigeodo subditum suum tripliciter probari potest. Primo ratione, secundo authoritate, tertio similitudioe. Nam primo ratione: nam qui in alio mortis spiritualis est auctor in seipso mortis est operator. Sed hoc agit qui alium potest & debet corrigere & non facit. Proinde Gregor. ait. Plerumque nimis taciti dum quorundam mala respiciuot & cum silentio linguam premunt: vsum medicationis quasi conspectis vulneribus subtrahunt, & eo mortis actores fiunt quo minus quod poterant eiicere loquendo noluerunt. Secundo probo hoc auctoritate. Vnde Ezech. 23. cap. mysticè scriptum est. *Si speculator viderit gladium venientem, & non sonuerit buccina & populus se non custodierit veneritque gladius, & tulerit de eis animam. Ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Vbi gloss. Ex iis discimus posse hominem quamuis iniquum & impium si magistri verba audierit, & pœnituerit de sua impietate saluari, nec minus magistrum damnari si non docuerit vel timore discriminis vel desperatione peccantis, dum reus est sanguinis eius qui potuit liberari, & in vtroque saluari liberum arbitriom dum in magistri voluotate est tacere vel loqui: & auditoris vel facere & audire & saluari vel contemnere & propter contemptum perire: hæc gl. Gregor quoque de talibus ait Qui corrigere non valet increpare non desinat ne se participem delinquentium ex consensu taciturnitatis addat. Tertio autem probo hoc similitudioe scilicet & exemplo. Vt puta qui tenetur mederi ægroto & pro loco & tempore subtrahit ei medicaminis vsum, mortaliter peccat: sed Prælatus tenetur subditis suis mederi cum spiritualiter infirmantur: ergo cum tacendo sobtrahit eis medicaminis vsum mortaliter peccat. Proinde Bern. ait: Non licet tacere cui ex officio incumbit vitia redarguere. Quod oon debemus incorrigibilibus prædicare. Tertio vt si obstinati essent auditores atque iocorrigibiles & quod deterius est, essent veritatis contemptores & persecutores, tunc est à correptione, & prædicatiooe cessandum.

Primo ex præcepto.

Ipse accusatus non negare veritatem, & qua de causa.

1. Cor. 10.

Iosue 7.

Iob. 31.

Gen. 3.

Mortaliter offenditur tacendo in iudicio interiori.

Osea 13.

Prou. 28.

Secundo si loqui tenetur ex officio.

Ezech. 23.

Auditor taceat & faciat quod audit.

Prælatus suis subditis tenetur mederi.

An incorrigibilibus sit prædicandum.

Matth. 7. *Amos. 5.* Qund & Dominus Matth. 7. c. insinuat dicens, *Nolite sanctum dare canibus neque margaritas proiiciatis ante porcos.* vbi Cassiod. 29. ait. Graue peccatum est nbstinatis prædicare. Proinde Amos. 5. ca, ait. *Prudens in illo tempore tacebit.* vbi gloss. ait: Videns vir Ecclesiasticus incorrigibiles, subtraher correptionem ne videatur sanctum dare canibus. Et Gregor. iterum dicit. Cum Prælati & Prædicatores conspiciunt quia vitam auditorum loquendo lucrari nnn possunt, tacendo scientiam suam abscondant. Vnde cum Luc. 23. cap. *Herodes interrogaret Iesum multis sermonibus nihil respondebat illi.* *Luc. 23.* Cuius taciturnitatis Gregor. ostendens causam ait. Quoties auditores nostri volont nnstra quasi laudanda cognoscere, non autem sua peruersa mutare, omnino taceamus, ne ostentationis studio verbum Dei loquamur, & illorum culpa quæ erat, esse non desinat, & nostra quæ noo erat fiat. Hæc Alex. de Ales. vbi supra.

Quando tacere veniale peccatum est.

Cap. II.

Quando tacens venialiter peccat. 3. Ioan. SEcundo vero contingit qond homo tacendo venialiter peccat. Vt puta cum homo loqoi nno obligetur sed expedit aut decet. Quandn autem hoc fuerit, & quandn non, difficile est determinare in singolis, Sed vt dicitur 1. Ioan. 11. Vnctio docet de hoc qui non permisit hominem sibi adhærentem de facili oberrare. Hic Alex. vbi supra.

Articulus Tertius.

Quodnam sit maius peccatum tacere an loqui.

Peccatum alio maius dupliciter. TErtio consideremus taciturnitatis comparationem, Hoc est quod istnrnm dunrum maius peccatum sit, scilicet an tacere, an lnqui. Circa quod aduertendum est qund peccatum dicitur maius alio peccato duplici modn videlicet quia aut communius, aut damnosius.

Quod communiter p'us peccant homines loquendo quam tacendo.

Cap. I.

PRimo modn dicitur esse maios vnom peccatom alio, qoia communius, vt pnta qnia à pluribus, & in pluribos peccatur. Et secundum hoc peccatum locotinnis dicitur esse maius peccato taciturnitatis. Vnde Ambros. 1. de nfficiis ait. Quam plures vidi loqnendo incidisse io peccatum, vix quemquam tacendo. *Difficillimũ tacere.* Ideoque tacere difficilius est quam loqui noscere. Seneca qunque ait, Diogenes interrogatus quare inter multos taceret, respondit. Plns expedit sapienti tacere quam contra se loqui. Non enim vidi multos loquendo paucos tacendn circumuentos. Circumueniri est per indiscretionem sermnais seduci. Et alibi Seneca ait. Sis rari sermonis ipse, sed loquentium paticos: locutum esse aliquando pœnitet, tacuisse nunquam. Iacnb. quoque 3. dicitur quod *Iacob. 1.* lingua est vniuersitas iniquitatis. Et iterum 1. cap. ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* *Paratior homo ad audiendum propter tria.* Si enim homines soluerent tributum de verbis non vtique esset de illis tam magnum forum. Paratior profecto debet homo esse ad audiendum quam ad loquendum. Et maximè propter tria. Primn qoia auditus in pluribus est quam loquela. Nam est in habentibus rationem, & non habentibos rationem. In quo innuitur qood cum magna discretione loquendum est. Secundo in hoc quia lingua naturaliter est inclusa cum aures apertæ, & in aperto sint. Tertio per hoc quod habemus duas aures, & tantum vnum os.

Quod communiter damnosius est hominibus tacere quam loqui.

Cap. II.

SEcundo vnum peccatum altero dicitur esse maius quia damnnsius est. Et sic peccatum taciturnitatis est maius peccato lncutionis quia est occasin siue causa mainris damni. *Cur peccatum taciturnitatis est maius peccato locutionis.* Quia per taciturnitatem subtrahitur vtilitas locutionis, quæ maior vel meline est vtilitate silentij. Et circa hoc formo talem rationem. Maius est bonom locutinois quam sit bonum silentij Cuius ratio est, quia tacendn tantummndn sibi prodest. Loquendn vero sibi & aliis vtiliter prodest: ergn peccatum quod oppnnitur lncutinni maius est quam peccatum quod silentio oppnsitum est. Sed peccatum taciturnitatis npponitur veritati locutinnis Peccatum vero lncutinnis oppnnitur bonn silentij; ergo maius est peccatum taciturnitatis id est occasio maioris damni quam peccatum locutionis. Hæc secundum Ale. vbi supra. Et hinc est etiam secundum Alex. vbi supra, qund maius præceptum est in scriptura sacra qnnd homo loquatur quam quod sileat, quia locutin pluribus modis habet rationem bonitatis qnnad se, & quoad proximum. *Locutio pluribus modis habet rationem bonitatis.* Præceptum autem silentij habet rationem qnoad se. Præcepta affirmatiua aliter se habent quam negatiua. Negatiua quidem sunt ad cohibendum à maln. Affirmatiua vern vt proficiant. Quia ergo homo cum proficit, magis loqoendo proficit quam tacendo. Ideo in sacra Scriptura magis præceptum est de bonitate locutinnis qnam de bonitate silentij. Cum tamen pluribos modis possit esse bona taciturnitas: tamen multipliciter bona potest esse locutin Hæc secundum Alex. de Ales in 2. q. 43. art.

DOMINICA XIX.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum quæ maximè continentur in hoc Sermone.

Cuius titulus est propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, quique continet tres articulos, quorum primus tria habet capita, secundus totidem, tertius denique quatuor.

Articuli primi, De mendacio officioso, & quod tripliciter committi solet.

Cap. 1. Quando in mendacio officioso pro conseruanda re temporali peccatum est mortale, vel veniale.

Cap. 2. Quando, & quibus modis in mendacio officioso pro conseruanda corporali vita sit peccatum veniale, vel mortale.

Cap. 3. Quod pro conseruanda re spiritali mendacium officiosum, sit peccatum mortale, vel veniale.

Articuli secundi, De mendacin nfficioso, & quod tripliciter dici contingit.

Cap. 1. Quod mendacium iocosum pro delectatione propria tripliciter dici solet, & quando sit mortale, vel veniale.

Cap. 2. Quod mendacium iocosum pro delectatione aliena tripliciter dici solet, & quando sit mortale, vel veniale.

Cap. 3.

De multiplici mendacio.

Sermo XVI.

Ephes. 4. Definitio mendacij.

PRopter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, Ad Ephes. 4. ex Apostol. Tractaturi igitur de mendacio primo consideremus eius diffinitionem, secundum enim Augustinum in libro de mendacio. Est falsa significatio vocis cum intentione, aliàs volontate fallendi. Et hoc idem habetur in gloss. super illud Psalmi: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & 22. quæst. 1. Beatus Paulus. Ex nomine tamen vocis, tanquam ex principali, intelligi debet omne signum, vt scripturæ, siue etiam nutus, vel aliud signum, vel factum, secundum enim Augustinum duo requiruntur in mendacio simpliciter dicto. Primum, quod proferens dicat falsum: secundum, quod intendat dicere falsum. Ex qua dispositione est, vt possit aliquis falli, vt sic sit falsitas ex parte intendentis, & ex parte signi. Sed quæri potest, quæ differentia sit inter falsitatem, mentiri, & mendacium. Sed de hoc plenius dictum est in Quadragesimali de Christiana Religione, sermone 31. in principio. Tantæ quippe malitiæ est mendacium, quod nullo modo, & nulla occasione potest bene dici, vel fieri, 22. quæst. 2. cap. mihi autem. Furtum & homicidium possunt aliquando bene fieri, mendacium autem nunquam. Ratio est, secuodum Alexand. de Ales in 4. quæst. 40. art. quia furtum & homicidium determinant inordinationem actus respectu materiæ, non determinando deordinationem ex parte finis, seu intentionis. Mendacium autem dicit inordinationem in comparatione actus ad materiam, & comparatione ad finem. Proinde Augustinus ait, qood mendacium non potest bene fieri: furtum autem & homicidium possunt bene fieri. Tamen si furtum & homicidium importarent de se inordinationem ex parte finis, vel intentionis, tunc etiam illa oon possunt bene fieri. Præterea inordinatio illa, quæ est à parte materiæ in furto & homicidio propter aliquam coodirionem aduenientem ex parte materiæ, ratione cuius potest esse inordinatio, tollitur: quia maios est bonum superueniens, quam illud sit malum. In mendacio autem est defectus veritatis, cui non potest addi aliqua conditio, per quam fiat maius bonum, quàm defectus veritatis, est malum, & ideo formabile oon est ad boonm, nec illo potest aliquid mereri. Hæc Alexander. Et nihilominus aduertendum, qood magistraliter triplex dicitur esse mendacium. Primum officiosum, secundum iocosum, tertiom perniciosum, 22. quæst. 2. cap. nequis. Vel aliter dici potest, quod primum est mendaciom pietatis, secundum leuitatis, tertium malignitatis. Primum prodest, secundum placet, tertium nocet: & de his Magister sententiarum in 3. distinct. 38. c. 1. At de his exponi potest verbum Prophetæ in Psalm. 61. vbi ait: *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Officiosum tangit, cum ait *Mendaces filij hominum in stateris*: Iocosum cum ait: *De vanitate in idipsum*: Perniciosum, cum subdit: *vt decipiant*. Et potest esse aliud thema in præsenti materia.

Duo requiruntur in mendacium simpliciter dicto.

Quæ differentia inter falsitatem, mentiri & mendacium.

Mendacium nunquam potest fieri licitum.

Triplex mendacium.

Psalm. 61.

ARTICVLVS TERTIVS,

De mendacio officioso, & quod tripliciter committi solet.

PRimum est mendacium officiosum, & hoc est quod nulli nocet, & alicui prodest. Et hoc modo contingit mendacium tripliciter dici, scilicet ad conseruandum primo rem temporalem, secundo rem corporalem, tertio rem spiritualem. Et omnes isti nihilominus sunt, de quibus Propheta ait: *Mendaces filij hominum in stateris*: quia mendacium semper peccatum est. Vnde Aug. in lib. de mendacio ait: Qui aliquod genus mendacij peccatum esse non prædicauerit, seipsum decipit. Ad hæc 22 q. 2. c. mihi autem, & cap. primum, in fine.

Primum mendacium officiosum. Mendacium tripliciter dicitur.

Quando in mendacio officioso pro conseruanda re temporali est peccatum mortale, vel veniale.

CAP. I.

PRimò quidem dicitur mendacium officiosum pro conseruanda re temporali. Et hoc dicitur primò pro conseruanda substantia sua, secundò pro conseruanda substantia aliena. Primò inqoam pro conseruanda sobstaoria sua, scilicet ne sibi peconia auferatur, vel consimile temporale: vt com à prædone interrogatur de pecunia sua, denegat veritatem, & hoc peccatum est veniale. Secondò si sit pro conseruanda substantia aliena: vt puta, cum quis ad euadendam pecuniam alienam iniustè à fure, vel à prædone tollendam mentitur, dicendo se nescire illam, & hoc est etiam veniale peccatum. Potest tamen esse mortale io hoc duplici casu, vt cum in vtroque casu interuenit iuramentum, quod de facili contingere solet: quia iurando contra veritatem pro se, vel pro alio, periurus est: quia veritas est vnum de tribus, quæ requiruntur in iuramento, vnde Hierem. 4. scriptom est: *Iurabis, viuit Dominus in veritate, & iudicio, & in iustitia*, 22. q. 1. Et iurabuot. Proinde semper in iuramento veritas debet esse, scilicet vt sciat homo firmiter, quod verum est, quod iurat. Aliàs si tantum credit, de scientia iurare oon debet, sed de credulitate.

Res temporalis propria, vel aliena.

Hier. 4. In iuramento debet esse veritas.

Quando, & quibus modis in mendacio officioso pro conseruanda corporali vita sit peccatum veniale, vel mortale.

CAP. II.

SEcundo dicit homo mendacium officiosum ad conseruandum rem corporalem. Et hoc etiam dupliciter dici potest. Primò pro conseruanda vita propria, secondo pro conseruanda vita aliena. Primo inquam pro conseruanda vita propria: verbi gratia, secundum Scotum in 4. distinctione 15. Dum verum crimen, sed occultum in publico sibi impositum homo negat. Nam negans veritatem in hoc, notat de calumnia imponentem, eo quod accusator, vel denunciator falsi criminis est infamis, vt patet per ea qoæ dicuntur extra de calumn. cap. 1. & 2. Tamen talis veritatem negans non tenetur retractare negationem suam, quia nullus tenetur in iudicio confiteri se reum nondum conuictus, vt in cap. qui aliquando, §. non tibi dico, de pœnitent.

Nullus non conuictus tenetur confiteri se reum esse.

De accusato non commisso. Aliqua dubia proponuntur. Primum dubium.

distinct. 1. Et secundum Landulphum addentem Scoto, talis accusatus in nullo tenetur ad restitutionem accusanti. Sed circa hoc tria dubia remanere videntur, secundum Scotum. Primum, an qui tale crimen in publico sibi impositum negat, mortaliter peccet? Et videtur quod sic. Primo, quia mentitur mendacio reipublicæ pernicioso: vnde respublica propter eius mendacium publicum à iusta punitione impeditur. Secundò nocet personæ accusanti, cum per hoc de calumnia infametur. Ad primum dicendum est, quod sicut Deuter. 16. cap. scriptum est. *Iuste, quod iustum est prosequeris.* Nequaquam enim respublica omnia mala punire debet, sed quæ conuicta sunt, punienda sunt: & talia officialis potest iustè punire. Et hæc illa sunt, quæ coram officiali reipublicæ sufficienter probari possunt. Præterea non lædit respublica, si diuinum iudicium excedit iudicium eius, vt scilicet aliqua reseruentur iudicio Dei, super quo non potest reipublicæ iustum iudicium esse, quia 1. Reg. 16. scriptura est: *Homo videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Et per hoc patet ad primum. Secundo autem, cum dicitur, quod tale mendacium est perniciosum contra accusantem. Dicendum, quod non est perniciosum contra eum, sed ipse sibiipsi perniciosus est. Vnde eo modo proponit, quo minime proponere debet: quia cum deberet non proponere, sibi imputet si aliqua ei infamia subsequatur, cum ipse de hoc in causa sit, non autem ille negans. Nam defendit innocentiam suam in publico, vbi equidem non est nocens, sed habendus pro innocente, donec fuerit ipse conuictus. Secundum dubium est, si talis mortaliter peccat mentiendo pro se. Primo enim videtur durum, quod quilibet ab vno in publico infamatus teneatur de necessitate salutis id, de quo accusatus est, statim in publico confiteri, & sic statim in iudicio sanguinis patibulo se exponere. Secundò quoque habendo oculum non tantum ad pœnam, sed etiam ad honestum & inhonestum, non videtur quod ita honestè, & secundum etiam rationem rectam debeat coram tali iudice confiteri: quia ipse plusquam quicunque alius singularis accusans sibiipsi aufert famam, quia in iudicio creditur contra se. Nec tamen mentiri videtur, secundum Landulfum, quia responsiones accipiendæ sunt secundum præmissas interrogationes. Non enim quælibet responsio est cuiuslibet interrogationis. Nam duplex est forum, in quo quis respondere potest, scilicet conscientiale, & iudiciale: Ad interrogationem factam in foro conscientiali, non est responsio in foro iudiciali: nec ad illam iudicialem est responsio in foro conscientiali. Cum igitur iste neget in foro iudiciali crimen, quod non est notum, nisi in foro conscientiali, vtique non mentitur. Quid ergo faciendum? Respondet Scotus, quod tunc danda est responsio Iuristarum. Nego proposita, vt proponuntur. vt hæc quidem sine mendacio dici possunt: quia proponuntur in publico, & vt publica, & vt publicè probanda. Sic autem negare potest, qui scit ea in publico non posse probari. Sed si iudex vrgeat eum, vt propositum fateatur, vel vt publicè neget. Respondere potest, quod ipse ad accusationem sufficienter respondit, & sicut est moris respondere Iurisperitis, nec declinare vult ab illa, faciat iudex erga accusatorem, quod iuris est. Tertium quoque dubium est, si talis prædicta negans intendit tantum negare illud, vt ibi propositum est, videlicet vt publicum, sicut facit sacerdos de confessione, dicens: Nihil mali scio istum fecisse, quia loquitur vt in publico, audiuit autem vt in alio foro. Nunquid iste negans de illa negatione pœnitere tenetur? Dicendum quod bonarum mentium est etiam ibi culpas agnoscere, vbi culpa non est, sicut ait Greg. 5. dist. c. ad eius. Multo quidem amplius, vbi dubitatur, an ibi sit culpa, & qualis etiam culpa bonæ mentis est culpam agnoscere. Proinde in tali casu tutum est post talem negationem de hoc indistinctè pœnitere, tanquam de tali, quale est: vt puta sub tali distinctione. Si mortale est, tanquam de mortali: si veniale, tanquam de veniali. Secundo contingit dicere mendacium pro conseruanda vita aliena, vt cum ad necem quæritur homo latitans in aliquo loco. Tunc quidem prudenter aduertat homo, quod ex tali perplexitate non faciat, aut contra charitatem, aut contra veritatem. Ad huiusmodi autem intelligentiam aduertendum est, secundum Alex. de Ales, in 2. q. 43. ar. vbi quærit, vtrum viris perfectis liceat mentiri, quod mendacium tripliciter potest sumi. Primo modo falsa significatio vocis cum voluntate falsum enunciandi, secundo modo enunciatio falsum enunciare volentis, vt fallat, tertio modo libido perseuerans mentiendi. Et has intentiones ponit Augustinus. Primo ergo si accipiatur illa intentio, & dicatur perfectus religiosus, qui non ex professione habet non dicendi mendacium, non est ei prohibitum, nec peccat mortaliter sic perpetrando mendacium. Secundo autem si accipiatur, & dicatur perfectus ille, qui habet perfectam charitatem, & ex charitate perfecta cognitionem, vt hæreat totaliter Deo secundum intellectum, & secundum affectum, prout est possibile in via, si talis peccat hoc genere mendacij, licèt sit benignitatis, mortaliter peccat. Qui enim perfectè adhærebat Deo, nullam habebat rationem retrahentem, quare mentiri deberet. Et sicut de Adam dicitur, quod ratione status sui primo, id est in principio peccauit mortaliter, ita & iste ratione status in hoc genere peccat mortaliter. Et hoc est, quod Augustin. ait. Exod. 1. *Benefecit Deus obstetricibus.* Quorum conuersatio iam in cœlis est, eos non existimo linguæ modum circa veritatem, falsitatem exemplo obstetricum debere formare. Sanctus vir, vt perfectè adhæreat veritati, prohibetur, nec studiose, nec cum præcipitatione mentiri. Summoperè enim cauendum est omne mendacium, quamuis nonnunquam leuioris culpæ, si quisquam præstando mentiatur. Sed quia scriptum est Sap. 1. *Os autem, quod mentitur, occidit animam. Et perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Hoc quoque mendacium perfecti viri summoperè fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare carni nituntur alienæ. Dicit etiam August. in lib. contra mendacium. *Ille Filius, qui verbum Patris suscipiens*, aliàs custodiens, *a perditione longe aberit.* Prou. 29. secundum aliam litteram. Et nihil falsi ex eius ore procedit, aliàs extra perditionem erit: tam sibi clausam deputat si ad subueniendum homini per mendacium, quàm si per stuprum transire cogatur: Et alibi: Filij supernæ ciuitatis, sunt filij veritatis. Eius ciuitatis sunt, de quibus scriptum est, Verbum Patris suscipiens filius à perditione longe aberit. Excipiens autem excipit illud sibi, & nihil falsi ex eius ore procedit. His filiis supernæ Hierusalem, si quando vt hominibus obrepit qualecunque mendacium poscunt humiliter veniam non inde quærunt gloriam. Tertio autem si accipiatur mendacium tertio modo, erit mendacium mortale peccatum, & secundum hoc Ecclesiast. 7. scriptum est: *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.* Et iterum Augustinus ait: Quis integrum dixerit animum esse mentientis? Etenim libido ipsa rectè diffinitur appetitus animi, quo æternis bonis quælibet temporalia præponuntur. Nemo itaque potest conuincere esse mentiendum, nisi qui posuerit esse æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio. Sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quanto

Deut. 16. — *1. Reg. 16.* — *Secundum dubium.* — *Responsio dubij.* — *Tertium dubium.* — *Solutio.* — *Mendacium tripliciter potest sumi. Primo.* — *Secundo.* — *Exod. 1.* — *Sap. 1.* — *Prou. 29.* — *Tertio.* — *Eccl. 7.* — *Libidinis diffinitio.*

quanto à veritate discordat. Qui autem mentitur, à veritate discedit: absurdissimum est dicere discedendo inde posse ad bonum aliquod aliquem peruenire. Aut si aliquod bonum æternum est, quod non complectitur veritas, non erit verum, & ideo nec erit bonum. Vt autem animus ipsi corpori, ita veritas ipsi animo præponenda est: vt eam non solum magis, quàm corpus, sed magis, quàm semetipsum appetat animus. Et iterum 22. q. 2. in cap. ne quis. August. ait: Ne quis arbitretur perfectum, & spiritualem hominem pro ista temporali vitam, orte cuius sua, vel alterius non occidatur anima debere mentiri. Et potest esse ratio: quia si perfectis liceret mentiri, vel mendacium dicere, quibus crederetur? Iam igitur nulli credi posset, quia nec perfectis, si non præsumeretur quod ipsi non deberent mentiri, & multo fortius nec imperfectis. Ad hoc ergo, vt stet credulitas veritatis, non videtur perfectis licitum mentiri, siue mendacium dicere. Hæc Alexand. de Ales, vbi supra. Ex his igitur, quæ supra per Doctorem irrefragabilem dicta sunt, clarescere possunt multæ auctoritates Scripturæ sacræ, atque Doctorum loquentium, quod per mendacium non debemus hominem liberare à morte, & quando, & in quibus tale peccatum sit mortale, vel veniale. Sic intelligi debet, quod ponitur 22. q. 2. cap. si quis. Vbi August. ait: Si quis ad te confugerit, qui de mendacio tuo à te possit à morte liberari, non es mentiturus. Os enim, quod mentitur, occidit animam, scilicet si dicat mendacium secundo, vel tertio modo dictum. Et in cap. faciat. idem sentire videtur cum ait, Faciat homo etiam pro temporali salute hominum, quod potest. Cum autem ad hoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando, scilicet mortaliter, consulere non possit, iam se existimet non habere quid faciat. Et eandem sententiam replicat in cap. ne quis. Et iterum 22. q. 2. in cap. omne. Isidorus ait, Omne genus mendacij summopere fuge, & sequitur, nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas, caue mendacium in omnibus, huius quoque sententiæ est Gregor. 14. Moral. cap. 2. exponens illud Psalm. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Rationem huius assignat Apostolus 3. cap. ad Rom. dicens, *quod non sunt facienda mala, vt veniant bona.*

[margin: ...a animo ...nda.]

[margin: In quibus est peccatum mortale vel veniale.]

[margin: Rom. 3.]

Quod pro conseruanda re spirituali mendacium officiosum sit mortale, vel veniale.

Cap. III.

Tertio contingit dicere mendacium officiosum ad conseruandum rem spiritualem. Et hoc etiam dupliciter. Primo pro se, secundo pro proximo. Primu quidem pro se, secundum enim Alexandr. de Ales, vbi supra, duplex est immunditia. Vna est corporalis, alia spiritualis. Prima est corporalis, & pro hac vitanda neminem oportet mentiri: quia sicut August. in lib. de mendacio ait, Nullus rectè agens immundus fieri potest quolibet contagio corporali. Secunda immunditia est spiritualis: & hæc dupliciter fieri potest. Primò respectu perfecti, secundo respectu imperfecti. Et tunc dicimus quod perfectus ita fortis debet esse, vt confidat se nulli tentationi succumbere. Vnde & si violentia infertur illi, sperare debet quod ipse nullo modo consentiet corruptioni violenter illatæ, sed sustinebit meritoriè tantum. Et ideo talis mentiri non debet in tali casu. Vnde Beata Lucia inquit: Si me inuitam violaueris, castitas duplicabitur ad coronam. Secundo respectu imperfecti. Nam imperfectus, vt pote infirmus, timere deberet, ne succumberet, si ad statum illum veniret. Et ideo tali propter infirmitatem conceditur redimere periculum maioris peccati per minus peccatum. Vnde sanius consilium est illi alsum dicere, quàm passionem illam cum manifesto periculo sustinere. Et hoc est, quod ait August. in libro de mendacio. Illa peccata, quæ ita committuntur in homine, vt eum faciant immundum in peccatis nostris, euitare debemus, ac per hoc nec ipsa peccata dicenda, quæ propterea fiunt, vt illa immunditia euitetur. Quod intelligi debet non quod sint peccata simpliciter, sed quod non sunt grauia. Et iterum in libro contra mendacium, circa finem, probato & concluso, quod nunquàm mentiendum sit, subdit: Sed perfectorum est aliquis solidus cibus. Multa enim secundum veniam relaxantur infirmitati, quàmuis sincerissimæ nequaquàm placeant veritati. Et iterum idem ait. Quisquis aliquod genus mendacij putauerit non esse peccatum, decipit turpiter semetipsum, cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur. Hæc secundum Alexand de Ales vbi supra, & Bonauenturam. Secundo autem ad conseruandam rem spiritualem pro proximo, vt puta etiam ad conseruandam castitatem proximi. Et de hoc secundum Bonauenturam vbi supra: dicendum est de viro imperfecto respectu alterius imperfecti, sicut de viro imperfecto respectu sui.

[margin: Duplex immunditia.]

[margin: Perfectus confidat quod mediante diuina gratia nulli tentationi succumbet.]

[margin: Imperfectus timere debet ne succumbat.]

Articulus Secundus,

De mendacio iocoso, & quod tripliciter dici contingit.

Secundum est mendacium iocosum, quod fit libidine mentiendi, & ex delectatione inani. Et de hoc Propheta inquit, de vanitate in idipsum. Et hoc mendacium contingit tripliciter dici. Aut cum delectatione propria, aut cum aliena, aut cum variaculpa.

[margin: Secundum est mendacium iocosum. Quod tripliciter dici solet.]

Quod mendacium iocosum pro delectatione propria tripliciter dici solet, & quando sit mortale, vel veniale.

Cap. I.

Primo quidem contingit iocosum mendacium dici pro delectatione propria, vt homo delectetur in semetipso. Et hoc ex sola mentiendi libidine, hoc est sine causa, & vtilitate. Et hoc tripliciter committi solet. Primo fingendo, secundo componendo, tertio iactando. Primo fingendo, vt cum quis studiosè, & accuratè fabulas fingit, & delectatur in illis. Fabula enim propriè est res, quæ nihil in se veritatis habet, & illa fabula falsa est, quæ aliquid continet veritatis admixtum. Sicut est in amore, modus non habuisse modum, sic in fabula veritas omnino veritate carere. Et dicitur fabula à fando, eo quod in solo fatu consistat. Si autem talis fictio habet aliquid mysticæ, vel moralis significationis, parabola dici potest. Græcè enim parabolæ, Latinè prouerbia nuncupantur, eo quod ipsis sub comparatiua similitudine figuræ verborum, & veritatis imagines ostendantur: sicut patet in fabulis Æsopi, quæ verius parabolæ dici possunt. Et talia fingere non est peccatum: sed fingere fabulas secundum suum proprium significatum absque peccato non est. Secundo committuntur componendo. Sunt enim plerique, qui delectantur in astutia, & palliata arte mendacia componendi, atque noua in vulgo inueniendi, quod quidem etiam sine peccato non est, cum fiat libidine mentiendi, non tamen decipiendi. Nihil tamen habet hoc mendacium, neque in se, neque in causa extra illum, in quo est libido, nisi mentientem propter quod August.

[margin: Primo pro delectatione.]

[margin: Mendacium pro delectatione tripliciter committi solet primo fingendo.]

[margin: Secundo componendo.]

August. vocat ipsum merum mendacium. Non autem sic in aliis mendaciis, quia habent causam extra mentientem, scilicet nocendi, vt in mendacio perniçioso: & iuuandi, vt in officioso: vel placendi, vt in *Tertio iactando.* senectute iocoso. Tertio committitur iactando, secundum Alexand. de Ales. Iactantia quidem in aliquo conuenit cum mendacio, & in aliquo differt. *Iactantia in quo conuenit cum mēdacio.* Conueniunt quidem, quia in vtroque est falsa significatio vocis. Differt autem in intentione, quia intentio mendacij est, vt credatur id, quodnon est, & terminatur in cognitione speculatiua. Intentio vero iactantiæ est propter aliquid in affectiua, licèt credatur ibi aliquid quod non est. Hæc secundum Alex. de Ales, in 2. q. 1 o art. 3. Et secundum Thom. 2. 2. q. *Iactare se dupliciter contingit.* 112. Iactantia propriè importat, quod homo verbis inaniter se extollat, dicendo de se aliquid, quod supra se est. Et hoc dupliciter contingere potest. Primo, quando aliquis loquitur de se, non quidem supra illud quod in se est, sed supra id, quod de eo homines opinantur. Secundo, quando loquitur de se supra id, quod in se est, & non secundum rei veritatem. Et in hoc secundo modo magis iactantia consistit, quamuis *Quando autem iactantia sit venialis vel mortalis.* vtrobique valeat dici. Quando autem iactantia sit mortale, vel veniale, distinguit Thom. vbi supra. Dicendum, quod iactantia dupliciter considerari potest. Primo modo secundum se, secundo modo secundum causam. Primo inquam secundum se, & sic mortale peccatum est, quando homo iactanter profert, quod est contra gloriam Dei. Ezech. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum*, vel contra charitatem proximi, sicut cum quis iactando se prorumpit in contumelias aliorum. Vnde Luc. 18. c. Pharisæus iactanter ait, *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus iste.* Sed si non sit contra gloriam Dei, vel charitatem proximi, veniale peccatum est. Secundo modo consideratur iactantia secundum causam. Nam si procedit ex superbia, vel inani gloria, quæ mortale peccatum sit, & ipsa etiam mortalis erit. Alias erit venialis. Si verò sit propter appetitum lucri, ad proximi deceptionem pertinere videtur, sen ad eius damnum, & sic magis mortalis est culpa: tamen non semper, quia potest esse tale lucrum, ex quo proximus non recipit damnum.

Quod mendacium iocosum pro delectatione aliena tripliciter dici solet, & quando sit mortale, vel veniale.

Cap. II.

Secundò dicitur mendacium iocosum, cum delectatione aliena, quod fit per mendacem adulationem, secundum enim Alexand. de Ales, in 2. distinct. *Triplex adulatio.* 43. art ic. triplex est adulatio. Prima, quæ bonum non habitum attribuit: secunda, quæ habitum bonum extollit: tertia verò, quæ malum nutrit. Prima quippe bonum non habitum attribuit, videlicet bonum temporale, seu corporale, vel spirituale, secundum enim Policratum. Adulator clauum figit *Ne adulantibus delectemur.* in oculo eius, cum quo consurgit. Communiter quippe adulatio habet odium & fraudem, proditionem & notam mendacij, sequelam seruitutis, & excæcationem proximi, atque totius honestatis exterminium. De adulationibus Ignatius ait: Heu, qui me laudant, potius me flagellant. Si enim laudibus lætamur, & vituperiis frangimur, gloriam nostram in ore hominum ponimus, non in Deo. Proinde Propheta dicebat, *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* vbi gloss. inquit, Falsa laus adulatoris, & simulata dilectio mentes à rigore veritatis *Psalm.* emollit ad noxia. Secunda adulatio est, quæ bonum *Secunda adulatio.*

habitum extollit plus quam sit. De nocumento eius Hieronym. ait: Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihilque tam dulciter animum feriat, sicut adulatio. Vnde Prouerb. 26. *Prou. 26.* *Verba adulatoris*, vbi littera nostra habet, *verba susurronis, quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis.* Et Gregor. ait: Quid per significationem locustæ, quæ plus quàm cætera minuta animantia humanis frugibus nocet, nisi lingua adulantis, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua conspicit, profectò immoderatius laudando corrumpit. Hæc duo genera adulationum, secundum Alexan. de Ales, vbi supra, tripliciter variari possunt. Nam qualibet earum, aut ex intentione, vt alicui prosit, & nulli obsit, & tunc peccatum est veniale. Si autem intentione nocendi alteri, licèt alius prosit, mortalis est culpa. Videtur enim fieri ex libidine mortali. Si autem nec prodest, nec nocet, sed contemptum Dei generat, per assiduitatem etiam mortale est. Tertia adulatio est, quæ malum *Tertia adulatio. Psal.* nutrit cum sit, & dicit esse bonum, cum malum sit. Et de talibus Propheta ait, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* vbi gloss. ait, Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim hominem ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam auditur laudator. Et dicitur etiam ibidem, magna ira Dei, vt desit correptio, & adsit adulatio. Sed aduertendum est, quod licet maius sit in opere, quàm in voluntate peccare: tamen maius peccatum est laudare hominem in voluntate peccandi, quàm in ipso facto peccati. Vnde aggrauando ait, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.* Porro hoc est lac, de quo admonens Sapiens, Prou. 1. cap. ait: *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Et subdit Propheta dicens: *Prou. 1.* *Exacerbauit Dominum peccator*, scilicet propter adulationem audacius peccando. Talis adulator dicitur *Adulator cauda dicitur, & quare.* cauda, quia operit turpitudinem culpæ. Vnde Isa. 9. cap. Propheta docens mendacium, Ipse est cauda. Cauda quippe teguntur posteriora, & turpia, atque immunda. Et hoc propriè est officium adulationis. Tales adulatores præcipitant homines in peccata superbiæ, in peccata luxuriæ, & in peccata auaritiæ. Vnde & ipsi cum eis præcipitabuntur. Proinde Isa. 9. c. *Erunt qui beatificant populum istum, scilicet sceleratum, seducentes, & qui beatificantur præcipitati*, scilicet *Isa. 9.* in præcipitium infernale. De his 46. distinct. in cap. sunt nonnulli. Gregor. ait: Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur, Exech. 13. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Ad hoc quippe sub cubito puluillus, *Ezech. 13.* vel ceruical sub capite iacentis ponitur: vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus mollitie quiescat. Hinc rursum eodem c. scriptum est: *Ipsi ædificabat parietem, illi autem liniebant eum.* Parietis *Ibidem.* quippè nomine, peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quæpiam obstacula *Duritia peccati.* peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur. Vt quod illi peruersè agentes ædificant, ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Sed sanctus vir, scilicet Iob. 27. sicut de bonis malè non æstimat, ita iudicare bona de malis recusat dicens: *Absit hoc à me, vt iustos vos esse iudicem, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* Hæc *Iob. 27.* ille. Et 11. q. 3. in cap. nemo peritorum. August. ait: Nemo peritorum, aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. Hæc adulatio semper mortale peccatum est, secundum Alexand. vbi supra: secundum verò Thomam 2. 2. q. 115. Adulatio *Adulatio tripliciter potest esse mortalis.* tripliciter potest esse mortalis culpa. Primo modo

modo propter peruersionem: quia peruertit hominem, & hoc est ratione materiæ, id est cum quis laudat alicui peccatum, scilicet sicut patet de tertia prædicta adulatione. Hæc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cuius iustitiam homo loquitur: & dilectioni proximi, quem in peccato fouet: vnde peccatum mortale est. Secundo modo propter intentionem: puta cum quis adulatur alicui ad hoc, vt fraudulenter noceat ei temporaliter, corporaliter, vel spiritualiter: & hoc etiam est mortale. Tertio modo propter occasionem, sicut cum laus adulatoris fit alteri occasio delinquendi, & hoc præter adulatoris intentionem. Et tunc considerandum est: vtrum occasio sit data, seu accepta, vel qualis ruina ex hoc sequatur, scilicet venialis, seu mortalis: & secundum hoc iudicandum est.

Primo propter peruersionem.

Secundo propter intentionem.

Tertio propter occasionem.

De quolibet mendacio, quando sit veniale, vel mortale à quocunque dicatur.

Cap. II.

Tertio dicitur mendacium iocosum, cum varia culpa, scilicet quandoque mortali, & quandoque veniali. Ad intelligentiam tamen cuiuscunque mendacij, quando scilicet sit veniale, vel mortale, aduertendum est, quod dupliciter contingit mendacium esse mortale. Primò per se ratione suæ speciei, secundò per accidens, scilicet ratione suæ circunstantiæ. Primò quidem per se ratione suæ speciei. Nam illud mendacium est mortale, quod est secundum suam speciem contra charitatem, sicut sunt tres species mendacij perniciosi: de quibus in sequenti tertio articulo dicturi sumus. Et de talibus intelligitur Propheticum illud, *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et illud Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Illud verò mendacium, quod secundum suam speciem non est contra charitatem, non est secundum suam speciem mortalis culpa, sed venialis. Et hoc est mendacium, in quo non supra, sed infra Deum intenditur aliqua delectatio leuis, sicut in mendacio iocoso: vel causa vtilitatis proximi, sicut in mendacio officioso. Vnde Augustinus super illud, *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium,* ait: Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed non sunt sine culpa, scilicet cum iocamur, aut proximo consulendo mentimur. Secundò verò est aliud mendacium mortale per accidens, scilicet ratione suæ circunstantiæ: & hoc modo mendacium officiosum, atque iocosum potest esse mortale, & hoc ratione quadruplicis circunstantiæ. Primò propter affectum, secundò propter nocumentum, tertiò propter contemptum, quartò propter scandalum. Primò inquam propter affectum, quia scilicet nimia libido & complacentia, atque delectatio contingit in mendacio iocoso: putà secundum Rodonensem, cum homo suam vel alterius complacentiam, seu delectationem in mendacio suo diuinæ dilectioni, atque mandatis Dei præponit: quia tunc tale mendacium mortale est. Vnde August. Nullum peccatum est adeo veniale, quin fiat mortale, seu criminale, dum placet. Secus si talis delectatio esset sub Deo. Argumentum ad hoc 25. distinct. cap. vnum orarium § criminis. Secundò propter nocumentum, vt cum mentiens probabiliter ex mendacio suo imminere alicui periculum aliquod videt, vel notabile nocumentum: licet illud mendacium ad hoc non esset ordinatum: vt puta, cum prædicator dicit mendacium officiosum in prædicatione. Nam secundum Scotum, mortaliter peccat. Item si quis timore mortis, seu iocosè, & verisimile est quod credatur, se dicat Guelfum vel Gibellinum, mortaliter videtur peccare, quia transit in mendacium perniciosum. Tertio propter contemptum etiam in mendacio iocoso: vt cum quis pro indifferenti, & pro nihilo habet tota dicere mendacia iocosa sicut vera, sicut faciunt mimi, & ioculatores, & consimiles, secundum Hostien. Secus in aliis, in quibus hoc accidit ex euentu, vel raro. Quartò propter scandalum. Ex multis quippe causis scandalum contingere potest: & sæpe contingit ratione circunstantiæ personæ, vt cum mentiens est perfectus, & quoad vitæ statum, & quoad famam, & reputationem hominum. In tali siquidem casu, si conscientia probabiliter dictat, quod ex mendacio suo scandalum subsequatur, tunc suum mendacium mortale erit: secus si sit perfectus non in reputatione hominum. Licet enim in tali grauius sit peccatum, quam in homine imperfecto: non tamen mortale est, quia non sequitur scandalum. Et sic intelligi potest, quod August. ait. Super illud Psal. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Si quis non vult hominem manifestare ad mortem, veritatem taceat, sed falsum non dicat: ne pro corpore alterius animam suam occidat. In his concord. Thomas, Bonauentura, Richardus de Media villa, & Scotus.

[...] mendacium esse mortale.

Sap. 1.

Duo genera mendaciorum.

Primo propter affectum.

Secundo propter nocumentum.

Tertio propter contemptum.

Quarto propter scandalum.

Articulus Tertius,

De mendacio pernicioso, & quomodo tripliciter committi solet.

Tertium est mendacium perniciosum, & malignitatis, & de hoc Propheta inquit, vt decipiat ipsi. Triplex quidem deceptio contingit in mendacio pernicioso. Prima in rebus temporalibus, secunda in rebus corporalibus, tertia in rebus spiritualibus.

Tertium est mendacium perniciosum.

Quod dupliciter committi solet mendacium perniciosum in temporalibus rebus, & de his, qui promissa non seruant.

Cap. I.

Prima deceptio mendacij perniciosi committitur in rebus temporalibus, & licet quandoque alicui tale mendacium prosit, tamen alicui nocet. Dupliciter tamen committi potest. Primo pro se, secundo pro alio. Primo quidem pro se. Sicut quotidie fit inter vendentes, & ementes, inter quos tam ex consuetudine longa, quam etiam ex putrida corruptela, innumerabilia mendacia multiplicantur. Vnde tales, secundum Thom. & Richar. mortaliter peccant. Et vltra hoc quandoque decipiunt proximum, vel vltra iustum pretium vendunt, & restituere obligantur. Cum autem ex tali mendacio proximus non decipitur, secundum Ray. veniale est: sed secundum Hostien. propter assiduitatem, & consuetudinem mortale fit. Sicut de ebrietate contingit: nam sine consuetudine est veniale, sed propter consuetudinem fit mortale. 25. distinct. c. qui in aliud. §. alias. Insuper est notandum, quod si pro euadenda pecunia, vel re alia temporali, quæ à prædonibus postulatur ad prædam, non tantum homo mentiatur pro illa, sed mendacio iuramentum superaddat, transit in mendacium perniciosum, atque periurium, & graue mortale peccatum est. Sed si absque iuramento mentiretur, esset mendacium officiosum, & veniale. Simile contingit de eo, qui denegat veritatem, & quandoque iuramento confirmat, ne iustè in pecunia condemnetur: quia in vtroque casu mortaliter peccat, sed grauius cum addit iuramentum. Sed quid de illo, qui aliquid promittit, quod tamen non seruat: Dicendum quod hoc dupliciter contingere potest. Primo, quando promittit aliquid alicuius

Prima deceptio, quæ dupliciter committi potest.

De non seruante promissionem.

ponde

ponderis, & tamen non intendit, vel non credit posse seruare illud, tunc perniciosum mendacium est & mortale. Et in hæc offendunt plurimi artifices & mercatores. Potast tamen res promissa tam vilis, atque innocua esse illi, cui promissa est, quod non seruando promissum, non erit mortale, sed veniale. Secundo vero contingit, quando promittens hoc agere intendebat; sed tamen promissum non seruat. Et tunc, secundum Thomam 2.2. q. 111. talis non mentitur, quia non loquitur contra illud, quod gerit in mente: si autem quod promisit non facit, tunc infideliter agit, per hoc scilicet quod animum mutauit: potest tamen dupliciter excusari. Primò si promisit id, quod manifestum est malum: quia tunc etiam promittendo peccauit: vnde 22. q. 4. in cap. in malis. Isidorus ait, in malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum, quod incautè, id est illicitè vouisti, non facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Et in cap. non est obseruandum. Item Isidorus ait: Non est obseruandum sacramentum, quo malum incautè promittitur. Veluti si quispiam adulteræ perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. Et in cap. vnusquisque. Ambr. ponit exemplum de Herode & saltatrice, quod habetur Marc. 6. Secundo modo, si cum promisit agere intendebat, sed mutatæ sunt conditiones: nam sicut Seneca in lib. de beneficiis ait, Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant. Vnde nec Apostolus mentitus est, cum quod 2. Cor. 1. promiserat, non seruat, quia non ad illos iuit. Et de hoc 22. q. 2. in cap. Beatus Paulus: vbi dicitur: Beatus Paulus Apostolus non ideo, quod absit, se fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius: quoniam cum ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione diuina maioribus occupatus ex causis implere non potuit, quod promisit, &c. Secundo committi potest mendacium pro alio, vt patet in mendacio falsi testis in causa pecuniaria: quia talis mortaliter peccat, & læso satisfacere obligatur, si suum testimonium fuit efficax causa illius damni, quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: extra de iniur. & dam. da cap. si culpa. 14. q. 5. non sane, quæst. 1, notum. Item talis grauiter peccauit, quia fecit contra octauum præceptum, quod dicitur, Non falsum testimonium dices.

Quandonam peccat non seruans promissionem.

Marc. 6.

2. Cor. 1.

Quod in rebus corporalibus etiam dupliciter committi solet mendacium perniciosum.

Cap. II.

SEcunda deceptio perniciosi mendacij committitur in rebus corporalibus: & licet alicui prosit, tamen alicui nocet. Dupliciter etiam committi hoc mendacium solet. Primo pro se, secundo pro proximo suo. Primo committitur pro seipso, puta cum quis accusatur ad mortem: secundum enim Thom. 22. q. 68. accusatus tenetur veritatem exponere iudicij, quam ab eo exigit secundum formam iuris: proinde si cõfiteri noluerit, vel si mendaciter negauerit mortaliter peccat Si verò iudex exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris: accusatus ei respondere non obligatur, sed potest per appellationem, vel aliter subterfugere, mendacium tamen non licet dicere. Nec tamen licet accusato calumniosè se defendere, secundum Thom. vbi supra. Nam in causa criminali de calumnia iuramentum præstandum est, extra de iuramen. calum. inhærentes. Porro accusato licet se defendere veritatem occultando, quam confiteri non obligatur: & hoc per aliquem modum conuenientem, dummodo non respondeat contra veritatem: hoc enim non est calumniose se defendere, sed prudenter euadere. Non autem licet ei falsitatem dicere, aut veritatem illam tacere, quam confiteri tenetur. Nec etiam aliquam fraudem, seu dolum adhibere: nam fraus & dolus vim mendacij habent. Et hoc est defendere se calumniosè. Similiter credo mortale peccatum esse, cum homo amore, seu timore pœnæ, vel mortis dicit se esse Guelfum, vel Gibellinum, quia contra charitatem sunt tales diuisiones. Secundò committi solet hoc mendacium pro liberatione corporis sui proximi: vt cum quis falsum testimonium dicit in causa criminali: ad hæc 11. q. 3. in cap. nemo peritorum. vbi Aug. ait: Nemo peritorum, aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quam manibus sanguinem fundendo. Hæc ille,

Secunda deceptio, quæ dupliciter committi solet. Primo pro se.

Accusatus potest se defendere occultando veritatem.

Quod etiam dupliciter contingit mendacium perniciosum dici in rebus spiritualibus.

Cap. III.

TErtia deceptio mendacij perniciosi committitur in rebus spiritualibus, vtputa in doctrina religionis, vt ait August. 12. quæst. 2. in cap. primum: quod exponens Alex. vbi supra, ait, Religio communiter sumitur ibi, secundum quod nos religat ad tenendum non tantum ea, quæ sunt circa fidem, sed etiam ea, quæ sunt circa bonos mores. In his enim duobus consistit summa Christianæ religionis, sicut Iac. 2. scriptum est: *Fides in semetipsa mortua est, nisi sint opera.* In huius mysterium Exod. 17. *cum Amalech pugnaret contra Israel*, id est mundus contra fidelem animam, *supposuerunt Moysi lapidem, vt sederet, & ex vtraque parte manus eius sustentabant*, scilicet & *tunc praualebat populus Israel.* Nam, vt dicitur 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra*, scilicet operosa. Dupliciter etiam circa hoc contingit dicere mendacium perniciosum. Primo respectu sui, secundo respectu proximi. Primo sui, & hoc fit cum homo male intelligendo scripturas sacras, erroneè exponit eas, sicut faciunt hæretici. Item qui male sentit, & id ore fatetur de ecclesiæ sacramentis, vel de articulis fidei: extra de verborum signific. cap. super quibusdam in prin. Atque omnino censetur hæreticus, qui non tenet id, quod docet sancta Romana ecclesia, vt 2. distin. cap. si. & c. nolite. extra, de summa Trinitat. & fide cathol. c. 1. lib. 6. facit quoque ad hoc, quod notatur per Bern. extra, de summa Trinit. & fide cathol. in glossa magna: vbi articuli fidei, qui in symbolo continentur, seriosè enumerantur. Secundò respectu proximi mendacium perniciosum dicit, qui falsam de fide catholica opinionem gignendo docet, atque pertinaciter defendit, vt patet 24. q. 3. qui aliorum. &c. hæreticus & cap. hæresis. & c. seq. Et talis proprie hæresiarcha denominatur. Non tantum autem tales perniciosi Doctores, qui in cathedra pestilentiæ sedent: verum etiam largo modo sumendo mendacium spirituale, & perniciosum contra proximum, seu pro proximo dicunt, omnes vitiorum, & vitiosorum excusatores, defensores, & fautores, & maxime qui vergit, seu redundat in multarum animarum perniciem, & domini honoris detrimentum, atque confusionem,

Tertia ... perniciosi committitur in rebus spiritualibus

In quo ... summa Christianæ religionis.

Iacob. 2.

Exod. 7.

Quis hæreticus.

Adulan

Adulantium multiplices modi.

CAP. IV.

SVnt enim plerique, qui impudentius irruunt sine dissimulatione ambitionis, quos neque ratio, neque auctoritas reprimere potest. Frustra enim oppones aliquem titulum, quia clamore conductitio praeualente delebitur concurrentibus exemplis, & sanctissimis Patrum. Opponitur eligendo, ignobilis est, sed nec Petrus Patritius extitit, aut alicubi de claritate sanguinis gloriatur. Minor est, Hieremiam, & praecursorem Domini habet auctores. Puer est, En seniores monstrat à Daniele puero condemnatos, *Dan. 13.* Daniel. 13. Illiteratus est, nec scholas frequentasse leguntur Apostoli: coniugatus est, & Apostolus *Ad Tit. 3.* ad Titum 7. vnius vxoris virum praecipit eligendum. In iniuriam matrimonij suam reliquit vxorem: Et Ioannes à nuptiis ad Euangelium traditur euocatus. Balbutit, aut potius elinguis est: sed & Aaron vices Moysi, qui erat impeditioris linguae, & *Exod. 4.* sacerdotium legitur ministrasse. Exod. 4. Si recentiora considerantur, aliter considerantur exempla. Insipiens est, sed per insipientiam mundi decreuit Deus saluare credentes. Percussor est, sed & Petrus gladium eximens, serui Principis Sacerdotum *...rth. 51.* auriculam amputauit, Mat. 26. Meticulosus est; sed & *...na 1.* Ionas ad Niniuitas veritus est accedere, Ionae 1. & Thomas ad Iudaeos tenetur functionibus publicis alligatus, sed & Mattheus de Theloneo assumptus *Matth. 9.* est. Matth. 9. Violentus est: sed & Dominus ipse dictus est potator vini, & vorator carnium. Contentiosus est, & inter discipulos Christi facta est con*Luc. 22.* tentio. Luc. 22. Garrulus est & linguosus, facundus habebitur, quoniam Apostolus sic etiam dictus est. Non acquiescit maioribus: sed & Paulus etiam in *Ad Gal. 2.* faciem restitit Petro. Ad Gal. 2. Scorta sectatus est: sed & Osea mandante Domino amplexibus mere*Osee 1.* tricis adhaesit. Oseae 1. Militiam armatam exercuit, sed & Martinus sub Iuliano legitur militasse. Vir sanguinum est: sed & Moyses Ægyptium interfecit, *Exod. 2.* & abscondit sabulo. Exod. 2. Manifestum homicidium egit, sed & Samuel praesente populo Agag Re*...g 15.* gem pinguissimum interfecit, 1. Reg. 15. Perfidus est, & periurus, sed & Petrus perfidiam periurio cumulauit. Matth. 26. Mutus est, sed hoc Zachariam *Luc. 1.* à sacerdotio non exclusit, Luc. 1. Caecus est, sed & Paulus videre non poterat, quando eum Ananias *Act. 9.* Domino consecrauit, Act. 9. Exigentibus culpis depositus est, sed & multi tales restituti sunt, & postmodum Ecclesiae Dei plurimum profuerunt. Surdus est, sed & hoc praeconari legem Dei non prohibet. Praedicator enim quaeritur, non auditor. Leprosus est, sed de pastore pastorum ecclesia recolit: quia nec speciem, neque decorem habuit, qui excludendus videretur tanquam leprosus, & nec humano dignus *Isa. 53.* aspectu. Isa. 53. Persona despicabilis est, sed & in simili repulso titulo aduersus Martinum non audiuit ecclesia defensorem. Errat in fide, hoc dicitur fecisse Cyprianus. Valetudinarius est, sed & Gregor. in summo languore Romanam optime gubernauit ecclesiam. Podagras, & chyragras patitur, sed non pedes, nec manus imperant, sed ipsum caput. Superbus & vanus est, sed talis fuit Briccius Turonensis Episcopus, Martini discipulus. Corpore & membris debilitatus est: sed hoc egregio confessori Pannucio legitur accidisse. Condemnationem ambitus tulit: sed & filiorum Zebedaei petentium primatum est *Math. 20.* petitio reprobata. Matth. 10. Haeresim quandoque docuit: sed & August. se Manichaeum fuisse fatetur, Coluit idola: sed & Marcellinus Martyr insignis in Papatu idolis thurificare compulsus est. Fortè non est Christianus: sed & dum cathecumenus esset, Beati Ambrosij fuit electio celebrata. Persecutus est ecclesiam Dei, sed & Paulus ex persecutore effectus est praedicator. Electio deest: sed Apostoli non petentibus populis missi sunt. Non vacat sedes, in quam possit intrudi, accedat praesidenti. Nam, & August. Valerio Hypponensi non tam successisse, quam accessisse describitur. Auarus est, dispersa poterit congregare, & inutiliter non distrahet congregata: vt paucis vniuersa complectar: ad omnia ineptus est, sed & Sansom mandibula asini Philistim expugnauit. Potens est & nunc Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae. Ex his, & aliis mendacibus, quibus mundus est plenus, ad hoc deuenimus, quod quasi nullus proximo suo credit, in nullo confidit, in nullo esse veritatem credit, teste Hieronymo: qui haec verissima attestatione testatur dicens, Mendaces faciunt, vt vera dicentibus non credatur.

Apostrophe contra mendacium.

O Igitur mendacium perniciosum, & nequam: tu mutuam inter homines credulitatem extinguis: tu quoque innumerabilium scelerum causa, tu radix omnium illegalitatum, tu mater omnium fraudum, tu nutrix omnium duplicitatum: tu fomentum omnium detractionum: tu causa omnium proditionum, omnium falsorum testimoniorum, omnium periuriorum: tu foedera frangis, hypocrisim nutris, in falsas accusationes prorumpis. *Mendacium merito vituperatur.* O maledictum mendacium, per te nulla est fida societas, nulla in aliquo fides, nulla spes vel confidentia firma. Per te nulla amicitia vera, nulla pietas, nullum foedus. Per te nulla concordia recta, nulla pax, nulla denique in aliquo bono firmitas esse potest. *Mendacium virus pessimũ.* O mendacij pestiferum virus! ô pessima lepra! tu discordias seminas, scandala ponis, diffamas viduas, sacras religiones confundis, conculcas iustos, diffamas rectos, scandala suscitas, punis insontes: inter coniunges scandala ponis, simplices conscientias turbas: tu rancores, tu iurgia, tu liuores & iras, contumelias, scissuras, diuisiones, partialitates, & sectas suscitare non cessas. Quid plura? Tu illius progenies, qui mendax est & pater eius, Ioan. 8. *Ioan 8.* Per te primos parentes nostros, & cum eis totum humanum genus ad temporales, & aeternas miserias Lucifer ille mendax prostrauit. *Tolle mendacium & cessabunt omnia scelera.* Tolle de terra mendacium, & cessabunt omnia scelera supradicta, & regnabit in mundo veritas, pura fides, clara spes, firma charitas, mutua simplicitas, sancta societas, bona amicitia, vera concordia, certa pax, & tranquillitas inconcussa atque inter homines vita immaculata, Ex quibus omnibus clarescere potest, quod mendacium facit de mondo Dei, mundum diaboli, à quo nos liberet ipsa summa veritas, Dominus Iesus Christus, cui cum Patre, & Spiritu sancto sit omnis honor & gloria per infinita saecula saeculorum, Amen.

DOMINICA XX.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum, quae maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est de triplici statu animae, scilicet offensionis illuminationis & conuersionis, quique continet tres articulos, quorum vnusquisque septem includit capita.

Articuli primi, quomodo per septem perniciosos gradus peccator descendit in peccatorum profundum.

DE TRIPLICI STATV ANIMÆ, ſcilicet offenſionis, illuminationis, & conuerſionis

Sermo XVII.

Ioan. 4. Triplex hominis ſtatus. HERI *hora ſeptima reliquit eum febris*, Ioan. 4. & in Euangelio hodierno. Triplex poteſt eſſe hominis ſtatus. Primus offenſionis, ſecundus illuminationis, tertius conuerſionis. Et de his Propheta Pſal. 134. ait: *Educens nubes ab extremo terra, fulgura in pluuiam fecit.* *Pſal. 134.* Et poteſt eſſe aliud thema in præſenti materia. Primò enim ante oculos mentis noſtræ peccatorum præteritorum memoria præſentatur, ſecundò in recordatione eorum intelligentia illuſtratur, tertiò inter confuſionem & illuſtrationem mens compuncti fletu magno reſoluitur. Incipit enim primo caligo confuſionis: *Educens ab extremo terra*: ſequitur ſecundò, ſplendor cognitionis *fulgura*: Additur tertio fletus compunctionis *in pluuiam fecit.* Nubem ſuper te profectò conſpicis, quotieſcunque vt dicitur in Pſal. *Confuſio faciei tuæ cooperuit te.* Fulgura recipis, quando illuminans Deus mirabiliter à montibus æternis, ſplendores eius militant contra te. Pluuiam ſuper te excipis, quando ſecundum Prophetam poculum tuum cum fletu miſces, & ſtratum conſcientiæ tuæ lachrymis tuis rigas. In primo eſt ſtatus nubiloſus, vel criminoſus: *Educens nubes ab extremo terra.* *Primus ſtatus nubiloſus.* In ſecundo eſt ſtatus radioſus, vel luminoſus, *fulgura.* In tertio eſt ſtatus doloroſus, ſeu lachrymoſus, *in pluuiam fecit.* Et hi tres ſtatus in verbo propoſito comprehenduntur. Primus, ſcilicet criminoſus, tangitur ibi, *febris*, ſecundus ſcilicet, luminoſus, exprimitur, ibi: *Heri hora ſeptima*: tertius, ſcilicet lachrymoſus, additur ibi, *reliquit eum.* *2. radioſus. 3. doloroſus.* Vt iſte ſit ordo textus: *Febris heri hora ſeptima reliquit eum.*

ARTICVLVS PRIMVS,

Quomodo per ſeptem ruinoſos gradus peccator deſcendit in peccatorum profundum.

PRimus ſtatus eſt offenſionis, ſeu aliter criminoſus. Ait enim Ioann. *febris.* *Primus ſtatus eſt offenſionis.* Dicitur enim febris à ferueo, es: quia facit hominem feruere: vel dicitur à frigeo, ges: quia facit hominem frigere. Et ad litteram quandoque venit febris cum frigore, quandoque cum calore: vt per febrem myſticè innuatur omnis culpa. Nam omnis culpæ origo eſt: aut timor male humilians. Ecce frigus: aut amor malè inflammans. Ecce calor: aut enim per timorem malè humiliantem frigeſcit anima contra Deum: aut per amorem male inflammantem caleſcit anima erga mundum. Et ſecundum hoc diffinit Auguſt. mortale peccatum, dicens: Peccatum mortale eſt ſpreto incommutabili bono, rebus commutabilibus adhærere. *Quid peccatum mortale.* Septem ſunt peccatorum mortalium gradus, quibus anima ruit in peccatorum profundum, Primus gradus eſt conſenſio, ſecundus operatio, tertius continuatio, quartus publicatio, quintus defenſio, ſextus impugnatio, ſeptimus contaminatio. *Septem peccatorum mortaliũ gradus.* Et hi gradus dici poſſunt ſeptem nubes, de quibus Propheta ait: *Educens*, ſcilicet eſt Deus *nubes ab extremo terra*, quod eſt vltimus gradus.

De peccato conſenſus quando eſt veniale, ſeu mortale.

CAP. I.

PRimus gradus eſt conſenſio, ſecundum enim Bonauenturam in centiloquio, ſic diffinitur conſenſus. *Primus gradus eſt conſenſio. Quid conſenſus.* Conſenſus eſt ſpontaneus voluntatis motus: vel eſt conſenſus motus animi liber ſui. Et cum nihil ſit ita in poteſtate noſtra, ſicut conſentire vel diſſentire: hinc eſt quod conſummatur ibi omne peccatum. Initiatur enim in cogitatione, creſcit in delectatione: ſed perficitur in conſenſu. Hæc ille, ſecundum autem Alexand. de Ales, in ſecundo, q. 39. *Tria in conſenſu ſunt cõſideranda.* Tria conſideranda ſunt circa hoc. Primo, ſi delectatio conſiſtit circa conſenſum, veniale peccatum eſt. Secundò, ſi procedit vlterius conſenſus: ita quod vult interius voluptuari, nec tamen vult in opus procedere: talis inquam conſenſus eſt inter mortalia computandus, quod maxime de peccatis carnalibus intelligendum eſt: proinde Mat. 5. Dominus ait. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam*, ſcilicet, prædicto modo, *iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* *Matth. 5.* Tertio autẽ, quando conſenſus proponit conſummare opus, tunc voluntas pro facto reputatur, etiam ſi perficiendi opus ipſum facultas deſit. Sine propoſito perficiendi opus comedit mulier: cum propoſito perficiendi opus tunc comedit vir. Et de hoc plenius in 2. ſent. diſt. 2. c. 6. vbi agitur de ſenſualitate.

Quid addat conſenſui culpæ ſequens opus malum.

CAP. II.

SEcundus gradus eſt operatio, ſecundum Bonauenturam, in ſecundo, diſt. 42. quæſt. 2. *Secundus gradus eſt operatio.* Opus addit ad nequi *Pſal. 68.*

nequitiam voluntatis. Vnde Propheta ait: *Appone iniquitatem super iniquitatem*: vbi glossa ait: Qui opus addit voluntati, addit iniquitatem iniquitati. Et iterum August. ait: Vnusquisque efficitur miser mala voluntate: sed miserior potestate, cum desiderium malæ voluntatis impletur. Item qui peccat voluntate interiori solum, non peccat, nisi in Deum: qui vero peccat exterius opere frequenter, in proximum peccat: sicut patet in adulterio, & homicidio. Vnde subdit Bonauent. dicens, quod vnum peccatum dicitur esse maius altero tripliciter. Aut ratione maioris contemptus Dei, aut ratione maioris delectationis, aut ratione maioris damnificationis. Primo modo opus non addit ad iniquitatem voluntatis: quia voluntas plena à Deo auertit per se: sicut cum est operi coniuncta. Secundo modo ad delectationem, seu libidinem, addit & aggrauat: maximè quantum ad genus mortalis culpæ, quo quidem peccat homo in seipso. Tertio quantum ad damnificationem addit. Et hoc maxime quantum ad genus peccati, quo quis peccat in proximum. Quantum enim velit aliquis fornicari, nunquam tantum delectatur, sicut quando volontas actui copulatur. Similiter quantumcunque velit quis alterum occidere, non tamen tantum facit damnum, quantum si actu occideret: & quoniam Deus est iustus iudex in puniendo, non considerat tantum in peccato magnitudinem contemptus: sed etiam magnitudinem delectationis, & magnitudinem damnificationis: hinc est quod opus aliquo modo addit ad nequitiam voluntatis: secundum etiam Alex. de Ales, per consensum amittit homo gratiam gratificantem: sed per additum opus, perduntur gratiæ gratis datæ, scilicet, & temporalia, & spiritualia: & hoc secundum multitudinem, & magnitudinem operationum prauarum, scilicet & superbiæ, & luxuriæ, & auaritiæ, & similium peccatorum.

Vnusquisque efficitur miser mala voluntate.

Vnum peccatum dicitur esse maius altero tripliciter.

De continuatione culpæ.

CAP. III.

Tertius gradus est continuatio: licet enim gratia iustificans subito, & tota simul homine se auertente à Deo, auferatur: gratiæ tamen, & dona gratis data non subito deficiunt: paulatim decrescunt. Et hoc ex euidentissima diuinæ iustitiæ, & misericordiæ dispensatione: vt ex ea parte, qua per condignam iustitiam gratiæ mouuntur, & pœnitentiam moueatur, & ex alia parte, qua per misericordiam gratiæ nondum omnino ablatæ sunt, iuuetur ad pœnitentiam peragendam. Solent enim pisces, cum in flumine, siue in lacu sentiunt deficere aquam, ad maius pelagus properare. Vt ex hoc discat humana segnities, quod quando propter continuationem sentit sibi deficere gratias gratis datas, recurrat ad latissimum pelagus misericordiæ Dei per pœnitentiam veram, & eurgiet ad iostitiam rectæ vitæ. Proinde ad talem operum malorum continuatorem: Apoc. 3. Dominus ait: *Esto vigilans, & confirma cætera*, scilicet bona opera, quæ moritura erant, videlicet per malorum operum continuationem. Patet ad hoc exemplum de Salomone. Vnde 32. q. 4. in cap. Salomon. Salomon quippe immoderato vsu, atque assiduitate mulierum ad hoc vsque perductus est, vt templum idolis fabricaret, & qui prius Deo templum construxerat assiduitate libidinis, & perfidiæ subtractus, idolis construere templum non metuit: de hoc quoque Hugo de Sancto victore super Regulam Augustini ait: Cogitatio praua parit delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio continuationem, continuatio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas cogit: sed non

Trium gratiarum continuatio.

Cum gratia ... deficit.

Apoc. 3.

Cogitatio praua parit delectationem.

excusat. Continuatio quidem est illa bestia, à qua Daniel. 7. dictum est, quod dentes, & vngues eius erant ferrei, comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus conculcabat. Nam gratias gratis datas comedit, gratias naturæ comminuit, & gratias fortunæ conculcat. Tria sunt, quæ rem difficilem reddunt, scilicet magnitudo rei, circunstantiæ occasionum, & continuatio longa. Exemplum de Philosopho, qui cum esset factus Dominus ciuitatis, & non valeret per doctrinam retrahere populum à continuatione malorum, fecit per famulos suos duos catulos ex optima matre nutriri, vnum malis moribus ad ollas, & discos in coquina, & alium ad venandum. At cum post longam exhortationem populi ad consuetudinem bonam dimissis ambobus famelicis canibus, atque ante illos præparatis pinguedine coquinæ ollis, & lepore viuo in prato, vnusquisque cucurrit ad solitum pastum. Ac per hoc populum docuit, quid malorum continuatio operetur.

Dan. 7.

Continuatio peccati pessima bestia.

Tria sunt quæ rem difficilem reddunt.

Quantum deterius est peccare publice, quam occulte.

CAP. IV.

Quartus gradus est publicatio. Duæ sunt quasi ripæ fluuij humanæ mentis, quæ continere debent peccatum, ne exeat proximis in exemplum, videlicet timor, & pudor. Timor coram Deo, pudor coram proximo. Cum igitur peccatum fit in occulto, nocet tantummodo peccatori, & peccatum tantum transgreditur vnam ripam, quæ est timor Dei. Cum vero peccatum in scandalum proximi publicatur: tunc rumpitur pudoris ripa. De ruptione primæ ripæ Propheta ait: *Non est timor Dei ante oculos eorum*. De ruptione secundæ scriptum est, Hierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Sed væ infelici mundo à scandalis. Nam, vt dicitur Oseæ 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*: quia absque verecundia perpetrantur. Ideo nunc verificatur, quod Propheta ait: *Gladium suum euaginauerunt peccatores*. Gladius siquidem peccatoris, peccatum est: & qui publicant peccatum, gladium euaginant, Isa 3. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*. Tales faciunt contra illud, quod Dominus Ioan. 18. c. ait Petro, *Mitte gladium tuum in vaginam*. Vagina enim, in qua peccatum contineri debet, timor est Dei, & verecundia mundi, id est Time Deum, & verecundare, cum sis seruus Dei, & in hac vagina debuisset Iudas gladium suum inclusisse, scilicet peccatum proditionis, quando ei vaginam porrexit Dominus dicens, Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*. Ecce vnde erubescere debuisset. Et subdit dicens: *Veruntamen væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille*. Ecce vnde timere debuisset: merito ergo Propheta nos admonet, dicens: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*. Equus enim fortis est, qui tenetur, & insuper luxuriosus, & superbus: nec cessorem suum discernit. Et mystice designat manifeste peccantes diuersis generibus peccatorum. Per mulum vero hypocrita signatur. Mulus enim ex nobili, & ignobili generatur. Sic in generatione hypocritæ conueniunt nobile, scilicet opus de genere bonorum, & ignobile, scilicet intentio corrupta, & praua: quia semper nobilitatem ostendit, & ignobilitatem abscondit. Vnde parabolicè recitatur, quod cum vulpes obuiaret mulo, interrogauit eum, de quo genere esset. Cui respondit mulus,

Quartus gradus est publicatio.

Timor & pudor impedire debent peccatum.

Psal. 35.

Hierem. 3.

Osea 4.

Psal. 36.

Gladius peccatoris peccatum est.

Isa. 3.

Ioan. 18.

Matt. 26.

Psalm. 31.

Hypocrita comparatur mulo.

quod pronepos erat magni Equi Regis Francorum Cui vulpes ait: Non quæro de matre: sed de patre, qui illi amplius noluit respondere.

Quod deterius est peccatum excusare vel defendere, quam peccatum perpetrare.

Cap. VII.

Quintus gradus est excusatio.
Signum malæ conscientiæ est excusare peccatum.

QVintus gradus est excusatio. Deterius signum malæ conscientiæ est peccatum excusare vel defendere, quam peccatum perpetrare. Illud est ignorantiæ, vel fragilitatis: istud autem malignitatis, & peruersitatis indicium est. Nam vbi in receptione correptionis est emendatio peccatorum, in excusatione est eorum tuitio, defensio, & obstinatio illorum: hoc malum incœpit à primis parentibus nostris. Ait enim Adam, Genes. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Vbi notanter aduertendum est, quod qui verbis paucis excusat se, inculpat Deum, & proximum suum accusat. Eua vero ait, *Serpens decepit me, & comedi.* In qua responsione excusando se, dæmonem inculpauit, quasi vtrique parentes liberum arbitrium non haberent. Excusatio est thorax, quo se diabolus in peccatoribus à Deo in præsenti vita tuetur. De quo thorace Iob 39. cap. scriptum est, *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squammis sese prementibus, vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas, vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* In quibus sacris literis, vel verbis, septem ponuntur verba denotantia septemplicem defensiuam diaboli munitionem propter septem peccatorum defensiones. Primo enim superbus ait: Necesse est enim corpus bonum habere caput: vbi non est gubernator, multitudo ruit. Necesse est viros præesse bonos. Ordo in omnibus esse debet: dignum est, quod qui præcellit nobilitate, scientia, vel bonitate; præcedat etiam in honore, & dignitate. Nec est malum de bonis lætari, cum debeat mulier ornari, vt placeat viro suo. Secundo iracundus ait: Non est bonum iniurias pati, ne tales iniuriam inferre assuescant. Malum non debet impunè agi. Et illud Prouerb. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Sed ô frater, quis te fecit iudicem Dei: Acediosus ait: Caro fragilis est, non ferrea, vel ænea. Non potest homo continuè laborare. Melius est etiam valde parum facere, quam deficere: & qui vadit planè, vadit sane. Tarditas est sanioris consilij. Et sic tarditas videtur grauitas, & pigritia quies mentis. Quarto inquit auarus: Melius est congregare, & pauperibus benefacere, quam egere, atque furari, vel aliis onerosus esse. Item qui non prouidet sibi in posterum, stultus est. Et melius est propria retinere propter fortuitus casus, quàm cuncta dispergere, destruere, & mendicare. Tristis est, qui expectat ad ollam vicini sui, & qui habebit bona in hoc sæculo, habebit etiam in futuro, propter indiscretos necessaria est vsura. Quinto inuidus dicit, non debent prosperari mali. Nullus indignis debet desiderare bonum, aut in proprium detrimentum. Sextò gulosus dicit, *Omnia munda mundis.* Ad Titum 1. Et cuncta pro homine facta sunt, teste Augustino, Deus creauit omnia propter hominem, & hominem propter se. Tamen secundum tacet, & addit: Sine comestione non potest viuere homo, & melius est eleemosynas facere, quam ieiunare. Et illud Matt. 15. cap. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore.* Et bonus homo deberet comedere aurum, & bibere balsamum. Et sacerdotes, & fratres sunt, qui ieiunare debent. Septimo luxuriosus ait: breue est tempus: & nescimus quid postea futurum est. Et stultus est, qui dimittit habita pro habendis. Quare fecit Dominus masculum, & fœminam. Non potest esse homo, sicut lignum aridum, vel esse hominem viuum, & plangere se mortuum. Et qui malum sibi vult, non videat sibi bonum. Et illud Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Et non credo, quod aliquis sit in mundo, qui teneat castitatem, nisi forte qui luxuriari non potest: & si omnes essent fratres, mundus periret: & similia, quæ insani homines, & fatui contra diuina fatue loquuntur ad excusandas excusationes in peccatis, & ad cooperiendum vitia sub pallio virtutum, & honestatis. Sunt etiam plerique, qui in sui excusationem allegant Dei permissionem dicentes, quod Deus permisit eos cadere in peccatum, & non considerant, quod ipsi tenuunt auxilium Dei, qui Prouerb. 1. cap. ait: *Extendi manum meam*, scilicet adiutorium: *& non fuit, qui aspiceret.* Alij quoque dicunt, quod peccant: quia Deus gratiam non porrigit eis, allegantes quod Apostolus ait, Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei.* Sed non aduertunt, quod non Deus illis, sed ipsi desunt gratiæ Dei, quæ præsto est semper, sicut Sol qui fenestræ est præsens, & ad intrandum se offert, si ei aperiatur. Vnde 1. Pet. 5. *Sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam.* Sunt quoque alij qui dicunt, quod Deus sic præuidit, quod sic peccare debebant. Nec aduertunt, quod præuidentia Dei necessitatem non infert: quia licet Deus præuiderit, quod facturi sunt in voluntate, tamen est eorum non peccare, & peccare si volunt. Ezech. 2. *Si forte, vel ipsi audiant, & si forte quiescant.*

Genes. 3. *Iob. 39.* *Septem verba ad defendendam septemplicem diaboli munitionem propter septem peccatorum defensiones.* *Prouerb. 26.* *Ad Tit. 1.* *Matth. 15.* *Genes. 1.* *Prouerb. 1.* *Rom. 9.* *1. Pet. 2.*

De nequitia eorum, qui persequuntur illos, qui corrigunt eos.

Cap. VI.

Sextus gradus est impugnatio.
Psalm. 35.

SExtus gradus est impugnatio, seu persecutio, scilicet sanctis, qui charitatiue eos corrigentes agguntur. Et de talibus Proph. ait: Psal. 35. *Dixit iniustus, vt non delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius,* &c. Vsque malitiam autem non odiuit. In quibus sacris verbis ponuntur septem peruersitates incorrigibilis peccatoris. Prima est iniustitia, secunda malitia, tertia nequitia, quarta pertinacia, quinta diligentia, sexta ruina, septima complacentia. Prima peruersitas incorrigibilis hominis est iniustitia. Ait enim Propheta. *Dixit*, id est proposuit iniustus, qui nec proximo, nec Deo, nec sibi nec carni, nec mundo, nec diabolo reddit, quod suum est, vt delinquat in semetipso, id est dicit, quod si peccat, peccatum est suum, & sibi nocet. Sic enim plerique dicere solent, Iob 19. *Si ignoraui, mecum erit ignorantia mea*, Et hoc facit: quia non est timor Dei ante oculos eius: qui si esset, non peccaret. Ecclesiasticus 1. *Timor Domini expellit peccatum*: & Psalmus *Initium sapientiæ timor Domini.* Et qui caret initio, caret & fine. Secunda peruersitas est malitia: vnde subdit, *Quoniam dolosè egit in conspectu eius*, id est in conscientia sua, vbi respicit Deus. Et tunc fecit dolosè: quia decepit semetipsum, cum peccatum suum defendit. *Et hoc vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, scilicet corrigentium illos. Amos 5. *Odio habuerunt corripientem in porta.* Tertia peruersitas est nequitia, scilicet contra corripientes. Et de hac subdit, *Verba oris eius iniquitas*, scilicet quoad detractiones apertas: & dolus, scilicet quoad susurrationes occultas, Hieremiæ 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est*: & Psalmus *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.*

Septem peruersitates incorrigibilis peccatoris. Prima. *Iob. 19.* *Eccles. 1.* *Psalm. 110.* *Secunda.* *Amos 5.* *Tertia.* *Hierem. 9.* *Psalm. 63.* *Mala lingua.*

In

Num. 12.

vtraque auctoritatum istarum notantur mala linguæ, scilicet publicum, & occultum. Quarta est pertinacia, scilicet nesciendi bonum & malum, aliud ad faciendum, & aliud ad declinandum. Et de hoc additur, *noluit intelligere*, scilicet corripientes, vt bene ageret. Zachar. 7. *Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes.* Psalm. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*, &c. Quinta est diligentia, scilicet studiosa in malis. Vnde ait, *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Ad litteram, vel in cubili, id est in corde Psalm. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Sexta est ruina in omne malum. Et de hoc additur, *Astitit*, scilicet per promptitudinem voluntatis omni viæ non bonæ, id est omni generi peccatorum. Psalm. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* In hoc verbo, *Astitit*, non solum notatur consensus per ad præpositionem, quæ illud verbum componit: sed & perseuerantia, quæ notatur per li sterit, quod est alterum componentium: quasi dicat: Ad alios malefacientes, vel ipsum tentantes per consensum, se faciliter inclinauit, & in illo consensu perseuerauit. Septima peruersitas est complacentia, scilicet peccatorum. Vnde subdit, *Malitiam autem non odiuit:* sed affectuosè dilexit. Vnde in Psalm. *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Portò deterius est nolle carere vitiis, quam vitiis consentire: aut perseuerare in eis. Plerique enim quandoque peccant, vel peccato consentiunt, & perseuerant in eo: qui tamen peccato carere vellent, & in se & in aliis peccatum odio habent. Proinde in persona talium Rom. 7. Apostolus ait: *Non quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio.* At econtra vero iste malitiam amat.

Zach. 7. Psal. 57. Psal. 13. Sexta. Psal. 44. Septima. Psal. 52. Deterius est nolle carere vitiis, quam vitiis consentire.

De pestifera contagione quorundam hominum peruersorum.

Cap. VII.

Septimus gradus est contaminatio. Psal. 1.

Septimus gradus est contaminatio, scilicet pestifera aliorum. Talis profectò omnino contrarius est illi, de quo in Psalm. 1. Propheta ait: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Cathedra, secundum quod eam describit Cassiodorus, est ex aliqua materia composita forma sedibilis, quæ duos curuatos molliter à dorso suscipit, suoque gremio dimissos complectitur. Et mysticè signat carnem, quæ prædicto modo ad animam doctrina, & moribus pestilentem se habet. Sicut enim in corpore est pars anterior, & posterior, quæ dicitur dorsum: sic in anima est pars anterior, scilicet intellectus, & posterior, quæ est affectus, quæ intellectum necessario præsupponit. Tunc igitur dorsum animæ in hac cathedra molliter requiescit, quando affectus animæ in omnibus vitiis, & sceleribus carnis perniciosissimè delectatur. Pestilentia autem, secundum Isidorum lib. 4. ethy. dicitur quasi pastulentia, eo quod velut incendium depascat. Et est contagium, quod dum vnum apprehendit, ad plures celeriter transit. Sic anima pestilentialis, & pestilentiata ab erroribus, & vitiis secundum præfatos gradus contaminata, exemplo, doctrina, incitamento contaminat conuersantes cum ea. Ad tales loquitur Dominus per Hieremiam 51. c. dicens: *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram, & extendam manum meam super te.* Sicut in Psalm. dicitur, *Extendit manum suam in retribuendo.* Huiusmodi sunt incantatores, dæmonum inuocatores, sodomitæ, lusores, partiales, lenones, mulieres duces vanitatum, hæretici, excommunicati, & consimiles animarum pestilentes contaminatores. De quolibet talium admonere nos intendit

Hierem. 51. Psal. 54.

Ecclesiast. 11. c. dicens, *Attende tibi à pestifero.* Ista septima febris pestilentialis, & periculosissima est, in qua laborat anima in extremis. Nam nisi à Christo admirando miraculo, atque inusitato sanetur, nihil aliud restat, nisi inflictio sempiternæ mortis. Hoc est profundum, de quo Prou. 18. scriptum est: *Impius cum in profundum peccatorum deuenerit, contemnit*, scilicet resurgere à sceleribus suis: & de emendatione talis febricitantis, Propheta in verbo proposito ait, *Educens nubes ab extremo terræ*: & hæc profectò est extremitas terræ, à qua sine maxima misericordia non educit Deus has septem nubes, & maximè hanc extremam, & ponit eas in pœnitentiæ statu.

Eccles. 11. Prou. 18.

Articulus Secundus.

De septemplici lumine, quo illuminatur à Deo anima peccatoris.

Vnde fulgur & tonitruũ.

Secundus status est luminosus, seu mentalis illuminationis; & de hoc Ioan. 1. ait: *Heri hora septima*: & Propheta, *fulgura.* Fulgur enim dicitur à fulgeo, es, quod est splendere; secundum enim naturales, quando, vel tres, vel plures venti in aere intercipiunt aliquam nubem, collidunt & confringunt eam, & ex illa collisione, fit in aere sonus, & procreatur ignis. Sonus autem ille propriè dicitur tonitruum, quasi tonus, terrens, sonus, eo quod sonando terreat. Splendor vero illius, siue iaculum ex eo factum, seu iaculi illius ictus, propriè fulgur, vel fulgor: aut fulmen à fulgendo, id est feriendo, vel percutiendo denominatur. Propriè tamen fulgor dicitur: quia percutit oculos: fulgur; quia incendit, & vrit: fulmen, quia findit. Sunt etiam tria genera fulminis: vnum, quod afflat, atque oculos intuentium percutit, seu tangit: sed tamen non vrit. Secundum, quod vrit. Tertium, quod findit. Proinde cum tribus radiis depingitur ipsum fulmen. Prædicta tamen nomina sæpius confunduntur. Moraliter tamen omnia prædicta tria in conuersione peccatorum concurrunt. Primo enim intellectus peccatoris ad sui cognitionem illuminatur, & hic est fulgor percutiens, & illuminans oculos mentis. Secundo vero affectus eius inflammatur ad odium mali, & amorem boni: & hoc est fulgur, quod incendit, & vrit. Tertio vero confunditur, & opere pœnitentiæ, & efficaciæ à peccatis affectualiter separatur, & hoc est fulmen quod findit, Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, id est cum intellectu illuminato, affectu inflammato, & affectu ab omni crimine separato: & sequitur: *Et scindite corda vestra*: scilicet in duas partes: vt amor detur Deo, & peccatum diabolo. Vel scindite corda: vt per confessionem apostema egrediatur: & hic est status luminosus: de quo Ioan. *Heri hora septima*, id est cum Sol mundanæ affectionis incipit declinare: & iterum de illo Propheta ait: *Fulgura*, id est status luminosus, diuinitus illustratus, peccatori misericorditer condonatur. Atque de hoc in Psalm. 47. Propheta ait: *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt: tremor apprehendit eos, Ibi dolores vt parturientis, in spiritu vehementi, conteres naues Tharsis.* In quibus sacratis verbis septem illuminationes, seu septem lumina, quibus anima peccatoris illustratur, & ad statum salutis reducitur, per ordinem describuntur. Primum lumen dicitur recognitionis, secundum admirationis, tertium contritionis, quartum mutationis, quintum tremoris, seu tremulationis, sextum confessionis, septimum seruentis dissipationis.

Tria genera fulminis. Tria in conuersione peccatorum concurrunt. Ioel. 2. Psal. 47. Septem illustrationes quibus anima peccatoris illustratur.

Quod ad peccatoris conuersionem, primo est necessaria recognitio suæ præteritæ vitæ.

Cap. I.

Primum lumen recognitionis.

PRimum lumen recognitionis dictum est, quo scilicet homo recogitando recognoscit suam malam præteritam vitam, Nam etiam Paganus Seneca inquit: Initium salutis cognitio est peccati. Vnde & quidam alius ait;

Non intellecti nulla est curatio morbi.

Et Augustinus. Nullus insanabilior eo, qui sibi sanus videtur: & iterum Seneca Difficiliter ad sanitatem peruenimus; quia nos ægrotare nescimus. Ac contra hic Propheta inquit; *I, si videntes sit*, scilicet præteritam vitam. Propterea ad hanc sui recognitionem hortatur Dominus peccatorem per Hieremiam Prophetam tertio capite, dicens; *Leua oculos tuos in directum, & vide vbi nunc prostrata sis.* Primo enim ait: *Leua*, scilicet oculos, qui de illis es, de quibus Propheta ait; *Oculos*, scilicet sta *declinare in terram.* Secundo inquit *oculos*, non oculum vnum solum: & hoc vt intelligas peccata tua commissionis, & omissionis. Tertio addit *tuos*, non alienos, vt sacerdotis, more quorundam, quod nulla præmeditatione antecedente dicunt in confessione, Domine interroga me. Quarto subdit *in directum*, per quem scilicet modum res veraciter discernitur. Quidam enim in obliquum, sicut strabo respiciunt peccata sua. Hi sunt, qui dicunt: quæ peccata sunt in me? ego nunquam feci proditionem, hominem non occidi, ecclesiam non combussi, virginem non violaui, ad vsuram non accommodaui, cum moniali sacrata non peccaui. Et postquam non fecit palam omnia scelera grauiora, nullum peccatum sibi perpetrasse videtur. Hoc etiam addit, & vide. Potest etiam homo ad litteram obseruare omnia, quæ dicta sunt, & nihilominus non videre. Proinde ait, vide, & considera, pondera & examina, intellige & cognosce peccatorum tuorum multitudinem & magnitudinem: turpitudinem & ingratitudinem. Vide inquàm, quod peccata tua te diuina gratia priuauerunt, sibi animam tuam subiugauerunt, diuinam imaginem deformauerunt, æterna gloria priuauerunt, atque suppliciis æternis obligauerunt. Et sic vide, vbi nunc prostrata sis. Si hoc vides cur infelix anima non resurgis? *Surge, qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ad Eph. 5. Quis est qui si cerneret se cecidisse in lutum, & non surgeret;

Hier. 3.

Peccatum commissionis & omissionis.

Quanta attentione consideranda sunt peccata.

Quantum de præterita mala vita admiratur peccator, cum cognoscit seipsum.

Cap. II.

Secundum lumen est admirationis.

SEcundum lumen admirationis nominatur. Mirantur enim peccatores, quomodo ad tantam dementiam diabolus, caro, & mundus deduxerunt eos, qui in tot sceleribus deuoluti sunt. Et de hoc Propheta subdit, *Admirati sum.* Alia litera habet *obstupuerunt.* Nam in persona talis admirantis, alibi Propheta ait, *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum* Admirantur enim; quod peccata abstulerunt ei Velle bonum, Posse bonum, & Nosse bonum. Primo inquam, quod abstulerunt ei velle bonum. Vnde ait: Cor meum conturbatum est in me: quia sicut dicitur Sapient. 17. *Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.* Et merito ait in me. Nam licet quandoque viri iusti in exterioribus, id est in carne conturbentur: tamen quando in se reuertuntur, mentaliter quietantur. Impij vero in seipsis, id est in anima conturbantur. Exemplum de duabus conchis, quarum vna est plena aqua pura & clara: sine terra in fundo: alia etiam plena aqua clara, sed cum luto in fundo. Isa. 57. *Cor impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, & non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Secundo subdit, quod abstulerunt ei posse bonum, dicens, *Dereliquit me virtus mea.* Et Thren. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius*, scilicet diaboli *conuoluta sunt, & imposita collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus*. scilicet permissiue, *in manu, de qua non potero surgere*, scilicet ex meipso. Tertio abstulerunt ei nosse bonum. Vnde subdit, *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* De talibus Sapient. 2. *Excæcauit enim illos malitia eorum.* Quod maxime euenit ex longa consuetudine mala. Vnde Augustinus in Enchi. cap. 76. ait. Peccata quamuis magna & horrenda cum in consuetudinē venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeo: vt non solum non occultanda verumetiam prædicanda diffamandaque videantur. Ecce cæcitas consummata: & de his peccator, per hoc secundum lumen illuminatus admiratur, & obstupescit. Et iterum in huiusmodi persona Propheta ait. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis, & obloquentis a facie inimici, & persequentis.* Ait enim. *Tota die*, scilicet postquam recognoui peccata mea, *verecundia mea*, id est ex proprijs meis exiens *contra me est*, scilicet propter enormitatem peccatorum meorum. De tali verecundia, quæ oritur ex peccatorum cognitione. Eccles. 32. *Ante verecundiam præibit gratia*, quæ scilicet illuminat hominem ad sui cognitionem. Et addit, & *confusio faciei meæ cooperuit me*, scilicet considerando scelera mea patrata, & hoc scilicet ortum habet. *A voce exprobrantis, & obloquentis*, id est ab accusatione conscientiæ meæ, quæ mihi exprobrat ostendendo turpitudinem peccatorum meorum, & obloquitur æterna supplicia comminando, Et addit. *A facie inimici & persequentis*, id est ab instanti cognitione triplicis inimici, mundi, carnis, & diaboli, qui me odio habent, nec odium satis est: sed etiam persequuntur propter dominium, quod super me susceperunt.

Psal. 37.

Quid peccata adimāt.

Sap. 17.

Isa. 57.

Thren. 1.

Sap. 2.

Ex mala consuetudine excæcatio. Consuetudinis malæ periculum.

Eccl. 32.

De veraci contritione, & quæ ad eam necessario requiruntur.

Cap. III.

Tertium lumen est contritionis.

TErtium lumen est contritionis, scilicet quæ oritur ex peccatorum conditione. Et de hoc Propheta subdit. *Conturbati sunt*, sc. propter contritionem. De hac Propheta Psalm. 59. ait, *Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quoniam commota est.* In quibus sacratia verbis ostenditur ordo conuersionis animæ peccatricis. Primo incipit timoratio, secundo sequitur contritio, tertio sequitur sanatio. Primo incipit timoratio, & de hoc dicit, *commouisti terram*, id est terrena corda per minas tuas timore concussisti, Psalm. *Illuxerunt coruscationes tuæ, orbi terræ: commota est, & contremuit terra.* Et alibi *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: commota est, & contremuit terra.* Coruscationes quippe, & fulgura Dei sunt luminosæ comminationes illius, quibus auditis contremiscit terra cordium peccatorum. Proinde Ioan. Baptista prædicationem suam à comminationibus cœpit dicens, Matth. 3. *Progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?* Hoc autem egit, vt incuteret eis timorem, quod est principium

Psal. 59.

Ordo conuersionis animæ peccatricis.

Psal. 76.

Matth. 3.

conuer

conuertendi ad Deum, Pſalm. *Initium ſapientia timor Domini* Eccleſiaſt. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Sed aduertendum eſt, quod non dicit mouiſti, ſed commouiſti: quia homo per ſe mouere non poteſt, nec Deus vult eum ſine illo mouere. Vnde Apoc. Rom. *Non volentis, neque currentis*, ſcilicet principaliter, *ſed miſerentis eſt Dei*, & de filio prodigo, Hieronym. ait. Nec quidem bonam voluntatem reuertendi habuiſſet: niſi prius pater in occulto eam inſpiraſſet. Secundo ſequitur contritio, ſcilicet poſt timorationem. Vnde ſubdit: *Et conturbaſti eam*, Pſal. *Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.* Et bene poſt timorem ſequitur dolor, quia timor generat eum. In cuius myſterium, Ioan. 5. *Angelus deſcendebat in piſcinam & mouebatur aqua.* Per Angelum Domini, comminationis & timorationis gratia à Deo per Angelum miſſa, myſtice deſignatur. Ipſa annunciat homini, quod dignus eſt morte, & tunc mouetur aqua compunctionis, & prodeunt lacrymæ compunctionis, vel contritionis. Et dicit ibi, Ioan. *Quod qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Tertio vero, ex vera contritione ſanatio ſequitur. Proinde petit Propheta, & allegat dicens: *Sana ô Domine contritiones eius*, id eſt vulnera peccatorum quibus conteritur, & hoc *quia commota eſt*: quaſi dicat. Deſcendit Angelus in piſcinam, & mouit aquam, igitur ſana eam, Pſalmus. *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, ſcilicet ne ex puſillanimitate deſperent.

Deo præuiam noſtræ conuerſionis.
Pſalm. 142.
Ioan. 5.

Quomodo in tota vita ſua mutatur peccator, cum veraciter eſt conuerſus.

CAP. VI.

QVartum lumen eſt mutationis, quia ſcilicet peccator mutatur in aliam vitam. Et de hoc Propheta ſubdit, *commoti ſunt*, nec ait moti ſunt, vt perfectam & plenam, id eſt interiorem & exteriorem, in corde, ore, opere mutationem factam eſſe demonſtraret. Quod recognoſcens pœnitens, diuinitus eſſe factum: ait Propheticum illud: *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi*, quod tripliciter de tali mutatione exponi poteſt. Primo modo: *Et dixi*, id eſt in conſcientia mea conſenſi, & determinate percepi, quia nunc cœpi, ſcilicet eligere præteritam vitam meam, tempus perditum, bona, omiſſa, & mala commiſſa. Hæc mutatio vitæ meæ, eſt dexteræ excelſi, id eſt diuini muneris, non mei meriti. Philip. 2. *Deus eſt enim qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* Et iterum ad Timoth. 3. Apoſtol. ait: *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Secundo modo exponi poteſt. *Et dixi nunc cœpi*, id eſt incœpi eſſe, quia ante non eram. Peccator enim non eſt cum ſit ſeruus eius, quod nihil eſt, quia eſt ſeruus peccati: teſte Domino, qui Ioan. 8. ait: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*: immo tantum minor eſt peccator quàm peccatum, quantù minor eſt ſeruus, quàm Dominus ſuus. Cum ergo peccatum nihil ſit, niſi priuatio boni: peccator, ſcilicet ſeruus ſuus minus erit, quam nihil. Vnde Iob 18. ait: de his, qui ſunt in peccato. *Socij eius*, ſcilicet *ſunt qui non eſt*. Et Matth. 2. cap. ait: *Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Vel cœpi à capio, pis, id eſt nunc primo accepi, quia antequam homo conuertatur ad Dominum capit nihil. Ioan. 16. *Vſque modo non petiſtis quicquam, in nomine meo, petite, & accipietis.* Licet enim, ante temporalia capiant nihil tamen capiunt eo, quod illa ſunt vmbra. Eccleſiaſt. 34. *Sicut qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Et hæc mutatio, ſcilicet quod homo incipit eſſe, vel capere eſt dexteræ excelſi, ſicut expoſitum eſt. *Non enim eſt volentis, neque currentis.* Roman. 9. &c. Tertio modo exponi poteſt de eo, qui cum magno feruore mutat ſtatum ſecularem in ſtatum religioſum, ait enim. *Et dixi*, id eſt apud me cogitaui, nunc cœpi. Licet enim omnia reliquerit propter Deum, & in ſumma paupertate, obedientia, & caſtitate, ſe ſacrificium obtulerit Deo, atque perfectiſſime, & feruentiſſime perſeueret, tamen nihil ſibi feciſſe videtur, ſed de nouo quotidie incipere, ſequens conſilium Chriſti, qui Luc. 17. ait: *Cum omnia bene feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Eccl. 18. *Cum conſummauerit homo, tunc incipiet*, Et Greg. Neſcit mens ad torporem veteraſcere, quæ ſemper ſtudet per deſiderium inchoare. Et ne forte etiã hoc initium boni, ſibi aſcribere videretur, ſubiungit dicens: Hæc mutatio dexteræ excelſi 2. Cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis*, &c. Siniſtra quippe Domini temporalia mutat, & voluit fortunæ rotam ſicut Prouerb. 3, ſcriptum eſt. *In ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria.* Dextera vero illius mutat ſpiritualia, & diſponit æterna. De qua ibidem dicitur: *Longitudo dierum in dextera illius*, Et Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo*, id eſt non ſuper mentem, ſed ſub ad diſponenda temporalia bona, & *dextera illius amplexabitur me*, ſcilicet vt me portet in paradiſum.

Quartum lumen eſt mutationis.
Pſal. 76.
Triplex expoſitio mutationis.
Philip. 2.
Ioan. 8.
Peccator vilior eſt peccato.
Iob 18.
Matth. 2.
Ioan. 16.
Eccl. 34.
Rom. 9.
Luc. 17.
Eccleſ. 18.
2. Cor. 3.
Prou. 3.
Cantic. 2.

De tremore, qui peccatorem apprehendit, cum reliquerit peccata ſua.

CAP. V.

QVintum lumen eſt tremulationis. Admiranda eſt diſpenſatio Dei. Dum enim peccator in ſceleribus ſuis eſt, ita ſecurus viuit, quaſi apud Deum innocens ſit. Proinde Eccleſiaſt. 8. ait: *Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt quaſi iuſtorum facta habeant.* Ratio eſt, quia vt dicitur in Pſalm. *Oculos habent, & non videbunt.* At econtra cum iuſtus depoſitis culpis, & ſquamis peccatorum, ab occultis mentis ablatis innocens factus eſt, tunc tremore concutitur, & quanto per innocentiam ſecurior eſt, tanto maiori formidine confirmatur: ſicut de tali iuſto ad Dominum Propheta ait. *Poſuiſti firmamentum eius formidinem*, Et de hoc tremore Propheta ſubdit. *Tremor apprehendit eos*: tremor, ſcilicet extremi iudicij, vel horæ mortis apprehendit eos. Fortiter apprehendere violentiam notat. Circa quod aduertendum eſt, quod aliud eſt apprehendere timorem, vel tremorem & aliud apprehendi à timore vel tremore. Qui enim tremorem apprehendit dominus videtur eſſe tremoris, quaſi in ſua ſit poteſtate. Et hic eſt tremor fictus, & ſimulatus, qui ſolet quandoque ab hypocritis demonſtrari. Vnde de talibus Propheta ait. *Mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum*, ait enim. Mendaces, ſcilicet mendacio ſimulatæ vitæ filij hominum, id eſt Adæ & Euæ, qui mendaces fuerunt, excuſantes ſe in ſtateris, quia fingunt ſe tremere, vbi non tremunt. Sed vt dicitur Prouerb. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Vnde cuilibet eorum Dan. 5. dictum eſt, *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens*, ſcilicet de tremore quem fingis. Et ad quid mendaces ſint in ſtateris, ſubiungit, dicens *Vt decipiant ipſi de vanitate*, id eſt vt occultent vanitatem ſuam, quæ eſt fictus tremor in idipſum: id eſt in eo, quod fingunt ſe habere tremorem verum. Qui vero apprehenditur à tremore, ſub dominio & imperio tremoris eſt. Et de hoc Propheta dicit, *Tremor apprehendit eos.* Et hos hortatur dicens, *Seruite Domino in timore*, quia ſicut Eccleſ. 7. ſcriptum eſt, *Qui timet Deum, nihil negligit.* Sed quia ex timore, niſi habeatur cum ſpe & gaudio, deſperatio naſcitur: ideo ſubditur, &

Quintum lumen eſt tremulationis.
Eccl. 8.
Pſal. 47.
Aliud apprehendere timorem, aliud apprehendi à timore.
Pſal. 61.
Prou. 16.
Daniel 5.
Fictus timor quis.
Pſal 47.
Pſalm. 2.
Eccleſ. 7.

Spes ne præsumptionem generet timor addendus.

exultate ei. Sed iterum ne spes, & exultatio præsumptionem generet: addidit, *cum tremore.* Gregorius. Spes sine timore luxuriat in præsumptionem: timor sine spe degenerat in desperationem. Et

Zach. 9.

Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion.* Satis dicit, non parum vt desperantes, non nimis vt præsumentes; sed satis vt sperantes & exultantes cum tremore Dei.

Quid faciat confessio in homine veraciter confitente.

Cap. VI.

Sextum lumen est confessionis.

SExtum est lumen confessionis. Cum delectatione profecto concipit mulier, sed parturit cum dolore: sic quoque peccator delectationibus peccatorum ingrauidatur, sed cruciatur cum per confessionem parit peccata sua. Hinc Propheta subdit, *Ibi dolores, sed parturientis.* In quibus verbis ostendit

Confessionis pœnalitas vtilitas & iucunditas.

confessionis pœnalitatem, vtilitatem, & iucunditatem. Primo ostendit confessionis pœnalitatem. Et de hoc ibi ait, scilicet in peccatorum confessione dolores, & non mediocres, sed vt parturientis. Hier. 13.

Hier. 17.

Nunquid non dolores apprehenderunt te, quasi parturientem mulierem. Ingrauidata, & aggrauata est conscientia peccatoris, sicut de se Propheta testatur. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Cum vero per os peccata in confessione sua peccator parit, ex perpetratis sceleribus erubescit, & ea contritione cruciatur & dolet. *Ecce dolores, vt parturientis.* Iustum profecto est, vt qui inuerecunda facie mentis, & corporis Deum despexit, per confusiuam sui erubescentiam Deum placet. Est enim verecundia, pars magna pœnitentiæ, secundum Aug. de pœn. dist. 1. in cap. quem pœnitet, circa medium. Et hæc est vna de causis, quare confessio instituta est, scilicet vt de culpa peccator erubescens à Deo misericordiam consequatur. Hinc profecto est, quod Magdalena Lucæ 7. cum Publicano, Luc. 18. tam cito misericordiam impetrauit: quia quilibet eorum de peccato suo erubuit. Proinde August. lib. de pœn. Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans nihil eorum, quæ commiserit, Dei nuncio denegauit. Secundo ostendit confessionis vtilitatem: quia dolores illi inutiles non fuerunt, sed vt parturientis, sed quia fructum salutis afferunt. Nam confessio mentem illuminat, misericordiam impetrat, à morte suscitat, à diabolo liberat, animam purgat, cum Deo pacificat, conscientiam alleuiat, confundit diabolum, remittit peccatum, de præterito satisfacit, necnon & augmentat gratiam, & in æternam gloriam introducit. Tertio ostendit confessionis iucunditatem, scilicet de fructifero partu, cum se sperat in confessione suscepisse veniam de commissis. Proinde Prou. 15. *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* Et Ioan 16. Dominus ait: *Mulier cum parit,* id est cum anima confitetur, *tristitiam habet: quia venit hora eius,* scilicet pariendi, id est manifestandi peccata sua. *Cum autem peperit puerum,* id est confessionem perfectam fecerit, *iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum,* id est in gloriam sempiternam.

Peccatū grauissima sarcina.

Verecundia magna pars pœnitentiæ.

Virtutes confessionis.

Iucunditas.

Prouerb. 15. Ioan. 16.

De magnanimo contemptu peccatoris contra obloquentes de sua conuersione.

Cap. VII.

Septimum lumen dissipationis.

SEptimum est lumen dissipationis. Sæpe enim contingit, vt cum homo reliquerit malam vitam, mutauerit mores, despexerit mundum, & vitam in bonis moribus satagit reformare; tunc contra eum fortiori pugna insurgunt dæmones, bellum mouent amici, consanguinei & parentes, proinde in Psalm. 37. in persona conuersi hominis ait Propheta: *Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt: & qui iuxta me erant, de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* In his verbis proponitur contra pœnitentes amicorum & parentum triplex impedimentum. Primum est impugnatio, secundum est destitutio, tertium est persecutio. Primum est impugnatio. Vnde dicit, *amici mei,* scilicet ficti: *& proximi mei,* scilicet cognitione: *aduersum me appropinquauerunt, & steterunt,* scilicet perseueranter. cum me viderunt mutare vitam, volentes me retrahere à bono. Vnde Ecclesiast. 6. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Tales sunt amici hominis, quamdiu, seculariter viuere cupit: sed quando tribulatur spiritus eius, & ad pœnitentiam mouetur, non perdurant. Et subdit Ecclesiast. *Ab inimicis tuis separa te,* id est à dæmonibus, quibus iunctus es per peccatum, per pœnitentiam te elonga: *& ab amicis tuis attende,* scilicet ne te impediant in tua conuersione. Secundum est destitutio, quod plus est, quam impugnatio: quandoque enim homo impugnat, & tamen manet amicus. Et de hac destitutione subdit: *Et qui iuxta me erant,* id est mihi iuncti per amicitiam. *De longe steterunt,* scilicet separati, rupti rupto vinculo prioris amoris. Et Iob 19. *Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me, dereliquerunt me propinqui mei:* & sequitur: *Et quem maxime diligebam, aduersatus est me.* Talis non erat verus amicus. At contra Bernardus scribens ad Eugenium ait: Olim mihi inuisceratus non mihi tam facile à medullis extraheris. Ascende in cœlum, descende in abyssum, non recedes à me, sequar te quocunque ieris. Tertium est persecutio: & de hoc addit: *Et vim faciebant,* sicut faciunt quandoque his, qui pœnitentiam facere volunt. Cogunt enim eos infringere ieiunia, orationes omittere & similia, qui quærebant animam: non sibi, sed diabolo. Sibi enim quærunt temporale emolumentum, sed venantur diabolo hominis spiritū. Sunt enim tales diaboli venatici canes, & quando cæderunt bestiam, dat eis diabolus pellē, hoc est exteriora bona, interiora vero reseruat sibi: quia corpus & animam retinet assanda infernali igne. Et quod etiam mirabilius est, dum homo scelerate viuebat, nedum ad vitæ correptionem à talibus ei subsidium & auxilium præbebat, verum etiam in varias peccatorum ruinas præcipitabatur: vt verificetur, quod Matth. 10. ait; *Inimici hominis, domestici eius.* Proinde Ecclesiast. 8. admonet dicens: *Fili accedens ad seruitutem Dei,* id est si disponis viuere iustè, aut derelinquere mundum: *sta in iustitia & timore,* scilicet constanter, & perseueranter, *& præpara animam tuam ad tentationem.* Quod maxime fit, cum homo spiritu magno despicit omnes contra eum detractiones, murmorationes, susurrationes, infamationes, persecutiones, & similia. Et tunc, sicut Propheta subdit: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Tharsis enim interpretatur plorans gaudium, seu dissipans specula. In nauibus sæpius feruntur multitudines virorum, & mulierum. Vt per naues Tharsis mystice designētur multitudines peccatorum, qui explorant per consuetudinem malam gaudia transitoria huius mundi. Et merito nauibus comparantur: quia quotidie mutantur vestium & ornamentorum vanorum, atque aliorum delectabilium mundi varietates. Has qui non sequitur, detestabilis fit in his nauibus nauigantibus per hoc mare magnū & spatiosum mundi huius, in quo reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis. Qualibet enim multitudo sequentiū consuetudines

Dæmones fortius impugnant contra renunciātem.

Contra pœnitentes triplex amicorum impedimentum.

Primum.

Ecclesi. 6.

Secundum

Tertium.

Matth. 10. Eccles. 2.

Psalm. 47.

Peccator instabilis.

dele

delectabilium huius mundi dici potest vna nauis, quæ onerata peccatoribus, & peccatis, currit velociter ad portum inferni: verbi gratia, Omnes consuetudinariè blasphemantes, omnes consuetudinariè periurantes, omnes consuetudinariè vanitates sectantes, omnes consuetudinariè lusores, omnes consuetudinariè incantantes, omnes consuetudinariè detrahentes, omnes consuetudinariè murmurantes, omnes consuetudinariè diffamantes, omnes consuetudinariè de peccatis suis se excusantes, omnes festiuitatum ex consuetudine violatores. *Nauis peccatorum dissipanda.* Omnes istæ & consimiles in multitudine peccatorum consuetudines malæ sunt, quasi nauis ad portum æternæ damnationis velocissimè nauigantes. Sed quia Tharsis etiam interpretatur dissipans specula, ideo per hoc mysticè denotatur, quod supradictæ naues, quæ quasi specula sunt, in quibus ad malum alter alterutrum intuetur in spiritu vehementi, id est in magno spiritu, & feruenti per despectum atque contemptum dissipandæ & conterendæ sunt. *Eccles. 7.* Ecclesiast. 7. *Ne pecces in multitudine ciuitatis*, Idest quia sic faciunt alij, quia non minus vritur, qui cum multis ardet. *Galat. 6.* Et Apostolus Gala. 6. *Vnusquisque onus suum portabit.* Filius quidam rogauit patrem, quod aliquid sapientiæ doceret eum. Cui pater Ascende asinum: quo facto pater per lutum secutus est eum. Quod videntes plurimi deridebant patrem: quia cum esset senex, iuuenem fecisset ascendere asinum. In altera via ciuitatis ascendit pater, quod alij aspicientes etiam deridebant patrem, quod tenellum iuuenem faciebat ire per lutum. Tertio vero in alia via ambo asinum ascenderunt: tunc alij hoc aspicientes, deridebant eos, & murmurabant, quod infelicem asinum interficiebant. Quarto ambo asinū descenderunt, & murmurabant alij, quod asino exonerato ambo pedestres ibant. Cum demum ambo reuersi fuissent domum, ait filio pater: Fili, ex auditis in hoc itinere, intelligere potes, quod rectè viuendo nunquam obturare poteris obloquentium ora si enim ad verba multorum aspicias, nunquam quietem, & rectam vitam seruabis.

ARTICVLVS TERTIVS,

De sepsemplici emendatione peccatoris.

TErtius est status emendationis, seu lacrymosus, de quo Ioan. subdit, *Reliquit eum febris*, & Propheta etiam addit, *in pluuiam fecit*, scilicet lacrymarum & contritionis, De tali statu patet exemplum in admiranda fœmina Magdalena, cuius emendatio atque status lacrymosus, exemplum est omnis veræ contritionis & conuersionis cuiuscunque peccatoris redeuntis ad Deum. *Luc. 7.* Vnde in mysterium de ea Luc. scriptum est, *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*. *Septem lacrymosæ emendationes.* In quibus sacris verbis septem lacrymosæ emendationes per ordinem denotantur. Prima dicitur vigorosa, secunda verecunda, tertia timorosa, quarta lacrymosa, quinta pietosa, sexta affectuosa, septima rigorosa.

De firmo proposito animæ pœnitentis, in peccata amplius non redeundi.

CAP. I.

Prima vigorosa. PRima est emendatio vigorosa. Qui enim se cognoscit fuisse fragilem in peccata ruendo, vigorosum propositum assumere debet tentationibus resistendo. *Luc. 15.* Et hoc tangit Lucas, cum ait, *Stans*, scilicet in proposito iustè viuendi. Sicut enim *gaudium est in cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente*, vt dicitur, Lunæ decimoquinto, ita est gaudium, in inferno spiritibus nequam super vna anima peccatum perpetrante. Et sicut maius fit gaudium super filio prodigo reuertente reiouenio, sic maius est gaudium dæmonibus super peccatore iterum post firmum propositum bono lapso, iuxta poeticum illud.

Nunquam risus adest, nisi quem fecere dolores.

Prouerbiorum secundo. *Lætantur cum malè fecerint*, &c. *Prou. 2.* Vnde 2. Reg. 1. ait Dauid. *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum*, id est dæmones infernales. *2. Reg. 1.* Nam non solum dæmon ille, qui peccatum suggerit, gaudet si homo cadit, sed etiam omnes alij dæmones de hoc lætantur. Proinde Eccles. 18. scriptum est: *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*, id est dæmonibus, vel mundo, vel carni. *Eccles. 18.* Propheta insuper ait in persona eius, qui in bono proposito stat, *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero*. *Psal. 12.* Ait enim *Qui tribulant me*, scilicet dæmones. Gregorius quotidie nos inimicus impugnat, vt saltem tædio deiiciat. *Exultabunt si motus fuero*, scilicet à loco meo proprio. Proprius enim animæ locus, est ipse Deus. *Proprius animæ locus Deus est.* Et sicut lapis non quiescit, sed premit humum, tendens ad centrum terræ, vt ibi quiescat: sic nisi in Deo anima non quiescit, qui est centrum eius. Proinde Aug. in l. conf. ait. Inquietum est Domine cor meum, donec requiescat in te. Locus etiam animæ in firmo proposito bono stabilitas est. Vnde Ecclesi. 10. ait, *Si spiritus potestatem habentis ascenderet super te*, id est superbia diaboli, *Locum tuum ne dimiseris*. *Eccles. 18.* Sed quia hæc vigorosa stabilitas non est in nobis sine adiutorio Dei, ideo Propheta subdit, *Ego autem in misericordia tua speraui*: scilicet quia in proposito bono firmus ero: quia misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti, Thre. 3. quasi dicat. *Psalm. 12.* *Non sperabo in fortitudine mea*: quia nulla contra diabolum est. *Thren. 3.* Iob. 41. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei*. sed in misericordia tua. *Iob. 41.*

De intellectuali pudore animæ veraciter pœnitentis.

CAP. II.

SEcunda est emendatio verecunda. *Secunda verecundia.* Cum enim natura hominis per magnum ingenium viget, & ad terrena atque vitia per amorem deflectitur: mirum in modum contra Deum peccando, & peccata moltiplicando in rebellionem per superbiam eleuatur. In huius mysterium Gen. 49. scriptum est: *Fiat Dan coluber in via: cerastes in semita, mordens vngulas equi vt cadat ascensor eius retro*. *Genes. 49.* Dan iudicium interpretatur, & conuenienter exprimit crimen ingenij naturalis. *Dan iudicium interpretatur.* Per hoc enim homo ad malitiosum vsum, & exercitium peruenit peccatorum. Quandiu ergo hoc ingeniosum & criminosum iudicium est in via præsentis vitæ, tamdiu quasi coluber mordet *Vngulas equi*, id est peccando affectionibus vitiosæ atque superbæ sensualitatis, venenum elationis atque rebellionis contra Deum effundit vel infundit. Et quanto compendiosius atque acutius ad subtilem malitiarum intelligentiam, peccata multiplicando peruenerit, tanto maioris contra Deum elationis atque rebellionis materiam, vmbrosæ & excæcatæ menti ingerit, propter quod dicitur, *cerastes in semita*. Semita quidem compendiosa est via: sic subtile naturæ ingenium quanto compendiosius est: tanto maioris elationis, & rebellionis est incentiuum. *Aliquando qui subtilioris est ingenii maioris est malitia.* Sicut dicitur de cerasté: quia cum sit cornutus serpens, si

vngu

vngulam equi suo veneno infecerit, iam equum & equitem suum occidit. Sic & acuti ingenij malitiosum iudicium, quasi animal elatione, atque rebellione mentis cornutum veneno malitiæ tuæ tangens, malitiosam sensualitatem affectionum, cum spiritu qui ei præsidere deberet, vita spirituali priuat, contra Deum elatum, & rebellem reddit Et hoc est quod in auctoritate commodè subinfertur, *Vt cadat ascensor eius retro.* Sensualitatis quippe perniciosæ ascensor est spiritus rationalis, qui tunc quasi retro cadit, cum per superbiæ rebellionem ad ea, quæ retro sunt, relabitur: & vnde se contra Deum rebellando erexit, inde per iustum Dei iudicium resupinus in conspectu illius cadat, & in omnem vitam sceleratam ruat. At è contra si naturale ingenium in anima viget, & in virtutibus exercetur, mirabilia operatur. Fuit profectò de talibus ingenijs Magdalena, quæ vigens mirabiliter naturali ingenio: interpretatur enim illuminata, scilicet in natura & gratia: Primo in mundana: & in vitia se toto intellectu, & affectu immersit: sed tandem à Domino illustrata, & inflammata stetit retro: quia sicut retro ceciderat se Domino rebellando, sic retro Dominum in faciem suam cadens, rubore & confusione perfusa, se per humilitatem prostrauit. Sic & humilis publicanus, Lucæ decimo octauo, quia per superbiæ rebellionem elongando se à Deo elongauerat, cum per humilem sui recognitionem stans à longe iudicauit se esse indignum Deo. Proinde *non audebat oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Ex quo patet, quod idem est in veraciter pœnitente stare longe, quod stare retro, quia in vtroque emendatio verecunda relucet.

De triplici timore peccatoris conuersi.

CAP. III.

Tert.4 timorosa.
Triplex timor inclinat hominem.
1 Timor naturalis.

TErtia emendatio est timorosa. Et de hac Luc. ait: *Secus pedes eius*, scilicet ex timore. Triplex timor ad literam facit hominem inclinare caput. Primus est naturalis, secundus reuerentialis, tertius est corporalis. Primus est timor naturalis, vt cum videt homo imminere gladium super caput suum. Moraliter, peccator profectò inclinare se debet, cum considerat, quod gladius diuinæ iustitiæ euaginatus est super eum. Vnde peccatoribus Propheta ait: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit.* Vibratus quippe gladius, æterni cruciatus comminatio est.
Isa.27. Isa. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo diro, grandi, & forti:* diro ex acerbitate, grandi ex æternitate, forti ex ineuitabilitate.
Deut. 32. Deut, 32. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea.*
Zach.9. Zachar. 9. *Exibit vt fulgur iaculum eius*
2. Reuerentialis. Secundus est timor reuerentialis, vt cum homo honoraturus aliquem hominem, inclinat se. Porro per inclinationem honorandus est Deus sicut
1.Tim.1. 1. Tim. 1. Apostolus ait: *Regi sæculorum immortali, &c.*
Eccl. 32. Et sic dicitur Eccles. 32. *Pro reuerentia accedet tibi bona gratia.*
3. Timor corporalis. Tertius est timor corporalis. Nam transiens per humile ostium se inclinat, ne se offendat. Humile ostium Christus est, sicut
Ioan.10. Ioan. 10. c. ipse ait: *Ego sum ostium.* Ad quod Aug. ait, Ianua humilis est, qui per hanc vult intrare, oportet vt se humiliet, ne erectus offendatur. Per hoc ostium non intrant, nisi humiles
Psalm 17. qui saluantur. Vnde Propheta ad Dominum ait: *Tu populum humilem facies, & oculos superborum humiliabis.* Semper est ad humiles oculus Dei, & diaboli ad sublimes.
Iob 41. Iob 41. *Omne sublime videt.* Et alibi Propheta inquit,
Psalm.112. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.*

Tria sunt quæ nutriunt humilitatem.

Tria sunt, quæ radicatam nutriunt humilitatem: Assiduitas subiectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & comparatio melioris. Si primum Lucifer habuisset, non de cœlo ruisset: si Adam secundum habuisset, non de paradiso eiectus esset: si Antichristus tertium haberet, non se Deo præferret. Si homo habet primum, secundum & tertium, scilicet comparationem melioris, id est humilis Christi secus pedes illius, ad imitationem illius faciliter se inclinat.

De admirando profluuio lachrymarum animæ pœnitentis, & de virtuosa efficacia lachrymarum.

CAP. IV.

Quarto emendatio lacrymosa.
Psal.6.

QVarta emendatio, dicitur lacrymosa Et de hac Luc. ait, *Cœpit lacrymis rigare pedes eius.* Sic se emendans peccatorem Propheta ait, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*: ait enim, *lauabo*, scilicet *aquis lacrymarum.*
Hier.4. Hierem. 4. *Laua à malitia cor tuum Hierusalem, vt salua fias, Per singulas noctes lectum meum.* Lectus est voluptas peccati, stratus cumulus peccatorum. Et est sensus, *Lauabo per singulas noctes*, id est per singula peccata; *lectum meum*, id est voluptatem meam, sicut lauatur sordida cutis, vel culcitra, ne macula maneat.
Thren.2. Thren. 2. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem: lacrymis stratum meum rigabo*, idest culmen peccatorum per lacrymarum imbrem, vt inde crescat noua messis virtutum. Vel lectus est conscientia, quæ quibusdam est quies, quibusdam vero tormentum: stratus autem est sensualitas.
Lacrymis lauatur conscientia. Et est sensus, *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, id est mundabo conscientiam meam, flendo singula peccata mea, *lacrymis meis stratum meum*, id est sensualitatem meam *rigabo*, vt fertilem faciam. Et in persona pœnitentis alibi Propheta ait, *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.*
Oratio ad bonum acquirendum deprecatio ad malum amouendum. Oratio enim fit ad bonum acquirendum, id est pro gratia impetrandi. Deprecatio ad malum amouendum, id est pro culpa remouenda. Lacrymæ autem ad vtrumque, quasi ad condimentum. Atque iterum alibi in eius persona ait,
Psalm 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus.* Hunc panem aliquando solus comedit interior homo, aliquando domesticum suum, vt secum comedat multa fatigatione compellit. Spiritus quidem solus comedit, quando aliquis de peccatis suis dolet, & hic sufficit ad salutem: sed lacrymas nulla ratione extorquere valet. Panem doloris, & vinum compunctionis pariter sumunt, cum interior homo ingemiscit, & exterior vbertim lacrymas fundit. Et hic propriè gemitus nuncupatur, quasi geminatus, secundum Cassiodorum, quia scil. flet anima atque corpus. Et de hoc etiã Propheta ait,
Psalm 6. *Laboraui in gemitu meo* Cum vero pœnitens exauditum se à Deo sentit, ait illud Propheticum,
Psalm 55. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo*, id est habuisti ex misericordia tua acceptas. Quantas vires lacrymæ habeant, ostendit Ambros. dicens, Oratio lenit, lacryma cogit,
Vires lacrymarum
Iudith 8. Iudith, 8. *Indulgentiam fusis lacrymis postulemus.* vbi gloss. ait. Lacrymæ pondera vocis habent, quæ imperant, non supplicant.
Lacrymæ pro peccatis efficaces. Sed intelligendum est de lacrymis, quæ pro peccatis fiunt, non de illis quæ pro temporalibus fieri solent, quæ non vtiles, sed potius nociuæ sunt.
Genes. 26. Vnde Genes. 26. *Dicunt pastores*, id est dæmones, *Nostra est aqua*, scilicet talium lacrymarum, Magdalenam non legimus fecisse etiam emendationem, quando Dominus dicit illi,
Luc.7. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa,*

nisi

nisi quod lacrimis cœpit rigare pedes eius. Et merito, Nam, vt Hieronym. ait: Lacryma extinguit infernalem ignem, quem tota aqua non extingueret Oceani. Et Bernard. ait: O humilis lacryma, tuum est regnum, tua est potentis, ante conspectum iudicis non vereris accedere sola, si intraueris, quicquid petieris obtinebis, accusantibus silentium ponis, de ore principis sententiam rapis: quid plura? Vincis inuincibilem, superas omnipotentem.

De eleemosinarum pietate, & quomodo dispensari debet.

Cap. V.

Quinta emendatio pietosa.

QVinta emendatio est pietosa: Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. 1. Timoth. 4. Et de hoc subiungit. Luc. *Et capillis capitis sui tergebat.* Per capillos enim superfluitas temporalium designatur. Nam & capilli quædam superflua corporis hominis sunt. His capillis in pedibus Domini, qui pauperes Christi sunt, tergi debent lacrymæ suarum necessitatum. Ad litteram, non tersit Magdalena pedes Domini linteo, seu etiam vestimento: tum quia illi in feruore ardenti prius venerunt ad manus: tum quia capillos suos prius affectuosius diligebat: tum vt mysticè innuatur, quàm prompto affectu temporalia, quæ prius à peccatore immoderatè & inordinatè dilecta sunt, debent liberaliter pauperibus dispensari. Debet enim eleemosina, vt grata sit Deo, fieri amoroso affectu, amoroso vultu, amoroso verbo, & amoroso modo. Primo fieri debet amoroso affectu.

Eleemosina si grata quid requiritur.

2. Cor. 9. Nam sicut 2. Corinth. 9. Apost. ait, *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Isa. 58. ait. *Cum effuderis esurienti animam tuam,* scilicet per feruentem affectum,

Isa. 58. *& animam afflictam repleueris*, quod efficit in dante affectus feruens, *tunc orietur in tenebris lux tua*, id est cognitio Dei & tui. Secundo amoroso vultu, Eccl. 38. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et 4. cap. iterum ait, *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Tertio amoroso verbo. Eccles. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros: sic & verbum melius, quam datum.* Quarto amoroso modo, prompto effectu & modo. Eccl. 4. *Non protrahas datum angustianti.* Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi*, cum statim possis dare. Et Iob. 31. *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci.*

Eccl. 38. *Eccles. 4.* *Eccles. 18.* *Eccles. 4.* *Prou. 3.* *Iob. 31.*

De suauitate, quam in Deo peccator sentit de sua conuersione.

Cap. VI.

Sexta emendatio affectuosa.

SExta est emendatio affectuosa, qua scil. anima iam sentit suauitatem, & dulcedinem Dei. Et de hoc subditur, *Et osculabatur per affectuosam* delectationem *pedes eius.* In persona autem talis peccatoris Propheta ait, *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.* Ait enim, *Quam bonus*, id est valde bonus, suauis, atque iucundus est: *Deus Israel*, id est Deus videntium, scilicet & recognoscentium semetipsos, & suam præteritam vitam, & etiam te. Sap. 12. *O quam bonus, & suauis est, Domine, spiritus tuus.* Et quibus sit bonus, subiungit. *His, qui recto sunt corde.* Recto quippe sunt corde, qui æterna, non temporalia concupiscunt, sicut facit verus pœnitens. Thren. 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum animæ quærenti illum.* Curuo corde sunt qui diligunt transitoria mundi: quibus alibi Propheta ait. *Filij hominum vsquequo graui corde, qui diligitis vanitatē, & quæritis mendacium.* Et iis terrena videntur esse bona: sed conuersis & emendatis, & rectis corde, solus Deus videtur bonus: quia gustato spiritu desipit omnis caro. Sed talis pœnitens quia se errasse cognoscit subdit, *Mei autem pene moti sunt pedes*; quasi dicat. Bonus est rectis corde: sed aliquando non mihi videbatur bonus, quia corde non eram rectus, sed inclinatus ad transitoria mundi. Vnde ait: *Mei autem pedes*, scilicet interiores, id est intellectus, atque affectus: *pene moti sunt*, scilicet de loco suo, id est de Deo in quo stare debebant. Sed effunduntur hi gressus scilicet cogitatio & desiderium. Intellectus graditur per cogitationes, & affectus per desideria, sed effunduntur hi gressus quando ad mundi magnificentias, delitias & diuitias, & ad alias eius vanitates se vitiose conuertunt. Proinde tales mundani dicere possunt illud Thren. 3. *Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.* Ait enim *pene*, quia non finaliter ruit, quia scilicet Deus eripuit eum. Proinde dicere potest. *Nisi quia Dominus adiuuit me paulo post habitasset in inferno anima mea.*

Psal. 72. *Sap. 12.* *Thren. 3.*

De his quæ necessaria sunt in pœnitente, vt perseueret in bono, & conuersorum vnguento.

Cap. VII.

Septima emendatio rigorosa.

SEptima est emendatio rigorosa. Duo enim tali animæ necessaria sunt vt continue perseueret. Primum retentio memoriæ. Secundum sollicitudo diligentiæ. Primum est retentio memoriæ, cuius est præterita mala plangere: & hæc duo habere debet. Nam debet esse suorum malorum primo capax, scilicet sine extenuatione, & sine diminutione, vt de magnis non faciat parua: & de multis non faciat pauca: vt dicat cordialiter cum Propheta. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Secundo tenax, scilicet sine obliuione, & sine interruptione, vt semper recordetur, & dicat etiam cum Propheta. *Iniquitates meas ego cognosco & peccatum meum contra me est semper.* Secundum est sollicitudo diligentiæ: & hæc etiam duo debet habere. Nam debet esse primo audax, secundo verax. Primo enim debet esse audax sine dubitatione & dilatione, vt non dubitet accipere opera pœnitentiæ, & non differat inchoare. Secundo verax sine simulatione: vnde non simulet facere bonum quod non facit, nec dissimulet in se esse malum quod callide agit. Talis emendatio rigorosa vngit pedes Iesu vnguento pœnitentiæ salutaris. Et de hoc Lucas subdit, *Et vnguento vngebant.* Fit autem hoc vnguentum de amaris herbis, quas in nostro hortulo faciliter reperimus, si iniquitates nostras sine dissimulatione recogitamus. Cum istis amaris herbis ad ignem feruentis amoris aromata misceri debent. De quibus Cant. 4. *Myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Vtrumque amarissimum est, & præseruandis corruptionibus aptum, atque duplicem amaritudinem in pœnitente figurant. Prima est amaritudo mortis cum incertitudine horæ. Eccles. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima, & in æternum non peccabis.* Et in Eccles. 19. *Nescit homo finem suum.* Secunda est incertitudo iudicij cum incertitudine sententiæ. Nam vt dicitur Gal. 6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet:* quia vt dicitur Matth. 25. *Ibunt mali in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Inter quos connumerare nos dignetur misericors, & miserator Dominus Iesus Christus, qui cum Patre, & Spiritu sancto, regnat gloriosus per infinita sæcula sæculorum.

Amen.

Eccles. 7. *Eccles. 19.* *Matth. 25.*

DOMI

DOMINICA XXI.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Qui est de desiderabili veritate quippe continet tres articulos, quorum vnusquisque tria habet capita.

Articuli primi, Quod propter tria veritas est viriliter erigenda.

Cap. 1. *Quantum deficit vel saltem minuta est veritas in mundo.*

Cap. 2. *Quando, & quibus perniciosa sit hodiernis temporibus veritas à peccatoribus occultata.*

Cap. 3. *Quantum sit fructifera veritas prædicata & quod duodecim generet fructus.*

Articuli secundi, De tribus propter quæ veritas expugnatur.

Cap. 1. *Quod scelesti peccatores veritatis correctiones sustinere non possunt.*

Cap. 2. *Quod animabus distortis sceleratis dura est directio veritatis.*

Cap. 3. *Quod dissimiles virtuosis in vita in eis odiunt veritatem.*

Articuli tertij, Quod propter tria peccata veritas in mundo non defenditur.

Cap. 1. *Quanti criminis sit propter timorem non defendere veritatem.*

Cap. 2. *Quod luxuriosi propter tria deficiunt defendere veritatem.*

Cap. 3. *Quod propter auaritiam multi non defendunt veritatem sicut ex debito obligantur.*

DE DESIDERABILI VERITATE.

Sermo XVIII.

Euenit de veritate, sicut de luce. STATE *ergo succincti lumbos vestros in veritate.* ad Ephes. 7. Euenit quidem de veritate, sicut de luce, de odore, atque sapore. Primo euenit sicut de luce, quæ profecto amabilis est, quibus sunt oculi sani, sed odiosa habentibus infirmos oculos, seu lippos, & etiam his qui fuerunt sub terra reclusi. *Veritas odiosa elatis mentibus.* Sic profecto veritas est odiosa elatis mentibus, atque superbis. Si enim prædicas superbis de veritate humilitatis, talis veritatis fulgor est grauis, & odiosus. *Ecclesi. 12.* Proinde Ecclesiast. 12. cap. scriptum est, *Abominatio est superbo humilitas.* Est *Superbia animæ lippitudo.* enim superbia animæ lippitudo, quæ obsistit, ne lux veritatis fulgeat in oculo mentis. Hinc Greg. *Tumor mentis obstaculum.* ait, Tumor mentis est obstaculum veritatis. Scabiosus rasorem odit, fur lucem, puer magistrum, freneticus ligamentum, adultera maritum, & obstinatus peccator lucem correctionis.

Sicut de odore. Secundo accidit de veritate sicut de odore, qui gratus est sano, eo quod illum reficit & confortat; sed odiosus est serpenti, quia illum occidit & fugat. *Veritas odiosa carnalibus & luxuriosis.* Sic veritas odiosa est carnalibus & luxuriosis. Si enim talibus prædicas de castitatis, & virginitatis suaui odore, talis odor eis abominabilis est, *Eccles. 21.* Proinde de vtroque Ecclesiast. 21. ait: *Verbum sapiens quodcunque audierit, sciens laudabit.* scilicet ad se adiiciet, scilicet ad laudem castitatis, virginitatis, audiuit luxuriosus, & displicebit ei, & proiiciet illud post tergum suum. Ratio huius est, quia instar serpentium, & porcorum iacere malunt in fœtore luxuriæ, quàm in odore munditiæ.

Nam & porcus potius in putrido cœno, quam in aqua munda moratur, & delectatur. Nec quoque palatum eius aromatica ad suauitatem inuitant. Sed amatores veritatis post veritatis odorem currunt anxio desiderio, ei dicentes illud Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* *Cant. 1.* Vlcerosus putat asperum quicquid hic tangit eum. Rugit quoque porcus cum ei auffertur, ad quem afficitur cibus. Sic mentes luxuriosæ, atque carnales detrahunt, & clamant, cum eis aufertur luxuriæ præda. *Sicut de sapore.* Tertio quoque contingit de veritate, sicut de suaui sapore: panis palato sano profecto sapidus est, infirmo vero insipidus & pœnosus: sic veritas odiosa, & aspera *Veritas odiosa auaris.* est auaris. Accipiter quoque moritur ex panis comestione, vbi gustus famelici hominis naturaliter recreatur, sic veritas rapacibus, & auaris cibus est mortis, vbi iustis cibus est internæ refectionis. Si enim prædicatur auaris terrenorum contemptus, aut restitutio alienorum, atque desiderium æternorum, talis doctrinæ panis eis efficitur detestabilis, & execrandus, sicut Eccles. 13. cap. scriptum est, *Execratio diuitis pauper.* *Eccles. 13.* Causa huius profecto est, quia affectum palati corruptum ex terrenorum cupiditate infectum habent, vnde saporem cœlestium & æternorum sentire non possunt. Hinc 1. Corinth. 2. *1. Cor. 2.* Apostolus ait, *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Porro secundum Augustinum, palatum febricitantis habet, cui mel cœli non placet. *Auari infirmorum persecutores.* Tales profecto frenetico similes sunt, qui pugnis & calcibus, atque morsibus impugnant eum, qui eis medetur. Sic plerique cupidi & auari detractionibus, murmurationibus, & quandoque persecutionibus impugnant eos, qui spirituales reprehensionum adhibent medicinas. Et de talibus superbis, luxuriosis, & auaris, & aliis sceleratis, quibus veritas odiosa est, Isa. in verbo proposito ait, *Corruit veritas in platea, & æquitas non potuit ingredi.* *Tres mundi miserabiles euentus.* In quibus sacratis verbis, Propheta tres mundi miserabiles deplorat euentus. Primo ruinam veritatis ibi, *corruit veritas*, secundo culpam generalitatis ibi, *in platea*, tertio repulsam æquitatis ibi, *& æquitas non potuit ingredi.* Mirabile quippe est, quod corruit veritas: sed mirabilius, quod in platea corruit: at mirabilissimum, quod æquitas repulsam habuit. Quod enim veritas corruit, habuit impugnatores: quod etiam corruit in platea, non habuit defensores: sed quod æquitas non potuit ingredi, habuit calumniatores. Est ergo veritas primo viriliter erigenda, *quia corruit veritas*: secundo est veritas viriliter amplectenda, scilicet *in platea*: tertio est veritas viriliter defendenda, quia *æquitas non potuit ingredi.*

ARTICVLVS PRIMVS,

Quod propter tria veritas est viriliter erigenda.

Veritas est erigenda propter tria. PRimo inquam est veritas viriliter erigenda. quia veritas corruit. Erigenda siquidem est propter tres rationes. Primo quia eius diminutio, seu defectio est criminosa; secundo, quia eius absconsio est periculosa; tertio, quia eius manifestatio est fructuosa.

Quantum

Quantum deficit, vel saltem minuta veritas est in mundo,

C A P. I.

Primo quidem viriliter erigenda est veritas, quia eius diminutio seu defectio est criminosa. Nimis profecto damnosum, atque criminosum est in mundo, & in qualibet ciuitate, insuper, & in qualibet anima defectio, & diminutio veritatis. Quod intelligens Propheta in persona cuiuslibet iusti zelatoris veritatis orat ad Dominum, & clamans dicit, Psalm. 118. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutae sunt veritates à filiis hominum.* In quibus verbis tria gradatim ostendit. Primo humilitatem, secundo defectibilitatem, tertio necessitatem. Primo ostendit suam humilitatem, cum ait, *Saluum me fac Domine*, quasi dicat, non possum ex me, non ex homine, non ex mundo. Primo non possum ex me saluum facere, Psal. 11. *Spiritus vadens & non rediens*, Osee 13. *Perditio tua Israel est ex te*, supple tantummodo in me auxilium tuum. Secundo non possum ex homine: ideo ait, *Domine*, scilicet quia Deus es, homo me saluum facere non potest, Psalm. *Frater non redimit, redimet homo*: Frater profectò Christus non redimit inquantum homo, qui inquantum homo frater est. Et purus homo redimet. quasi dicat: non. Quod est contra Iudaeos, qui sperant inaniter in suo venturo Messia, quem expectant ve purum hominem, contra quos Hierem. 17. c. ait: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Tertio non possum ex mundo, Psalm. *Fallax equus ad salutem.* Hic equus est mundus, qui propriè dicitur fallax: quia in necessitate deficere comprobatur. Hic est baculus arundineus confractus Aegyptus, cui si innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam, vt dicitur Isa. 36. *Tu ergo Domine, qui solus potes, saluum me fac*, scilicet salute exteriori corporis, & interiori animae, scilicet gratia: & superiori, scilicet gloria sempiterna. Secundo ostendit in mundo omnis boni defectibilitatem dicens, *quoniam defecit sanctus*, quod tripliciter intelligi potest. Primo quoad opinionem, secundo quoad gratificationem, tertio quoad paucitatem, seu diminutionem. Primo enim defecit sanctus quoad opinionem, scilicet quorundam, qui dicunt quod in mundo nullus est sanctus. In cuius mysterium. 3. Reg. 19. dicit Helias, *Domine altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & ego relictus sum solus.* Et dicit Dominus, *Non quia ego dereliquam reseruari mihi in Israel septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal.* Secundo defecit sanctus quoad gratificationem: quia Spiritus sanctus, qui per essentiam vbique est, defecit, quoad esse per gratiam, quia modo in paucis reperitur voluntas bona Psalm. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Tertio quoad paucitatem & diminutionem. Vnde inquit, *quoniam defecit sanctus*, scilicet qui increpet asperis, deterreat minis, consulat blandis, inuitet promissis, informet exemplis instruat doctrinis, defendat sanctis, adiuues moribus bonis. Tertio autem ostendit necessitatem. Vnde ait, *Quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum.* Pluraliter loquitur, vt comprehendat triplicem veritatem, scilicet, veritatem iustitiae, quae defecit per auaritiam: veritatem vitae, quae defecit per luxuriam: & veritatem doctrinae, quae defecit per superbiam. De hac triplici veritate Ioan. 16. Dominus ait: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* Hae autem veritates modo diminutae sunt, aut penitus defecerunt propter abundantiam contrariae falsitatis. Osee. 4. c scriptum est, *non est scientia Dei in terra*, veritas iustitiae, misericordia vitae, scientia doctrinae modo diminutae sunt in mundo. Et iterum de his tribus veritatibus. Mich. 3. cap. ait, *Principes eius in muneribus iudicabant.* Et hoc est contra veritatem iustitiae, *& sacerdotes eius in mercede docebant*, & hoc est contra veritatem doctrinae, *& Prophetae eius in pecunia diuinabant*, & hoc est contra veritatem vitae.

Quantum, & quibus perniciosa sit hodiernis temporibus veritas à praedicatoribus occultata.

C A P. II.

Secundo autem viriliter erigenda est veritas, quia eius absconsio est periculosa. Tribus quippe generibus hominum periculosa est absconsio veritatis. Primo praedicatoribus, secundo non audientibus, tertio eorum successoribus. Primo periculosa est praedicatoribus. Tria enim impediunt eos, ne praedicent veritatem. Primum est negligentia seu tepiditas, secundum falsa humilitas, tertium est timiditas. Primum est negligentia seu tepiditas, quia hodie plerique praedicatores non curant de animarum salute. O quot sunt hodie sitientes audire diuinum verbum, qui in mortali relinquuntur siti, & quotidie praedicatur his, qui de praedicatoribus fastidiri sunt. Talibus negligentibus praedicatoribus per Isa. 21. cap. Dominus ait, *Occurrentes sitienti ferte aquam.* Non dicit ebrio, sed sitienti. Nam vt Gregorius ait: Vecordem se asserit, qui horris sitientibus in flumine aquas spargit. Tales quodammodo praedicant consuetudinem, non veritatem. Secundum est humilitas falsa. Est enim quaedam humilitas indiscreta, qua homo sic indiscretè cauet superbiam, vt non intendat in se susceptam à Christo gratiam. Ad huiusmodi animam ait sponsus Cant. 1. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum & pasce hoedos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Pulcherrima mulierum est humilis anima, quae seipsam ignorat, quando per indiscretam humilitatem acceptam gratiam dissimulat. Et tunc optimum ei erit à se quodammodo egredi, & post vestigia gregum abire, id est se à communium hominum comparatione considerare, vt sic Christi gratiam in se consideret, qua ipsam communium hominum statum praetulerat, vt sic talentum Domini sui in lucrum ponat, cum gratiam quam communes homines non habere perspexerit, caeteros in hac gratia se inferiores lucrifacere quaerat. Et hoc est hoedos suos iuxta tabernacula pastorum pascere, officium praedicationis suae ingratia sibi data, circa populos & peccatores in hac gratia exercere. Hoc idem Gregor. in pastorali testatur, dicens, Qui magnis muneribus ditati parere vtilitati proximorum in praedicatione refugiunt, si districtè iudicentur: ex tantis procul dubio rei sunt, quantis ad publicum venientes prodesse potuerunt. Proinde veritatis praedicator per Prophetam ait, Psalm. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo*, quasi dicat Iustitiam, quam cognoui, non per negligentiam, aut falsam humilitatem praedicare dissimulaui. Considerans, quod Prouerb. 11. c. scriptum est: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Veritatem tuam, & salutare tuum dixi.* Nam praedicare debet iustitiam, vt opere compleatur: veritatem, vt populus instruatur: & salutare, vt bene viuere diligatur. Primum respicit spem, secundum fidem, tertium charitatem. Iustitia praedicanda est iniustis, veritas ignorantibus caecis, salutare impiis desperatis Tertium est timiditas seu timorositas. Sunt quoque plerique, qui non propter negligentiam, neque propter falsam humilitatem, sed propter timorem inanem veritatem praedicare desistunt.

 Quod

Quod idem prædicator per Prophetam excludit, dicens, *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo*, hoc est timore concilij multi non cessaui prædicare misericordiam tuam, vt docerem homines venire ad te per vias tuas, quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. In misericordia venit Christus quærere & saluum facere, quod perierat. Luc. 19. *In veritate veniet ad iudicium, veniet cum senibus populi sui*, id est cum Apostolis & Euangelicis viris. Et merito hæc duo coniungit, scilicet misericordiam & veritatem, quia simul non cum eorum altero prædicandum est, scilicet ne aut respectus solius misericordiæ mentem extollat in præsumptionem, aut respectus solius veritatis præcipitet in desperationem: sed cum vinum pungit, & oleum leniter vngit, sanantur vulnera animarum, sicut Luc. 10. mystice designatur. Et alibi per Prophetam etiam prædicator ait: *Memor ero Raab & Babylonis*, id est memorabor & reducam ad memoriam audientium Raab, quæ misericordiam consecuta est: in quo notatur misericordia, & Babylone, in quo notatur punitio peccatorum. Et subdit in primo verbo Propheta, *Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me*, quasi dicat. Merito longè facere deberes miserationes tuas à me, si abscondissem veritatem tuam à concilio multo, sed veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non ergo longè facias miserationes tuas à me. Secundo talis absconsio veritatis periculosa est non audientibus. Nam populi, qui in mundialibus sunt immersi, sine veritatis prædicatione ignorant quæ Dei sunt: nec quæ tenentur vitare intelligunt, nec quæ operari tenentur agnoscunt. Proinde de talibus Propheta ait: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Nescierunt, scilicet supradicta, & hoc ex natura corrupta, neque intellexerunt, scilicet peccata omissionis & commissionis: & hoc ex veritate non audita. In tenebris, scilicet ignorantiæ ambulant, per abrupta scilicet, & præcipitia vitiorum. Proinde distinct. 3. 8. cap. ignorantia. Ignorantia mater est cunctorum errorum. Et Richard. in quodam sermone ait: Portæ inferi duæ sunt, quæ ingredientes ad omne malum inducunt. Vna est ignorantia boni, alia est concupiscentia mali. Hæ portæ quantum sint in mundo apertæ sine veritatis doctrina, patet his qui oculos habent. Tertio talis absconsio veritatis periculosa est etiam successoribus. Nam parentes ignorantes ea, quæ Dei sunt, docere non possunt ea filios suos & familias suas. At econtra cum veritas Christianæ vitæ à veritatis prædicatoribus populis nunciatur, verificatur quod in Psal. *Attendite popule meus*, scrip. est. Quanta audiuimus. q.d. multa, & magna. & cognouimus ea, scilicet fuisse vera, & patres nostri, scilicet spirituales atque carnales narrauerunt nobis. Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera, scilicet subsequente. Narrantes laudes Domini, id est ea quibus Deus est laudandus, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit, laudes ad Spiritum sanctum referuntur: quia sola bonitas laudabilis est, id est Spiritus sanctus per approbationem. Quod dicit virtutes, refertur ad Patrem, quia sola potentia est virtuosa, quæ attribuitur Patri. Quod dicit mirabilia, ad Filium referri debet, quia solus Filius admirabilis nominatur. Isa. 9. *Paruulus natus est nobis*, & sequitur, *Et vocabitur nomen eius admirabilis*. Ex omnibus his clarescere potest, quanta bona sequuntur, & quanta mala vitantur ex manifestatione veritatis. At econtra, quanta bona cessant, & quanta mala & peccata sequuntur ex occultatione illius, & hoc non solum ad veritatis auditores, verum etiam ad successores eorum à generatione in generationem, secundum hunc modum multa ab Apostolis peruenerunt ad nos per generationum successiones, quæ verbo & moribus in populis fidelibus instituentes in suis scriptis minimè reliquerunt, sicut patet de forma consecrationis corporis & sanguinis Iesu Christi, extra de celebratione Missæ in cap. cum Marthæ.

Luc. 19. Isa 3.

Misericordia & veritas prædicanda.

Luc. 10. Psal. 86.

Psal. 39.

Psal. 81.

Duæ portæ inferi ignorantia boni concupiscentia mali.

Isa. 9.

Quantum sit fructifera veritas prædicata, & quod duodecim generet fructus.

CAP. III.

TErtio veritas est viriliter eligenda, quia eius manifestatio est fructuosa. Aduertendum est autem, quod verbum Dei, verbum veritatis denominatur. Et maximè propter quatuor rationes. Et primo, quia est à veritate originaliter, secundo, quia est de veritate materialiter; tertio quia est in veritate formaliter: quarto, quia est pro veritate finaliter. Primo enim dicitur verbum Dei, verbum veritatis, quia est à veritate originaliter Ioan. 14. *Ego sum via, veritas & vita*, &c. 17. Sermo tuus veritas est. Secundo quia est de veritate materialiter. Act. 26. ait Paulus: *Non insanio optime Feste, sed sobrietatis & veritatis verba loquor*. Tertio, quia est in veritate formaliter. 2. Corinth. 9. *sicut in veritate omnia locuti sunt*. Quarto, quia est pro veritate finaliter. Ioann. 18. cap. *Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*. Si igitur prædicator prædicat verbum Dei, prædicat veritatem. Et tunc aut cum effectu non auditur, aut humiliter auditur. Primo quidem si cum effectu non auditur: tunc sibi fit veritas fructuosa. Vnde Eccles. 17. scriptum est, *volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur illam reuertetur*. Quid enim profuit Herodi prædicatio veritatis, quā ei prædicauit Ioan. Baptista? Profecto nihil, tamen & si non conuertit audientem, coronauit nihilominus confitentem. Secundo vero si deuotè & humiliter auditur, nunquam sine fructu verbi Dei veritas ad Deum redit. Proinde Isa. 55. Dominus ait: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo*, id est de ore prædicatoris, qui est os Patris, per quem annunciat populis veritatem filij sui, *non reuertetur ad me vacuum*. Et merito quidem, quia veritas per verbum Dei quasi lignum vitæ, Apoc. 22. duodecim in anima generat fructus. Primo enim si mortuus es, est viuificatiua: secundo si cæcus es, est illuminatiua: tertio si animalis es, est discretiua: quarto si frigidus es, est inflammatiua: quinto si famelicus es, est cibatiua: sexto si tentatus es, est defensiua: septimo si induratus es, est mollificatiua & confractiua: octauo si desperatus es, est confortatiua: nono si inquinatus es, est mundificatiua, decimo si infirmus es, est sanatiua: vndecimo si debilis es, est confirmatiua, duodecimo si saluari desideras, est glorificatiua. Primo quidem si mortuus es, est viuificatiua & suscitatiua. Nam veritas prædicata habet virtutem spiraculi vitam influentis. Proinde Ioann. 6. summa veritas ait, *Verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt*, id est spiritualis vita sunt. Et iterum Ioann. 8. c. inquit, *Amen*, id est in veritate *dico vobis. Si quis sermonem meum seruauerit*, scilicet corde, ore, & opere, *mortem non videbit in æternum*, id est non experietur, secundum August. Sumitur enim hic videre, pro experiri eo modo & genere loquendi, quo videre plerumque sumitur pro forti & certa experientia omnium sensuum, tam exteriorum, quam interiorum. Vnde Exod. 20. scriptum est: *Cunctus autem populus videbat voces*, &c. visus etiam, quia in sensibus primatum tenet, omnibus aliis intermiscetur. Sic enim dicere solemus. Audi & vide, palpa & vide, &c. Ait igitur. *Mortem non videbit in æternum*. Huius enim ratio est, quia *semen est verbum Dei*, vt dicitur Luc. 8. Consistit autem

Tertia veritas est viriliter eligenda. Verbum Dei verbum veritatis propter quatuor rationes.

Eccles. 27.

Isa. 55

Veritatis prædicata efficacia.

Ioan. 6. Ioan. 8.

Exod. 20.

In quibus consistat vita æterna.

Luc. 8.

autem vita æterna in verbo Dei, sicut in qnodam principio seminali, quia finaliter perducit ad beatam vitam, sicut virtute seminis producitur fructus. Proinde sicut ille, qui seruat semen à corruptione, ad fructus peruenit: sic qui seruat diuinum verbum, qnod est veritas, peruenit ad beatitudinis statum, quam beatitudinem designat cum ait, *Mortem non videbit in æternum.* Sed quia beata vita consistit in visione & fruitione Dei: ideo per exclusionem æternæ mortis, quæ huic visioni opposita est, consecutio beatitudinis denotatur. Secundo autem si cæcus es, veritas verbi Dei est irradiatiua: quia habet virtutem radij dirigentis, vnde Propheta inqnit, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et iterum ait, *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Tertio vero si animalis es, est discretiua, quia virtutem habet gladij diuidentis. Ad Hebr. 4. *Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Quod sic breuiter intelligi potest. Ait enim, *Viuus,* scilicet in se *est sermo Dei*, id est per quem Deus manifestat seipsum, sicut homo manifestat se per sermonem *& efficax*, scilicet per potentiam quoad alios, quia magna per eum, & in eum operari possunt, *& penetrabilior*, id est perspicacior *omni gladio ancipiti*, id est subtilissimo ingenio carnalia & spiritualia penetrante, *pertingens vsque ad diuisionem*, id est discretam cogitationem *animæ ac spiritus*, id est carnalium & spiritualium cogitationum, & est discretor *compagum*, id est discretat subtiles iuncturas cogitationum, quæ sibi inuicem connectuntur, *ac medullarum*, id est intimatum intentionum, qnod autem sequitur, *& discretor cogitationum, & intentionum cordis*, expositio præcedentium est, & iterum Ephes. 6. Apost. ait: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Dicitur autem hic veritas verbi Dei gladius spiritus, maxime propter quatuor. Primo quia tale verbum Spiritus sanctus fabricauit. 2. Reg. 23. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.* Secundo, quia spirituales hostes interficit. Isa. 11. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Tertio, quia spiritum à carne diuidit, vt supra dictum est, *Viuus est sermo*, &c. Quarto, quia interiora vulnerat & pungit, vnde sagittis acutis assimilatur. Psalm. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis.* Quarto si frigidus es, est inflammatiua, quia habet virtutem clibani incendentis. Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Hæc enim ad litteram dicebant illi duo discipuli tanquam admirantes, quomodo in tanta accensione ardoris, & scripturarum apertione non cognouerunt eum. Sicut si miraretur homo, si solem in claro meridie videns, & eius æstum sentiens, non recognouisset ipsum esse solem. & Eccles. 48. iterum scriptum est: *Surrexit Helyas Propheta, quasi ignis, & verbum illius quasi facula ardebat.* Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum, vehementer, & seruus tuus dixit illud.* Qninto si famelicus es, est cibatiua, quia habet virtutem pabuli reficientis, Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quod verificatur non solum de vita spirituali, sed etiam de corporali. Sicut patet de Moyse, qui ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, verbo summæ veritatis spiritualiter & corporaliter sustentatus. Hanc etiam quandoque participant plurimi, quando delectabiliter audiunt in prædicatione lucidissimas & suauissimas veritates. Proinde in persona talis animæ Propheta ad summam veritatem ait, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Sexto si tentatus es, est defensiua, quia habet virtutem clypei munientis, Nam, vt dicitur Ephes. 6. c. *In eo extinguuntur omnia tela nequissimi ignea.* Et Prouerb. 30. scriptum est, *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se.* Et iterum Propheta ait, *Et in verbo tuo supersperaui.* Et iterum. *Si populus meus audisset me, Israel, si in viis meis ambulasset: pro nihilo forsitan,* id est reuera *inimicos eorum*, scilicet infernales vel mundiales *humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Et Gregor. Omnis autem, qui recta prædicat, si audiatur, iram irati creatoris super præuaricatorem populum placat. Septimo si induratus, & obstinatus es, est mollificatiua & confractiua, quia habet virtutem mallei conterentis. Proinde Hierem. 23. c. Dominus ait, *Verba mea sunt quasi ignis ardens, & quasi malleus conterens petram.* Octauo si desperatus es, est exhortatiua, quia habet virtutem suffragij confortantis. Psalm. *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Nono si inquinatus es, est mundificatiua, quia habet virtutem purificantis. Ioan. 5. Dominus Discipulis suis ait: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Decimo si infirmus es, est sanatiua, quia habet virtutem remedij sanificantis. Psalm. *Misit verbum suum, & sanauit eos.* Vndecimo si debilis es, est roboratiua, quia habet virtutem adiutorij confirmantis & perseuerantis. Psal. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Duodecimo si saluari desideras, est glorificatiua, quia habet virtutem præmij glorificantis, Iac. 1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Et Ioan. 9. *Verba vitæ æternæ habes.* Non ergo immerito Luc. 11. Dominns ait. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et potest esse thema in præsenti capitulo.

Psal. 118. — Hebr. 4. — Verbum Dei … — 2. Reg. 23. — Isa. 11. — Psal. 119. — Luc. 24. — Eccl. 48. — Psal. 118. — Matth. 4. — Psal. 118. — Ephes. 6. — Prou. 30. — Psal. 30. — Hebr. 1. — Iacob. 1. — Ioan. 8. — Luc. 11.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De tribus propter quæ veritas expugnatur.

SEcundo est veritas viriliter amplectenda, scilicet publicè in platea. Porro tria sunt, propter quæ veritas impugnatur. Primo propter manifestationem, secundo propter directionem, tertio propter dissimilitudinem.

Tria sunt propter quæ veritas impugnatur.

Quod scelesti peccatores veritatis correctiones sustinere non possunt.

CAP. I.

PRimo enim veritas impugnatur propter manifestationem. Est enim veritas manifestatiua in modum lucis, ac per consequens est turpium demõstratiua, vituperatiua, & confusiua. Proinde Ioan. 3. Dominus ait: *Omnis enim qui male agit, odit lucem*, sicut patet de adultero, & de fure: *& non venit ad lucem, vt non arguat opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta*, & virtute diuina, sine qua virtute opus meritoriũ fieri non potest. Et iterum Ioan. 18. ait Pilato, *Ego in hoc natus sum*: scilicet temporaliter: *& ad hoc veni in mundum*: s. per carnis assumptionem, *vt testimonium perhibeam veritati*, s. manifestando errores hominũ, & perditionem eorum, & indicando, atq; docendo veritatem de diuinis, vt per eam saluentur. Pro hac veritate Christus à populo Iudæorum crucifixus est, & multi alij veritatis prædicatores persecutiones & mortem sæpius passi sunt. Nam, sicut Ambr. super Epist. ad Cor. ait, Liberè & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes gratiam apud homines non habent. Quod tamen de hominibus sceleratis & obstinatis maxime verum est. Nam & ego plerosque noui, qui veritatem audacter atque viriliter, & tamen discretè prædicantes populo maiorem gratiam

Veritas impugnatur propter manifestationẽ. — Ioan. 3. — Ioan. 18.

Apud scelestos veritas odium parit.

gratiam apud homines incomparabiliter habuerunt, quam adulantes. Apud igitur omnino scelestos veritas odium parit. Nam si veritas est manifestatiua, ostendendo: erit & reuerberatiua, & impugnatiua arguendo & reprehendendo. Et quia scelestus homo arguentia puniriones sustinere non potest, vt patet in Herode à Ioanne reprehenso, statim machinatur in maleficia arguentia. Proinde Ioan. 8.c. Dominus ait: *Nunc autem quaritis me interficere hominem, qui veritatem locutus sum vobis.* Hinc Bern. ait. Mirabilis insania, irascimur sananti, & non irascimur vulneranti. Sanans est prædicator, sed vulnerans est diabolus & adulator. Et Greg. iterum ait, Ægra mens prædicationem veritatis non sustinet, quia tacto vulnere dolet. Tacto vulnere dorsi, recalcitrat equus, quod quidem magnæ insipientiæ indicium est. Vnde Prouerb. 12. Salomon ait; *Qui odit increpationes, insipiens est.* De talibus erant hi, de quibus Galat. 4. Apostolus ait: *Ego inimicus vobis factus sum verum dicens vobis*, quasi dicat: Si vobis adulatus essem, factus essem vobis amicus. Quantum maxime inter amicos fugienda adulatio sit, etiam paganus Tullius in libro de amicitia inquit. Sic habendum est in amicitia, nullam pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditiam, & assentationem. Hoc vitium hominum leuium est loquentium ad voluntatem, & nunquam ad veritatem. Refert quoque Seneca, quod cum magnus Alexander in bello vulneratus esset, & tandem represso sanguine vulneris dolorem sentiret, ait: Omnes iurant esse me filium Iouis, sed vulnus hoc me esse hominem clamat. Non sunt igitur palpanda à prædicatore veritatis vitia populorum, & adulationibus confouenda: quia sic impie decipiuntur, & in vitia grauiora præcipitantur, teste Isa. qui cap. 3. ait: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Nec tamen in populis sunt omnes ignari & cæci qui non discernant inter adulatores & veritatis prædicatores. Si qui enim ægre ferunt veritatis correptiones, compatiendum est eis tanquam stultis atque infirmis, & de indignationibus atque murmurationibus eorum curandum non est. Audiant omnes, qui correptionem moleste ferũt, quod Prouerb. 29. scriptum est: *Viro, qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus superueniet ei interitus, & eum sanitas non sequetur.* & 19.c. Eccles. *Qui*, inquit, *odit correptionem, minuetur vita.* Et c. 32. iterum inquit: *Peccator homo vitabit correptionem.* Et Prouerb. 15. *Non amat pestilens eum, qui se corripit.* De his quoque, qui ex veritatis correptione proficiunt, Prouerb. 17. scriptum est: *Plus proficit correptio apud prudentem quam centum plaga apud stultum.* Et 28.c. iterum ait: *Qui corripit hominem prudentem, gratiam postea inueniet apud eum*, & Eccl. 10. *Vir prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus.*

Ioan. 8.
Prou. 12.
Galat. 4.
Fugienda omnino adulatio.
Concionator nullo modo adulетur. *Isai. 3.*
Eccl. 19.
Eccl. 32.
Prou. 15.
Prou. 17.
Prou. 28.
Eccl. 10.

Quod animabus distortis, & sceleratis dura est directio veritatis.

Cap. II.

Secundo veritas impugnatur propter directionem.

SEcundo veritas impugnatur propter directionem. Natura siquidem veritatis est in bonum dirigere, & mouere, & peccator distortus est per errores & impias affectiones & operationes à veritatis via. Et quia homo non potest dirigere in bonum existens, nisi relinquere faciat bonum apparens, & nisi tollat carnis illecebras, & mundi delitias, ideo peruersus homo nimis existimans quæ relicturus est, & nimis difficilia quæ aggressurus est, & ad quæ dirigendus est, veritatem odit, quia non vult perdere vanitatem & voluptates. Proinde Eccles. 1. *Peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.* Ad tales Seneca inquit: Vides vbi posita sit fœlicitas, sed ad illam peruenire non audes, quid te impediat, dicam. Magna hæc existimas, quæ relicturus est. Multos quoque hæc duo retrahunt à religionis ingressu. Et quia talis peruersio peccatori, quandoque per quoddam diuinum spiraculum innotescit, tunc vt illam à se amouere possit, debet cum Propheta à Domino postulare atque orando dicere, *Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Saluator meus.* Sciebat profecto, quod alia est directio veritatis apud homines, & alia est apud Deum, quia quandoque quod videtur recta veritas apud hominem atque mundum est falsa tortuositas apud Deum. Quod ipsemet innuit per Prophetam dicens, *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, id est ea quæ apud hominem videntur iusta & verè recta. Vnde peccator humiliter orat dicens, *Dirige me in veritate tua*, id est veritatem iudicij tui inscribe cordi meo, & sic non incuruabitur ad infima & terrena, sed dirigetur ad tua summa. Sic ergo petit dirigi voluntatem & affectum suum. Sed quia quandoque dirigitur affectus ad bonum aliquod appetendum, nec tamen propter hoc intellectus illuminatur ad illum inueniendum. Propterea addit, *Et doce me*, Psalm. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, qui me creasti: Saluator meus, qui me recreasti. Ad hoc siquidem me creasti, vt ad æternam vitam me induceres, ad hoc etiam me recreasti, vt ad illam me reduceres, & saluares.

Cur veritas habetur.
Eccl. 1.
Multi retrahuntur à Religionis ingressu, & quare causa.
Psal. 24.
Psal. 74.
Psal. 142.

Quod dissimiles virtuosis in vita, in eis odiunt veritatem.

Cap. III.

Impugnatur veritas propter dissimilitudinem.

TErtio veritas impugnatur propter dissimilitudinem. Sicut enim naturaliter similitudo amorem conciliat, ita dissimilitudo odium parit. Hinc profecto est, quod homo vanitatis & carnalitatis, hominem veritatis persequitur & impugnat. Proinde Sapient. 2. contra hominem veritatis impij dicunt: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris*; & sequitur, *grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutata sunt via eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tanquam ab immunditiis.* Mira & non mira res, secundum Bernard. vitiosus vitiosorum consortia non fugit. Et vbi omnes fœtent, vnius fœtor minimè sentitur. Quis enim auarus auarum, luxuriosus luxuriosum erubuit? At vero in bonis non placet vox, vbi facies displicere probatur. Nec propter hoc relinquere debent iusti veritatis viam. Non enim in prælio vitilis est miles, qui tantum propter verba, seu clamores aduersariorum fugit. Sta in acie, aduersariis armatus obsiste: vt postquam viceris, coroneris, & oppugnator tuus digna vltione plectatur. Ad hoc quidem hortatur Propheta dicens, *Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.* In quibus sacratis verbis de tribus admonet. Primo de dilectione, secundo de examinatione, seu requisitione, tertio de retributione. Prima admonitio est de dilectione. Ait enim: *Diligite, Dominum omnes sancti eius*, scilicet nullo excepto, sicut nullus exceptus est à beneficiis Dei, Psalm. 18. *Non est qui se abscondat à calore eius.* Ait enim, sancti, id est sine terra. Ad Dei quippe amorem exigitur, quod nulla terrena & transitoria supra Deum diligantur. Iacob. 4. *Amicitia huius mundi, inimica est Dei.* Nec dicit sancti, simpliciter: sed addit, eius, quia Philosophi sancti fuerunt, id est sine terra: sed non fuerunt eius.

Sap. 2.
Psal. 30.
De tribus nos admonet prophetæ vox.
Prima admonitio de dilectione.
Psal. 18.
Iacob. 4.

Qua. s. secunda admonitio est de examinatione.

1. Timot. 2. *Cognouit Dominus*, scilicet per approbationem, *qui sunt eius*. Secunda vero admonitio est de examinatione, seu requisitione. Vnde subdit, *quoniam veritatem requiret Dominus*, scilicet qualiter audita, qualiter suscepta, & qualiter opere adimpleta, quæ omnia reducuntur ad hoc, quod requiret Dominus, verum, scilicet verè dilexerimus eum. Quid autem sit dilectio vera Apostolus docet Eph. 5. c. vbi ait: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*: & *hæc est vera dilectio, vt diligamus eum, sicut ipse dilexit nos*. Sed quomodo? *Quomodo tradit semetipsum pro nobis*: ergo debemus pro ipso nosmetipsos exponere morti, si opus fuerit. Alioquin non diligimus eum. Sed rogo te, qui modo leni pœnitentiæ pro Deo se subiicere nolunt, quomodo tempore sæuæ persecutionis se exponerent gladiis impiorum. Quod est contra superflue delicatos. Vnde Gregor. in Homil. super. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, loquens de quadam virgine martyre inquit: neque enim sancta hæc mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Et addit: Quid inter hæc nos barbati & debiles dicimus, qui ire ad regna cœlestia puellas per ferrum videmus? Quos ira superat, superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui si adipisci cœlestia regna per bella persecutionum non possumus, hoc ipsum nobis turpe est, quod Deum nolumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrum hoc tempore dicit Deus, pro me morere, sed illicita tantummodo in te desideria occide. Qui ergo in pace subiicere carnis desideria nolumus, quando in bello pro Deo carnem ipsam daremus. Hæc Greg. Qui ergo carnis desideria non occidunt, sed amant diuitias, delicias & honores: quid dicent Domino in illo stricto examine, vbi veritatem requiret Dominus? Diligamus ergo Dominum etiam sicut dilexit nos, & in tempore pacis simus imitatores dilectionis illius, sicut Apostolus ait, ita vt nosmetipsos tradamus propter eius amorem pœnitentiæ. Tertia autem admonitio est de retributione: vnde subdit, *Et retribuet abundanter* pœnam infligendo *facientibus superbiam*. Hi profecto superbiam faciunt, qui propter dissimilitudinem vitæ veritatem impugnant in iustis: quia in hoc Deum & proximum ipsi contemnunt. Et potest legi hæc dictio, *abundanter*, cum reduplicatione hoc modo: *Et tribuet abundanter facientibus superbiam abundanter*. De abundantia autem retributionis huius, Apoc. 18. scriptum est: *Reddite illi, sicut illa reddidit vobis: & duplicate supplicia secundum opera eius, quantum glorificauit se, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum & luctum*. Et ad Rom. 1. Apostolus ait. *Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent.*

Quid vera dilectio. Ephes. 5.

Reprehenduntur qui terrenis desideriis non renunciant.

Tertia admonitio de retributione.

Apoc. 18.

Rom. 1.

Articvlvs Tertivs.

Quod propter tria peccata veritas in mundo non defensatur.

Tertio est veritas viriliter defensanda, quia quitas non potuit ingredi. Porrò ea sunt, quæ non sinunt defendere veritatem. Primum est timiditas, secundum carnalitas, tertium est cupiditas. De quibus habetur 3. q. 5. in c. accusatores.

Propter tria veritas non defenditur.

Quanti criminis sit propter timorem non defendere veritatem.

Cap. I.

Primum impedimentum est timiditas, id est metus terrenæ potestatis, contra quod 11. q. 3. in c. quisquis. Aug. ait. Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat; quia magis timet hominem, quam Deum. Et post pauca, Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. & 83. dist. in c. error. Innocentius ait: Error cui non resistitur, approbatur: & veritas cum minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Hæc ille. Et 11. q. 3. in c. noli timere. Chrys. ait: Nolite timere eos, qui occidunt corpus: ne forte propter timorem mortis non liberè dicatis, quod audistis, nec fiducialiter prædicetis omnibus quod in aure soli audistis. Sicut enim ex his verbis ostenditur, non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palàm pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille qui non liberè pronunciat veritatem, quam liberè pronunciare oportet, aut non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit, proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est vt veritatem, quam audiuit à Deo liberè prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem quam audiuit à sacerdotibus probatam quidē in scripturis, defendat fiducialiter, quod si non fecerit, prodit veritatem. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Talis timor fuit in parentibus cæci nati. De quo Ioan. 9. scriptum est. *Iam enim conspirauerunt Iudæi*, id est per quandam conspirationem ordinauerunt, *vt si quis eum*, scilicet Iesum confiteretur Christum, *extra Synagogam fieret*, id est tanquam anathematizatus, seu excommunicatus, vel separatus ab omni legitimo actu, seu conuictu & consortio Iudæorum haberetur. Propterea parentes eius dixerunt: *Quia ætatem habet, ipsum interrogate*. Non sic autem virilis Petrus, qui vt dicitur. Act. 5. in medio concilij constitutus magistratibus templi, & principibus sacerdotum respondit: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Nam vt dicitur Prou. 28. *Fugit impius nemine persequente: iustus quasi leo confidens absque terrore erit.*

Primum impedimentum est timiditas.

Error cui non resistitur approbatur.

Quisnam veritatis proditor.

Ioan. 9.

Act. 5.

Prou. 28.

Quod luxuriosi propter tria deficiunt defendere veritatem.

Cap. II.

Secundum impedimentum, ne veritas defensetur, est carnalitas, id est appetitus carnalis voluptatis. Tria quippe sunt, propter quæ à carnalibus veritas non defensatur. Primo propter defectum rectæ rationis, secundo propter defectum bonæ operationis, tertio propter defectum spiritualis conseruationis. Primo propter defectum rectæ rationis. Nam carnalitas de homine rationali bestialem facit, quod sic clarescere potest. Quælibet enim res habet esse à sua forma, sicut cultellus per formam cultelli, qua destructa iam cultellus non est, sed ferrum. Et similiter constat in veste, quia forma vestis destructa remanet tantum pannus. Sed formæ numeris comparantur, in quibus vnitate remota, vel addita mutatur species numeri. Sicut si sumamus ternarium, si auferatur ab eo vnitas, remanet binarius, qui à ternario differt, sicut differūt bos & equus: & si addatur vnitas,

Secundum est carnalitas.

Prima propter defectū rectæ rationis.

sit quaternarius. Et secundum hunc modum sunt aliqua, quæ habent vnitatem, scilicet illa quæ habent esse, sicut sunt lapides. Sunt alia, quæ habent dualitatem, sicut plantæ, quæ esse, & viuere habent: sunt quæ habent ternitatem, sicut bestiæ & animalia, quæ habent esse, viuere, & sentire. Sunt quoque alia, quæ habent quaternitatem, quia habent esse, viuere, sentire, & rationem, sicut homo. Sed si aufertur ratio, remanent tantum tria, quæ faciunt bestiam vel animal.

Ratio propter luxuriam aufertur.

Ratio enim maxime propter luxuriam aufertur, quia in actibus venereis, secundum August. ratio à delectatione carnali taliter absorbetur, quod impossibile est aliquid intelligere. De hoc patet exemplum Dan. 13. de inueteratis senibus, qui in Susannæ concupiscentiam exarserunt. Et sic ablata ratione remanet in homine tantum, quod est bestiale: & inde est, quod non potest defendere veritatem. Et de talibus Propheta inquit, *Homo cum in honore esset, non intellexit.* Nam factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, scilicet secundum rationem & intellectum, *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, secundum enim Chrysost. Peius est iumentis comparari, quam esse iumentum. Nam naturaliter non habere rationem, tolerabile est: verum ratione decoratum irrationabili naturæ comparari voluntatis est crimen. Rom. 8. *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, scilicet solum. Propterea veritas non defensatur ab eis, quia non sapit eis.

Dan. 13. *Psal. 48.* *Rom. 8.*

Secunda propter defectũ bonæ operationis.

Secundo propter defectum bonæ operationis. Ad hoc enim quod aliquod bonum fiat, requiruntur tria, scilicet operans, imperans & dirigens. Operans sunt membra exteriora, imperans est voluntas, dirigens vero sapientia est. Nam sapientia dirigit voluntatem, voluntas imperat membris, membra vero procedunt in opera. Sed destructa sapientia, quæ principium est: opera omnia necesse est perire. Sicut abstracto corde totum destituitur corpus: & subfosso fundamento, totum ædificium ruit: & præcisa radice, suffocatur arbor. Sic sapientia tota per luxuriam dissipatur: quia iræ & concupiscentiæ venereorum hominem faciunt insanire, sicut etiam in ethicis. Proinde Propheta inquit, *Super cecidit ignis, & nõ viderunt solem.* Et quia tales communiter perdunt veri & boni cognitionem, ideo veritatem defendere non possunt.

Psal. 57.

Tertium propter defectum spiritualis conseruationis.

Tertio propter defectum spiritualis conseruationis. Res quippe, nisi in loco suo proprio conseruari non potest, sicut aqua in fonte, & in dolio vinum: sed locus animæ est ipse Deus, iuxta illud August. Non inueni locum animæ meæ nisi te Deus. Sed per luxuriam homo impeditur redire ad Deum. Proinde Oseæ 5. scriptum est: *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum est, & Dominum non cognouerunt.* Sed homo ad Deum redire non potest, nisi per diuinum amorem. Nam ipse est pondus, quo animus in Deum tendit, iuxta illud August. Amor meus, pondus meum, eò feror quocunque feror. Sed anima sine cognitione amare non potest: & luxuria ita obnubilat intellectum, sicut nebula claritatem solis. Insuper sicut fumus ab igne resoluitur & obtenebrat totam domum, & denigrat eam; sic ab igne concupiscentiæ resoluitur fumus, qui ita obnubilat rationem, quod veritatem non cognoscit, nec per zelum accenditur ad eius defensionem, sed potius ad eius impugnationem. Vnde 2. Petr. 2. scriptum est: *Multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.*

Osea 5.

Quod propter auaritiam multi non defendunt veritatem sicut ex debito obligantur.

C A P. III.

Tertiũ impedimentum est cupiditas.

Tertium impedimentum est cupiditas, id est quæ sunt mundanæ auiditatis. Et de talibus 1. Tim. 6. Apostolus ait: *Quia veritate priuati sunt, æstimantes quæstum esse pietatem.* Hinc est, quod Mat. 6. cap. Quæsito à saltatrice capite Ioannis Baptistæ petitione nefanda, Principes & Tribuni & primi Galilææ, eo quod sub ipso Herode habebant officia lucratiua & quæstuosa, maluerunt studere cupiditati, quàm assistere veritati. Hi quippe his temporibus multos complices habent in scelere suo, qui ne à lucro decidant, non fauent vt tenentur ex debito veritati. Quibus mystice Apostolus Galat. 3. cap. ait: *O insensati Galathæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* Galathæ interpretantur translati, quia tales translati sunt per cupiditatem à veritate ad temporale lucrum. Insensati quippe sunt, quia sensum non veritatis, sed cupiditatis habent. O, interiectio est dolentis, non aduerbium euocantis. Quis vos fascinauit, id est ludificauit, non obedire veritati, scilicet vt veritati parenti fauere, vt debitum est, noliti? Sicut enim qui ludificatur magica arte, rem ante se positam videre non potest: sic qui ludificatur cupiditate veritatem parentem ad illius tuitionem non videt. Vel quis vos fascinauit, id est oculos vestros muneribus, & donariis à veritatis defensione ludificando auertit? At litteram, secundum gloss. quidam sunt, qui habentes oculos vrentes dum respiciunt paruulos tenellos, lædunt eos, ita vt cibum ex stomacho emittant, & nauseam patiantur. Quod secundum naturam, vt quidam aiunt, possibile est. Anima enim vehementer affecta immutat oculum: oculus autem immutatus immutat aerem: aër vero immutatus immutat teneram carnem paruuli, & sic paruulum lædit, vt cibum per nauseam vomat. Et secundum hunc sensum Apostolus ait: *Quis vos fascinauit*, id est oculos mentis vestræ per lucra veritatem in nauseam prouocando à defensione illius auertit *non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* Ait enim. *Ante quorum oculos*, id est in præsentia vestra *Iesus Christus*, id est veritas Iesu Christi, *proscriptus est* id est debito adiutorio priuatus est, & fauore, *& in vobis crucifixus.* Ex his patet, quod tum propter timiditatem, tum propter carnalitatem, tum propter cupiditatem æquitas non potuit ingredi. Et hæc tria impedimenta mystice figurantur. 3. Esd. cap. 3. & 4. Vbi tres iuuenes ad litteram custodes corporis regis Darij disputantes, seu philosophantes de his, qui in fortitudine præualerent, tandem vnusquisque sententiam suam scripsit. Primus inquit, *forte est vinum*: alius scripsit, *fortior est rex*: tertius scripsit, *fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit veritas.* Tandem, vt testatur historia, vocati iuuenes in conspectu regis & omnium magnatorum eius, rationes dederunt suarum sententiarum. Moraliter autem præferre veritati vinum abundantiæ temporalis, indicat impedimentum cupiditatis. Præferre vero regem veritati, indicat impedimentum timiditatis. Sed præferre veritati mulieres, indicat impedimentum carnalitatis. Quibus ad litteram auditis rex Darius, & purpurati sui intuebantur alterutrum. Et ille tertius inchoauit loqui de veritate. *O viri nonne fortes sunt mulieres? Magna est terra, & excelsum est cælum, & velox cursus solis, cum vertit in giro cælum in locum suum in vna die. Nonne magnificus est, qui hæc fecit? Et veritas magna & fortior præ omnibus. Omnis terra veritatem inuocat, cælum etiam ipsam benedicit, & omnia opera mouentur & tremunt eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Iniquus rex, iniquæ mulieres, & iniqui omnes filij hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet, & inualescit in æternum, & viuit & obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam recipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt, facit omnibus*

1. Tim. 6. *Mat. 6.* *Galat. 3.* *Esd. 3. & 4.* *Omnibus fortior veritas.*

omnibus iniuſtis & malignis, & omnes benignantur in operibus eius, & non eſt in iudicio eius iniquum. Et fortitudo & regnum & poteſtas & maieſtas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis. Et deſiit loquendo. Et omnes populi clamauerunt. Magna eſt & prænalet. Hanc igitur veritatem viriliter deſiderate, infatigabiliter quærere, infallibiliter inuenire, & inamiſſibiliter apprehendere, & tenere concedat nobis ille, qui eſt via, veritas, & vita: qui cum Patre & Spiritu ſancto vnus exiſtens in eſſentia & ab eis diſtinctus in perſona viuit & regnat glorioſus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Exhortatio ad veritatem diligendã.

DOMINICA XXII.

Poſt Pentecoſten.

SYNOPSIS.

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui eſt de multiplici veritate, quique continet tres articulos, quorum ſingulus tria habet capita.

Articuli primi, De triplici veritate, ſcilicet cordis, oris, & operis.

Cap. 1. Quod veritati cordis tria neceſſaria ſunt.
Cap. 2. Quod veritati oris tria oppoſita ſunt, ſcilicet iactantia, ironia, & duplicitas.
Cap. 3. Quod neceſſe eſt hominem non ſolum corde, & ore, ſed etiam opere eſſe veracem.

Articuli ſecundi, De triplici veritate, ſcilicet vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ,

Cap. 1. Quid eſt veritas vitæ & quibus neceſſaria eſt.
Cap. 2. De veritate iuſtitia, & in quibus regnare debet.
Cap. 3. De veritate doctrina, & quibus neceſſaria eſt.

Articuli tertij, De veritatis confeſſione circa quam tria conſideranda,

Cap. 1. Quod duobus modis homo a veritate declinat.
Cap. 2. Quod in tribus caſibus licet veritatem tacere.
Cap. 3. Quod nunquam licet veritatem negare, vel falſitatem firmare.

De multiplici Veritate.

Sermo XIX.

MAGISTER, *ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, Matth. 22. & in Euangelio hodierno. Diſcipulorum Phariſæorum, qui ab eis miſſi ſunt ad Ieſum, vt caperent eum in ſermone, verba ſunt iſta. Aiunt enim, *Magiſter*, hoc nomen deſignat plenitudinem ſcientiæ veram, & integritatem affectus, atque conſuetudinis ad dicendum verum. Prætendunt enim reuerentiam & honorem erga Chriſtum, necnon & docibilitatem & credulitatem, atque ſimplicitatem ipſorum ad doctrinam Chriſti humiliter ſuſcipiendam. Vnde & addunt: *Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate*, &c. ſecundum Chryſoſtomum hoc dicunt, vt quaſi honoratus & laudatus myſterium ſui cordis ſimpliciter eis aperiat, tanquam volens eos habere diſcipulos. Hæc eſt hypocritarum prima prudentia, laudatio ſimulata. Laudant enim quos prodere volunt, vt per delectionem laudis paulatim corda hominum ad ſimplicitatem benignæ confeſſionis inclinent: veluti ſi quis taurum validum viribus ſubiugare nõ poteſt, nec vinculis & viribus flectere, mollibus manibus nodoſam eius fricat ceruicem: vt quem virtute tenere non potuit, blandimentis comprehendant. Sic & iſti cathenam ſubdolæ laudis portantes in ore, malitiæ gladium abſcondentes, in corde taurum Eccleſiaſtici gregis doloſa laude comprehendere feſtinabant: adhuc ſubdunt, *Et viam Dei in veritate doces*, quaſi dicant. Non doces vana, ſed ſolum quomodo ſeruiatur Deo & credatur in Deum, & hoc in pura veritate ſine falſitatis & duplicitatis admixtione. Proinde tria de veritate conſideremus. Primo veritatis adhæſionem, ſecundo veritatis diſtinctionem, tertio veritatis confeſſionem.

Matth. 22.
Magiſter quid ſonat.
Hypocritarũ laudatio ſimulata.
Tria de veritate ſunt conſideranda.

ARTICVLVS PRIMVS,

De triplici veritate, ſcilicet cordis, oris, & operis.

PRimo conſideremus veritatis adhæſionem. Porro veritas tribus adhærere poteſt, videlicet cordi, ori & operi. Proinde merito triplex veritas reperitur. Prima eſt cordis, ſecunda eſt oris, tertia eſt operis, ſcilicet ſecundum quod habet eſſe in mente, in ſermone, atque in ipſa re. Primo in mente, tanquam in ſubiecto cognitiuo. Secunda in ſermone, tanquam in ſigno repræſentatiuo. Tertio in re, tanquam in principio effectiuo, eo quod veritas & falſitas rei cauſa eſt veritatis & falſitatis, quæ eſt in ſermone, ſeu in mente.

Primo adhæſio veritatis. Tribus enim adhærere poteſt.

Quod veritati cordis, tria neceſſaria ſunt.

CAP. I.

PRima eſt veritas cordis. Nam veritas habet eſſe in mente, vt in cognoſcente. Cum enim intellectus iudicat rem eſſe, quæ eſt: vel rem non eſſe, quæ non eſt, alias iudicat: tunc ſiquidem verus eſt, quia adæquatur rei quæ eſt. Cum vero à re diſſonat & diſcordat: puta cum dicit eſſe quod non eſt, vel non eſſe quod eſt: tunc ſiquidem falſus eſt. Proinde ſecundum etymologiam, veritas dicitur quaſi vera entitas: vnde veritas à quodam philoſopho diffinitur. Veritas eſt adæquatio rei ad intellectum, & Aug. de vera religione, iterum ait: Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis. Ad veritatem igitur, quæ eſt in mente, tria neceſſaria requiruntur. Primum eſt cognitio, ſecundum dilectio, tertium eſt intentio. Primo enim menti neceſſarium eſt cognitio veritatis. Nam in ſe habere aliquã veritatem, ſeu virtutem, & nõ cognoſcere eam, nihil homini prodeſt. Propterea Ioan. 8. ſcriptum eſt, *Cognoſcitis veritatem & veritas liberabit vos.* Vbi Aug. ait: Fortè aliquis dicit, Et quid mihi prodeſt cognoſcere veritatẽ? Ideo ſubdit, *Et veritas liberabit vos.* quaſi diceret ſi non delectat veritas, delectat libertas, liberari quippè dicitur liberum fieri, quomodo ſanari ſanum fieri, & ſubdit, *Vnde veritas liberabit*, valet à morte, à corruptione, à mutabilitate, veritas quippe immortalis, incorruptibilis, incommutabilis permanet. Vera autem incommutabilis eſt ipſa æternitas. Secundo menti neceſſariũ eſt veritatis dilectio, id eſt vt diligat veritatem, vt dici valeat ei Propheticum illud, *Ecce enim veritatem dilexiſti.* Sed væ miſero & miſerabili mundo, quia hodie multi ſunt, in quibus verificatur, quod ad Galat. 4 c. Apoſtolus. ait, *Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis.* Vbi gloſſa inquit, quod verbum Terentij eſt, Obſequium amicos, veritas odium parit. Porrò verum, prout eſt contrarium voluntati, quoad tria oditur. Primo quoad enti-

Prima cordis.
Pſalm. 50.
Gal. 4.

Tripliciter veritas odio habetur. tatem, secundo quoad cognoscibilitatem, tertio quoad prauitatem. Primo enim verum quandoque repugnat voluntati quoad sui entitatem. Proinde volens aliquis aliquam veritatem non esse, odit eam, Verbi causa, Nollent quidam esse infernum, nollent alij argui de sceleribus suis. Sunt & alij, qui de morte, seu de iudicijs Dei prædicationem audire nollent. Cum igitur de talibus & similibus sermo fit, talis veritas displicet eis. *2. Tim. 4.* Et de talibus 2. Timot. 4. Apostolus ait: *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Et iterum Ecclesiast. 21. *Eccles. 21.* scriptum est: *Verbum sapiens quodcunque audieris sciens, id est sciens & sapiens, laudabit, & ad se adijciet.* Audiuit verbum luxuriosus, scilicet contra luxuriam suam, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum. Secundo aliquod verum repugnat voluntati quoad sui cognoscibilitatem, & inquantum aliquis in peccatu suo aliquo latere cupit veritatem peccati sui, odit quam alius nouit. Proinde Dominus Ioan. 3. cap. ait: *Ioan. 3.* *Qui male agit, odit lucem*, id est recusat veritatis lumen, *vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem*, id est opera conformia altissimæ veritati, quæ est Deus, *venit ad lucem*, id est in palam: vel ad Christum, qui est lux vera, *vt manifestentur opera eius*, non ad propriam laudem, sed ad gloriam Dei & proximi ædificationem, *quia in Deo sunt facta*, id est diuina virtute, sine qua opera non valent. Secundo aliquod verum repugnat alicuius voluntati quoad eius prauitatem, inquantum aliquis malè dispositus vellet aliquam non cognoscere veritatem, vt liberius peccare valeret. *Psal. 35.* Et de tali Propheta ait: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Tertio ad veritatem mentis requiritur, quod mens veritatem intendat. Si quis enim diceret veritatem, & tamen non intenderet verum loqui, talis mendacium loqueretur. Nam mentiri, iuxta etymologiam vocabuli, est contra mentem ire. Licet etiam homo diceret veritatem, vt puta si quis contra mentem diceret, Petrus est in domo; quod quidem credit, & tamen est ibi: talis autem semper peccat, secundum Augustinum 22. quæst. 2. cap. Is autem, secundum etiam Bernard. super Cantic. sermone 17. est qui dubiè profert mendacium, nec tamen mentitur. & est qui veritatem affirmat, quam nescit & mentitur. Nam & ille non quidem quod non est esse, sed quod credit credere se dicit, & verum dicit, & si hoc ipsum verum non est. Verum non dicit, etiam si verum sit qui quod nescit asserit. Igitur nec manifesta debent adduci in dubium, nec dubia temere affirmari.

Quod veritati oris tria opposita sunt, scilicet iactantia, ironia, & duplicitas.

CAP. II.

Zach. 8. SEcunda est veritas oris. Et de hac Zachar. 8. scriptum est, *Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Porro veritati oris tria maxime opposita sunt, quæ omnia contra veritatem militare probantur. Primum est iactantia, secundum ironia, tertium duplicitas. Nam iactantia veritati addit. Ironia veritatem diminuit, sed duplicitas mendaciter fallit. Primo enim iactantia veritatem impugnat; nam species mendacij est. Quod potest probari triplici ratione. Primo ratione simulationis, secundo ratione intentionis, tertio ratione oppositionis. Primo ratione simulationis. Nam qui simulat se habere quod non habet, vel si simulat in se esse maiora quam sint, profecto mentitur. Et hæc in iactatore repetiuntur. Vnde Luc. 18. patet exemplum in Pharisæo, qui iactanter simulans se habere quod non habebat, ad Duminum ait: *Luc. 18.* *Domine gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Insuper simulans in se esse maiora, quam sint, addit, *Ieiuno bis in Sabbato.* Et hoc pertinet ad declinationem mali. *Decimas do omnium, quæ possideo:* & hoc pertinet ad operationem boni, in quibus duplex pars iustitiæ continetur, scilicet declinare à malo, & facere bonum. Secundo probatur esse mendacium ratione intentionis. Profecto id quod homo loquitur contra id, seu supra quod in se est, vel in se sentit, mendacium est, quod in iactantia contingit esse. Porro & ipsa vocabuli significatio manifestat: nam iactantia propriè importare videtur, quod homo se verbis extollat. Vnde sicut corporaliter illa, quæ homo vult longè iactare, in altum eleuat: ita propriè tunc aliquis se extollit, cum supra se aliquid dicit, contra tales Prouerb. 28. cap. scriptum est, *qui se iactat, & dilatat, iurgia concitat.* Tertio probatur esse mendacium etiam ratione oppositionis. Nam id, quod opponitur veritati, mendacium est: sed iactantia veritati opposita est, vt patet per Philosophum in 4. Ethic. Vnde Prouerb. 30. scriptum est. *Ne addas quicquam verbis illius & arguaris, inueniarisque mendax.* Hæc secundum Thomam 2. 2. *Quid ironia.* quæst. 112. Secundo autem ironia veritatem impugnat. Est enim ironia, secundum Hug. sententiam pronuntiationi contrarium habens intellectum, scilicet sic laudans, vt vituperare videatur & intelligatur. Hæc siquidem veritatem diminuit. Fit etiam cum aliquis de se dicit minora bona quam sint. Quod duobus modis contingere potest. Primo salua veritate, scilicet dum homo maiora bona, quæ in se intelligit tacet: & minora bona, quæ habere se nouit, humiliter confitetur. Et hoc non est peccatum, sed potius pertinet ad virtutem prudentiæ & humilitatis. Secundo modo cum dicit aliquis de se minora quam sint, declinans à veritate: vt puta cum in se asserit aliquid, vile quod tamen in se non cognoscit: aut cum negat de se aliquid magnum, quod tamen habere se nouit, & hoc pertinet ad ironiam, atque semper peccatum est, quia veritatem impugnat, secundum Thomam 2. 2. quæst. 112. Psalm. *Diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* Tertio vero impugnat veritatem duplicitas oris. Proinde notandum est: quod duplicitas de se semper in malum sonat. Nam includit in se mendacium cum quadam dolositate, ac cum quadam imagine veritatis prolatum. Vtitur enim homo verbis multiplicis sensus cum intentione fallendi, ita quod plus intendit falsum sensum quam veruiu qui communiter cadit in conceptionem audientium. Contra talem, Propheta ait: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.* In quibus verbis ostendit tria, quæ talem oris duplicitatem, mendacem & perniciosam efficiunt. Primum est assiduitas, secundum est leuitas, tertium est dolositas. Primum est assiduitas, hoc est si consuetudinariè talia verba duplicia frequentat. Et hoc ait, *tota die*, id est consuetudinariè & frequenter. Secundum est leuitas, hoc est, si fit ex leui causa. Et de hoc Propheta subdit: *Iniustitiam cogitauit lingua tua.* Sed cum cordis, non linguæ sit cogitare: quid est, quod hunc modum loquendi seruat, nisi vt ostendat promptitudinem & leuitatem, ac pronitatem talis hominis ad duplicitatem verborum? Ait enim. *Iniustitiam cogitauit lingua tua:* vt ex coniunctione horum duorum, scilicet cordis & oris apertius exprimatur, quod quam cito in corde cogitatio oritur, tam citò ore euomitur *Eccl. 21.* & profertur. Et de talibus Ecclesiastic. 21. scriptum *Eccl. 19* est: *In ore fatuorum corda illorum.* Et iterum 19. *A facie verbi parturit fatuus.* *Nouacula inter alia tria habet.* Tertium est dolositas, hoc

est si

est si duplicitas sit ex dolo: & de hoc etiam subdit: *sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Porro nouacula inter alia tria habet. Primo abscondit aciem in manubrio, secundo acuitur super lapidem oleo vnctum, tertio leniter secat, & radit. Hæc operatur spiritualiter lingua dolosa. Primo enim occultat malitiam prauæ intentionis. In cuius mysterium 2. Reg. 20. Ioab, qui interpretatur. *Tenuit in manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est.* Secundo acuitur super lapidem oleo vnctum, cum acce dolum præcedit adulario quædam, iuxta Propheticum illud: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Tertio leniter secat & radit pilos, scilicet temporalia bona. Proinde quasi continuè malitia cordis suggerit homini prauo illud Ezech. 5. *Sume tibi gladium acutum radentem pilos.*

2. Reg. 20. Psal. 54.

Quod necesse est hominem non solum corde & ore, sed etiam opere esse veracem.

Cap. III.

Tertia est veritas operis. Hæc quippe requirit, quod homo non tantum sit verax in verbo, sed etiam quod sit verus & rectus in facto. Non solum diligat, intendat, ac veritatem doceat, sed necesse est, quod eã opere adimpleat, ne sit de his, de quibus Matth. 23. Dominus ait: *Dicunt enim & non faciunt.* Immo quod deterius est, sæpe contraria operantur. Hinc Ephes. 4. Apostol. ait: *Veritatem autem facientes non simulantes sicut hypocrita, vel non negligentes sicut desides, vel non impugnantes, sicut homines pestilentes.* Et subdit, *crescamus in charitate,* scilicet vt sicut veritas est in opere, sic charitas sit in corde. Ioan. quoque 3. cap. Dominus ait: *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Quod verbum exponens Chrysostomus ait: Nihil veritate apertius, neque fortius: quæ neque latère vult, neque periculum formidat, neque in insidiis tremit, neque gloriam quæ à multis est, desiderat, nulli humanorum obnoxia. In huius quoque mysterium 2. Esdræ 3. cap. *Dixerunt tres iuuenes custodes regis Darij: qui custodiebant corpus eius. Dicamus vnusquisque nostrum sermonem, quod præcellat, & cuiusque apparuit sermo sapientior, dabit illi rex Darius dona magna.* Et sequitur, *vnus scripsit. Fortè est vinum, alter scripsit, fortior est rex: alius scripsit, fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.* Sed heu, quia infelici tempore nostro verificatur, quod Isa. 59. scriptum est: *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in obliuionem, & qui recessit à malo præda patuit.* Et Oseæ 4. cap. iterum ait: *Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Quod tripliciter exponi potest. Primo modo, quia non est veritas, ideo mundus est falsus, quia non est misericordia, ideo mundus est ferus, quia non est scientia, ideo mundus est factus. Secundo modo exponi potest secundum glossam Hieronym, qui ait: Vult Dominus suum populum iudicare, & non aperite causas indignationis suæ, & reddit causam dicens: quia non est veritas in ore, nec misericordia in opere, nec scientia in corde. Primum est in iudiciis exequendis, secundum in miseriis subleuandis, tertium est in periculis excitandis. Tertio modo exponi potest, Non est misericordia in affectu, sicut in fictis. Non est misericordia in affectu, sicut in impiis. Non est scientia in intellectu, sicut in fatuis. Quartus modos etiam addi potest, Non est veritas, quantum ad se: non est misericordia, quantum ad proximum: non est scientia, quo

1 Est veritas operis. Matth. 23. Ephes. 4. Ioan. 3. Esdræ 3. Veritas omnia superat. Isa. 59. Oseæ 4. Quomodo veritas non sit veritas in terra.

ad Deum, scilicet in his quæ credenda sunt. Contra hanc operis veritatem omne opus duplicitatis, simulationis, hypocrisis pugnat; Et de talibus Mat. 23. Dominus ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Et iterum eodem cap. ait: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Et Iob 8. cap. iterum ait: *Spes hypocritæ peribit. Non placebit Deo vecordia sua: sicut tela aranearum fiducia eius innitetur super domum suam, & non stabit, & fulciet eam & non consurget.* Porro de veris & rectis corde, ore & opere, Cantic. 1. Salomon ait: *Recti diligunt te.* Quod potest esse thema in articulo præcedenti, vt triplex veritas triplex sit rectitudo: scilicet cordis, oris, & operis, sicut prudens orator, seu prædicator poterit adaptare.

Matth. 23. Iob 8. Cant. 1.

Articulus Secundus.

De triplici veritate, scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ.

Secundo consideremus veritatis distinctionem, secundum enim Hieronymum triplex est veritas. Prima est veritas vitæ, secunda est veritas iustitiæ, tertia est veritas doctrinæ. Prima est veritas vitæ, & hæc est secundum quam homo rectè in se viuit. Comprehendit enim in se præcepta affirmatiua & negatiua, & hæc veritas ad omnes pertinet. Secunda est veritas iustitiæ, secundum quam homo rectitudinem legis in his, quæ sunt ad alterum, seruat; & hæc pertinet ad prælatos & rectores. In cuius mysterium Exod. 18. *Dicit Ietro cognatus Moysi ad Moysen inspiratus à Deo. Prouide de omni plebe viros potentes,* alia translatio habet sapientes, *& timentes Deum: in quibus veritas, & qui oderunt auaritiam:* quasi dicat. Prouide cum magna deliberatione de omni plebe, scilicet sine personarum acceptione, potentes ad culpatum punitionem, alias sapientes ad culpatũ cognitionem, & timentes Deum, scilicet vt fiant cum magna sollicitudine: quia, vt dicitur Ecclesiast. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* In quibus sit veritas, scilicet in iustitiæ executione, & qui oderunt auaritiam, quæ peruertit iudicium. Nam, sicut Eccl. 20. c. scriptum est: *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi in ore auertit correctiones eorum.* Tertia est veritas doctrinæ, quæ consistit in quadam recta manifestatione verborum, de quibus scientia est, & hæc pertinet ad Doctores. Vnde Exod. 28. c. mystice dictum est Moysi, *Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem.* Hæc triplex veritas, secundum Alexand. de Ales distinguitur secundum tres animæ vires. Nam veritas vitæ concupiscibilem ordinat in bonum, veritas iustitiæ irascibilem compescit à malo, veritas doctrinæ rationalem informat ad bonum.

Secundo consideranda est veritatis distinctio. Triplex est veritas. 1. Vitæ. 2. Veritas iustitiæ. Eccl. 7. Eccles. 20. 3. Veritas doctrinæ.

Quid est veritas vitæ, & quibus necessaria est.

Cap. I.

Prima enim veritas vitæ denominatur. Et hoc nihil aliud est, quam quædam adæquatio conuersationis, vel vitæ ad regulas rectè viuendi, hoc est ad diuinam legem, secundum quod est de necessitate salutis. Hæc quippe veritas tantæ necessitatis est quod pro nullius scandalo dimitti debet. Respecto tamen consiliorum, & supererogationum euangelicæ perfectionis non est simpliciter deserenda, sed distinguendum est secundum Thomam, & Alexand. de Ales, quia aut talis veritatis scandalum oritur ex malitia, aut ex ignorantia. Primo oriri potest ex malitia

Prima est veritas vitæ & quæ.

Quid de scandalum Pharisæorum.

litia, videlicet quando aliqui impedire volunt aliqua bona, scandalum suscitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Christi scandalizabantur. Quod Dominus Matth. 15. cap. manifestè docuit contemnendum. Secundo autem potest oriri scandalum ex infirmitate, vel ignorantia, & hoc est scandalum pusillorum, propter quod spiritualia opera aliquando sunt occultanda, aliquando differenda, vbi non imminet periculum, quousque reddita ratione tale scandalum cesset. Si autem post redditam rationem perduret, iam apertè clarescit, quod qui inde scandalum sumit, non ex ignorantia, sed ex malitia sumat: & peccat.

Scandalum ex pluribus oritur.

QVÆSTIO. Sed quid si aliquis bonam vitam & bonam conscientiam habet apud Deum, & tamen aliqui malum suspicantur de illo propter aliquam speciem exteriorem mali, atque de illo scandalum sumunt? Dicendum, secundum Augustinum, quod nobis est necessaria bona vita & bona conscientia quoad Deum, ac etiam bona fama quoad proximum. Proinde quantum in se est, satisfacere debet eis, qui de illo suspicantur malum, excusando se, & ostendendo intentionem suam. Sed super omnia remouere debet speciem mali, & scandali occasionem: vt puta conuersationem suspectam. Quo facto si non potest satisfacere eis, dolendum est de peccato eorum. Vnde Gregorius ait; Vocandi sunt, & tranquillè arguendi, eisque satisfieri modis omnibus debet. Si autem eis satisfieri ex necessitate noluerunt, vel ex ratione, habes consolationem Domini in Euangelio Matth. 15. dicentis: *Sinite illos, cæci sunt, & duces eorum.* Et tunc faciat, sicut Iob qui 16. cap. dicebat. *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.*

Bona conscientia quoad Deum, bona fama quoad proximum.

Matth. 15.

De veritate iustitiæ, & in quibus regnare debet.

CAP. II.

Secunda est veritas iustitiæ, quæ in duobus consistit.

Primo in reddendo vnicuique quod suum est.

SEcunda est veritas iustitiæ, quæ in iudicibus & iudicantibus esse debet, & maxime in prælatis, & hæc quidem in duobus consistit. Primo in reddendo vnicuique quod suum est. Secundo in puniendo & infligendo pœnas. Primo in reddendo vnicuique quod suum est, & in hoc veritas iustitiæ, nunquam deserenda est. Quilibet enim iudex hoc in voluntate habere debet, & ad hoc conari tenetur, vt vnusquisque habeat quod suum est, atque intantum tenetur dare sententias veras & iustas, quod pro nullius scandalo euitando debet sententias falsas promulgare. Secundo in puniendo, seu infligendo pœnas, idem dicendum est: nec etiam potest iudex pro alterius passiuo scandalo euitando intermittere eam: nisi iustitia illa dispensabilis sit simpliciter, vel ad tempus: verbi causa, secundum Thomam, Cum pœnarum inflictio intantum habet iustitiæ rationem, inquantum per eas crimina prohibentur. Si igitur per inflictionem pœnarum manifestè apparet, plura & grauiora peccata sequi, tunc pœnarum inflictio minime sub iustitia, continetur. Et in tali casu à peccati punitione cessandum est. Idem quoque dicendum est, si id contingit, quando iudex iudicare vellet reddi, seu dari homini, quod sibi de iure competit, vel dari debet.

Secundo in puniendo.

De veritate doctrinæ, & quibus necessaria est.

CAP. III.

Tertia est veritas doctrinæ circa quam duo sunt consideranda.

TErtia est veritas doctrinæ, quæ ad magistros pertinet. Circa quam duo consideranda sunt. Primum est veritas, quæ docetur; secundum est actus ipse docendi. Primum inquam est veritas, quæ docetur: & hæc nunquam dimittenda est. Nunquam enim licet propter scandalum euitandum veritate prætermissa falsitatem docere. Secundum vero est ipse actus docendi, qui inter eleemosynas spirituales connumerandus est. Propterea pro loco & tempore à tali docendi actu homo cessare potest, & debet pro scandalo euitando, nisi in tribus casibus, secundum quosdam. Primo non est cessandum, vbi imminet periculum communis erroris, nisi antea veritas doceatur. Secundo non est cessandum, vbi ex hoc notabilis profectus electis finaliter speratur. Tertio etiam non est cessandum, vbi notabile salutis damnum ex ipsa taciturnitate ipsis electis verisimiliter timeatur. De his tribus veritatibus hoc modo distinctis intelligi debet, quod ponitur extra de regul. iur. in cap. qui scandalizauerit. Vbi dicitur, vtilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. Hæc secundum Thomam 2. 2. quæst. 43. aliosque Doctores.

A veritate quæ docetur non abstinendum.

ARTICVLVS TERTIVS.

De veritatis confessione, circa quam tria consideranda sunt.

TErtio consideremus veritatis confessionem. Vbi aduertendum est, quod aliud est à veritate declinare, aliud est veritatem tacere, atque aliud est veritatem negare,

Quod duobus modis homo à veritate declinat.

CAP. I.

Tertio consideranda est veritatis confessio.

Aliqui à veritate declinant & hoc duobus modis. Primo affirmando.

PRimo enim sunt quidam, qui à veritate declinant, & hoc duobus modis. Primo affirmando, secundo vero negando. Primo affirmando: vt cum quis moderatè manifestat bonum, quod habet ita quod maius bonum quod in se habet, tacet: & aperit bonum, quod minus est. Et hoc licet, cum actus humilitatis & prudentiæ sit, sicut 2. Corinth. 12. c. Apostolus ait: *Si gloriari voluero, non ero insipiens: veritatem enim dicam: parco autem ne quis existimet me supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Ait enim parco, id est parcere volo, in me laudando; vel secundum glossam. Parce glorior, seu parce refero laudes meas. Primo inquam, & hoc ne quis infirmus existimet me esse super id, quod videt me esse vel audit, scilicet ab alijs aliquid ex me. Nam quidam putabant eum immortalem, alij vero Angelum Dei. Proinde se parce laudabat, ne aliqui dicerent eum esse, quod non erat. Aliter dici potest, secundum glossam quasi dicat. Ratio autem, quare parco, est, ne quis scilicet detractor existimet me tendere, vel iactare elationis tumore supra, vel vltra id, quod limites meritorum meorum admittunt. Secundo vero quidam à veritate declinant negando, vt cum quis negat sibi inesse, quod inest. Et hoc non licet; quia ex hoc incurrit homo mendacium virtuti veritatis contrarium, secundum Thom. 2. 2. quæst. 109. Sunt namque plerique, qui non vt humiles sint, sed vt humiles videantur, vel vt imitentur consuetudinem communem seruorum Dei: non quia peccatores se sentiant fatentur se maximos peccatores, negando se habere virtutes, quas habent. Et tales mendaces fiunt, Proinde August. de verbis Apostoli ait; Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficieris.

2. Cor. 12.

Cur Paulus parcit suis laudibus.

Secundo negando.

Non humilitatis causa mentiendum.

Quod

Quod in tribus casibus licet veritatem tacere.

Cap. II.

SEcundo sunt aliqui, qui veritatem tacent. Circa quod aduertendum est, quod veritatem tacere non est semper mentiri. Vnde August. in lib. contra mendacium ait: Non est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamuis enim omnis qui mentitur, velit cælare verum, non tamen omnis qui vult cælare quod verum est, mentitur. Plerunque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus dicendo, Ioan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Neque enim mētitus est, Ioan. 18. cùm non respondit Pilato interroganti, *Quid est veritas?* Vera tacuit: non falsa locutus est. Vnde affirmatio veritatis obligat semper, sed non ad semper, sed pro loco & tempore. Proinde taciturnitas veritatis licita esse potest. Vnde aduertendum est, quod in tribus casibus licitum est veritatem tacere. Primo in casu confessionis, secundo in casu condemnationis, tertio in casu abusionis. Primo in casu confessionis. Nam veritatem commissam sub sigillo confessionis modis omnibus occultare tenemur: tum quia sacerdos talia nescit vt homo, sed vt Dei minister, tum quia maius est vinculum sacramenti, quam cuiuscunque hominis præceptum. Si autem illa sub secreto commissa sunt: tunc si illa pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, aut redundat in graue damnum alicuius personæ: tunc ille, cui talia sunt sub secreto commissa, manifestare tenetur, vel testificando, vel denonciando. In talibus quippe promissis, siue secretis frangenda est fides ad vitandum maius vel grauius damnum. Si vero talia sub secreto commissa non sunt, qui talia sub secreto recipit, omnino cælare tenetur; quia de naturali iure est proximo suo seruare fidem. Secundo vero licet veritatem tacere in casu condemnationis, secundum Thomam 2. 2. quæst 69. art. 2. Cum enim quis condemnator etiam iustè, tunc veritatem sciens non tamen à iudice requisitus, veritatem manifestare non debet, sed potius occultare. Cum autem quis condemnatur iniustè, siue in persona, siue in fama, siue in pecunia, siue in bono aliquo temporali: tunc qui veritatem nouit, etiam non requisitus testimonium dicere obligatur, & manifestare veritatem ei, qui potest prodesse, & facere quod in se est, vt innocens liberetur à supradictis, iuxta propheticum illud, *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Prouerb. 24. cap. etiam præceptum est: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* In tali siquidem casu tacens veritatem consentit, iuxta id, quod scriptum est, extra de homicidio, in cap. sicut dignum, vbi dicitur: Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori non desinit obuiare. Et talis dignus est morte, sicut ille qui occidit iniuste. Quod & Apostolus 1. cap. ad Roman. testatur dicens: *Qui talia agunt, digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus:* Hæc Thom. Tertio etiam licet veritatem tacere in casu abusionis, seu violentationis. Cum enim iudex abutitur iure suo, & ab alio exigit veritatem contra ordinem iuris, puta de occultis, & de quibus infamia non præcessit: tunc cuilibet licet veritatem cælare, & testimonium non perhibere, vel præbere. Hæc Thomas, vbi supra. Quartus casus etiam addi potest, quod licet veritatem tacere in casu turbationis. Cum enim prædicatio veritatis scandalum patitur, tunc non est veritas omittenda, nec falsitas prædicanda, sed actus prædicandi ad vitandum scandalum omittendus est: secundum distinctionem positam supra artic. 2. cap. vlt. Proinde August. in lib. contra mendacium ait. Licet prædicatori rerum æternarum ad ædificationem pertinentium occultare quicquid occultandum videtur, mentiri autem nunquam licet.

Ioan. 16. — *Ioan. 18.* — *In tribus casibus licet veritatem tacere.* — *1. Sub sigillo confessionis.* — *2. In casu condemnationis, &c.* — *Prou. 24.* — *3. In casu abusionis.* — *Posset etiam non dici veritas in casu turbationis.*

Quod nunquam licet veritatem negare, vel falsitatem firmare.

Cap. III.

Aliqui veritatem negant.

TErtio quoque sunt quidam, qui veritatem negant, vel falsitatem affirmant, quod vtique nunquam licet. Vnde Augustinus ad Cassianum ait: Vterque reus est, & ille qui veritatem occultat, & ille qui mendacium pronunciat, quia ille non vult prodesse, & iste desiderat nocere. Ad huius clariorem intelligentiam tria notanda sunt. Primo notandum est, quod nullus etiam venialiter mentiri debet, vt alium liberet à mortali culpa. Cuius ratio est, quia si veniale peccatum eligi debet, seu committi, tunc non est malum, neque peccatum, quod falsum est. Licet enim omnis pœna eligenda sit, vt euitetur culpa: nunquam tamen aliquā culpa eligenda est, secundum Thomam 2. 2. quæst. Secundo notandum est, quod nullus à iudice requisitus secundum ordinem & formam iuris, debet veritatem negare, vel falsitatem firmare, vt alium à morte liberet, quam meretur. Cuius ratio est, quia cum quilibet plus teneatur diligere semetipsum, quam alium, pro nullo peccare debet: non solum mortaliter, sed nec etiam venialiter, secundum Thomam vbi supra. Tertio insuper notandum est, quod iuste condemnatus ad mortem, non debet veritatem negare, vel falsitatem fateri, quia nullus debet aliquod peccatum committere, vt mortem corporalem euadat, secundum Thomam etiam vbi supra. Vnde Augustinus ad Casulanum, & habetur 1 . quæst. 3. c. quisquis metu, inquit: Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia scilicet magis hominem timet, quàm Deum. Et post pauca. Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

DOMINICA XXIII.
Post Pentecosten.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

Qui est de multiloquio, atque de remediis eius necnon & de multiplici remedio contra omnia vitia linguæ, continet tres articulos, quorum primus tria habet capita, secundus totidem, tertius denique sex.

Articuli primi, de peccato multiloquij tria consideranda sunt.

Cap. 1. *Quod maxime propter tria peccatum multiloquij graue est peccatum.*

Cap. 2. *Quomodo multiloquium sit mortale, vel veniale.*

Cap. 3. *Quod horum peccatorum est grauius scilicet, aut multiloquium, aut vaniloquium, aut stultiloquium.*

Articuli secundi, de sex malis effectibus multiloquij,

DE MVLTILOQVIO ATQVE DE remedijs eius, necnon & de multiplici remedio contra omnia vitia linguæ.

Sermo XX.

Matth. 19.

QVIDAM *deridebant eum*, Matth 19. Vana scilicet loquentes, & plura proferentes. Igitur circa multiloquium, & vaniloquium ad præsens tria consideremus. Primo illius offensionem, secundo eius infectionem, seu operationem, tertio autem eius reformationem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod de peccato multiloquij tria consideranda sunt.

PRimo consideremus multiloquij offensionem: offensio siquidem multiloquij clarescere potest, si tria de illo pensemus. Primo eius peccatum, secundo eius reatum, tertio eius gradum.

Quod maxime propter tria peccatum multiloquij graue est peccatum.

CAP. I.

Multiloquij peccatum. Prou. 10.

PRimo quippe pensemus multiloquij peccatum. Nam Prouerb. 10. cap. scriptum est: *In multiloquio non deerit peccatum.* Vbi aduertendum, quod multiloquium potest bene, & male fieri. Bene quidem, vt in rebus magnis, & arduis, atque difficilibus multa locutio necessaria est ad claritatem, & intelligentiam obscuratarum rerum. Malè autem multiloquium fit, & hoc triplici ratione. Primo ratione otiositatis, secundo ratione superfluitatis, tertio ratione temeritatis. Primo quippe otiositatis, & vanitatis. Vnde

Multiloquium ratione otiositatis peccatum est.

Hugo 2. lib. de anima, inquit: Vanus sermo vanæ conscientiæ index est, mores hominum lingua pandit: & qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur: quoniam *ex abundantia cordis os loquitur*, sicut

Matth 12. Chrysostom.

Dominus Matth. 12. ait: Quod exponens Chrysostomus ait: Cum audieris hominem male loquentem, multo ampliorem æstimes cordis nequitiam, quam verba demonstrent. Quod enim exterius dicitur, ex superefluentia est eius, quod intus est. Contingit autem hoc decenter. Lingua enim confusa multoties effundit nequitiam, cor autem nullum hominum habens testem, sine timore quæcunque vult, parturit mala. Dei autem non multa cura est ei: sed cum augetur multitudo, quæ intus sunt, quæ interius occultabantur, extra per verba perueniunt: & ideo dicit, *ex abundantia cordis os loquitur*, sicut ex plenitudine redundat. Hæc ille. Hugo quoque in 2. lib. de anima inquit: Sermo vanus non erit absque

Verba vana non erunt absque iudicio.

iudicio: quia ab omni statu rectitudinis depereunt, qui per verba dilabuntur. Vnde Matth. 12. cap. Dominus ait: *Dico enim vobis, quod omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: vbi Gregorius in homilia ait: Otiosum verbum est, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iustæ necessitudinis caret, id est, quod absque vtilitate dicentis, & audientis profertur. Sed quare non ait, quod de omni opere reddent homines rationem, sicut de omni verbo otioso? Dicendum quod triplex causa fuit. Prima, quia verbum ex ratione sumitur, non autem omne opus. Secunda autem: quia omne verbum comprimere possumus, non autem omne opus. Tertia ad ostendendum, quod si de minimis, id est de omni verbo otioso, reddemus rationem in die iudicij: quanto magis si locuti fuerimus criminosa?

Matth. 12.

Dubium.

Solutio. Verbum ex ratione desumitur.

Volens igitur Petrus Damianus ostendere, quanti periculi sint verba otiosa ait: Audiat qui verba otiosa, & vaniloqua loquitur, audiat & pauescat in die iudicij de ore eius iudicari: quia & si sint parua, in die iudicij reddent rationem. Et ponit exemplum, dicens: Quid milio breuius? quid pluma leuius inuenitur? & tamen si miliorum, vel plumarum innumerabilis multitudo congregetur, necesse est, vt ceruix portantis velut sub graui lapide immoderatè pressa frangatur. Similiter humentibus saxis tenuis quidem, & rara gutta distillat: sed si vas longiori spatio supponatur, ita impletur, vt superefluens aqua, vel vnda decurrat. Inuenitur cinifex parua, id est subtilissima musca: sed innumerabilis multitudo earum oculis præmonstrata superbi Pharaonis, & totius Ægypti superauere virtutem. Breue tempus est hora, sed dum hora horæ continua successione coniungitur, totius vitæ nostræ cursus impletur. Hæc ille super prædictum Matth. verbum.

Pet. Dam. Verbum sum quanti periculi.

Cinifex musca subtilissima.

Secundo in multiloquio peccatum est ratione superfluitatis: vnde Ioan. 11. cap. ait: *Nunquid, qui multa loquitur, non audiet? aut vir verbosus iustificabitur?* Vbi glossa inquit: Mos prauorum est rectè dictis non consentire: sed è diuerso respondere, quibus & pauca videntur multa: quia contra sensus eorum sunt, qui nihil putant rectum, nisi quod sentiunt. Et subditur: *aut vir verbosus iustificabitur*, quia legitur: *Cuius iustitiæ silentium.* Vnde Isidorus in synonimis: Multiloquium non declinat peccatum, flumen ex vnda cito colligit lutum de vndis. Et iterum ibidem ait: Multum loqui stultitia est, vox insipientis in multiplicatione sermonis. Hieronym. etiam in quadam epistola ait: Inter canes, qui infirmior est, magis latrat. Vnde Prouerb. 10. scriptum est: *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Nam prudens profecto est homo in moderando operationes, prudentior in moderando cogitationes, & affectiones, sed prudentissimus in moderando locutiones.

Ioan. 11

Prou. 10. Multiloquium ratione temeritatis peccatum est.

Tertio vero in multiloquio est peccatum ratione temeritatis. Vnde Ecclesiast. 9. *Temerarius in verbo, Deo odibilis est.* In quatuor maxime temeritas reprobatur. Primo in iudicijs, secundo in consilijs, tertio in testimonijs, quarto in votis. Primo in iudicijs faciendis, Matth. 7. cap. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Secundo in consilijs dandis, Ecclesiast. 5. *Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum.* vbi glossa ait: Sicut peccat, qui scit, & proximum non vult docere, sic qui nescit, & vult magister esse. Et addit: *Sit manus tua super os tuum.* Per manus enim opera designantur, quasi dicat: Si nescis loqui, tace: & taciturnitatem tuam redime operibus bonis. Tertio in testimonijs ferendis, Prouer. 19. *Falsus testis non erit im-*

Eccles. 9. Temeritas in quatuor reprobatur.

Matth. 7. Eccles. 5.

punitus

nitus. Quarto in votis, & promissionibus emittendis. Ecclesiast. 8. cap. *Non spondeas supra virtutem tuam.*

Quando multiloquium sit mortale, vel veniale.

Cap. II.

SEcundo pensemus multiloquij reatum, hoc est vtrum sit mortale, vel veniale. Ad cuius euidenciam aduertendum est, quod aliud est multiloquium, & aliud verbositas, vel litigiositas. Primo quippe verbositas, seu litigiositas potest esse peccatum mortale triplici ratione. Primo propter euentum, secundo propter detrimentum, tertio propter contemptum. Primo propter euentum, Iacob. 3. scriptum est, *lingua nostra ignis est*, glossa. Lingua incontinens magnam materiam bonorum operum perire facit: sed perire non facit materiam bonorum operum, nisi mortalis culpa: propterea non dirigi, & non iustificari, ex mortali culpa prodeunt. Sed de talibus Propheta ait: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Et Iob. 11. iterum scriptum est: *vir verbosus non iustificabitur.* Secundo propter detrimentum. Vnde Gregor. ait: Qui linguam non refrænat, concordiam dissipat. Dissipatio concordiæ non fit, nisi per mortalem culpam. Tertio propter contemptum: contemptus gratiæ obligat ad mortale: sed verbositas, seu linguositas importat contemptum prouenientem ex consuetudine superfluæ, & immoderatæ locutionis. Secundo autem multiloquium, prout est sine linguositate, aut verbositate, veniale peccatum est. Vnde August. 25. distinct. cap. vnum §. criminis. quoties quis loquitur plusquam oportet: vt est in multiloquio, venialiter peccat. Et Ecclesiast. 19. cap *Qui spernit modica, paulatim decidet:* vbi Interlinearis. Verbum otiosum, risum & huiusmodi modica sunt: ergo multiloquium ad modicum pertinet. Hæc secundum Alex. in 2. q 43. artic.

Quod horum peccatorum est grauius, scilicet aut multiloquium, aut vaniloquium, aut stultiloquium.

Cap. III.

TErtio vero pensemus multiloquij gradum, vbi videndum est, quod istorum trium grauius peccatum sit, scilicet aut multiloquium, aut vaniloquium, aut stultiloquium. Et dicendum, quod hæc tria peccata in peccati grauitate se habent, sicut excedentia, & excessa. Quod sic patet. Primo enim ex parte vna grauius peccatum est stultiloquij, quam multiloquij, vel verbositatis. Ratio est: quia deterior est defectus debitæ qualitatis, quam quantitatis. Peccatum enim multiloquij peccat in quantitate, id est in multitudine sermonis. Peccatum vero stultiloquij peccat in qualitate, scilicet in rationis defectu. Ex alia vero parte, id est ex parte incorrigibilitatis, peccatum multiloquij, seu verbositatis est grauius peccato stultiloquij. Ratio est; quia qui non vult recipere correctionem alterius, grauius peccat, quam qui vult recipere correctionem: sed peccatum multiloquij, seu verbositatis in hoc consistit, quod aliquis iactat se, cum sibi videatur sapiens, nec recipere vult alterius monitionem. Peccatum vero stultitiæ, seu stultiloquij dicitur peccatum, quando homo fatua verba dicit, & tamen verba correctionis suscipit. Vnde Prou. 29. scriptum est: *Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correctio.* Vbi glossa ait: Graue quidem stultitiæ vitium: sed non leuius verbositatis. Nam sæpe contingit, vt idiota aliquis citius verba correctionis accipiat, quam quis sua quæ nouit, vel nosse putat, quæ magis iactat, quam aliorum monita audiat. Secundo comparando multiloquium, quod istorum est grauius. Dicendum, quod quantum de se est, vaniloquium maius peccatum est, quam multiloquium. Cuius ratio est: quia in multiloquio est defectus modi, scilicet loquacitatis, vel verbositatis: in vaniloquio autem est defectus finis, scilicet vtilitatis. Defectus autem finis maior est, quam defectus modi. Nam vaniloquium defectum ponit maioris boni, quam multiloquium. Ex alia vero parte, scilicet ex parte circunstantiarum peccatum aggrauantium, multiloquium grauius est, quam peccatum vaniloquij, vtpote quod in multiloquio admisceat falsitatem, vel quod multiloquium perueniat ad contemptum ex consuetudine. Et secundum hoc hæc peccata se habent bene, sicut excedentia, & excessa: vt patet. Hæc secundum Alexandrum de Ales, in quæst. 43. loquens de comparatione prædictorum trium peccatorum.

Vaniloquium de se maius est quam multiloquium.

Articvlvs Secvndvs.

De sex malis effectibus multiloquij.

SEcundo consideremus multiloquij infectionem, seu operationem. Sex quippe sunt in multiloquio. Duo ex parte rationis, duo ex parte voluntatis. & duo ex parte facultatis.

Quod duos malos effectus contra rationem multiloquium operatur.

Cap. I.

PRimo quippe ex parte rationis duo sunt multiloquij effectus. Primus est amissio considerationis intimæ, secundus est amissio considerationis discretæ. Primus effectus est amissio considerationis intimæ. Vnde Gregorius 1. Qui per multiloquium exterius se spargit, vim intimæ considerationis amittit. Et inter alia, vt idem ait: valde difficile est, vt qui multa loquitur, non mentiatur: sicut & qui frequenter iurat, vt non deieret, vel peieret. Et Prouerbiorum 26. *Os lubricum operatur ruinam.* Et capite 13. iterum ait: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*, scilicet vel temporalia, vel corporalia: aut spiritualia, seu æterna. Et Ecclesiasticus 20. inquit: *Qui multis*, id est superfluis *vtitur verbis, lædet animam suam*, scilicet aliquo genere peccati. Et Ecclesiasticus 10. capite ait: *Stultus verba multiplicat.* Et Prouerbiorum 17. capite *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* Secundus effectus est amissio considerationis discretæ. Perdit enim homo sensum, atque rationem ex parte rei considerandæ: vnde Prouerbiorum 14. ait: Vbi sunt plurima verba, ibi frequenter egestas. Quod exponens Gregorius ait: cum multiplicitas in sermone deprehenditur, & non vitatur, proculdubio intelligentiæ grauitas in sensu elongatur. Et Seneca inquit: Quod sentimus, loquamur: & quod loquimur, sentiamus. Et iterum ait: Ad summam perfectionis tardiloquum, tardiloquum, & breuiloquum te esse iubeo. Iterum idem in 40. epistolis ait. Quemadmodum sapienti viro incessus modestior conuenit, ita oratio compressa, non audax. Et subdit: Summa Summarum hæc est, tardiloquum te esse iubeo.

1. effectus amissio considerationis intima.
Prou. 26.
Prou. 13.
Ecclesi. 20.
Ecclesi. 10.
Prou. 17.
2. effectus amissio considerationis discreta.
Prou. 14.

De dupliti modo effectus ex parte voluntatis.

Cap. II.

Multiloquij effectus ex parte voluntatis. *Num. 19.* *Multiloquiū voluntatem polluit.*

SEcundo autem ex parte voluntatis duo sunt alij multiloquij effectus. Primus est voluntatis pollutio, secundus est peccati multiplicatio. Primus igitur est voluntatis pollutio, id est immunditia voluntatis in actu peccati. In huius mysterium, Numeri 19. præcepit Dominus, dicens: *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Vbi Gregorius ait. Tegmen operculi, vel ligatura est censura disciplinæ, qua quisque non premitur: quasi vas pollutum immundumque reprobatur. Hoc operculum postulabat Propheta, dicens. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis.* Et quid per operculum & custodiam, nisi illuminata ratio designatur? quę gubernare, & regi debet in homine lingua carnis. Merito ergo Ecclesia. 23. capite ait: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum: vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Secundus effectus multiloquij est peccati multiplicatio, id est ad deteriora descensus: proinde Gregorius ait. Isti sunt casus culpæ crescentis: vt lingua cum non restringitur, nequaquam vbi cecidit iacet: sed semper ad deteriora descendit: vnde merito in 9. cap. Ecclesiast. ait: *Terribilis in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Et Hugo in 2. lib. de anima, inquit, Lingua dicitur, quia lingit adulando: mordet detrahendo, occidit mentiendo: ligat & ligari non potest: sed labitur, & fallitur: labitur vt anguilla, penetrat vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos: blanda est & subdola, & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala: qui custodit linguam suam à multiloquio, maliloquio, turpiloquio, vaniloquio, stultiloquio, custodit animam suam: *quoniam mors, & vita in potestate linguæ.* Hæc illæ.

Psalm. 140. *Multiloquiū peccatū multiplicat.* *Prou. 18.*

Quod difficile est perfectis, & imperfectis vitare peccata linguæ.

Cap. III.

TErtio etiam ex parte facultatis duos habet effectus. Nam difficile est vitare multiloquium, & vaniloquium secundum humanam fragilitatem imperfectis, atque perfectis. Aduertendum tamen est, quod humana fragilitas duos continet in se status. Primus est imperfectorum, & in eis est possibilitas vitandi: sed possibilitas illa non est disposita ad vitandum: sed magis est prona ad non vitandum. Et hoc modo intelligi debet glossa super illud Iac. 3. c. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Vbi glossa ait: Cuius offensionem humana potest vitare fragilitas, vt est verbum doli, detractionis, iactantiæ: sed etiam superfluæ, & otiosæ locutionis. Secundus status est perfectorum, & in eis est possibilitas disposita ad vitandum secundum dicta verba: sed quia non est vsquequaque completa, ideo dicitur quod difficile est vitare perfectis. Et hoc modo debet intelligi glossa super illud Iac. 3. *Lingua nostra ignis est*: vbi glossa ait, Cum fere sit impossibile vitare peccatum hoc etiam à perfectis: cum autem potentia est completa ex gratia speciali, tunc dicitur beatus, seu perfectus perfectione sufficienti. Et de hoc dicitur, quod Iac. 3. ait: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Et illud Eccles. 14. c. *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Hoc secundum Alex. de Ales, in 2. q. 42. artic.

Iac. 3. *Iac. 3.* *Eccles. 14.*

Articulus Tertius.

Quod peccatum multiloquij, & alia peccata linguæ refrænentur.

TErtio consideremus multiloquij, reformationem & emendationem. Potest enim homo à multiloquio, & ab omni vitio linguæ se emendare, si diligenter consideret tria. Primo linguæ formationem, secundo linguæ locationem, tertio linguæ discretionem.

Ab omni vitio linguæ potest homo se emendare si tria consideret.

Quod per septem, quæ considerantur in forma linguæ, possunt eius vitia emendari.

Cap. I.

1. considerāda linguæ formatio:

PRimo consideremus linguæ formationem. Primo enim est colore ignea, secundo est carnea, tertio est delicata, quarto latior est quam grossa, quinto longior est quam lata, sexto superius libera, & inferius ligata, septimo autem inferiùs breuis est, superius est longa. Primo enim lingua colore est ignea vt mystice demonstretur quod homo loqui debet, cum charitate, de charitate, propter charitatem, Primo enim loqui debet homo cum charitate: sin autem absque fructu salutis æternæ loquitur homo, Corint. 13. cap. Apostolus ait, *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Secundò loqui debet de charitate, scilicet Dei & proximi. Dulcis sermo, & omni acceptione dignus, loqui de charitate, quod maxime conuenit dilectoribus charitatis: vt flammigero corde, flammigera lingua, flammigera verba depromat: vt inde corda audientium inflammentur, exemplo duorum discipulorum euntium in Emaus, qui Luc. 24. capit. de se dicebat: *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via, & aperiret scripturas*: scilicet de diuina charitate loquentes. Tertio loqui debet propter charitatem, exemplo Apostolorum, qui Actuum 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*: vt dum intus erant corda flammantia, linguis, & verbis ardentibus legem igneam omnibus prædicarent. Secundo vero lingua est carnea tantum absque osse, vt aperte clarescat quod homo loqui debet cum tractabilitate, & humilitate, sicut Prouerbiorum 25. scriptum est: *Lingua mollis confringet duritiam* Tertio autem est delicata: vt inde instruatur homo, quod loqui debet cum benignitate, iuxta illud Ecclesiast. 6. *Lingua eucharis*, id est bonæ gratiæ, *in bono homine abundabit*. Et 40. cap. iterum ait: *Tibiæ & Psalterium suauem faciunt melodiam: & super vtraque lingua suauis.* Quarto latior est, quam grossa; vt inde discat homo loqui apertè, & clarè, non sophisticè, & obscurè secundum Domini documenta, qui Matt. 5. c. ait: *Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius, à malo est.* Sermo enim rectitudinem naturalem, & puritatem sinceram seruans, omnibus gratissimus est, sicut Prouerb. 15. cap. scriptum est: *Sermo purus pulcherrimus est* Quinto longior est, quam lata: vt mystice innuatur, quod homo longitudinem firmitatis in verbis, & in promissis longius seruet, quam late promittat. Proinde Eccles. 5. c. nos admonet spiritus veritatis, dicens: *Non ventiles te in omnem ventum, & ne eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur*: id est sic probatur, quod sit peccator in dupleci lingua, id est in lata promissione, & breui obseruatione. E subditur: *Esto firmus in via Domini.* Sexto superius est

Loquatur homo cum charitate. *1. Cor. 13.* *Loquatur homo de charitate.* *Luc. 24.* *Loquatur homo propter charitatem.* *Act. 2.* *Loquatur homo cum humilitate.* *Prou. 25.* *Loquatur homo benigne.* *Minus promittendum quam adimplendum.* *Eccles. 5.*

est libera, inferius ligata, ad innuendum, quod humanus sermo debet liber esse ad loquendum de Deo, atque proximo, necnon de superioribus, & æternis: sed arctatus, atque ligatus esse ad loquendum de transitoriis, & terrenis: vt iam imitemur eos, qui in *Psalm. 83.* cœlis habitant. De quibus Propheta ait: *Beati qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Septimo inferius breuis, superius longa: vt continue clamet peregrinationis vitæ præsentis breuitatem, atque mansionis futuræ æternitatem, iuxta *Hebr. 13.* illud, quod 13. cap. Hebræ. Apostolus ait: *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

Quod si considerentur septem circa linguæ locationem, poterunt eius vitia refrænari.

Cap. II.

SEcundo poterit homo à vitiis linguæ se emendare, si consideret linguæ locationem. Nam primo in corde radicatur, secundo vnica sola datur, tertio in ore, quasi in ardenti clibano collocatur, quarto in alto loco, quinto sub rebus sensibilibus, sexto in loco humido, septimo clausa, & quasi in carceris loco. Primo quidem lingua radicatur in corde: vt consideret homo, quod loqui debet, quod sentit in corde suo, si vtile est, aut si veritas non est, vtilius tacere, & nunquam mentiri, quasi natura ipsa humana clamet cum corde, vnitatem esse debere in corde, & ore: vt sicut vnicum cor, sic sit vnica lingua. Sunt profecto tria hominum genera. Quidam enim habent tantum vnicam linguam, alij vero sunt bilingues, tertij autem sunt trilingues. Primo vnicam tantum linguam habet vir iustus, sicut de eo *Quidam bilingues alij trilingues. Psalm. 14.* Propheta inquit: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Licet veritatem pro vtilitate, quandoque tacere. Secundi autem sunt bilingues, sicut illi qui aliud habent in corde, aliud *Psal. 27.* loquuntur in ore. De quibus etiam Propheta ait: *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Primum est bonum in ore, secundum *Qui sint trilingues.* malum in corde. Tertij autem sunt trilingues qui vnum habent in corde, aliud in ore, & aliud in palliatione, scilicet malum sub apparentia, & pallio boni. Hi sunt homines infernales, diaboli sequaces, atque ei conformes. Trifulca enim diaboli decepit Euam. Nam Genes. 3. accessit ad eam corde impio, id est intentione fallendi. Hæc extitit prima lingua. Secundo mendacium locutus est, dicens: *Nequaquam moriemini*: hæc fuit secunda lingua. Tertio palliauit mendacium suum sub velamento boni, cum subdidit: *Et eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Et hæc extitit tertia lingua. Has tres linguas communicat diabolus pessimis dæmonibus, qui omnibus vitiis veneniant, & inficiunt vniuersum mundum. Proinde Eccl. 28. c. de talibus ait: *Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem: ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effudit, virtutes populorum concidit, & gentes dissoluit.* Lingua tertia mulieres viratas, vel veritas eiecit, & priuauit illas laboribus suis, qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. De his etiam tribus linguis simul Propheta ait: *Labia dolosa.* Hæc est tertia lingua *Psalm. 12.* in corde. Hæc est secunda, *& corde locuti sunt.* Hæc est prima lingua. Secundo autem homini sola vnica lingua datur, cum dederit ei Deus duas aures, duos oculos, duas nares, duas manus, duos pedes, cum digitis multis, & plura alia duplicata membra: vt discat anima rationalis plura audire, quam loqui, plura bona opera operari, plura videre, & odorari, & similia. Nam etiam Seneca inquit:

Cur Deus vnicam linguam dedit homini cum duas aures dederit.

Auribus frequentius, quam lingua vtere. Et iterum, in hoc incumbe, vt libentius audias quam loquaris. De hoc patet exemplum Beatæ Virginis, de qua non legitur in Euangeliis, quod locuta fuerit, nisi septem vicibus: & in illis quasi septem amores flammeos eructauit, secundum quod dictum est in tractatu de Beata Virgine, per totum, sermone 9. Tertio autem lingua in ore quasi in ardenti clibano collocatur. In ore enim, sicut in clibano, supra est cœlum, & subtus est terra: vt per hoc intelligi detur, quod quilibet sermo noster, siue de cœlestibus, siue de transitoriis, & terrenis sit, feruere, atque ardere debet, quasi de fornace ardentius charitatis verba egrediantur. Vt non immerito tali homini dici possit Propheticum illud: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* De Helia quoque *Psal. 118.* Ecclesiast. 48. cap. scriptum est: *Surrexit Helias quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.* Apo- *Eccles. 48.* stolis quoque in linguis igneis apparuit spiritus ardens: vt clarescerет euidenter, quod linguæ eorum amoris igne mundum vniuersum incendentes in fornace oris eorum ardebant. Quarto humana lingua sita in alto loco, vt quod nobilissimum membrum est, ponat in qualicunque spurcitia inquinare, ne fiat similis porco homo rationalis, qui os potius, atque prius ponit in stercore, quam ipsum pedem. Merito ergo Mat. *Matth. 15.* 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Quodcunque enim peccatum ore fiat, oris inquinatio est. Nulla quippe spurcitia maior est, quam spurcitia culpæ. Peccatum siquidem oris, nihil aliud est, quam quædam excreatio diaboli, ac quoddam sputum eius, quod spuit in os male loquentis. Hæc ipsa lingua sub tribus corporis sensibus collocatur, videlicet sub auribus, sub oculis, sub naribus. Primo sub auribus: vt consideret prudens homo cum loquitur, quod in audiente potest esse auris dextra, & sinistra. Dextra auris, beneuoli sunt. Proinde taliter loquendum est, quod non scandalizentur talea. Nam vt dicitur Sap. 1. c. *Qui loquitur* *Sap. 1.* *iniqua, non potest latêre.* Auris vero sinistra sunt maliuoli, inuidi, & maligni: aures erigentes, dum homo loquitur auidè expectantes aliquid carpere ex ore eius, sicut etiam Sap 1. scriptum est, *Auris zeli au-* *Sap. 1.* *dit omnia.* Ex hoc patet, quod os nostrum auribus audientium subrectum est. propterea debemus prudenter loqui. Nam Prou. 16. scriptum est: *Cor sapien-* *Prou. 16.* *tis erudit os eius, & in labiis illius addit gratiam.* Et Eccl. *Eccles. 10.* 10. iterum dictum est: *Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum, initium verborum eius stultitia, nouissimum oris illius pessimus error.* Secundo est lingua sub oculis: vt cautus fiat homo non loqui de vitio, vel virtute. Ecce duo oculi antequam intelligat quid loquatur, vel ne antequam nouerit veritatem laudet, vel vituperet quemquam: quod maxime de vituperio seruandum est. Proinde Eccles. 11. cap: scriptum est: *Priusquam in-* *Eccles. 11.* *terroges, non vituperes quemquam, & cum interrogaueris, corripe iuste.* Tertio lingua sub naribus sita est, ex quibus de capite humores fluunt, & inde cerebrum expurgatur: vt ex hoc insinuetur, quod homo sæpius ab humore duarum narium expurgare se debet, hoc est frequentius confiteri peccata omissionis, & commissionis, exemplo Dauid, qui de *Psal. 31.* se ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* Ecce quod per confessionem omissorum, & commissorum, Propheta sibi abstergebat nasum, antequam loquatur, cum humores fluunt ad os ex naribus eius: vt merito indicetur, quod antequam proximi nostri lingua nostra vitia corrigamus, nosipsos à nostris criminibus emendemus, ne nobis dicatur: Amice

Matth. 7.

abſterge tibi naſum, juxta illud, quod Matth. 7. ſcriptum eſt: *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.* Sexto etiam lingua in loco humido collocatur: vt ex parte noſtra oſtendatur lubricam eſſe linguam, propterea de facili labitur in peccatum. Triplici quippe humore humectari ſolet humana lingua. Primò à phlegmate à capite deſcendente, ſecundò à ſputo à pectore concurrente, tertiò à ſaliua de ſtomacho aſcendente: vt myſticè oſtendatur, quod cùm lingua humana cœleſti gratia irroratur, ad quemlibet hominum ſtatum diſcreté, & vtiliter dirigit verba ſua: vt cum Apoſtolo dicere poſſit 1. Corinth. 9. *Omnibus omnia factus ſum: vt omnes facerem ſaluos,* ſcilicet perfectos, proficientes, atque incipientes, quaſi pectus, caput & ſtomachum. Et actuum 2. cap. de Apoſtolis dictum eſt: *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritusſanctus dabat eloqui illis,* qui diſpenſabat in eis ſermonem ſecundum auditorum diuerſitatem. Septimò autem lingua clauſa, & quaſi in loco carceris poſita eſt. Circundatur enim, atque munitur duobus muris: videlicet à dentibus: qui ſunt quaſi murus propugnaculis oſſium præmunitus: & à labiis ignei coloris, qui ſunt quaſi antemurale linguæ, cum cæteri ſenſus in aperto ſint omnes. Quod maxime propter tria à Domino factum eſt. Primo propter ſanctitatem, ſecundo propter fragilitatem, tertio propter malignitatem.

Triplici humore humectatur humana lingua.

Act. 2.

Cur tot circundatur lingua.

De linguæ bonitate.

CAP. III.

Pretioſa eſt humana lingua.

PRimo propter ſanctitatem, vel bonitatem. Res ſiquidem pretioſis diligenter claudi, & cuſtodiri ſolet. Magna profecto eſt pretioſitas humanæ linguæ, cum in humano corpore humanæ rationis ſit inſtrumentum. Vnde in bonum propter tria maxime ſic munita eſt. Primo propter laudem Dei, ſecundo propter ſalutem ſui, tertio propter ædificationem proximi. Primo propter laudem Dei, quod quidem officium magnam ſanctitatem acquirit in ipſa lingua. Nam, vt Eccleſiaſt. 15. cap. atteſtatur: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris:* Secundo propter ſalutem ſui. Nam cum lingua ſit tenuis, & lata, aptiſſima eſt ad euacuandam malitiam cordis. Vnde data eſt homini: vt ſcilicet poſſit per confeſſionem purgare peccata ſua, & aſſumere ſanctiſſimum ſacramentum. O quantum ſacrilegium putaretur, & eſſet cum quis in calice in quo ſumitur Chriſti ſanguis. & corpus, putridum lutum poneret, & immundum. Quam grauiter igitur peccat, qui linguam ſuam in qua Chriſti corpus aſſumit, tot mendaciis, detractionibus, murmurationibus, blaſphemiis, & conſimilibus iniquitatibus coinquinat. Tertio propter ædificationem proximi. Nam ſicut Hebræ. 11. cap. Apoſtolus atteſtatur: *Sine fide impoſſibile eſt Deo placere:* ſed vt ad Romanos 10. idem ait: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti,* ſcilicet prædicatum, ſeu in conſiliis, & in correptionibus, atque modis aliis ad ædificationem proximi pronunciatum. Talia ſalutifera verba, ſunt verba ſacra, & quædam reliquiæ Dei, quod probant miracula, quæ per illa quotidie fiunt. Nam per ea, vt dicitur, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus qui non fuerit ſcandalizatus in verbo Dei. Quia igitur ad hæc tria, quæ nunc dicta ſunt, lingua noſtra nobis donata eſt, quaſi amplius quam cætera membra diuinis obſequiis mancipata. Propterea dignum eſt: vt illi qui nobis cætera membra dedit, ſaltem hæc ſola, ſcilicet lingua innocua reſeruetur.

Eccleſ. 15.

Cur homini data eſt lingua.

Hebr. 11.

Rom. 10.

De linguæ pronitate atque fragilitate.

CAP. IV.

Cur ita Deus linguam muniuit.

SEcundo autem ſic Deus muniuit linguam propter ſuam pronitatem, ſeu fragilitatem. Eſt enim membrum proniſſimum omni malo, quod tria manifeſte oſtendunt. Primo natura, ſecundo ſcriptura, tertio gratia. Primo enim hoc oſtendit natura, cum in lubrico, id eſt in humido poſita ſit. Sed ad hanc lubricitatem refrænandam etiam ipſa natura remedium ordinauit. Nam cum cætera membra, ſicut manus, & pedes, oculi, aures, & nares, & plura alia membra in patulo facta ſint: lingua tamen ab ipſa natura propter ſuam pronitatem, & feritatem, quaſi quidam crudelis, & ſtultus, in carcere oris tam arcte recluſa eſt. Secundo hoc idem oſtendit ſcriptura, ſcilicet ſacra. Vnde Iacob. 3. capite ait, *Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum, & cæterorum animalium, domatur & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt.* Et addit. *Eſt enim inquietum malum plena veneno mortifero.* Et in eodem capite etiam ait: *Lingua noſtra, ignis eſt: vniuerſitas iniquitatis.* Vbi gloſſa ait: Vniuerſitas; quia per eam fere cuncta facinora, aut concreantur, vt latrocinia, ſtupra; aut patrantur, vt periuria, falſa teſtimonia; aut defenſantur: vt cum quilibet impius ſcelus excuſat, quod commiſit. Merito ergo Eccleſiaſticus 14. capite ait: *Beatus qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo.* Tertio quoque hoc idem oſtendit gratia. Ex hoc enim Spiritusſanctus potius apparuit in igneis linguis, quam in igneis manibus, atque in igneis oculis, vel aliis membris: vt aperte clareſceret, quod membrum illud propter guſtum vetiti cibi, maxime inflammatum erat diabolico igne: proinde neceſſarium erat, quod igne diuino inflammaretur, & adureretur. In huiuſmodi enim pronitatis myſterium, in ore puerorum qui baptizantur, ponitur ſal, ad innuendum, quod membrum illud de facili putreſcit, & multis vermibus ſcaturit vitiorum.

Iacob. 3.

Ibidem.

Lingua peruerſitas iniquitatis.

De linguæ malignitate.

CAP. V.

De linguæ malignitate.

TErtio inſuper ſic muniuit Deus humanam linguam propter ſuam malignitatem. Maligniſſimum ſiquidem membrum eſt: dum nocet. Proinde Beatus Iacobus ignem vocat, vbi ſupra. Ignis enim ad deſtructionem potior eſt omnibus aliis elementis, quod clarius inſinuans eodem capite ait, *quod lingua inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna.* Rota enim natiuitatis noſtræ curſus vocatur præſentis vitæ: quam linguam inflammat gehenna, id eſt ſuggeſtio diabolica ſecundum gloſſam interlinearem. Quanta autem ſit malignitas linguæ, clareſcere poteſt, ſi hæc tria de lingua maligna conſideremus. Primo, quibus nocet: ſecundo, quantum nocet, tertio, quot modis nocet. Quibus lingua nocet. Primo, ſi conſideremus, quibus nocet. Tribus enim nocina eſt. Primo loquenti, ſecundo audienti, tertio patienti, ſeu impatienti. Primo enim nocet loquenti, & hoc tripliciter: primo reſpectu Dei, ſecundo reſpectu ſui, tertio reſpectu proximi. Primo quidem reſpectu Dei: quia gratiam Dei ab anima tollit. Vnde Ber. ait: Leuis eſt ſermo, ſed grauiter vulnerat. Secundo reſpectu ſui: qui bonam famam amittit. Vnde Eccleſ. 5. *Honor, & gloria in ſermone ſenſati: Lingua imprudentis ſubuerſio eſt ipſius.* Tertio reſpectu proximi: quia gratiam hominum tollit. Vnde Eccleſiaſticus 20. cap. *Sapiens in verbis ſeipſum amabilem facit,*

Iacob. 3.

Lingua tribus eſt nocina.

Primo loquenti, & hoc tripliciter.

Primo.

Secundo.

Eccleſ. 5.

Tertio.

Eccleſ. 20.

Secundo nocet audienti.

fauit, gratia autem fatuorum effundentur. Secundo nocet audienti, qnia mentem eius inficit, & corrumpit, atque scandalizat, scilicet mendaciis, adnlationibus, consiliis, & fossionibus prauis, seminatione discordiarum, diffamationibus, turpiloquiis, murmurationibua, periuriis, detractionibus, blasphemis, & sermonibus aliis contagiosis. De quibus omnibus 1. Corinth. 15. Apostolna ait: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.*

1. Cor. 15. Tertio nocet patienti.

Tertio nocet patienti, vel vt verius dicam, impatienti. Nulla siquidem bestia, vel fera pessima, tantum hominibus nocet, qoam lingua maligna. Sæpe profectò plus nocet lingua alicuins peruersi consiliarij, & suggestoris iniqui ad vnios patriæ destructionem, vel etiam regni, quam facerent mille lupi, laones, & vrsi. Quantum sæpe noceat seminarium vnios discordiæ, vnius infamiæ, vnius detractionis impiæ, & iniquæ, patet per supradicta de triplici lingua circa principium præsentis capituli. Quantum lingua nocet. Secundò considerandum est, quantum lingua maligna noceat.

In tribus nocere solet. 1. in temporalibus.

In tribus quidam nocera soler, videlicet in tēporalibus, in corporalibus, in spiritualibus. Primo nocet in temporalibus. Quis exprimere posset, quanta mala temporalia infert lingua maliloqua? Patet, vt breuiter transeam, per Ecclesiasticum 28. cap. sicut prædictum est, de triplici lingua in principio huius capituli.

2. in corporalibus.

Secondo nocet in corporalibus. Quot, quæso, homines per violeotam mortem pereunt ex accusationibus falsia, ea infamiis datis, ex mendaciis inuentis, ex detractionibus stultis, ex dinisionibus nequissimis, ex partialitatum vocabulis, ex discordiis fatuis, proditionibus diabolicis, contumeliis temerariis, & consimilibus verbis?

3. in spiritualibus.

Tertio nocet in spiritualibus. O quot animæ male loquentium, male audientium, male credentium, & eos tangantium propter linguam æternaliter pereunt, quis exprimere posset? Proinde Ecclesiast. 28. cap. ait: *Flagelli plaga liuorem fecit, plaga autem linguæ comminuet ossa*, id est virtutes animæ fortes. Et subdit: *Multi ceciderunt in ore gladij*: sed non sic quasi qui interierunt per linguam. Et vt omnia prædicta mala temporalia, & corporalia, & spiritualia, quæ ex mala oriuntur lingua, Beatus Iac. 3. cap. comprehendat, ait: *In lingua est vniuersitas iniquitatis.*

Ecclef. 28. Iacob. 3.

Quot modis lingua noceat.

Quot modis lingua nocet. Nocet enim occulte, manifeste, de prope, de longe. Primo enim nocet, quandoque occulte: ideo serpenti assimilatur talis nocens, sicut Propheta ait: *Acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Et Ecclesiast. 10. cap. iterum ait. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* O quantum occulte nocent susurrones, atque bilinguea, cum proditorie noceant. Proinde proditores maledicti sunt. Vnde Ecclesiast. cap. 28. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes* Secundo nocet manifeste, vt puta in comminationibus, in irrisionibns, in contentionibus, & modis similibus manifestis. De quibus Propheta ait, *Ecce loquuntur in ore suo & gladius in labiis eorum quoniam quis audiuit.* Tertio nocet de prope: propterea talis lingua gladio, qui de prope lædit, assimilatur. Vnde Propheta ait: *Exacuerunt vt gladium linguas suas.* Et iterum: *Lingua eorum gladius acutus.* Quarto nocet de longe, id est his, qui in longinquis partibus commorantur. Proinde lingua talinm sagittæ assimilatur, quæ à longe vulnerat. Vnde Hierem. 9. cap. scriptum est: *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Et paulo ante eodem c. ait: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis.* Quamque velociter lædant, ostendit Beatus Bernard. exponens Propheticū illud: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem:* vbi ait, Vtique tā veloces, quàm velociter currit sermo, vnus est qui loquitur,

Psalm. 139. Eccles. 10. Susurro maxime obest. Eccles. 28. Psal. 58. Psalm. 63. Hier. 9. Psal. 13.

& vnum tantum verbum profert: & tamen vnum verbum vno momento multitudinis audientium aures inficit, & animas interficit.

De septem circunstantiis, quæ seruari debent, vt homo bene, atque discrete loquatur.

Cap. V.

Tertio considerandа est discretio linguæ. Septem discretiones. Eccles. 28.

TErtio poterit homo se à linguæ vitiis elongare, si consideret linguæ discretionem. Septem profectò discretiones obseruandæ sunt cuilibet, qui prudenter, & discretè desiderat loqui, iuxta quod Ecclesf. 28. c. admonet, dicens: *Verbis tuis facito stateram.* Prima discretio est, quare homo loquatur: secunda, quis loquatur, tertia quid loquatur: quarta, quibus loquatur: quinta, quando loquatur: sexta, qnomodo loquatur, septima, quantum loquatur. Nam teste Hieron. In pondere verborum probatio existit humanæ vitæ.

Prima. Quare homo loquatur. Eccles. 5.

Prima discretio est, quare homo loquatur. Porro antequam homo incipiat loqui, examinare se debet, qua de causa, seu intentione ad loquendum mouetur. Si mouetur odio, vel amore: si propter honorem Dei, vel amorem proximi, seu amorem sui. Si pro vtilitate tēporali, aut corporali, seu spirituali. Si pro delectabili, vtili, vel honesto, cum Ecclesf. cap. scriptum sit? *Ne temere quid loquaris, ne cor tuum sit velox ad proferendum sermonem.* Hoc est pondera diligenter, si iuste rectéque ex sufficienti causa mouearis. Nam, vt Prouerb. 13. cap. scriptum est: *Qui consideratus est ad loquendum, sentiet mala.*

Prou. 13. Secunda quis loquatur.

Secunda discretio est considerare, quis loquatur. Sunt quippe varij status, qui varie in loquendo considerandi sunt. Alius iuuenis, alius senex: alius doctus, alius indoctus: alius Dominus, alius seruus, alius religiosus, alius sæcularis, alius expertus, alius inexpertus, alius magnæ famæ, alius infamis, & sic de singulis. Nam decet vnum magis tacere, quam loqui, & alterum è conuerso. Proinde Ecclesf. 32. cap. ait: *Loquere maior natu, decet enim te primum verbum.* Et subdit, *Adolescens, loquere in tua causa vix cum necesse fuerit: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius? & audi tacens simul, & quærens, in medio magnatorum loqui ne præsumas: & vbi sunt senes, non multum loquaris.* Et sic secundum diuersitatem statuum obseruandum est.

Eccles. 32.

Tertia quid homo loquatur.

Tertia discretio est considerare, quid homo loquatur, scilicet veritatem, quæ ad rem pertinet: si sit ad vtilitatem diuini honoris, seu sui, siue proximi. Exemplo illius, qui Isa. 5. ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam: vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.*

Quarta.

Quarta etiam discretio est considerare, quibus homo loquatur. Nam vt Gregor. ait, secundum capacitatem auditorum formandus est sermo doctorum, similiter & locutorum. Et iterum super Exech. ait, Obsecro disce qualiter vnumquemque alloqui debeas quem corrigi vis & noli in parte ista ambulare in sensu tuo, immo in furore tuo. Et Ecclesf. 20. etiam ait: *Sapiens in verbis producet seipsum*, id est ostendet discretionem suam. Et addit. *Et homo prudens placebit magnatibus* scilicet quia prudenter & discrete loquetur secundum audientium diuersitatem.

Eccles. 20.

Quinta. Eccles. 3. Eccles. 20. Prou. 25. Eccles. 20.

Quinta discretio est considerare quando loquendum est. Nam secundum Ecclesf. in. 3. cap. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Et Ecclesf. 20. ait, *Est tacens sciens tempus apti temporis* Et sequitur. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Prou. quoque 25. cap. scriptum est. *Mala aurea*, id est matura in lect. hoc est in vasis argenteis, *qui loquitur verbum in tempore suo.* Et Ecclesf. 20. per contrarium dictum est. *Ex ore fatui reprobatur parabola* quia non dicit illam in tempore suo: sed vt Prouer. 15. *Sermo opportunus optimus est.* Sexta discretio est considerare

Sexta.

Triplex dicendi modus. quomodo quis loquatur. Dicunt enim qui in arte dicendi experti, quod triplex est dicendi modus, scilicet humilis, medius, & grandiloquus. Cum magna dicimus, granditer referenda sunt. Cum mediocria temperate. Cum vero parua subtiliter. Nam in paruis causis nihil grande, nihil sublime dicendum est, sed leni ac pedestri more loquendum. In temperatis autem causis, vbi nihil agitur vt angat, sed tantummodo vt delectetur auditor inter humilem & grandem incedendum est. In causis autem maioribus, vbi de Deo vel hominum salute tractimus, plus magnificentiæ & fulgoris est exhibendum. Sed quamuis de magnis rebus quisque dicat non semper grandius dicere debet, sed submisse vt decet. Temperate cum aliquid laudat, vel vituperat. Granditer cum ad conuersionem auersos animos prouocat: vtenda tamen verba in submisso genere sufficientia non tamen quod dicens capiat etiam ad occidendam muscam & securim ad confringendum ouum. In temperato vtenda sunt verba splendida: in grandi vero vehementia. Hæc secundum Isid. secundo ethimol. Sed in omnibus his. *Hominis est praeparare: domini est gubernare linguam.* Vt Prou. 16.

Septima. Salomon ait. Septima discretio quod consideret homo quantum debeat loqui: vt neque amplius, nec minus quod dictet ratio loquatur: sed communiter maius vitium coptositas, quam breuitas reputanda

Prou. 25. est. Proinde Prouer. 25. cap. scriptum est. *Sicut vrbs patens absque murorum ambitu: ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* In huius mysterium

Leui 15. Leui 15. c. scriptum est. *Vir qui patitur fluxum seminis immundus erit.*

DOMINICA XXIV. Post Pentecosten.

SYNOPSIS.

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Quis est de variis iudiciis & tormentis inflictis peccatoribus in aduentu iusti iudicis Christi Domini, quique continet tres articulos, quorum vnusquisque tria habet capita.

Articuli primi, quod contra carnales homines triplex exercet officium Christus.

Cap. 1. *Quomodo secreta cordis cognoscit Christus.*

Cap. 2. *Quod peccata cordium loco & tempore Christus manifestat.*

Cap. 3. *Quod terribiliter comminat carnalibus Christus Dominus.*

Art. 2. de tribus flagellis peccatoribus & maxime carnalibus à Deo temporaliter datis.

Cap. 1. *Quomodo Christus flagellat homines carnales per infirmitates & maxime per pestilentias.*

Cap. 2. *Quod carnales sæpe per pestes flagellat & occidit Deus.*

Cap. 3. *De æterna damnatione carnalium hominum & peccatorum,*

Articuli tertij, De æternis suppliciis carnalibus peccatoribus datis,

Cap. 1. *Quod in inferno carnalibus peccatoribus cruciatus desperabiles dantur.*

Cap. 2. *Quod in inferno carnales patientur horribiles cruciatus.*

Cap. 3. *Quod cruciatus carnalium peccatorum in inferno interminabiles erunt.*

DE VARIIS IVDICIIS, ET TORmentis inflictis peccatoribus in aduentu, iusti iudicis Iesu Christi.

Sermo XXI.

NON præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Apoc. 14. capit. scriptum est. *Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem. Et clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit Angelus falcem suam in terram, & vindemiauit vineam terræ. & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Matth. 24. Apoc. 14.

In quibus sacratis verbis tria genera tormentorum describuntur peccatoribus, & potissime carnalibus præparata. Primo tormenta corporalia, secundo tormenta temporalia, tertio tormenta æternalia: & de his in Psal. 76. per ordinem scriptum est. *Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.* Ecce tormenta corporalia: secundo subiungit, *transeunt.* Ecce tormenta temporalia: tertio vero addit, *vox tonitrui tui in rota.* Ecce tormenta æternalia. Et potest esse thema in præsenti materia. Tria genera tormentorum

ARTICVLVS PRIMVS,

Quod contra carnales homines triplex officium exercet Christus.

PRimum genus tormentorum sunt tormenta corporalia, & de his, Propheta ad Deum inquit, *Etenim sagittæ tuæ.* Sagittæ quippe Domini sunt 7. naturalia tormenta, quæ in primis parentibus propter peccatum infixæ sunt, scilicet fames, sitis, æstas, lassitudo, infirmitas, atque mors. Et de his alibi Propheta inquit, *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Nec tamen ait fixæ, sed infixæ: vt mystice exprimatur, quod propter naturam in Adam corruptam ad quemlibet hominem transierunt. Proinde Iob. 6. cap. ait: *Verba mea dolore sunt plena: quia sagittæ Domini in me sunt.* Hæ sagittæ quanto homines carnaliores sunt, tanto eis sunt penetrabiliores & grauiores: & maxime si in viriis delectantur, & de virtutibus glorientur. Nam hæc duo efficiunt; vt hæ sagittæ, & omnes aduersitates omnino intolerabiles videantur. Contra hos carnales homines triplex officium habet Christus. Primum est officium cognoscendi, secundum est officium manifestandi, tertium est officium comminandi. Et hæc tria officia ostendit Ioan. habere Christum in principio huius textus. Tormenta corporalia. Septem naturalia tormenta. Iob. 6.

Quomodo secreta cordis cognoscit Christus.

CAP. I.

PRimo habet Christus officium cognoscendi: & de hoc Ioan. ait, *Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem.* Quid per hunc Angelum, nisi Christus qui per totam Apocalypsim in alteritate tot Angelorum describitur, quot sunt officia eius siue effectus gratiæ suæ: In quantum igitur paterna secreta hominibus nunciat, Angelus, id est nuncius nominatur. Sed quia ipse Christus idem est in natura, & alter in officio est: ideo Ioan. alium Angelum eum vocat. De altari autem exiuit, quia mentis secreta scrutatus est. Per Angelum Christus designatur.

est. Templum siquidem mens est humana, iuxta illud Apost. 1. Cor. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Huius templi altare est humana voluntas, quasi alta res: quia profecto alta res est humana voluntas.

Voluntas altare templi Dei.

Porro tam alta, quod neque dæmones, neque homines, nec insuper omnes cœlestes Angeli, aut qualibet alia creatura eius possent infringere volatum. Propterea sicut altare continetur à templo, & ab eo vndique circundatur: sic voluntas à mente, quæ per ipsam continetur & prouidetur. Nullius siquidem operis munus Deo potest esse acceptum, nisi offeratur super voluntatis altare.

Ecclesi. 35.

Proinde Ecclesiast. 35. cap. ait. *Oblatio iusti impinguat altare*, id est voluntas iusta, deuota efficitur ex opere bono. *Et odor suauitatis est in conspectu altissimi*, scilicet quod bonum opus procedat ex voluntate iusti.

Leuit. 6.

Vnde sicut Leuit. 6. præcepit Deus dicens, *Ignis in altari semper ardebit.* Sic in voluntate humana Dei amor semper ardere debet. Sed quia in cordibus nostris huius amoris propagator est Christus, ideo Ioann. subdit, *qui habebat potestatem super ignem.* Hic quidem est ille

Luc. 12.

ignis de quo Luc. 12. ipse Dominus ait. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt ardeat?* Angelus ergo iste in altari voluntatis tunc præsens est, cum illius secreta intrinseca perscrutatur, sicut

Hebr. 4.

testatur Apost. 4. c. ad Hebræos, cum ait: *Discretor est cogitationum, & intentionum cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Sed tunc de altari Angelus iste egreditur, cum secreta voluntatis humanæ per incomprehensibile iudicium eius manifestare intendit.

Quod peccata cordium loco, & tempore Christus manifestat.

Cap I.

Secundo vero habet Christus officium manifestandi, scil. tempore suo omnium peccata, & maxime carnalium hominum, etiam si occulte fiant,

Matt 10.

iuxta illud Matth. 10. *Nihil enim est opertum quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur.* Et de hoc subditur, *Et clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam.* Secundum enim quod Christus diuinam voluntatem in secreto mentis cognouerit, sic executioni sententiæ ex occultis humanarum mentium legem ponit, & manifestum reddit, quod prius occultum fuit. Et hic est clamor magnæ vocis ad alium Angelum, qui habebat falcem acutam. Sic

Matth. 25.

enim Matth. 25. scriptum est. *Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit*, scilicet ad detegendum fornicationes occultas: quod valde à carnalibus timeri solet. Porro manifestatio facta per Christum, media nocte fieri dicitur: cum eo modo peccata carnalia manifestat, quo nunquam nullus suspicatus fuerat. Sed in eius aduentu clamor fit, cum rumor infamiæ insperato modo conualescit. Hunc tamen clamorem ad alium Angelum falcem tenentem, hoc est ad seipsum facit, cum ad honorem suum omnium etiam malorum facta conuertit, & acumine iudicij sui misericordiam & iudicium carnalibus tribuit. Et de hoc subditur, *Qui habebat falcem acutam.* Quid enim per falcem acutam, nisi iudicium agendorum exprimitur? Proinde Deuteron. 23. c. prohibetur falcem mitti in alienam messem, id est temerario iudicio aliena opera iudicare. Et sicut falx in præscindendo partem incidit, partemque terræ hærentem dimittit: sic Dominus Iesus Christus, iustus, & pius nunquam iustitiam absque misericordia facit, sicut ipse per Prophetam ad Patrem ait, *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.*

Quod terribiliter comminatur carnalibus Dominus Iesus Christus.

Cap. III.

Tertio habet Christus officium comminandi. *Tertium comminandi.* Vnde subditur, *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ.* Vinea quidem terræ, studium fruendi carnalitatibus dici potest. Sicut enim *Vinea terræ desiderium voluptatum carnalium.* in vinea multæ sunt vites, sic in carnalium studio multæ sunt concupiscentes affectiones. Porro luxuriosi, & carnales homines multipliciter quærunt, quomodo concupitis delectationibus frui possint, & turpioribus etiam contra naturam, & modis indicibilibus suum diabolicum appetitum perficere satagunt. De talibus Deuter. 32. c. scriptum est. *De vinea* *Deut 32.* *Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.* Gomorrha cæcitas interpretatur: & Sodoma pecudi similes, quia huiusmodi homines in carnalibus studiis, & abominalibus excæcantur, sicut de eis dicitur per Psalmistam, *Corrupti sunt, & abominabiles* *Psal 13.* *facti sunt in stultitia sua, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Demum pecudi similes efficiuntur: quia cum pecualiter, & bestialiter viuant, muti fiunt in scelerum suorum confessione. De talibus Sap. 3. *Sap. 3.* scriptum est, *Ab iniquo thoro exterminabitur semen.* Et iterum Iob. 15. c. ait. *Lædetur quasi vinea in primo flore* *Iob. 15.* *botrus eius.* Cum enim mane floruerit vinea, superueniente frigore pereunt botri eius, qui mane florendi erumpebant: Sic fit iusto iudicio Dei, vbi cum oblito creatore suo mens tantum in carnalibus, & in filiis carnaliter dilectis oblectatur, superueniente frigore pestis, *botri*, id est filij, & vxores supra Deum dilecti *læduntur.* Et hæc est vindemia, de qua etiam subditur: *& vindemia botros vineæ terræ*, idest aufer cum maximo cruciatu à talibus omnes, quibus fruebantur delectationes. Senescunt interim huiusmodi homines carnales, & mœstitia cruciati ex amissione filiorum, quasi amentes fiunt, & sic filios, sensum & animum quasi irreuocabiliter perdunt. Et de talibus Isa. 32. scriptum est, *Consummata est enim vin-* *Isa. 32.* *demia*, scilicet omnium delectabilium, *& etiam filiorum collectio, vltra non veniet.* quod sæpe operatur, seu permittit Deus propter illorum scelerum enormitatem. De qua sub causa rationis subdit, *quoniam matura sunt vuæ eius.* Fructus quidem peccati ad hoc im- *Quandonam fructus peccati immaturus est.* maturus est, dum ad vindictam sibi habet acrimoniam pœnitentiæ de perpetratione peccati: ergo congruè fructus peccati maturus dicitur, dum peccator non solum in peccando, sed etiam post peccatum perseuerando impiè delectatur. Sed væ huic infelici sæculo nequam: quia temporibus nostris non solum maturæ sunt vuæ, sed verius dici potest, quod execrabilium fœditates marcescunt. Proinde iratus contra huiusmodi Deus iusto iudicio, & corpora eorum sæpe in hac vita duris cruciatibus afficit, atque demum eorum animas in æternum punit. Vnde Isa. 28. cap. scriptum est. *Erit flos decidens* *Isa. 28.* *gloria exultationis eorum, vel eius qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cum aspexerit videns, statim vt in manu tenuerit, deuorabit illud.* Vallis pinguium, in quam carnales homines prolabuntur, vita carnalium est, in qua quasi ex adipe iniquitas carnalium prodit. In cuius vertice sunt Gomorrhæi, cum ad tantam insaniam veniunt, quod *glorientur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis Sodomia*, vt dicitur Prouerb. 2. *Hi erunt flos gloria* *Prou. 2.* *decidens absque maturitate fructus* pœnitentiæ terminando vitam. Et fiunt tales, sicut temporanei, id est præmaturi fructus, qui in horrea minimè reconduntur, sed mox comeduntur. Quos cum per iustum

iudicium aspexerit Christus, & manu suæ discretionis tenuerit, damnationis æternæ morsu deuorabit.

Articvlvs Secvndvs,

De tribus flagellis, peccatoribus, & maxime carnalibus à Deo temporaliter datis.

Secundum genus tormentorum.

SEcundum genus tormentorum, sunt tormenta temporalia. Et de his Propheta subdit, *transeunt*: quia scilicet temporalia sunt, sed quæ futura sunt, insensibilia erunt. Tria quippe sunt flagella, peccatoribus, & maximè carnalibus data. Primum est percussionis, secundum occisionis, tertium damnationis, quæ à Ioan. per ordinem subiunguntur.

Quomodo Christus flagellat homines carnales per infirmitates, & maxime per pestilentias.

Cap. I.

Primum percussionis.

PRimum est flagellum percussionis. Et de hoc subditur à Ioan. *Et misit Angelus*, id est Christus, *falcem suam in terram*, scilicet per infirmitates, & pestes flagellando luxuriosos. Tenet profectò Christus falcem suam in manu, cum peccatores, atque carnales ad tempus miserationis suæ iudicio pie ac patienter tolerat. Interim comminationis supercilio per Psal. talibus ait. *Cum accepero tempus ego iustitias*, ne dum nequitias, *iudicabo*. Tunc vero falcem in terram mittit, cum carnales concupitis delectationibus per infirmitates priuat, atque iusto iudicio suo facit, ne amplius viuere liceat, quos semper peccare delectat, sicut de talibus. Isa. 24. cap. ait. *Ecce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius,*

Quando nam Christus falcem tenet in manu.

Isa. 24.

Quod carnales sæpe per pestes flagellat, & occidit Deus.

Cap. II.

Secundum occisionis.

SEcundum est flagellum occisionis. Et de hoc subditur, *Et vindemiauit vineam terræ*. Sicut enim Christianus populus vinea Dei intelligi potest, in qua paterfamilias conduxit operarios: ita carnales homines vinea terræ meritò dici possunt in carne florentes, atque fructificantes. Hanc quippe vineam Angelus cum falce vindemiat, cum Christus acumine iudicij sui omnia, quibus carnales frui disponebant, per mortem resecat. Vnde & multitudo eorum, qui hæc vinea sunt, dolorosa querimonia lamentantur, Thren. c.1. dicens, *Vindemiauit me, vt locutus est Dominus in die furoris sui*.

Carnales vinea terræ.

De æterna damnatione carnalium hominum, & peccatorum

Cap. III.

Tertium damnationis.

TErtium est flagellum damnationis, quo scilicet transitorium gaudium conuertetur eis in æternam pœnam, quam in inferno miserabiliter patientur. Et de hac Ioan. subdit, Et *misit in lacum iræ Dei magnum*, hoc est in infernum, qui locus est damnatorum. Sicut enim electi in cumulum gaudij sui etiam de loci claritate, & nobilitate dignè gaudere debent, sic damnati etiam de loci asperitate, & vilitate affligendi sunt, teste Propheta qui ait, *In lacu miseriæ, & in luto fœcis*, id est suarum spurcitiarum, & abominandarum voluptatum. Hic siquidem lacus dignè dicitur ira Dei, quia in eo colliguntur, qui misericordiæ ipsius tam blandienti, quam terrenti, in præsenti vita obedire contempserunt. Et illic per iram franguntur, qui hic per misericordiam flecti noluerunt. Dicitur quoque lacus magnus, non solum propter magnitudinem tormentorum, sed etiam propter multitudinem eorum, qui illic damnati præcipitantur. Vnde Isa. 24. ait, *Congregabuntur in congregatione vnius fascis in lacum*. Hæc tria mala, quæ nunc prædicta sunt, ideo transeunt, quia præsentis sæculi transitoria ante æterna mala carnales cruciando præueniunt.

Pœna carnalium infernus.

Isa. 24.

Articvlvs Tertivs,

De æternis suppliciis carnalibus peccatoribus datis.

Tertium genus tormentorum.

TErtium tormentorum genus, tormenta sunt æternalia. Et de his Propheta subdit, *Vox tonitrui tui in rota*. Sagitta quidem metam attingit, rota finem nescit: sic cum mala præsentia carnalibus terminantur, succedunt futura, quæ finem nunquam attingunt, vel pertingunt. Rota quoque quantum retro consurgit, tantum in anterioribus cadit: sic quoque carnales quantum in carnalitatibus contra Deum ascenderunt, tantum in vltimo fine profundius affligentur, iuxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum*. De hoc tormento Iub. 26. *Cum vix paruam stillam sermonis eius*, id est comminationis illius *audiuerimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* scilicet quando contra animam in puncto mortis, vel in die iudicij contra reprobos sententiam promulgabit, dicens, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Ecce vox tonitrui Dei in rota. Erunt enim cruciatus damnatorum. Primo desperabiles, secundo horribiles, tertiò interminabiles.

Apoc. 18.

Iob. 26.

Quod in inferno carnalibus peccatoribus cruciatus desperabiles dantur.

Cap. I.

PRimo erunt cruciatus eorum desperabiles: & de hoc Ioan. subdit, *Et calcatus est lacus extra ciuitatem*. Licet enim multi sint qui inibi ponuntur: nemo tamen sciet, vel volet, seu poterit præstare alteri auxilium vel solamen. Proinde ciuitatem non faciunt in qua scilicet si vere ciuitas est velle scire, & posse alteri suo conciui subuenire, & mutuum auxilium & solamen exhibere debet, cum ciuitas quasi ciuium vnitas in supradictis denominetur. Vnde Iub. 10. de inferni loco, & quomodo sicut prædictum est extra ciuitatem sit, dicitur. *Vbi vmbra mortis*. Ecce quod auxilium mutuum sibi exhibere nesciunt, *& nullus ordo*, & sic confracto omni ordine nullum auxilium præstare possunt: *sed sempiternus horror inhabitat* Et ideo nullum auxilium sibi ex mutuo horrore perhibere volunt. Et sic eorum desperabiles cruciatus: tum quia mutuo auxilium infra se non habebunt: tum quia aliunde etiam habere non poterunt, cum subdatur quod calcatus est lacus. In quo etiam acerbitas æternæ damnationis exprimitur eoque multipliciter calcantur & conculcantur. Primo calcantur à Christo. Secundo autem calcantur à sanctis. Tertio calcantur à dæmonibus. Quarto etiam calcantur à seipsis. Primo calcantur à Christo. Vnde Isa. 63. de se ait: *Calcaui eos in furore meo*: & de sanctis in sua persona subdit. *Et conculcaui eos*, scilicet perfectos: *& cum sanctis meis in ira mea*. De conculcatione quam à dæmonibus patiuntur, & de ea quæ

Damnati ab omnibus calcantur.

Isa. 63.

iure

snter eos murno fit intelligi potest illud. Isa. 28. *Pedibus conculcabitur corona superbia Hebriorum Ephraim.* Ephraim enim crescens interpretatur. Nam quia tales io mundo isto creuerunt diuitiis: delectati sunt in deliciis : coronati sunt io honoribus : illic conculcantur paupertate, pœnalitate, & vilitate, vt pro eo etiam extra ciuitatem cooculcari dicaotur exilium perpetuum patientes à consortio beatorum qui diuitiis, deliciis, & gloria æterna tunc perfruentur in Deo. Et de hac ciuitate Propheta ait, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.*

Isa. 28.

Psalm. 86.

Quod in inferno carnales patientur horribiles cruciatus.

Cap. II.

SEcondo crueiatus eorum erunt horribiles, & violenti confringentes rebellea eorum. Et de hoc subditur. *Et exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum.* Tanta enim illic damnatis adhibetur pœna, quanta sufficiet ad coostringendum duritiam superbiæ eorom.: propter quam equia merito comparantur. Equus enim animosum animal est, & erectæ ceruicis, Vnde bene quemlibet damnatorum seruat. Ipsi profecto equi dæmonum ipsis propter superbiam suam subiecti. Vnde de talibus dici potest illod. Zach. 12. *Percutiam dicit Dominus omnem equum in stuporem, & ascensorem eius in amentiam.* Dæmones quippe qui horom equorum ascensores sunt quasi amentea denominantur, quia sine moderamine suot io puniendo damnatos. Vnde & ipsi, scilicet qui patiuntur stupeant de eorum insania à quibus tot terribilia pati oecesse habent. Vnde & hæc pœna per sanguioem denotatur, Sicut enim sanguis in corpore delectationem, sic extractus de corpore pœnam facit. Delectatiooe sioe pœoa carere non possumus, & quanto maior est delectatio rei, tanto maior pœna sequitur ex carentia eius. Proinde vt expressius hic sanguis significet pœnam, dictus est exire de lacu. Vnde Exod. 7. cap. Ægyptiis iofantium interfectoribus Israëliticorum dedit Dominoa sanguinem in potum : ad clarius ionuendum qood homicidia, seu quæconque mala quæ damnati in præseoti sæculo cum delectatiooe feccrunt, conuertet eis Deus in æternam pœnam. Vt scilicet quantum temporaliter delectabantur in peccando, tantum æternaliter doleaot & tristentur de perpetrata culpa. Sicut iotelligi potest illud Oseæ 4. *Et sanguis sanguinem tetigit,* hoc est delectatiooi peccati pœna sit. Sed quoniam nec damnatio impiorum absque misericordia est, idcirco eis Dominus maiorem non adhibet pœnam quàm ad eorom refrenationem superbiæ sufficiens sit quæ signatur in fræois. Sicut enim equis quo duriores sunt eo asperiora eis adhibentur fræna: sic damnati quanto duriores sunt tanto eorum pœnæ asperiores eruot. Proinde in Psalm. scriptum est, *In chamo & freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te,* id est maiore & minori iuxta voluntatis rebellionem eorum pœnia coostringe illos qui ad te per voluntatis eorum coosensum appropinquare se noluot.

Damnati equis comparantur.

Zach. 12.

Cur dæmones amentes.

Sanguis pœnam damnatorum denotat.

Exod. 7.

Osee. 4.

Psal. 31.

Quod cruciatus peccatorum carnalium in inferno interminabiles erunt.

Cap. III.

TErtio cruciatus erunt interminabiles, quod notatur per hoc quod subinfertur per *stadia mille sexcenta.* Stadium à stando denominatur : & est octaua para miliarij quo vtuntur Græci in metiendis viarum spaciis Hercule auctore, qui cum fortissimus esset fertur vno anhelitu centum viginti quinqoe cucurrisse passos & ibi finem curreodi fecit, & inde stadium dictum est : per quod pœnarum æternitas designatur : quia in æternum ibi stabuot. Porto millenarius numerus scientiæ est : ceotenarius vero delectationis : & senarius actioois. Sicut alibi plenius est dictum. Sanguis ergo qui per stadia mille sexceota profluit, pœna æterna est, quæ omne qood cogitatione, voluntate, & actione commissom fuerit sufficienter punit. Vnde Eccles. 7. consulit sapiens. *Fili neque alliges duplicia peccata,* id est ne multiplices opera mala. *Nec enim in vno eris immunis,* id est in nullo eorum eris expers à pœnis à quibus nos liberet iudex misericors, & iustus Domious Iesos, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regoat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Nihil omnino impunitum remanet.

Eccl. 7.

SERMO

SERMONES DE SANCTIS

PROLOGVS,

Paucissimæ reperiuntur nostri Bernardini Conciones speciali Sancti alicuius nomini dicatæ, plures autem, quæ de Sanctorum gloria, & eorum virtutibus in communi loquuntur: in primo enim operum suorum Tomo, Sermone quinquagesimo-sexto, diffuse de gloria Spirituum Beatorum in regno Dei differit: Quinquagesimo autem septimo doctissime de substantiali & essentiali animarum Sanctarum fælicitate tractat: Totus etiam est in Sermone 58. in aperienda gloria consubstantiali corporum Beatorum: sermone quinquagesimo nono, quid aliud agit quam accidentalem gloriam, quæ est in beatis posteritati commendare? & vt nihil intactum relinqueret, nonne Sermone sexagesimo amplissime quæ sunt exercitia Beatorum euoluit? in tertio autem Tomo quis vnquam maiori cum eruditione Octo Beatitudines Euangelicas quibus virtutes, & Sanctorum merita comprehenduntur per plures Conciones aperuit, & declarauit? eas igitur serio consule, si virtus specialis alicuius Sancti tibi datur extollenda. VALE.

DE SANCTO IOSEPH.

SYNOPSIS

Eorum quæ continentur in hoc Sermone,

De Sancto Ioseph, sponso beatæ Mariæ Virginis, qui continet tres articulos, quorum primus tria habet capita, secundus tria similiter.

Articuli primi, De nobilitate sanctissimi Ioseph, secundum carnem,

Cap. 1. *De nobilitate Beatæ Virginis, secundum carnem.*

Cap. 2. *De nobilitate Ioseph, secundum carnem.*

Cap. 3. *De nobilitate Iesu Christi, quam quodammodo habuit ab vtroque parente.*

Articuli secundi, De triplici gratia sancto Ioseph ab æterno patre collata.

Cap. 1. *Sanctè Sanctus Ioseph cum Beata Virgine conuersatus est, & quantam acquisiuit perfectionem:*

Cap. 2. *De perfectione, quam acquisiuit Ioseph conuersando cum Domino.*

Cap. 3. *Quod soli Ioseph à Deo natus est Christus, qui antiquis patribus extiterat repromissus.*

Articulus tertius, De præmio, scilicet gloria quam Sanctus Ioseph in anima & corpore adeptus est.

DE SANCTO IOSEPH, Sponso Beatæ Virginis.

Sermo I.

Serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturæ communicatarum generalis regula est, quod quandocunque diuina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donat quæ illi personæ sic electæ, & eius officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Patet autem hoc in patribus veteris Testamenti, scilicet in Moyse, Iosue, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Salomone, & sic de aliis Prophetis. Patet etiam hoc in nouo Testamento in Virgine benedicta, in Apostolis, Euangelistis, Doctoribus, & in Religionum Institutoribus, & sic in toto decursu veteris & noui Testamenti reperitur. Quod maxime verificatum est in sancto Ioseph putatiuo Patre Domini nostri Iesu Christi, & vero sponso reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis nutricius, atque custos principalium thesaurorum suorum, scilicet filij eius, & sponsæ suæ, quod officium fidelissime prosecutus est: cui propterea Dominus ait: verbum propositum, *Serue bone,* &c. In quibus sacratis verbis, de isto sanctissimo viro describitur triplex status. Primus est naturæ ibi, *& fidelis.* Tertius gloriæ, ibi, *intra in gaudium Domini tui.* In primo exprimitur nobilitas generationis, in secundo gratiositas conuersationis, in tertio sublimitas glorificationis.

Matth. 25.

Deus eligendis concedit necessaria.

ARTI

ARTICVLVS PRIMVS.

De nobilitate sanctissimi Ioseph secundum carnem.

Primus status naturæ.

PRimo enim describitur huius sanctissimi viri status naturæ, in quo exprimitur nobilitas generationis: ait enim Dominus, *Serue bone*, scilicet, in natura nobili, tibi a me collata. Fuit enim de stirpe Patriarchali, Regali, atque Ducali progenitus, secundum rectam lineam naturalis nobilitatis. Ad huius intelligentiam, trium personarum naturalem dignitatem, siue nobilitatem consideremus. Primam sponsæ, secundam sponsi, tertiam Christi.

De nobilitate Beatæ Virginis secundum carnem.

CAP. I.

Primo nobilitas sponsæ.

PRimo inquam consideremus nobilitatem sponsæ id est Virginis beatæ. Fuit enim beata Virgo nobilior creatura omnibus creaturis, quæ in humana natura fuerint, aut possint, aut potuerint generari. Nam Matthæi primo capite ponens tres quaterdenas generationes ab Abraham vsque ad Christum inclusiue, describit eam fuisse natam de 14. Patriarchis, de 14. Regibus, & de 14. Ducibus, secundum quod quidam periti numerant, & distinguunt prædictum Matth. textum. Lucas quoque describens in tertio capite nobilitatem eius, exordiens ab Adam & Eua, demum vsque ad Christum Deum genealogiam suam protraxit. Patet etiam, quod Dominus Iesus Christus, qui sine matre fuit in cœlis, & absque Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, atque dignitatem, quæ ad humanitatem sequuntur, scilicet cognationis, vt diceretur filius Dauid: & consanguinitatis, vt diceretur fratres habere de nobili parentela, totum hoc à beata matre suscepit. Quod etiam vltimus Dux, vltimus Rex, & vltimus Patriarcha totius populi Israel, non aliunde habuit, quàm à Virgine beata, vt ex hoc manifeste clarescat, quod omnis nobilitas corporalis concessa humano generi in Adam, à Domino principaliter datum est: vt per multas generationes descenderet in Virginem Beatam, & per Virginem matrem terminaretur in Christum Dei filium benedictum.

Matth. 1.

Maxima Virginis nobilitas.

De nobilitate Ioseph secundum carnem.

CAP. II.

Secunda nobilitas sponsi.

SEcundo consideremus nobilitatem sponsi, id est sancti Ioseph. Fuit enim progenitus de stirpe Patriarchali, atque Ducali, secundum lineam rectam, sicut prædictum est: nam Matth. 1. capite lineam rectam omnium prædictorum patrum deduxit ab Abraham vsque ad Virginis sponsum: ex quo patet, quod dignitas Patriarchalis, Regalis, atque Ducalis in isto fuit terminata. Si autem quæratur, quare ? Matt. ponit genealogiam Ioseph, & non Mariæ, cum genealogia Ioseph nihil facere videatur ad genealogiam Christi, nisi forte aliquo modo per accidens. Ad hoc dicendum, quod potuit hoc facere propter tria. Primo propter consuetudinem, secundo propter cognationem, tertio propter vnionem. Primo propter consuetudinem, id est vt sequeretur Hebræorum morem, atque Scripturarum sanctarum, quæ nullius genealogiam per fœminas, aut matres computant, sed per viros aut patres: tamen hæc ratio non sufficit sine sequenti. Secundo propter cognationem. Nam Beata Virgo atque Ioseph erant de eadem Tribu, & cognatione: quod quidem tripliciter probari potest. Primo, quod tam Ioseph quam Christus ab Angelo, Matth. 2. & ab Apostolis, atque Euangelistis in plerisque locis asseruntur fuisse de stirpe Dauid. Secundo, quod secundum legem mulieres, & præcipue illæ, quæ erant hæredes, sicut Virgo fuisse fertur, nubere non debebant, nisi hominibus suæ tribus, & etiam suæ familiæ, & cognationis in gradu licito magis propinquo, vt patet Nume. 36. de filiabus Salphat. Proinde cum Ioseph iustus esset, vt testatur Matthæus 2. si non fuisset suæ tribus, nullo modo duxisset eam. Tertio, quia simul censentur, & describuntur in Bethleem. Luc. 2. velut de vna stirpe naturaliter generati. Hæc secundum Hieronimum Matth. 2. & Nico. de Lyra. Tertio autem ponit genealogiam Ioseph: & non Mariæ, propter vnionem, id est ad commendandum Sacramentum coniugij Virginis & Ioseph, sub quo natus est Christus, scilicet, quod tantæ fuerit vnitatis, vt messias propter ipsum Ioseph dictus fuerit, & quodammodo vere fuit Pater Iesu Christi. Et hæc est ratio Augustini libro secundo de consensu Euangeliorum, & libro de nupt. & comp. capite quarto, vbi etiam dicit, quod omne bonum nuptiarum impletum est in illis parentibus, scilicet fides, proles, & sacramentum. Fides, quia nullum adulterium: Proles autem fuit Dominus Iesus Christus: Sacramentum, quia nullum diuortium factum fuit in eis.

Matth. 1.

Quare Matthæus ponit genealogiam Ioseph & non Mariæ

Primo propter consuetudinem.

Secundo propter cognationem.

Tertio propter vnionem.

De nobilitate Iesu Christi, quam quodammodo habuit ab vtroque parente.

CAP. III.

Tertia nobilitas Christi.

TErtio consideremus nobilitatem Christi. Fuit enim, sicut ex præcedentibus patet, Patriarcha, Rex & Dux ex vtroque parente: quia tantum suscepit à matre, quantum alij à patre & matre, quia tulit tantum de substantia matris. Proinde Rom. 1. Apostolus ait, *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Luc. quoque 3. capite describens Christi nobilitatem, & exordiens ab Adam & Eua, vltimo vsque ad Christum Deum genealogiam suam protraxit. Hanc progeniem Genes. 49. prænunciauit Patriarcha Iacob, cum ait, *Adorabunt te filij patris tui.* Adoratio quippe diuinitati debetur. Et ibidem sequitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. Ex supradictis patet, quod per prædictos Euangelistas describitur nobilitas Virginis, & Ioseph, vt Christi nobilitas exprimatur. Fuit ergo Ioseph tantæ nobilitatis: vt quodammodo, si liceat dici, dederit temporalem nobilitatem Deo in Domino Iesu Christo.

Rom. 1.

Luc. 3.

Genes. 49.

Maxima Ioseph nobilitas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De triplici gratia sancto Ioseph ab æterno patre collata.

Status gratiæ Ioseph.

SEcundo describitur huius sancti viri Ioseph status gratiæ, In quo exprimitur gratiositas conuersationis. Subdit enim Dominus, & fidelis: scilicet in gratia à me tibi collata. Triplex enim gratia à Deo sibi collata est. Prima conuersationis virginalis, secunda conuersationis diurnalis, tertia conuersationis specialis.

Quantum

Quantum sanctè sanctus Ioseph cum Beata Virgine conuersatus est, & quantam acquisiuit perfectionem.

CAP. I.

Ioseph admiranda gratia & virtutis propter tria.

PRima gratia sibi diuinitus data est conuersationis virginalis. Porto per respectum ad sanctam Virginem necesse est hunc virum fuisse admirandæ gratiæ & virtutis, & maxime quoad tria, videlicet primo quantum ad matrimonialem vnionem, secundo quoad continuam cohabitationem, tertio quoad sedulam administrationem: cum super omnem puram creaturam ipse habuit respectu eius vnitatem, familiaritatem, & obsequiositatem. Primo enim habuit vnitatem, quantum ad matrimonialem vnionem. Cum enim inter illos fuerit verissimum matrimonium per diuinam inspirationem contractum, & in matrimonio fiat vnio animorum, in tantum quod vna dicuntur persona, sponsus & sponsa, vt dici possit vnitas, quasi summa, iuxta illud Gen. 2. *Erunt duo in carne vna*. Quomodo cogitare potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tanta vnione vniret menti tantæ virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? Vnde credo istum virum sanctum Ioseph fuisse mundissimum, in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in Dei amore, & charitate, altissimum in contemplatione, sollicitissimum illius Virginis sponsæ suæ. Et quia nouerat Virgo quanta erat vnitas matrimonialis in spirituali amore, & sciebat istum sibi à Spiritu sancto datum in sponsum, & in suæ virginitatis fidum custodem, & ad participandum secum in charitatis amore, & obsequiosa sollicitudine diuinissimam prolem Dei: ideo credo, quod totius cordis affectu hunc sanctum Ioseph sincerissimè diligebat. Præterea cum Beatissima Virgo tot & tanta impetret peccatoribus sceleratis hostibus filij sui: quanta putas impetrauerit charismata huic tam amoroso & sollicitissimo, & filiali nutritio, & sponso sui puduris, atque castissimi amatoris; Amplius, cum omnia quæ sunt vxoris, sint viri: credo quod beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissime exhibebat. Sed quæri potest, quod cum beata Virgo iam desponsata esset Ioseph, & iam esset in domo eius, secundum Chrys. quare non accessit ad cognoscendum eam? Ad quod dicendum, secundum Nic. de Lyra, quod modus erat iustorum per per carnalem copulam non perficere matrimonium, nisi prius per aliquod tempus vacarent orationi, & deuotioni, vt diuinam misericordiam impetrarent. Vt patet Tobiæ 6. Et tunc creditur ei reuelatum fuisse Virginis propositum de virginitate seruanda: licet enim cogeretur ad matrimonium contrahendum, secundum illius temporis modum, sicut in primo art. e.t. patet: tamen in desiderio & proposito virginitatem habebat, votum nihilominus non expresserat. Contraxit igitur matrimonium committens se dispositioni diuinæ: & tunc creditur, quod Ioseph ex reuelatione diuina cognouerit Virginis propositum sanctum, & quod tunc ex communi consensu vouerit sanctam virginitatem. Præterea creditur, quod Ioseph vsque tunc perseuerauerit in sancta virginitate. Cuius ratio est, quia cum Christus in passione sua nulli nisi Virgini seruandam tradiderit matrem suam, non est credibile, quod ante conceptum, dum adhuc iuuencula erat, custodienda alicui nisi Virgini traderetur. Proinde Hieron. contra Euodium dicit, ipsum Ioseph virginem extitisse: vt per Mariam ea virginali coniugio virgo filius nasceretur. Et subdit etiam rationem, dicens, Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur: relinquitur eum virginem cum Maria mansisse: qui patet Domini meruit appellari. Et iterum Chrysostomus super Matt. in Homil. 5. ait: Quod enim ita amicus virtutis, & extra passionem erat, vt neque suspicione cogente voluit punire Virginem, qualiter vtique propter voluptatem transgressus esset legem, qui etiam supra legem philosophatus est. Etenim dimittere, & occultè dimittere supra legem philosophantis erat. Secundo vero habuit familiaritatem, quantum ad continuam cohabitationem. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, quod iam emisso prædicto voto, accessit ad Virginem Angelus Gabriel, ignorante Ioseph, atque de Spiritu sancto grauida facta est, vt dicitur Luc. 1. Et statim cum ipso Ioseph *abiit in montana*, id est in Hierusalem, vt visitaret Elizabeth cognatam suam, & vt ei prægnanti seruiret. Magis autem, vt præcursor filij sui in præsentia sanctificaretur, & manibus eius palparetur, lauaretur, atque eius necessitatibus subueniretur. Post tres menses præcursore iam nato redit Maria ad domum suam. Intumescente interim Virginis vtero miratur Ioseph, vehementemque suspicionem incurrit. Sed quæritur, an Ioseph crediderit Virginem de adulterio grauidam. Ad quod dicendum, quod circa hoc tres sententiæ Sanctorum & aliorum Doctorum, quasi contrariæ reperiuntur. Chrysostomus & August. volunt, quod crediderit hoc, & ad hoc sunt tripliciter moti. Primo ex ratione naturali. Nam secundum naturæ cursum necessariò habuit hoc Ioseph credere. Secundo ea verbo Matth. 1. qui ait, *cum esset desponsata*, &c. vsque *& nollet eam traducere*, id est propalare, quod enim manifestatur de tenebris ad lucem, traducitur, secundum Cath. sequitur, *Voluit occultè dimittere eam*. Constat autem, quod si credebat eam diuinitus concepisse, non esset vtique iustus eam sine sui obsequio, & solatio relinquendo. Tertio ex verbo Angeli, Matth. vbi supra qui ait: *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini ei in somnis apparuit dicens, Ioseph fili Dauid*, &c. Nam hoc non diceret, si Ioseph prius hoc credens ex hac eadem causa eam dimittere vellet. Secundi vero, vt Origen. & alij quidam, volunt quod crediderit eam concepisse de Spiritu sancto, & quod ex multa reuerentia illam fugere volebat, sicut & Petrus, quando Luc. 5. Domino ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Et Centurio, quando Matth. 8. loquit, *Domine non sum dignus*, &c. Et hi siquidem moti sunt ex euidentia manifestissima maximæ sanctitatis & honestatis ipsius Virginis, & ex multa sobrietate & rectitudine iudicij ipsius Ioseph. Nam, & nos videndo aliquem Sanctum, vtpote Paulum, vel Franciscum aliquid agere vel dicere, quod secundum communem cursum indecens sit: non statim contra eum sententiam fulminamus, quin potius tale iudicium irreuerens, & temerarium æstimamus. Sed constat quod beata Virgo transcendebat omnes alios Sanctos, & tanta sanctitas non poterat Ioseph latere. Amplius, si ex circumstantia grauidationis pro altera parte arguere poterat, ita poterat pro ista ex omnibus aliis insimul congregatis. Constat enim, quod in ea nullum aliud signum sinistræ opinionis poterat dari, quin potius omnia alia signa omnino in contrarium erant. Nam nunquam visa est vana, aut dissoluta & vaga, seu inaniter læta: sed totis viribus omnium virorum consortium, & colloquium, & aspectum & omnem curam carnalem corporis sui fugiebat. Eratque sibi austera & in Deum, & Dei laudes & obsecrationes feruentissima, assidua facie, stabili, matura atque serena, in omni verbo verissima & diuinissima, & in omni actu sobria & religiosissima atque piissima. Tertij vero dicunt, quod vir iste vtraque parte concussus, & pro

Inter Ioseph & Mariam verissimum matrimonium. Genes. 2.

Ioseph mundissimus in virginitate.

Maxima impetrat B. Virgo peccatoribus.

Tob. 6.

contraxit matrimonium committens se dispositioni diuinæ.

An Ioseph crediderit Virginem de adulterio grauidam.

Prima sententia.

Secunda sententia.

Luc 5. Matth. 8.

Tertia sententia.

& pro vtraque parte allegans, neutri parti simpliciter adhærebat, sed stabat mente attonitus & suspensus. Nam ex vna parte erat fortissimum argumentum naturæ, quamuis illud non esset sibi notum, nisi in sola exteriori tumefactione ventri, aut aliorum consimilium signorum. Ex altera parte pugnabant omnia, quæ ab initio de Virginis sanctitate viderat & audiuerat & quæ per specialem experientiam acceperat & gustauerat, sicut vtique sancti gustant & odorant sanctam vitam Sanctorum, cum quibus conuiuunt. Et, vt isti dicunt, hæc erat ei summa ratio, quare nolebat eam traducere seu manifestare. Ex stupore ergo vtriusque partis simul sumptæ, volebat occulte dimittere eam, tanquam rem sibi ignotam & suum iudicium transcendentem: cum protinus expeditioris consilij sit explicari, quam dubiis implicari,: licet infallibiliter nesciam, quid horum fuerit verum, adhæreo tamen magis sententiæ tertiæ. Si vero de primis duabus oporteret alteram eligere, plus assentirem primæ propter verba Matt. & Aug. quibus secunda opinio nõ plene satisfacit. Sed quæritur, quare Ioseph permissus est incidere in hoc dubium: Reuelatio enim sibi facta postmodũ, ante poterat sibi fieri, sicut & Virgini antequàm conciperet, facta fuit. Ad hoc triplex ratio reddi potest. Prima propter maiorem certitudinem, secũda propter maiorem confirmationem, tertia propter maiorem exercitationem. Prima propter maiorem certitudinem, sc. tanti operis, quando etenim audimus, quod vir Mariæ sic districtus, sapiens atque iustus omnia hæc diligenter considerauit, & vidit: & secundum quod rationalis ratio dictat, sic dubitauit, & tamen postmodum ita firmiter credidit, quod & ipsam in coniugem retinuit, & Christum vt filium: plus mouemur ad fidem, quam si diceretur, quod ab initio simpliciter hoc suscepit, iuxta sententiam Greg. qui ait, quod minus Maria mihi præstitit, quæ cito credidit, quã Thomas qui diu dubitauit. Secundo propter maiorem confirmationem: prout enim in nobisipsis plenius experimur, dubitationum fortium præcedentes motus fortius nos acuunt ad veritatis inquisitionem, & quanto postmodum per manifestationem & illuminationem veritatis fortius, & sensibilius expelluntur, tanto perspicaciores & firmiores in ipsa veritate efficimur: & quanto plus in nostra tentatione nostras indigentias & molestias, & diuinæ gratiæ necessitatem probamus, tanto in nobis humiliores, & Deo & beneficiis eius gratiosiores sumus, & contra tentationes consimiles cautiores, & ad custodiam gratiarum nobis impensarum affectuosiores & diligentiores existimus: & in hoc ipso discimus compati & mederi his, qui dubitant & vacillant. Tertio propter maiorem exercitationem, hoc est ad obseruandum, & ostendendum simul ordinem gratiæ & prouidentiæ Dei: licet enim Deus primo in nobis initiet sua dona, non tamen ea perficit & conseruat, nisi prius laboribus & tentationibus fatigemur, & per tentationum triumphos gratias consummatas promereamur. Constat enim, quod ipsi Ioseph gratia summa erat effici Virginis sponsus, & quodammodo Christi pater, ac semper familiarissime cum eis stare. Proinde post inchoationem huius doni debuit per tentationem exercitari, atque probari, & approbari. Hinc etiam quæri potest, quare Maria non reuelauit diuinum secretum ipsi Ioseph: Ad quod dicendum, quod talia non sunt reuelanda, nisi quantum se extendit voluntas Dei: proinde beata Virgo illud tacuit, firmiter tenens, quod sicut illud secretum fuerat reuelatum beatæ Elizabeth, Luc. 1. sic reuelaretur aliis tempore competenti, secundum beneplacitum voluntatis Dei. Quæritur etiam, quare Ioseph hæc non quæsiuit ab ea: dicendum, quod pro nihilo postulasset; quia ipsi Mariæ pro se dicenti minime credere-

Cur dubius fuit Ioseph de grauidine Mariæ.

Primo propter maiorem certitudinẽ.

Secundo propter maiorem confirmationem.

Luc. 1.

tur. Et iterum diuina dispensatione hoc factum est, vt per Angelicam reuelationem ipse Ioseph sic certificaretur, quod de cætero nullo modo dubitare posset. Postquam igitur ab Angelo certificatus est, quod conceperat de Spiritu sancto, humiliori ac reuerentiori modo conuersabatur cum sponsa sua: vnde maior perfectio generabatur in eo. Et si nos miseri ex cohabitatione sanctorum virorum, qui respectu Virginis nihil sunt, sæpe tamen proficimus: quantum æstimandum est, hunc cum sacra Virgine profecisse: Dixerat enim Propheta, *Cum sancto sanctus eris*, &c. Tertio habuit obsequiositatem quantum ad sedulam administrationem, ex qua magna perfectio à Ioseph acquisita est. Et si beata Virgo vnum *Aue Maria* remuneratione vacuum non remittit: quanta cordiali gratitudine respondebat illi, quem cernebat sic solicitè, sic obsequiosè ac fideliter laborare pro nutriendo ipsam, & dilectum filium suum. Maxime quoque ponderabat beata Virgo, quod Sanctus iste pro conseruanda vita Iesu, se tot periculis exponebat, dum scilicet ipsum duceret, & reduceret de Ægypto in Hierusalem ad solemnitates legis, & dum fuit cum eo in aliis variis locis, qui explicari non possent. Vnde omnibus compensatis, quæ deuota, atque discreta mens circa Ioseph, & Virginem benedictam potest rationabiliter contemplari: dicere non auderem, quod beata Virgo non dilexerit Ioseph quantum omnem aliam creaturam, vel supra. Post benedictum fructum ventris sui Iesum: loquor tamen de sociali amore: nam de charitate illos plus dilexit, qui apud Deum meliores sunt.

Ex consortio iustorum proficimus.

Maiori charitate diligendi meliores.

De perfectione, quam acquisiuit Ioseph conuersando cum Domino.

Cap. II.

SEcunda gratia sibi cælitus data, fuit conuersationis diurnalis. Et quantum ad hanc admiranda debuerunt esse huius sancti viri duo, quæ in præcedenti cap. dicta sunt, scilicet cohabitatio, & administratio in omnibus necessitatibus. Non solum referri debent ad Virginem: verum etiam ad Iesum, cum quo cohabitando, & ei administrando in omnibus necessitatibus suis admirandas gratias, & virtutes hic Sanctus adeptus est. Quantam perfectionem addere debuit ei hæc tertia, scilicet conuersatio diurnalis, cum benedictus Iesus se haberet ad eum in exterioribus signis reuerenter & obedienter, sicut ad patrem suum, & ipse non solum publice reputatus est, & vocatus pater eius, sed etiam tenere oportet, quod sanctus vir publice habebat se ad eum verbo, actu & gestu, atque cura & imperio, sicut verus pater ad filium suum, & similiter Christus ad eum. Alias aperte innotuisset vicinis & mundo, quod non erat filius eius. In cuius testimonium Luc. 2. dicitur, *Et erat subditus illis*, scilicet matri, & putatiuo patri. In tribus maxima studuit se diligenter habere Ioseph in conuersatione cum Christo Iesu, ex quibus magnam perfectionem adeptus est. Nam habuit erga eum, primo reuerendissimam puritatem, secundo radiosissimam fidelitatem, tertio ardentissimam charitatem, id est apposuit omnes vires animæ suæ. In primo memoriam, in secundo intelligentiam, in tertio feruidam voluntatem. Primo habuit erga eum reuerendissimam puritatem. Cogita, quanta reuerentia, quanta puritas mentis, & carnis, & affectus, & sensus, erat semper necessaria ipsi Ioseph in assiduo, atque immediatissimo, & secretissimo conuictu, colloquio, & à spiritu Iesu vigilantis, dormientis, comedentis prope ipsum, & matre in eodem paruo tuguriolo, siue cella,

Secunda gratia fuit conuersationis diurnæ.

Ioseph Christo Domino maximam exhibuit reuerentiam.

sut in eadem via simul itinerantis, & peregrinantis, cum illo. Considera etiam diligenter, quod in omnibus infantilibus necessitatibus, & aliis nostræ infirmitatis signis, quæ videbat, in bono Iesu, contemplabatur, atque gustabat altitudinem diuinæ immensitatis ad talia pro amore nostro, pro nobis informandis, inflammandis, atque humiliandis multipliciter inclinatam. Quantum putas in his delinitam animam sancti senis, hæc intuendo oculis carneis, quando & saxea corda nostra ista meditando videntur deficere præ suauitate dulcoris, & amoris, atque summæ dignationis Dei: Dulcius enim menti deuotæ sapit, quod altissimus Deus inclinari ad paruulitatem nostram voluit, & in præsepio reclinari ad nostram infirmitatem releuandam, & sanctis oculis suis deflere nostram calamitatem, quam quod miracula potentiæ voluit facere mortuos suscitando, vel etiam quod voluerit naturam producere Angelorum, suam infirmitatem manifestando. Vtrumque tamen æquali bonitate perficit, sed magis sapiunt nobis suæ viscera charitatis. Secundo habuit erga Iesum fidelissimam fidelitatem. Considera, quanta relucentia, atque luminosa fide satagebat ad semper dignè tractande, & contuenda infantilie membra Christi, & omnes eius necessitates, & nuditates, & tandem cum fuit adultus omnia eius opera, actus, nutus, & verba. Stupebat siquidem ruminando corde, & oculis intuendo, quod filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum ad illum nutriendum, baiulandum, tegendum, & conseruandum in necessitatibus vitæ suæ mortalis. Tertio habuit erga Christum ardentissimem charitatem. Quis deneger obsecro, quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam pater, & balbutienti, aut confabulanti cum ipso vt peter, Christus, siue infans, seu adultus, non ingereret, & imprimeret ineffabiles sensus, etque iucunditates de semetipso, & hoc cooperante exterius gratia Christi eum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu: O quanta dulcia oscula ab ipso recepit, ô quanta dulcedine andiebat balbutiente m paruulú, se pattem vocare, & quanta suauitate sentiebat ie dulciter amplexari. Considera etiam, cum quanta compassione in itineribus, quæ fecerunt, paruulum Iesum ex labore lassatum, cum grandiusculus esset in suo gremio requiescere faciebat: quia omni amore transformatiuo ferebatur in eum, vt in dulcissimum filium sibi in coniuge sua Virgine per Spiritum sanctum datum. Ideo prudentissima mater sua, quæ experta fuerat eius affectum, ed filium suum Iesum dilecto filio in templo reinuento ait, Luc. 2. *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Ad huius verbi intellectum notandum est, quod duo saporum genera continet in se Christus. Primus est dulcoris, secundus est doloris. Primus est dulcoris, & hunc per experientiam sensisse ostendit Beata Virgo, cum ait, *Fili, quid fecisti nobis sic?* Nusquam profectò legitur in scriptura, Virginem vocasse Iesum filium, nisi in hoc loco. Filius enim à filos, quod est amor, denominatur. In ore siquidem matris gustum prætendit cordialissimi dulcoris, & maximè quando est talis, qualis est filiatio Dei. Profectò dulcius amoris verbum proferre non potuit, quam hoc, cum ait, *Fili.* Et admiranter subdit, *quid fecisti nobis sic?* Secundus est sapor doloris, seu amaritudinis summæ, quem explicat pia mater cum subdit, *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et quia sanctissimus Ioseph horum duorum gustuum mirabiliter particeps fuit: ideo Beata Virgo vocat eum singulariter patrem Christi. Vbi notanter aduertendum, quod hic solum legitur Virginem Ioseph appellasse Patrem Iesu: quia sensus doloris, quem habuit de Iesu perdito, verum in eo monstrauit patris affectum. Si enim secundum humanes leges diuinitus approbatas potest extraneus aliquem adoptare in filium, multo magis Dei filius datus ipsi Ioseph in sua sanctissima sponsa sub virginalis matrimonij admirabili Sacramento debet eius filius appellari, & etiam credi, quod in eo fuerit gustus paternalis amoris, atque doloris respectu dilecti Iesu. Considera igitur, quod si nos per euidentiam experimur, quod via potest quis saltem longo tempore fuisse socius magnorum Sanctorum, vtpote sancti Pauli, vel Francisci: quin eb ipsis, & cum ipsis miras illuminationes, & inflammationes, atque consolationes Dei receperit: quanto magis credendum est, quod sanctissimus iste vir in tanto tempore, quanto fuit cum Christo, & matre eius: & hoc sicut Pater, atque nutritius Christi, & sicut legitimus Virginis sponsus, & pro eis, & cum eis labores, atque peregrinationes die noctuq; sustinens, miras illuminationes, & consolationes ex istis adeptus est.

Ioseph fidelissimus erga Christum Dominum

Ioseph habuit erga Christum ardentissimā charitatem.

Luc. 2.

Duo genera saporum Christus continet.

Qui cum Sanctis conuersatur maxima percipit emolumenta.

Quod soli Ioseph à Deo natus est Christus, qui antiquis patribus extiterat repromissus.

Cap. III.

Tertia gratia isti sancto seni diuinitus data fuit conuersationis specialis. Nam si compares eum ad totam Ecclesiam Christi: Nonne iste est homo electus, & specialis, per quem & sub quo Christus est ordinare, & honeste introductus in mundum. Si ergo Virgini matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quie per eam Christum suscipere digna facta est: sic profectò post eam huic debes gratiam, & reuerentiam singularem. Ipse enim est clauis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promissum consequutur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis diuina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Ioseph, quo populis frumenta seruauit, Genes. 41. Sed & hic illum præcellit, quia non solum Ægyptiis panem corporalis vitæ: sed omnibus electis panem de cœlo, qui cælestem vitam tribuit, cum multa solertia enutriuit. Licet autem quo tempore mortuus fuerit non legatur in sacro textu: tamen probabiliter creditur, quod defunctus est ante Dominicam passionem. Non enim absens fuisset à Dominica cruce, si extitisset vinus: & ipso viuente non oportuisset sacram Virginem alteri recommendari per Christum, dum moreretur in cruce: forte etiam mortuus fuit ente Christi baptismum, qnie ex tunc nulla de eo in Euangelio mentio facta est, nisi qnod Christo improperabent fuisse filium fabri, cum Matth. 13. dicebant, *Nonne hic est filius fabri:* Piè igitur credendum est, quod in obitu suo præsens fuerit pius Iesus Christus, & sacratissime Virgo sponsa sua. Quentas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, & æternorum bonorum reuelationes recepit in transitu suo à sanctissima sponsa sna, & à dulcissimo filio Dei Iesu, relinquo deuotæ menti con emplandum, vel considerandum. Voluis enim Deus ipsum mori ante Dominicam passionem maximè propter duo. Primo, ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur. Secúdo vt priuilegium fidei solum in tempore passionis in Virgine remaneret. Denique licet tantæ fuerit dignitatis, & gloriæ iste sanctus, quod æternus pater eius primatus similitudinem sibi liberalissime super incarnatum Filium condonauit: tamen sancta Ecclesia non multum solemnitatem eius ordinauit. Primo quia ed limbum descendit, & ad vetus pertinet Testamentum. Secundo propter vitandum scandalum Hæreticorum, vnde nec nominas eum Patrem, nisi cum determinatione, scilicet putatiuum.

Tertia gratia conuersationis specialis.

Ecclesia Virgini debitrix.

Gen. 41.

Ioseph ante Domini passionem mortuus.

Matt 13.

Cur Deus voluit Ioseph ante Domini passionem mori.

ARTICVLVS TERTIVS.

De præmio gloriæ quod sanctus Ioseph in anima, & corpore adeptus est.

TErtio in verbo præallegato describitur huius viri status gloriæ. In qua exprimitur sublimitas glorificationis cum in fine concludit. *Intra in gaudium Domini tui.* Profecto dubitandum non est quod Christus familiaritatem, reuerentiam, atque sublissimam dignitatem quam sibi exhibuit dum ageret in humanis tanquam filius patri suo, in cœlis vtique non negauit, quin potius compleuit & consummauit. Vnde non immerito in verbo proposito à Domino subinfertur. *Intra in gaudium Domini tui.* Vnde licet gaudium æternæ beatitudinis in eos hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium. Vt mystice innuatur quod gaudium illud non solum in eo est intra, sed vndique illum circundans & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Piè quidem credendum est, non tamen asserendum quod pijssimus filius Dei Iesus pari priuilegio decorauit suum putatiuum Patrem sicut suã sanctissimam Matrem, vt sicut illam assumpsit in cœlum in corpore, & anima gloriosam: sic etiam in die Resurrectionis suæ sanctissimum Ioseph in gloria resurrectionis secum: vt sicut illa sancta familia, sc. Christus, Virgo & Ioseph in laboriosa vita, & amorosa gratia simul vixerunt in terris, sic in amorosa gloria nunc, & corpore, & anima regnat in cœlis. Iuxta regulam Apostol. 2. Cor. 1. *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*, scriptum est enim Matt. 27. *Multa corpora Sanctorum surrexerunt qui dormierant*, i. obierant, secundum enim Hier. hoc factum fuit Domino resurgente, quia Dominus fuit *primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.* Vt dicitur Apoc. 1. Hic nihilominus coarctatur per anticipationem vt ostendatur quod virtute & merito passionis eius hoc extitit factum. Surrexerunt inquam cum Christo tanquam testes resurrectionis eius. Et hoc Matth. apertè subdit cum ait. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Inter quos suscitatos pie credendum est quid fuerit sanctissimus iste vir. Quærit Remigius quod factum est de his qui surrexerunt cum Christo. Et respondet quod omnino credendum est, quod postea non obierunt, scilicet cum Christo ad cœlum ascendente pariter ascenderunt, & hoc rectæ consonat rationi. Primo respectu Christi. Secundo respectu facti. Primo inquam respectu Christi, quia consonat Christi potentiæ, & gloriæ ac restificationi resurrectionis, tam suæ iam factæ quam nostræ futuræ, scilicet ne possit credi, quod solus ipse tanquam Deus resurgat, & non sui electi. Nam teste Apostol. 1. Cor. 15. c. *Omnes quidem resurgemus.* Secundo respectu facti, quia quantum ex parte cuiuslibet animæ beatæ respectu sui corporis resurrectio non defertur, sed solum vt opus tam solemne fiat cum quadam maiori solemnitate, & vnitate, & quasi nobiliori ordine temporis, & aliarum circumstantiarum. Proinde Apostolus 11. ad Heb. de Sanctis, inquit, *Hi non acceperunt repromissionem*, scilicet gloriæ sempiternæ, *Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur*, scilicet in gloria cum corporibus suis. Si igitur ex causa rationabili, & ex priuilegio singulari accelerata sit in isto sancto, & in quibusdam alijs resurrectio in corpore, & in anima iam completa, nulla ordinis perturbatio est, imo potius consonum rationi. Decet enim cum omnia sic in suo ordine conseruari, quod nihilominus priuilegia magni regis habeant locum, memento igitur nostri Beate Ioseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putatiuum filium intercede, sed, & Beatissimam Virginem sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ mater est eius. Qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Ioseph etiam in cælo quoad corpus.
2. Cor. 1.
Apoc. 1.

Cur cum Christo plures resurrexerunt.

1. Cor. 15.

Hebr. 11.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone,

De duodecim gradibus diuini Amoris, qui possunt merito gloriosæ Magdalenæ, vel alicui alteri sancto appropriari, qui continet tres articulos, quorum primus tria, secundus totidem, tertius denique tria consimiliter continet capita.

De duodecim gradibus diuini amoris, qui possunt merito gloriosæ Magdalenæ, vel alicui alteri Sancto appropriari.

Sermo II.

ASCendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Ioann. 20. & in Euangelio hodierno, Gloriosissimæ Magdalenæ in Deum per ardentissimam dilectionem, & extaticam contemplationem conscendentis verba mystice sunt ista. De illa quippe Luc. 10. Dominus ait: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hæc pars est ascensio mentis eius in ipsum Deum, per ardentissimam charitatem: profecto in æternum non auferenda ab ea, sed consummanda, & iam consummata in gloria sempiterna. Merito ergo dicit omnibus nobis, quasi in hac peregrinatione adhuc viuens. *Ascendo*, scilicet per ardentissimum amorem, *ad Patrem meum*,

De duodecim gradibus diuini amoris, siue liber.
Ioan. 20.
Luc. 10.

meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum, quasi dicat imitamini vestigia mea in ascendendo ad diuinam dilectionem. Causam quoque huius ascensionis, Cant. 1. ostendit, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Quod potest esse aliud thema. Ait enim, *Dilectus meus mihi.* scilicet intendit infundendo gratiam, & amorem: *& ego illi*, scilicet meipsum exhibeo, acceptando gratiam corde, ore, & opere. Corde, Cantic. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Ore, vnde Matthæi 12. *Ex abundantia cordis os loquitur*, scilicet de amore. Opere, Sapient. 3. *Fideles in dilectione acquiescent illi. Qui pascitur inter lilia:* quia in virtutibus meis, & omnium mundarum mentium, atque dilectorum suorum Dominus delectatur. Prouerb. 8. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Quod maximè contingit, cum mens gradatim ascendit in diuina dilectione. Proinde duodecim ascendendi gradus distinguere possumus in diuino amore, quæ possunt duodecim lilia dici: inter quæ in Magdalena, & in qualibet feruenti, ac diligenti anima, Dominus delectatur. Quorum quatuor pertinere possunt ad incipientes, quatuor ad proficientes, & quatuor ad perfectos.

Cant. 1. *Cant. 1.* *Matt. 12.* *Sap. 3.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De quatuor primis gradibus diuini amoris.

PRimo distinguamus quatuor gradus primos, qui pertinere possunt ad incipientes. Primus est contemptus temporalium, secundus desiderium cælestium, tertius intellectus spiritualium secretorum, quartus desiderium dissolutionis, vt sit cum Christo. Et possunt etiam dici quatuor lilia.

De triplici signo mundani contemptus.

CAP. I.

Primum lilium est contemptus temporalium. *Cant. 8.* *Tria pauperū genera.*

PRimum lilium est contemptus temporalium. Cum enim mens gustare cœperit suauitatem dulcedinis Dei, statim nascitur in ea contemptus mundi, sicut Canticor. 8. Salomon ait: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tria sunt tamen pauperum genera. Quidam mundo, & non Deo, vt fures, & pauperes impatientes. Quidam Deo, & etiam mundo, sicut quilibet voluntarius pauper propter Christum. Vnde Cassiodorus, super illud Psalm. 71. *Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio*, ait: Pauper si superbiat, non est pauper Dei. Diues si paupertatem diligit, non est diues sæculi. Habet enim talis contemptus etiam in præsenti quandam dulcedinem suam, quam Dominus, Matth. 5. *regnum cælorum* vocat, id est participationem cælestis regni: ideo dicit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hoc est lilium inter spinas, Canticor. 2. Et habet tria folia. Primò necessitatem, secundò vtilitatem, tertio libertatem.

Psal. 71. *Matth. 5.* *Cant. 2.*

Pauper liliū cum tribus foliis. *Psal.*

Primo quidem habet necessitatem, eo quod tantum ad necessitatem vtitur bonis temporalibus semper cum laude creatoris. Atque de omni paruo temporali commodo à se recepto, cum Propheta gratias agens Deo iubilat, dicens, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Secundo habet vtilitatem. Vtitur autem talis anima temporalibus vilibus, & despectis, quæ habent mentem in humilitate habituare, & virilem spiritum nutrire, atque mundi contemptum operibus demonstrare. Sicut econtra mollia, & pretiosa eneruant spiritum, & virilitatem suam effœminant, atque sæculi amorem demonstrant.

Tertio habet libertatem, quia vtitur bonis temporalibus à se possessis tanquam non sint propria sua, cuilibet indigenti illa communicando: tanquam si illa ab eis mutuo accepisset, iuxta consilium Christi, Luc. 6. dicens: *Omni petenti te tribue.* *Luc. 6.*

De tribus per quæ anima eleuatur ad desiderium æternorum.

CAP. II.

Secundum lilium est desiderium cælestium. *Hoc lilium tribus constat foliis.*

SEcundum lilium est desiderium cœlestium. Quando enim mens cuncta temporalia spernit, quodam naturali, & virtuali desiderio ad cœlestia regna erigitur & consurgit. Hoc lilium habet tria folia. Primum est auditio, secundum oratio, tertium est contemplatio. Primum purgat, secundum illuminat, tertium inflammat. Et hæc tria requiruntur, vt nostrum desiderium de cœlestibus inardescat.

Primum auditio. *Rom. 10.* *Psal. 118.*

Primò necessaria est auditio, per quam anima de cœlestibus inflammetur: & sic eius ignorantia eliminetur, & exporgetur. Nam sicut Apost. ad Rom. 10. ait: *Fides*, scilicet cœlestium, *est ex auditu: auditus autem fit per verbum Dei.* In auditu autem lectio, & prædicatio comprehenduntur: quæ omnia intellectum de cœlestibus informant, quemadmodum Propheta ait: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Secundum oratio. *Matth. 6.*

Secundò necessaria est oratio, qua mens eleuatur in Deum, qui in cœlis habitat. Ad quem in Dominica oratione docuit eleuare mentem, cum Matth. 6. ait dicite, *Pater noster, qui es in cœlis*, id est in cœlestibus spiritibus, & in aliis Sanctis: sed singularissimè in Beata Virgine Maria.

Tertium contemplatio. *Num. 27.*

Tertio necessaria est contemplatio. Dum enim mens cœlestia gaudia assidua contemplatione rimatur, atque illam beatam visionem quadam inexpressibili fruitione speculatur, de cœlestibus gaudiis tota repletur & inardescit. Proinde Propheta per experientiam hoc sentiens, de se ait: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea*, scilicet de cœlestibus facta, *inardescit ignis.* In huius quidem mysterium, Num. 27. Dominus ad Moysem, ait: *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Abarim pertransiens interpretatur. Vt mystice significet, quod talis contemplatio non est fruitio gloriæ permanentis: sed contemplatio gloriæ transeuntis.

De triplici lumine quo intellectus plenè illuminatur.

CAP. III.

Tertium lilium est intellectus spiritualium secretorum. *Hoc lilium tribus constat foliis.*

TErtium lilium est intellectus spiritualium secretorum. Profecto cuiuscunque artis, vel scientiæ sollicitus indagator, atque feruidus inquisitor, cito peruenire solet ad experimentalem intelligentiam eius: sic qui amore feruido de cœlestibus meditatur ex diuina benignitate meretur diuino, ac cœlesti lumine illustrari. Tria quoque folia hoc lilium habet. Primum est cognitio Dei, secundum cognitio sui, tertium cognitio proximi.

Primum est cognitio Dei.

Primum folium est cognitio Dei. Cum enim mens eleuatur ad ipsius summi contemplandam naturam, atque summas, & infinitas perfectiones, virtute fidei offert se illi Deus increatum, infinitum, & immortalem. Increatum circa principium, infinitum circa medium & immortalem circa terminum.

minum. Demumque in tantam altitudinem eleuatur, quod in ipso diuino lumine attingit, quod quicquid Angelica, vel humana natura, in patria, vel in via intelligit, vel comprehendet, vel intelligere poterit in æternum, quomodo Deus increatus, est infinitus, & immortalis, vilissima creatura est, subitus finis, & mors horrenda, respectu eius, quod ipsa sapientia Dei intelligit Deum increatum, infinitum, & immortalem. Tunc quoque cognoscit, quomodo se manifestat, Deus infinitæ potentiæ in operando, infinitæ sapientiæ in ordinando, infinitæ clementiæ in indulgendo, atque in puniendo infinitæ iustitiæ. Tantam denique infinitatem comprehendit in quolibet, in quo potest infinitus meritò prædicari, quod si tota natura Angelica, & humana in se conuerterent ad speculandum aliquod prædictorum, in quibus infinitus meritò dici potest, minime possent non dico finem, sed nec infinitatis illius principium reperire. Proinde stupentes supremi ciues clamant, illud Apoc. 14. *Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iusta, & vera sunt via tua Domine Deus* Rex Sanctorum. Et iterum Propheta ait, *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* &c.

Apoc. 14. *Psal. 47.*

Secundo cognitio sui.

Secundum folium est cognitio sui. In lumine igitur, quod iam habet anima ipsius Dei, clarè intelligit, & comprehendit nihileitatem suam, atque peccata sua. Vnde merito ad Deum in corde clamat, *A peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, &c. Quemadmodum infirmus cognoscens infirmitatem suam auxilium medici periti implorat, sicut 3. Reg. 8. mysticè dicitur: *Si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac,* scilicet conscientiæ suæ: *tu exaudies in cælo in loco habitationis tua.*

Psal. 50. *3. Reg. 8.*

Tertio est cognitio proximi.

Tertium folium est cognitio proximi. Porro in ipso lumine Dei cognoscuntur humani mores: & profecto manifestum iudicium est, quod tale lumen ex Deo sit, quando talis cognitio est non ad proximum amare, ac temerariè iudicandũ, ac contemnendum, sed ad charitatem corrigendum, ad compatiendum, emendandum, instruendum, exhortandum, congaudendum, & consimilia operandum. Vt & iustorum opera tali menti conuertantur in bonum, iuxta sententiam Apostoli ad Roman. 8.

Rom. 8.

Tria inflammant animam ad desiderium corporalis dissolutionis, vt possit esse cum Christo.

Cap. IV.

Quartum lilium est desiderium dissolutionis. *Phil. 1.*

QVartum lilium est desiderium dissolutionis, vt possit esse cum Christo. Antedictis luminibus illustrata facile cognoscit statum præsentis vitæ, & futuræ gloriæ. Ideo cum Apost. Ad Philip. 1. continuè clamat, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Hoc lilium etiam tria habet folia. Primum est consideratio inimicorum, secundum est consideratio periculorum, tertium est consideratio gaudiorum.

Hoc lilium tribus constat foliis.

Primo consideratio inimicorum.

Primum est consideratio inimicorum. Profecto considerat homo illuminatus quanta sunt nobis aduersantia in hac vita, scilicet dæmones, mundus, & caro, qui omnes innumerabilibus laqueis, decipulis, blanditiis, prælijs, malitiis, violentiis animam infœlicem præcipitare contendunt. Ideo contra omnes illam taliter obseruantes, & ei insidiantes, & ne ex hoc sæculo absque mortali culpa euadat custodientes, continuè ad Deum clamat, dicens, *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Et iterum cum Propheta lamentatur, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar.* Cedar, mœror, & tenebræ interpretatur, quæ quidem multum in mundo regnant.

Psal. 141. *Psal. 119.*

Secundo consideratio periculorum.

Secundum folium est consideratio periculorum. Quippe contra tot aduersantes mens humilis de suis viribus non præsumens, licet de diuina bonitate confidat: nihilominus ne aliqua latenti, vel manifesta culpa à Domino iusto iudicio relinquatur, ante mentis oculos profectò tenens Luciferi casum, primorum parentum lapsum, Samsonis fortitudinem, Dauid sanctimoniam, sapientiam Salomonis, scientiam Origenis, multorumque aliorum virorum singularium ruinam. Ideo in tali formidine quotidie nititur stabilire cor suum, iuxta Propheticum, sensum, qui talibus ait, *Posuisti firmamentum eius formidinem.* Pro omnibus supradictis Ambr. ait in sermone de Quadrag. Tantis malis hæc vita repleta est, vt comparatione eius mors remedium putetur esse, non pœna.

Psal. 86.

Tertio consideratio gaudiorum æternorum.

Tertium folium est consideratio gaudiorum, scilicet sempiternorum. Eleuata igitur mens ad ascensus ciuium supernorum, iam gustans, & videns, quam suauis est Dominus, admiratione, & gaudio plena ait: *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine: quam abscondisti,* id est abscondité tribuisti, *timentibus te.* Et Propheta suspirat, atque ad Dominum clamat, dicens. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et omnibus creaturis suum desiderium profitetur dicens: *Sitiuit anima mea ad Deum, fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.* Atque ex spe confortata iubilat cum Abach. in 3. c. dicens: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

Psal. 41. *Abach. 3.*

ARTICVLVS SECVNDVS,

De aliis quatuor gradibus diuini amoris, qui magis pertinent ad proficientes

Quintum lilium est silentiũ rational.

SEcundo subiungamus alios quatuor gradus, siue lilia diuini amoris magis pertinentes ad proficientes. Primus gradus est silentium rationale, secundus contemptus propriorum operum, quasi inutilium; tertius insensibilitas ad mundum; quartus est victoria tentationum.

Quod in tribus principaliter consistit regimen humana lingua.

Cap I.

Primum lilium silentium rationale. *Matth. 12.*

PRimus gradus, siue primum lilium, est silentium rationale, cum iam mens gustauit cœlestia bona, vnde sicut Dominus ait, Matth. 12. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*: hoc est ex ore suo eructat, seu profert verbum bonum; & hoc videlicet tempore opportuno. iuxta illud Ecclesiastis tertio, *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Tria etiam folia habet hoc lilium. Primum est tacere mala, secundum est tacere inutilia, tertium est non tacere necessaria.

Eccles. 3.

1. tacere mala.

Primum folium est tacere mala, scilicet murmurationes, detractiones, periuria, stultiloquia, mendacia, & consimilia. In quibus & lingua facile prolabitur, & conscientia inquinatur. Vnde cum Propheta inquit: *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.*

Psal. 38.

2. tacere inutilia.

Secundum folium est tacere inutilia: non tantum verba otiosa, & vana, verumetiam verba bona, quæ merito propter aliquas circumstantias inutilia iudicanda sunt. A quibus omnibus prudenter cauet seruans, quod Eccl. 28. admonet,

Eccles. 28.

dicens, *Verbis tuis facito stateram.* Hæc obseruans Propheta inquit: *Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis*: videlicet ne indiscreta locutione peccarem.

3. non tacere necessaria.

Tertium folium est non tacere necessaria. Profectò non tacet inerti, & insensibili humilitate zelator iustus: sed cum tecta ratio deposcit, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia, & doctrina. Quemadmodum, Timot. 4. Apost. ait, dilectum discipulum suum edocens: Non immeritò ergo Propheta orabat, dicens, Psal. 104. *Pone Domine custodiam ori meo*; videlicet rationem illuminatam, *& ostium circunstantiæ labiis meis.* Non dicit murum, qui claudi, & aperiri non potest. Circunstantiæ vero loquendi possunt esse septem, quas necesse est obseruare, qui errare non vult in lingua sua: quæ sunt hæ: Quis loquitur, quare, quid, quibus, quando, quomodo, & quantum. Quantæ vero perfectionis hoc sit obseruare, ostendit Iac. in cano. sua, capit. 3. dicens: *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* Ille vero non offendit in verbo, qui his septem circunstantiis obseruatis, nec dicenda tacet, nec tacenda dicit.

2. Tim. 4. — *Psal. 104.* — *Circunstãtiæ loquendi possunt esse septem.* — *Iacob. 3.*

Per tria clarescere potest, quod homo opera sua bona, quasi inutilia spernit.

CAP. II.

Sextum lilium est contemptus propriorum operum.

Secundum lilium est contemptus propriorum operum quasi inutilium. Tanto quippe amore talis iustus inardescit seruire Deo tantísque seruitiis, & obsequiis dignum æstimat illum, quod quantò plura, atque maiora opera pro suo dilecto facit, tanto feruentiori affectu ei seruire anhelat, & inardescit: atque iam operata pro illo ea profundissima humilitate, & ardentissima charitate, quasi nihil boni egerit, se despicit, atque contemnit. Profectò secundum Bernardum in epistola ad Guidonem: Nemo perfectus, qui perfectior esse non appetit. Et in eo quisque perfectiorem probat se, quoad maiorem tendit perfectionem. Ideo Apostolis suis, Luc. 17. ait Dominus, *Cum omnia, quæ* scilicet vobis præcepi, *feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* Hoc lilium etiam habet tria folia. Primum est, in vilibus se exercere: secundum, talia operari cum feruenti diligentia, & amore: tertium est, de talibus indignum se reputare.

Nemo perfectus qui perfectior esse non appetat. Luc. 17. — *Hoc lilium tribus constat foliis.*

1. folium est in vilibus se exercere.

Primum folium est in vilibus, & abiectis se exercere, scilicet cuncta despecta opera sibi pro sua portione propria eligendo, se de iure obligatum ad illa tanquam vilissimam creaturam intelligendo, vt verè cum Propheta dicat, *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

Psalm. 21.

2. est talia operari cum feruenti diligentia. Luc. 21.

Secundum folium est talia operari cum feruenti diligentia, & amore. Profectò plus ponderat Deus in homine affectum, quam opus. Quod patenter testatur Dominus, Luc. 21. de vidua in templo offerente duo minuta, *quæ plus placuit Deo, quam qui magna obtulerunt munera.*

3. est de talibus vilibus exercitiis indignum se reputare. Matth. 25.

Tertium folium est de talibus vilibus exercitiis, & operibus indignum se reputare. Considerat quippe talis anima, quod de huiusmodi operibus famulatur Iesu Christo in suis pauperibus: sciens, quod Matth. 25. Dominus ait: *Quod vni ex his minimis meis fratribus fecistis: mihi fecistis*, nec tamen per hoc excluditur, quod talia fecerit his, qui illi maiores sunt.

Tria ostendunt animam insensibilem ad mundana.

CAP. III.

Septimum lilium est insensibilitas ad mundum. Hoc lilium constat foliis.

Tertium lilium est insensibilitas ad mundum. Tanto quidem amore, & dulcore inebriatur talis anima ea diuina dilectione, quod insensibilis efficitur ad mundana. Hoc lilium habet etiam tria folia. Primum est in aduersis iucunditas, secundum in prosperis humilitas, tertium in mixtis inuariabilitas.

1. est in aduersis iucunditas. — *Act. 5.*

Primum est in aduersis iucunditas. Ebrius quippe ea diuino amore exultat in tribulationibus, in persecutionibus, in afflictionibus, in contradictionibus, & in confusionibus, quemadmodum de Apost. Act. 5. scriptum est: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati pro nomine Iesu.*

2. in prosperis humilitas. — *Ad Phil. 3.*

Secundum folium est in prosperis humilitas. Profectò, qui iam plenus est dulcedine Dei, spernit diuitias, fastidit delitias, abhorret magnificentias: & quascunque glorias sæculares, cum Apost. ad Philip. 3. dicat: *Omnia detrimentum feci: & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.*

3. in mixtis inuariabilitas.

Tertium folium est in mixtis inuariabilitas. Mens profectò adhærens Deo, conspiciens mundi labiles vanitates, nouitates, mutabilitates, & infinitas inquietudines: licet talibus hominibus compatiatur ex corde, tamen in se immobilis perseuerat, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* Et tamen quasi mysticus ambidexter Aod, de quo dicitur Iudicum 3. quod vtraque manu pro dextera vtebatur, in prosperis, & aduersis, & variis semper reportat lucrum, teste Apostolo, qui ad Rom. 8. ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et iterum Prouerb. 12. Salomon ait: *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.*

Quod tria sunt, quæ in qualibet tentatione hominem faciunt virtuosum.

CAP. IV.

Octauum lilium est victoria tentationum. Iob. 7.

Quartum lilium est victoria tentationum. Licet enim mens diuino amore ardeat, & flammescat: tamen in præsenti militia absque pugna tentationum esse non potest. Quemadmodum Iob. 7. dicitur, *Militia est vita hominis super terram.* Permittit namque Saluator pios electos suos à mundo, à carne, & dæmoniis impugnari, vt in pugna cum adiutorio victoriam consequantur, & demum in gloria copiosius coronentur. Proinde Apost. 2. Timoth. 2. ait, *non coronabitur nisi qui legitime certauerit.* Hoc lilium habet tria folia. Primum est intellectus illuminatio, secundum est affectus inflammatio, tertium est affectus roboratio.

2. Tim. 2. — *Hoc lilium tribus constat foliis.*

1. intellectus illuminatio.

Primum est intellectus illuminatio. Ex sæpe habita victoria multarum tentationum redditur homo magis cautus, magísque discretus contra insidias aduersariorum. Experitur in pugna sæpe imbecillitates suas, necessitatem consilij, & auxilij Dei, arduitatem virtutum, malignitatem vitiorum, malitias dæmonum, & sic ex tali experientia totus intellectus in talibus illuminatur. Vnde Ecclesiast. 34. ait. *Qui non est tentatus, qualia scit.* ? Et iterum Thren. 1. *De excelso misit*, id est mitti permisit, *ignem*, scilicet tentationum *in ossibus meis, & erudiuit me.*

Eccles. 34. — *Thren. 1.*

2. affectus inflammatio.

Secundum folium est affectus inflammatio. Secundum enim Gregor. multum sibi adiicit lacessita virtus.

vitus. Sicut enim lapis, vel silex percussus scintillat ignem; sic mens iusti vexata diuino flammescit amore, dilatatur feruore, & in diuina gratia semper suscipit incrementum. Vnde Psalm. hoc sentiens ait; *In tribulatione dilatasti mihi*, scilicet animam meam, vt amplioris dilectionis capax fiam. Diabolos enim est faber Dei, sicut Dominus, Isa. 54. ait, *Ego creaui fabrum*. Fabri huius focus est mundus, carbones tribulationes, folles ascendentes, & descendentes, sunt impij iustos prementes, & opprimentes. Et de talibus Propheta ait, *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos*. Ferrum inflammandum, sunt iusti tentati, ac vexati, & persecutionibus quasi malleis formati, vt quotidie in diuino amore ardentius transformentur.

Psal. 4. *Isa. 54.* *Psal. 106.*

3. est affectus roboratio. Tertium folium est affectus roboratio. Ignis quippe vento pulsatus in maiorem erigitur flammam, atque fortius roboratur & incalescit; sic quoque stomachus hominis, & hæc nostra habitabilis terra, dum frigore coarctantur, ex calore intus arctato robustiores fiunt. Quod etiam Gregor. testatur, dicens: Electorum desideria, dum premuntur aduersitate, crescunt. Sicut ignis flatu premitur, vt conualescat: & vt vnde extingui creditur, roboratur.

Articulus Tertius,

De quatuor vltimis gradibus diuini amoris, qui pertinent ad perfectos.

TErtio subiungendi sunt alij quatuor gradus diuini amoris, qui ad perfectos pertinere noscuntur: qui etiam quatuor lilia dici possunt. Primus gradus est securitas aduersitatum, secundus exaltatio mentis in Deum, tertius subiectio spiritus ad ipsum Deum, quartus mentalis pax, & de aduersariis victoria triumphalis.

Quod tria sunt, quæ in qualibet aduersitate animam assecurant.

Cap. I.

Nonum liliũ est securitas aduersitatũ. PRimum lilium est securitas aduersitatum. Mens quippe iusti multiplicibus tentationibus, & vexationibus agitata, & in omnibus victoriosa iam facta, in aduersitatibus secura, vt nullo illarum impetuoso incursu quomodolibet expauescebat. Huius lilij tria sunt folia. *Huius lilij triplex foliũ.* Primum est ad Deum adhærentia, secundum in Deum confidentia, tertium de Deo complacentia.

1. Deo adhærentia. Primum folium est ad Deum adhærentia. Nam mens iusti proprij amoris, & complacentiæ vtique inimica, seipsam abhorrens omni studio, & conatu adhæret Deo, & sentiens efficaci experimento suæ dulcedinem pietatis, & sapientiam veritatis, atque magnificentiam potestatis, nullum aduersarium expauescit, continuè poscens à Domino, illud Iob. 17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Et illud Apost. Ro. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? an persecutio, an tribulatio, an nuditas, an angustia, an fames, an periculum, an gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.*

Iob. 17. *Rom. 8.*

2. in Deo confidentia. Secundum folium est in Deo confidentia. Tot & tantas in præterito virtute Dei victorias habuisse se sentit, quod nedum in prælio expauescat, verum etiam quolibet aduersariorum insultu corde magno exultat. Proinde de aduersitate triumphum in Domino sperans, cum Propheta confidenter ait: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*, scilicet cum victoria lucrum. Tunc sicut dicitur 1. Ioan. *Charitas foras mittit timorem.* Et cum Apost. ad Rom. 8. *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Psal. 26. *Ioan. 4.* *Rom. 8.*

3. de Deo complacentia. Tertium folium est de Deo complacentia. Non potest talis anima de dilecto quoquomodo dubitare, videlicet, quod relinquatur ab eo in tempore eius necessitatis: experimento cognoscens, quod, 1. Cor. 10. Apost. ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum.* Vnde Hier. 15. in fine, *Bellabunt aduersum te*, scilicet aduersarij tui, *& non præualebunt; quia ego tecum sum, vt saluem te.*

De triplici exultatione, quam efficit transfusio mentis in Deum.

Cap. II.

Decimum lilium est exultatio. SEcundum lilium est exultatio mentis in Deum, scilicet propter transfusionem. Cum enim iam mens est in omni aduersitate secura, in delitiis Altissimi epulatur, sicut Prou. 15. dicitur, *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* *Prou. 15.* Hoc lilium tria habet folia, secundum quod est triplex exultatio mentis. *Hoc lilium tribus constat foliis.* Primum est exultatio spiritualis, secundum est exultatio affectualis, tertium est exultatio corporalis. Quæ triplex, exultatio, Apoc. 14. insinuatur ordinate. Vnde Ioan. ait: *Audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audiui, sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis.* In quibus sacratis verbis tria prædicta folia demonstrantur.

1. exultatio spiritualis Primum inquam folium est exultatio spiritualis: & de hac Ioan. ait, *Audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum.* Cum enim vox mentis corporalis non sit, necesse est, vt tantum sonet, quantum ad internam cordis lætitiam intonat. Vnde Propheta ait, *Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum.* Hæc vox de cælo conuenienter venit, cum ex intuitu puræ mentis, qua iustus infinitam Dei dulcedinem contemplatur, ad spiritualem lætitiam exultando consurgit. Huius quippe lætitiæ magnitudo per vocem aquarum multarum merito denotatur: quoniam ex imperio rationis Dei infinitam dulcedinem contemplantis multiplex spiritualis lætitiæ sensus, & affectio suscitatur. Sicut enim spiritus turbinis concitans aquas in eis, motum facit & sonum: sic Spiritus sancti irradiatio, & afflatus, cum repleuerit mentem affectionibus puris, spirituali quodam impetu in eis motum efficit pietatis, sonum internæ iucunditatis: & de hac aqua, & motu eius dicit Dominus Ioan. 14. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* *Ioan. 4.*

2. exultatio affectualis. Secundum folium est exultatio affectualis, quæ in excessu internæ exultationis prorumpit: & de hac Ioan. subdit, *Et tanquam vocem tonitrui magni.* Tonitruum quidem ex aquæ vapore & fumo subtili terræ, dum per solis calorem in aerem eleuantur, dignoscitur causari. Cum enim ex frigiditate aeris vapor aquæ condensatur, in nubem rumpit, atque frangit, & locum latiorem petens ab angustiis nubis inflammatus foras exiens sonum facit. Mens profecto humana, & spiritualis, & pura, duo in se habet quasi principia contemplatiuæ admirationis.

Mens pura duo habet in ſe quaſi principia contemplatiua admirationis.

Ipſa enim cum ſit ſicuti purus aer per operationem ſolis iuſtitiæ in voluntate, ſeu affectione recipit deuotionis humorem,& fumum incendij diuini amoris. Cum autem ipſa mens fuerit diſpoſita hoc modo, feruor diuini amoris in pia mente ex his creſcit, quæ etiam contemplando in Deo comprehendit. Cumque reſpectu vniuerſitatis gaudij anguſta fuerit, quaſi per quandam naturæ ſuæ violentiam immenſus Dei amor eam ſuauiter rumpens diuinæ admirationis in ea ſtrepitū facit. Et de hac Propheta ait,Pſal.76.*Vox tonitrui tui in rota.* Quid per rotam, niſi humana mens, quæ imaginem Dei portans, finem, ſicut rota ignorat? In hac rota fit vox tonitru Dei: cum admirabilis Dei amor incomprehenſibilis dulcoris ſenſum quodam ſpirituali ſtrepitu infundens, admirationem in humana mente inducit. Et hoc idem eſt, *vox tonitrui magni*, de qua hîc Ioan. ait: Spiritualis enim & pura mens incomprehenſibilia à Deo quodammodo comprehendens: quicquid in Deo videt ſupra ſuam comprehenſionem, atque omnium creaturarum, ſicut ſupra diximus eſſe, admirando ſtupet. Nihil enim in Deo, qui ſecundum Apoſt. 1. Theſſ.6. *Lucem habitat inacceſſibilem*, quantuncunque minimum fuerit, mens, quantumcunque minima, & pura, comprehendere poteſt, ſed tantummodo admirari. Ideo Iob. 26. ait: *Cum vix paruam ſcintillam ſermonis eius audierimus*, id eſt rationem cuiuſcunque modici facti comprehendere valeamus: *quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri*, id eſt cognoſcere rationem mirabilium iudiciorum eius?

Pſal. 76. — *1. Theſſ.6.* — *Iob.26.*

3. exultatio corporalis.

Tertium folium eſt exultatio corporalis. Non enim ſolum hæc conſolatio Dei replet in his iuſtis contemplatoribus mentem ſolam: verumetiam redundat in domitam carnem. Vnde Ioan.ſubdit. *Et vocem, quam audiui, ſicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis ſuis.* Quid enim huiuſmodi cytharœdi ſunt, niſi iuſtorum ſpiritus puri? Quæ autem hæ cytharæ, niſi eorum corpora munda, & vacua à peccatis? Tales enim cytharœdi varios exultationis ſonos in ſubditis ſibi corporibus efficiunt, ex quo corpora eorum quaſi cytharæ ſpirituales exultationis redundantiam ab ipſis ſpiritibus Dei exultatione & dulcedine plenis recipiunt. Vnde Propheta ait, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis*: hoc dicitur quantum ad exultationem ſpiritus rationalis, qua in Deum, ſecundum conſcientiam bonam gaudet, & lætatur: quantum vero ad redundantiam ad corpus ſpiritui ſubiectum, adiungit, dicens, *Exultationes Dei in gutture eorum.*

Pſal.149.

De triplici veraci obedientia perfecti amoris.

Cap. III.

Vndecimum lilium eſt ſubiectio ſpiritus ad Deū.

Hoc lilium tribus conſtat foliis.

TErtium lilium eſt ſubiectio ſpiritus ad Deum. Manifeſtiſſimum vtrique ſignum eſt, quod exultatio, de qua ſupradictum eſt, ſit vera: & ex munere Dei, non ex illuſione diaboli: ſi poſt eam ad ipſum Deum ſpiritus ſubiectio ſubſequatur. Tria enim folia hoc lilium habet, ſecundum quod triplex eſt obedientia è talibus obſeruanda. Primum eſt obedientia minorum ad maiores, ſecundum eſt obedientia æqualium ad æquales, tertium eſt obedientia maiorum ad minores. Prima dici poteſt obedientia neceſſitatis, ſecunda obedientia charitatis, tertia obedientia humilitatis. Hanc quidem triplicem obedientiam poſuit B. Franciſcus in ſua regula.

Triplex eſt obedientia.

1. obedientia neceſſitatis.

Prima eſt obedientia neceſſitatis, ſcilicet quæ fit propter emiſſum votum, & per eam ſuperioribus obeditur. Et de hac in 2.cap.regulæ ait: Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam: promittentes, vitam iſtam ſemper & regulam obſeruare. Et iterum in 10. cap. ait: Fratres vero, qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Et merito hoc dicit. Quia profecto obedientiæ virtutem adipiſci non poterit, qui voluntates proprias calcare non nouit. Et ſubdit. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant ſuis miniſtris, id eſt ſuis prælatis in omnibus quæ promiſerunt Domino obſeruare: & non ſunt contraria animæ ſuæ, nec regulæ noſtræ. Nam in talibus ſuis prælatis tenentur obedire. Huius obedientiæ exemplar eſt Chriſtus, qui, vt dicitur ad Philip.2. *Factus eſt obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et Luc.22. ad Patrem ait. *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

Quis verus obediens. — *Philip. 2.* — *Luc.22.*

2. obedientia charitatis.

Secunda eſt obedientia charitatis: & de hac in 6.c.regulæ dicitur: Vbicunque ſunt, & ſe inuenerint Fratres, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe: & ſecure manifeſtent vnus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit & diligit filium ſuum carnalem: quanto diligentius debet quis enutrire, & diligere fratrem ſuum ſpiritualem? & merito hoc dicit. Nam profecto in mutuis neceſſitatibus comportandis debent maxime Fratres alter alteri obedire. Nam obedientia mutua, mutuæ dilectionis ſignum eſt & effectus. Et ad hanc inducebat Dominus Apoſtolos, Ioan. 15. dicens: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.*

Mutua obedientia mutua dilectionis ſignum. — *Ioan. 15.*

3. obedientia humilitatis.

Tertia obedientia eſt humilitatis, per quam inferioribus obeditur. Vnde B. Franciſcus in dicto 10. c. ſuperiores inuitat, cum eos miniſtros, & ſeruos aliorum Fratrum commemorat eſſe; ipſoſque habere tantam familiaritatem circa recurrentes ad ſe ſubditos mandat, vt ex eis idem ſubditi dicere poſſint, & facere, ſicut domini ſeruis ſuis. Nam ita, inquit, debet eſſe, vt miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum, vt videlicet ſicut ſerui dominis, ſicut miniſtri ſubditis, in quibus iuſte poſſunt, obediant. Huiuſmodi obedientiæ Chriſtus in Euangelio formam dedit, vt cum dicitur Luc. Matri, & nutritio ſubditus fuit: & baptizari Dominus voluit à ſeruo ſcil. Ioanne Baptiſta. Cum etiam Mat.3. ait. *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam*, id eſt, humilitatem perfectam, per quam maior ſubditur minori.

Luc. 2. — *Matth. 3.*

De triplici triumphali pace, quam conſequitur Dei conſummatus amor.

Cap. IV.

Duodecimum lilium eſt mentalis pax.

QVartum lilium eſt mentalis pax, & de inimicis victoria triumphalis. Caro perfecta eſt per intermedium, cuius mundus, & diabolus ſpiritui aduerſantur. Ideo cum caro ſpiritui obedientiam ſeruat, pax vndique in anima regnat: & tunc ſicut Propheta inquit, *Factus eſt in pace locus eius.* Hoc ſimiliter lilium tria habet folia. Primum eſt pax cum carne, ſecundum eſt pax cum mundo, tertium eſt pax cum diabolo. Prima eſt in carne exigenda, ſecunda à mundo reiicienda, tertia eſt à Domino impetranda.

Pſal. 75. — *Hoc lilium tribus ad hoc conſtat foliis.*

1. eſt pax cum carne.

Primum folium eſt pax cum carne. Hanc pacem debet homo à carne violenter exigere: non autem ipſe carni ſuæ exhibere, vt fiat hæc pax à ſola carne: dum de ſui natura ſemper, dum in corpore viuimus peregrini, ad vitia naturaliter prona ſit. Proinde nunquam debet ſe ſpiritus ſubdere contumeliis ſuis, nunquam eius voluntati parere, nunquam de illius quiete confidere. Quinimmo ſemper iugi labore fatiganda, continua abſtinentia edomanda, aſſidua vigilantia obſeruanda, donec ſupplex pacem poſcat, pacem promittat, pacemque cuſtodiat, deſinat rebellare, neſciat concupiſcere, ſequatur ſpiritum, & omnino recognoſcat Dominum

eſſe

Psalm. 72. esse suum, atque cum effectu ad spiritum dicat: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Tamen sicut ait Cæsarius in quodam sermone: Si pacifica est Deo anima nostra, tunc animæ nostræ subdita erit caro nostra. Nam si te non regit superior, cruciat te, & affligit inferior.

2. Pax cum mundo quam iustus renuit.

Secundum foliú est pax cum mundo. Et hanc debet iustus à mundo oblatam reiicere. Hæc autem pax à spiritu quidem solo fieri debet, non obtineri à mundo, immo etiam à mundo oblatam despicere necesse est. Nunquam etenim verus iustus quærere debet, aut velle, quod mundus ei suis oblectamentis deseruiat, quod obsequio suo demulceat, vel suis fauoribus blandiatur. Sed magnanimus spiritus eius omnia quæ múdi sunt, illi in faciẽ eius proiicere debet, ipsum despicere, facto cótemnere, seque postmodum mundo ad omnem iniuriam gratanter exponere, & in mundi opprobriis, iniuriis, contumeliis gloriari, atque cum Apostolo ad Galat. vlt. decantare: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, &c. & tunc acquiritur pax à iusto in mundo, cum nulla eius prospera concupiscit, nulla eius aduersa pertimescit, cuncta transitoria contemnit, & spernit. Sicque Dominus mundi pacificus factus est, dicente Domino iustorum cœtui, illud Deuter. 11. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester*, id est contempserit affectus vester, *erit vester.*

Magnanimus mundi dona renuit.

Ad Gal. vlt.

Deut. 11.

3. Pax cum diabolo. Quæ à Deo solo petit debet.

Tertium folium est pax cum diabolo. Hanc autem debet iustus apud Deum obtinere precibus. Hæc pax nec à spiritu, nec à diabolo fieri potest. Nam qualem diabolus per spiritum fieri vellet, nunquam debet spiritus consentire: & qualem iusti spiritum probare decet, diabolus in æternum tali non consentiret. Et quidem post geminam pacem, quæ non potest corrumpi à carne, nec valet perturbari à mundo diabolus, quia spiritui inferre molestiam Dominus non permittit: ideo ad callida argumenta, & occultas insidias se conuertit, & dolis, atque decipulis eum circũuenire contendit. Sed debet iusti spiritus contra hunc aduersarium nostrum, & per prudentem discretionem semper vigilare, & per feruentem orationem contra ipsum pugnare, atque per gratiæ adeptionem de ipso triumphare in nomine Iesu Christi. His igitur victoriis acquisitis, datur humanæ menti ascendere ad illam pacem, quæ secundum Apostolum ad Phihpp. 4. *Exuperat omnem sensum.* Et quam Apost. vocat pacem, Ioan. Apoc. 7. silentium vocat, dicens: *Factum est silentium in cælo,* quasi media hora. Propheta autem vocat eam somnum, dicens: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Ad quam pacem nos simul perducat Dominus Iesus per gratiam, & in futuro per gloriam, vt ea fruamur in æternum. Amen.

Ad Philip. 4. Apoc. 7.

Psalm. 4.

SYNOPSIS

Eorum, quæ maxime continentur in hoc Sermone.

Qui de Stigmatibus B. Francisci, continet tres articulos, quorum, primus tria habet capita, secundus nouem, tertius denique tria.

Articuli primi, Quod tria significant Stigmata beati Francisci ex parte Domini Iesu Christi, quæ sunt in illa,

Cap. 1. *Ad quamam perfectionem, & altum statum electus fuit & est beatus Franciscus per clementiam Dei Saluatoris.*

Cap. 2. *Quanta Christi sapientia effulgeat in Stigmatibus beati Francisci, & de triplici sapientia Christi sibi communicata.*

Cap. 3. *Quantum appareat potentia Dei in Stigmatibus B. Francisci, & de laudibus montis Aluernæ.*

Articuli secundi, quod sacra Stigmata ostendunt tria sublimia fuisse in beato Francisco,

Cap. 1. *De septem flammis ardentissimæ charitatis quæ fuerunt in beato Francisco.*

Cap. 2. *Quod triplici virtute consecutus est B. Franciscus illa Sacra Stigmata in corpore suo.*

Cap. 3. *Octo sunt crucis apparitiones.*

Cap. 4. *De apparitione seraphica.*

Cap. 5. *Mysterium sex alarum gloriosi Seraphici.*

Cap. 6. *Vis triplex diuini amoris.*

Cap. 7. *De triplici Stigmatum dignitate, & quæ sit illa.*

Cap. 8. *De duodecim miraculis Stigmatum beati Francisci.*

Cap. 9. *De duodecim priuilegiis Stigmatum beati Francisci.*

Articuli tertij, De triplici perfectione, atque de triplici parte euangelicæ perfectionis, quæ omnia in beato Francisco fuerunt in exemplum nostri,

Cap. 1. *Quod in tribus consistit pars prima euangelicæ perfectionis.*

Cap. 2. *Quod euangelicæ perfectionis secunda pars in duobus consistit.*

Cap. 3. *De iucunda aduersorum perpessione, in qua euangelica perfectio consummatur.*

De Stigmatibus beati Francisci.

Sermo III.

VIDETE *manus meas & pedes meos.* Luc. 24. & in Euangelio hodierno. Admiranda sunt verò opera passionis Saluatoris, tantæque dignationis, & dignitatis, vt & immensi amoris eius expressionem, & gelidi nostri affectus inflammationem, atque passionis imitationem demonstrent, postulent, & procurent. Proinde, quod Dominus Apostolis ait, omnibus nunciauit, dicens: *Videte manus meas, & pedes meos.* Quod quidem beatus Franciscus prudenter aduertens, totam vitam suam imitationi Dominicæ passionis consecrauit. Ex hoc quidem factum est, quod tanto amore, tanto feruore, tantoque ardore transformatus est in crucifixum Iesum, vt miraculo omnibus inaudito sæculis, benignitas Saluatoris mihi in carne illius imprimeret similitudinem suæ sanctissimæ passionis, constituens eum vexilliferum in noua remuneratione crucifixionis eius. Sic denique consignatus Stigmatibus Domini Iesu Christi, ostendens Stigmata illa sacra, quæ fuerunt fructus Dominicæ passionis omnibus fidelibus, ait propositum verbum, dicens: *Videte manus meas, & pedes meos*; quia scilicet Christo crucifixo confixus sum, & eius similitudinem consecutus sum. Merito ergo Apoc. 7. in apertione sexti sigilli à Ioanne Euangelista, B. Franciscus habens sic sacra Stigmata descriptus est, cum ait: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui.* Quod verbum potest esse aliud thema. In quo ostenditur gloriosi Francisci triplex perfectionis status. Primus est gratiosæ conuersationis ibi: *Vidi alterum Angelum.* Secundus radiosæ illustrationis ibi: *Ascendentem ab ortu solis.* Tertius est amorosæ consignationis ibi: *Habentem signum Dei viui.*

Luc 22.

B. Franciscus Dominicæ passionis imitationi totam vitam suam consecrauit.

Apoc. 7.

B. Franciscus Angelus Apocalypsis. Triplex perfectionis statum.

1. Gratiosa conuersatio.

Primus est gratiosæ conuersationis, vnde ait: *Vidi alterum Angelum.* Præcesserat enim ante eum Angelicus vir, gloriosus Dominicus, in Angelica vita

pariter

pariter & doctrina. Beatus enim Franciscus est alter Angelus in regula, & fide, atque vita. Qui propter facta Angelus nuncupatur, tum propter eius angelicam vitam, tum quia Dei nuncius fuit ad renouandum in mundo Euangelium Christi.

2. Radiosæ illustrationis. Secundus vero illius status fuit radiosæ illustrationis, vnde inquit, *Ascendentem ab ortu Solis*. Ascendit vero ab ortu solis, quia sui ascensus in Deum initium, & fundamentum incœpit à Romana sede, quæ inter quinque Patriarchales ecclesias, ecclesia principalis est, sedes, & ciuitas veri solis scilicet Christi & fidei eius. Et de hac Isa. 19. typice scriptum est; *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti.* Et sequitur, ciuitas solis vocabitur. *Isa. 19.* Vna hæc est principalis, & prima. Vel sic ab ortu solis ascendit, quando per diuinæ sapientiæ exemplum prædicationem, & sensum cum suo ordine mundum irradiauit. Sicut enim Apocal. 6. obscuratio Solis diuinæ sapientiæ subtractionem in mundo signat, per quam generalis ruina statuum, & personarum, & ecclesiarum in ecclesia surgit, sic etiam ortus Solis diuinæ sapientiæ illustrationem significat, quæ in sexto ecclesiæ statu in mendicantibus ortum sumpsit, & creuit. *Apoc. 6.* Proinde Bonauent. in illuminationibus suis, vocat prædictum tempus, tempus illuminationis scripturarum, eo quod in hoc tempore mirabilius declaratæ sunt à Doctoribus ordinum prædictorum. Propter hanc autem declarationem à generali ruina in vita iustitiæ conseruantur quicunque merito Christi, & inter alios auxilio beati Francisci: elegit enim Deus illos ante mundi constitutionem, vt essent sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, vt dicitur ad Ephesios. *Plures viri tui B. Francisci conseruantur.*

Tertius status illius fuit amorosæ consignationis: vnde sequitur, *Habentem signum Dei viui*, id est Stigmata illa sacra à Christo sibi miraculosè impressa. Huic sententiæ attestatur assertio, quam fecit Dominus Bonauent. in Capitulo Generali Parisijs celebrato, cum esset nostri Ordinis Generalis minister. Nam prædicans in ipso Capitulo cum maximo feruore, asseruit, se certissime scire per reuelationes indubitabiles, & solemnes factas talibus personis, qui de hoc non poterant dubitare, quod beatus Franciscus erat singulariter Angelus sexti signaculi, Apocal. 2. & quod ad litteram de ipso, atque illius statu, & ordine intellexit Euangelista Ioannes, atque in spiritu eum vidit, quando protulit dicta verba? necnon & filiorum suorum perfectè imitantium Christum, collegium in omnibus senarijs liber Apocalypsis clarius intellexit. De his ergo Stigmatibus tria mysteria considerare libet. Primum est, quid significent ex parte Christi: secundum, quid indicent ex parte Sancti; tertium, quid annuncient ex parte nostri. *B. Franciscus est singulariter Angelus sexti signaculi.*

Articvlvs Primvs.

Quid tria significant Stigmata beati Francisci ex parte Domini Iesu Christi, quæ sint in illa.

De his Stigmatibus tria mysteria consideranda. PRimum mysterium consideremus, scilicet, quid hæc sacra Stigmata significent ex parte Christi. Tria quidem significant ex parte Christi. Primo, clementiam eligentem: secundo, sapientiam prouidentem; tertio, potentiam imprimentem.

Ad quantam perfectionem, & altum statum electus fuit, & est beatus Franciscus per clementiam Dei Saluatoris.

Cap. I.

PRimo inquam ostendunt clementiam eligentem, scilicet gloriosum Franciscum in suum singularissimum filium. Proinde Aggæi 2. in fine, dilectæ sponsæ personæ dicti Francisci beati, pro mente, & carne Dominus ait: *Ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus.* In quibus verbis tria Propheta enunciat. Primo, Christi officium: secundo, Francisci signaculum: tertio, electionis testimonium. *Status clementiæ B. Francisci.*

Primo vero enunciat Christi officium. Ait enim, *Ponam te.* Quia per seipsum, non per alium apparuit ei Iesus. Nam sicut in sua persona, non in alia, carnem nostram assumpsit, & in carne sua passibili perfectionem euangelicam exemplauit: sic & per seipsum gloriosum Franciscum in suæ acceptatæ perfectionis signaculum figurauit, & consignauit. Profectò nec per alium hoc fecit, quia nec alius, nec alia creatura potestatem habet transformandi animam in diuinum amorem, nec per consequens ipsum corpus: igitur talis transformatio facta est, non virtute Angeli, sed ipsius Dei. Præterea, nec per alium hoc mysterium debebat fieri, sed per illum, qui Stigmata suæ passionis gestabat in corpore, vt sibi eum similem redderet & conformem. Debuit tamen ei Christus in specie Seraphica apparere, tum vt aperte claresceret: quod cor eius sine alio medio vnitum, & inflammatum erat cum ipso Iesu, tum vt amicus Christi præuosceret ipsum, non per martyrium carnis, sed per incendium mentis in Christi similitudinem transformandum, quod plus amore, quam notitia in Deum anima transformatur: tum vt apertius appareret, eum perfectiones seraphicas adeptum esse, ac in ordine seraphico finaliter collocandum. Nec insuper tantum in specie seraphica illi apparere debuit, sed veluti cruci affixus, vt aperte innotesceret, quod non cœlestis spiritus illa Stigmata imprimebat, sed ille, qui pro nostra salute crucifixus est, atque ex seraphico ardore cordis eius Christum in crucifixi similitudinem transformabat. Apparuit ergo in specie Seraphin, & veluti cruci affixus. Quia vbi primum sine secundo esset amor illius, potius circa creaturam extitisse videretur. *Per seipsum apparuit Christus B. Francisco.* *Cur in specie Seraphica apparet.*

Secundo Propheta enunciat Francisci signaculum, ideo addit, *Quasi signaculum.* Hoc enim dicit propter defectum analogiæ. Analogia Græcè, Latinè dicitur similium comparatio, seu proportio. Defecit autem analogia, id est, comparatio, seu proportio, quæ est in omni alia perfectione exemplata à Christo Iesu. Non enim æquari possunt adeptio gratiæ, & generatio naturæ: personalis vnio, & conformitas voluntatum: summa perfectio, & imitatio eius. Prima quidem fuerunt in Christo, secunda vero in beato Francisco. Proinde de beato Francisco, Daniel. 3. Prophetauit, dicens, *Species quarti similis filio Dei.* Fuit quippe quartus, inter principales Leuitas Stephanum, Laurentium, Vincentium, fuit Franciscus: fuit etiam quartus inter ordinem Patriarcharum, videlicet Basilium, Augustinum, Benedictum, Franciscum. Fuit ergo similis filio Dei, non similitudine qualitatis, qua *Lucifer voluit esse similis Altissimo*, Isa. 14 sed similitudine conformitatis, sicut prædictum est, qualis est similitudo addiscentis ad instruentem, ac quiescentis ad consulentem, obedientis ad imperantem, & imitantis ad exemplantem. Hoc siquidem fit propriè, cum voluntas nostra diuinæ voluntati conformatur in volito, in voluntatis motiuo, in volendi *Daniel. 3.* *Quomodo Franciscus similis filio Dei. Isa. 14.*

tendi modo, atque in fine intento: vt voluntas sit bonitas, motiuum charitas, motus liberalitas, finis Dei fœlicitas. In qua scilicet Dei voluntas in omnibus adimpletur. Sed vltra has similitudines fuit in B. Francisco corporalis consignationis singularitas, vt propter singularitatem primis temporibus inexpertam possit de eo homo admiratiuè interrogare fideles: dicens illud verbum Prophetæ, *Quis similis Deo in filiis Dei?*

Psal. 88.

Tertio Propheta Aggæus enunciat electionis testimonium, seu signum, dicens: *Quia te elegit, dicit Dominus*, quia meta gratia te feci Angelum sexti signaculi, quem ex omnibus filiis gratiæ ad hoc elegi: qui infinna mundi eligo, vt fortia quæque confundam. Signum autem, quod Christus elegerit beatum Franciscum, tanquam suum imitatorem singularissimum, sunt admiranda prodigia eius. Proinde conuenit sibi illud Ecclesi. 45. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Gloria quidem Sanctorum in hac vita, est claritas miraculorum, in quibus Franciscus, Iesu similis singularitet fuit: vt igitur nos ad litteram connectamus. Hic, sicut Christus, aquam in vinum conuertit, panes multiplicauit, & de nauicula in medio fluctuum maris immota per se ad terram adducta docuit turbas in littore auscultantes. Huic omnis creatura, quasi ad nutum videbatur parere, ac si in ipso status innocentiæ esset restitutus. Et vt cætera taceam, cæcos illuminauit, claudos, surdos, paralyticos, & omnium infirmitatum generibus laborantes curauit. Leprosos mundauit, dæmones effugauit, captiuos eripuit, naufragis succurrit, & quam plures mortuos suscitauit. In quibus omnibus vix est inuentus similis illi, qui tot miraculis in vita, & in morte claruit iam à statu primitiuæ Ecclesiæ.

Franciscus Christi imitator singularissimus. Eccl. 45. Gloria Sanctorum claritas miraculorum.

Quanta Christi sapientia effulgeat in Stigmatibus beati Francisci: & de triplici sapientia Christi sibi communicata.

Cap. II.

Secundo præfata Stigmata significant ex parte Christi sapientiam prouidentem, quam ostendit in carne B. Francisci, & ipsa Stigmata imprimendo. Tripliciter enim sapientiam illi circa hoc communicauit. Primam interiorem, secundam superiorem, tertiam exteriorem.

Secundo, id significant Stigmata.

Primo vero dedit ei sapientiam interiorem. Proinde dicere poterat Franciscus, illud Matth. 11. & Luc. 10. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Ait enim: *Confiteor tibi Pater*, scilicet per immaculatas laudes, & gratiarum actiones. *Domine cæli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*, scilicet huius mundi, vnde 1. ad Corinth. 1. *Stultam fecit Dominus Deus sapientiam huius mundi.* Sumitur autem sapientia in cognoscendis, & prudentia in agendis, Hier. 40. *Sapientes sunt, vt faciant malu: bene autem facere nescierunt.* Est autem triplex sapientia huius mundi, de qua Iacob. 3. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Terrena, vt in cupidis, & in auaris: animalis, vt in voluptuosis, & luxuriosis: diabolica, vt in superbis, & elatis. A talibus enim omnino abscondita est sapientia Dei. Proinde Iob. 48. ait: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, quoad voluptuosos. *Abyssus*, scilicet auarorum, *dicit, non est in me. Et mare*, scilicet superborum, *loquitur, non est mecum. Item abscondisti hæc à sapientibus*, qui scilicet sese reputant sapientes, atque prudentes, Roman. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et reuelasti ea paruulis*, id est, humilibus. Non tamen excludit acumen ingenij, sed damnat tumorem supercilij, secundum glossam. Tria siquidem sunt in paruulo maxime necessaria ad sapientiam, quæ fuerunt in beato Francisco: Vnde scilicet hanc sapientiam adeptus est. Hæc sunt humilitas, puritas, & credulitas, seu persuasibilitas: quæ sunt quasi tres sapientiæ claues. Humilitas, quia vbi humilitas est, ibi sapientia adest. Vnde Prouerb. 11. Puritas, quia in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subiecto peccatis, Sap. 1. Credulitas, quia oportet addiscentem credere, Isa. 7. *Nisi credideritis, non intelligetis*, secundum aliam translationem. Et addit: *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Ad litteram ait glossa, non reddit Dominus rationem, cur hos elegerit, illos vero reprobauerit: sed sic Deo placitum dicit. In quo accipimus exemplum humilitatis, ne temere discutiamus de supernis concilijs. Prou. 25. *Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Quæ omnia fuerunt, in beato Francisco.

Sapientiam Deus dedit B. Francisco.

1. Cor. 1.

Hier. 40. Est 3 sapientia huius mundi.

Rom. 1.

Tria sunt in paruulo necessaria ad sapientiam.

Prou. 11.

Sap. 1. Isa. 7.

Secundo, dedit Dominus beato Francisco sapientiam superiorem, id est altissimam superiorum contemplationem. Proinde Apocalyps. 3. & Prouerb. 6. Dominus ait beato Francisco, *Scio opera tua*, scilicet per approbationem, *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quod modicam habes virtutem.* Diabolus namque de thesauris sapientiæ sibi naturaliter per creationem inditæ superbiens, claue diuinæ iustitiæ exclusus, nititur vnumquemque ab eodem thesauro excludere, superbiam suggerens, per quam vera sapientia indignus fiat, quicunque illi consensum præstat. Sic humilitatis discipulos, & veritatis alumnos tentabat in prima operatione virtutis, in thesauris sapientiæ Christi per gloriam vanam excludere, Luc. 10. vbi dicitur: *Quia discipuli reuersi sunt, dicentes: Domine, dæmonia etiam subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Per hoc autem verbum Prophetæ, quod subditur, *quod nemo potest claudere ostium apertum*, Christus discipulis suis dedit, cum per operationem virtutum eos ad sapientiæ suæ thesaurum per gratiam suam introducere disposuit, quod diabolus tunc claudere voluit, quando de virtutum gratia eis vanam gloriam subiecit. Eis tamen hoc ostium claudere non potuit, quos insigniter doctrina sua statim ad humilitatem reduxit, dicens: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: quasi dicat: Si Sathanas in tanta nobilitate naturæ conditus, per inanem gloriam subito ruit, quomodo vos naturæ infirmioris de virtutibus, quas non ex vobis, sed ex gratia Dei suscepistis gloriantes ad cœlestia consurgere poteritis? Sicut ergo superbia ostium contemplationis cœlestium, superbienti Angelo clausit: sic vere humilitas terreno homini, id est, glorioso Francisco ostium cœlestis contemplationis cœlestium secretorum aperuit. Ideo Ioan. subdit: *Quia modicam habet virtutem.* Modica virtus digne humilitas nuncupatur: quia facit hominem seipsum modicum reputare, modicum apparere, modicam ad seipsum habere affectionē. Quæ tria maxime in beato Francisco fuerunt. In primo indicatur humilitas, Iac. 4. *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam*, scilicet supernarum contemplationum, & cogitationum. In secundo paupertas. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* In tertio austeritas, Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quæ omnia B. Franciscus impleuit.

Dedit beato Francisco sapientiam superiorem. Apoc. 3. Prou. 6.

Luc. 10.

Humilitas quomodo virtus modica dicitur.

Matth. 5.

Ioan. 12.

Tertio dedit ei Dominus sapientiam exteriorem, scilicet stigmata sua sacra, quæ sapientiæ interioris, & exterioris indicium extiterunt & indicabant Christi sapientiam prouidentem. Rex enim sapientissimus illud, quod nulla volt obliuione deleri, signo suæ maioris apparentiæ signat. Et quia renouationem passionis suæ, in qua sapientia sua abscondita est, & eam in

Dedit beato Francisco sapientiam exteriorem.

in carne Francisci sculpserat, per suæ crucis continuam transformationem nulla volebat maculatione fucari. Idcirco ad perpetuam rei memoriam suæ passionis signa impressit in carne B. Francisci. Proinde *Ezech. 28.* Ezech. 28. quod scriptum est de Lucifero, beato Francisco mystice est dictum, *Tu signaculum plenitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Sicut enim Lucifer in exordio suæ creationis simillimus fuit Deo in vniuersa multitudine Angelorum, secundum Isidorum lib. 1. de som. bon. sic gloriosus Franciscus circa terminum vitæ suæ simillimus fuit Christo in tota vniuersitate Sanctorum. Ideo quod dicitur de principio Luciferi: ad idem dicitur de fine Francisc. scilicet tu signaculum, &c. Et sicut verbum propositũ prolatum fuit de Lucifero ad litteram pro statu suæ inenarrabilis fœlicitatis, quam habuit ante suam subuersionem: sic conuenienter assumitur pro beato signifero Christi pro statu suæ incomparabilis sanctitatis, quam habuit post suam conuersionem. Nec obstat, si Sancti lucifero comparantur pro statu suæ creationis, quia superbi comparantur ei pro statu suæ subuersionis: quia sacra scriptura vtrumque statum distinguens, rectè quandoque extollit eum, vt admirabilem: quandoque vero deiicit, vt execrabi- *Ezech. 28.* lem. De primo dicitur Ezech 28. *Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* De se- *Isa. 14.* cundo Isa. 14. dicitur: *Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes.* Proinde quantum ad statum suæ creationis verbum prædictum conuenienter assumi potest. Ait ergo, *Tu signaculum similitudinis.* Similitudo enim patris est verbum Dei, speciosissima species, & formo- *Encomia B. Francisci.* sissima forma. Pulcherrimus ergo, & venustissimus erat gloriosus Franciscus, qui signaculum dicitur, tam formosæ similitudinis. *Candor est enim lucis æternæ, speculum maiestatis, & imago bonitatis illius.* Hoc perspicacius probatur: Quia quanto medium est purius, & sincerius, tanto magis perpetuum est specierum. Quare igitur corpus beati Francisci fuit sic figuratum specie crucifixi. Signum est, quòd caro eius fuit purissima, & anima quasi deificata, & purificata puritate. Tu ergo Francisce *signaculum similitudinis es.* Et additur, *plenus sapientia.* Profecto quicunque ad Dei sapientiam peruenire desiderat, ante omnia stultus sibi videri debet. Sic ait Apostolus, primo Corinth. 3. *Si quis inter vos sapiens videtur esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sapiens.* Cum enim homo didicerit in se contemnere sapientiam humanam, peruenit ad proprium diuinæ sapientiæ sensum, qui magis est per influxum spiritualem petendo diuina, quemadmodum Dionysius ait, quam agendo virtute humana. Quæ omnia beatus Franciscus seruauit, ideo diuina sapientia plenus fuit. Erat enim sapientia eius cœlica, desursum descendens, pudica, pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bo- *Prou. 3.* nis. Proinde Prouerbiorum 3. dicitur à Salomone in *Fuit Franciscus perfectus decore virtutum.* persona beati Francisci: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam, & noui scientiam Sanctorum.* Et subdit Ezech. dicens, & *perfectus decore.* Fuit enim perfectus decore virtutum, morum, & Stigmatum. Hunc decorem probat innocentia, qua bestiolas, & auiculas affectu desiderabili ad se traxit. Caro, quæ post mortem quasi glorificata resplenduit. Anima, quæ sub specie stellæ præfulgidæ in cœlo empyreo se recepit.

Sed & miracula multa, quibus postmodum clarus coruscauit. Et sequitur, *in deliciis paradisi fuisti*, scilicet sæpe ab omni sensu subtractus, & raptus: *Omnis lapis pretiosus*, id est omnis virtus perfectionis; *operimentum tuum*, quia in omnibus habituatus es virtutibus.

Quantum appareat potentia Dei in Stigmatibus beati Francisci, & de laudibus montis Aluernæ.

Cap. III.

Tertio quoque ex parte Christi præfata Stigmata *3. de Stigmatibus.* indicant potentiam imprimentem, quia imprimit terrorem aduersariis, & amorem filiis. Nam hæ sunt litteræ annulo regis Assueri signatæ, Hester. *Hester. 8.* 8. cap. Quia vt ibidem dicitur, hæc erat consuetudo, vt epistolis, quæ ex regis nomine mittebãtur, & illius anulo consignatæ erant: nemo auderet contradicere. Sed dilectis filiis gloriosi Francisci tantum potentia Iesu amorem imprimit, & vigorem: vnde dubitare non habent, quod sicut virtus Iesu vitam Francisci sensibilem persupernaturalem potentiam præbuerat in corpore vulnerato: sic etiam contra naturales nostræ carnis defectus viros Iesu in obseruantia regulari ipsius protexit, & conseruabit. Hoc est signum, de quo dicere potest illud Exod. 3. *Ego ero tecum. Et* *Exod. 3.* *hoc habebis signum, quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum*, scilicet Aluernæ. Felix igitur hic mons, quem tanto *Mons Aluernæ magno decoratus priuilegio.* priuilegio altissimus Iesus dignatus est insignire. Vere mons Dei, mons pinguis, mons Libani puritatis, mons Sion speculationis diuinorum, & mons perfectionis legis, quasi Sinaï. In quo non tantum mandatum sufficientiæ, sed consilium supererogationis perfectæ fœliciori igne incenditur, & sacratur. Ibi ardet rubus, & non comburitur spina: quia in illa lege ardet concupiscentia, & non remittuntur peccata, & hoc reuelauit Deus Moysi. Hic ardens apparet Iesus, & consumit concupiscentiam, & purgationis peccati scoriam in Francisco. Hic est mons templi Dei, mons Moris, in quo pacificus noster verus Salomon Iesus templum ædificat, non lapidibus ferro quadratis, atque politis: sed de Christi clauis, lancea, & spinis quadratis, & sculptis. De hoc igitur monte, Alexander 4. in Bulla, quæ incipit: Si nouæ militiæ militantis Ecclesiæ, sic ait ad ordinem totum. Sanè dilecti filij celebrem illum venerantis Aluernæ montem, in quo sublimatum corpus à subliniori animo non dissentit: cum ibi prius suus amor internus in monte feruens, intuitu Seraph, incalescens incendij feruore prorupit: exterius decorans corpus in cruce splendidissimis margaritis affectionis brachiis amplectimur tot, & tanta mirifice recolentes. Quem enim amicum, æternæ salutis, iste locus non delectet quam plurimum: vbi extremo iam instante sæculi senescentis interitu ostendit excelsus regis, militem regiis militaribus insignitum, vt regis aciem, iam labentem, iamque ab hostibus fugientem defenderet, & certamen victoriosum triumphatoris superni, verbis, & actibus, hostibus aggredientibus prædicaret. Hæc ille. Felicia *Stigmata corpori beati Francisci impressa deuotos suos protegunt.* etiam signa Dominicæ passionis in corpore Francisci impressa, cum protegant omnes deuotos suos, Ecclesiasticæ quippe domus, cruce picta signari solent, vt sub protectione papali persistere cognoscantur. Pontifices quoque propter hoc Ecclesias signant, vt ipsarum consecratio videatur. Templum ergo sanctissimum animæ, & corporis gloriosi Francisci, & regulam constitutam ab ipso consignauit, & consecrauit Pontifex summus Christus, atque sub sua protectione accepit, vt de cætero nullus audeat sibi esse molestus, quia Stigmata Domini Iesu in corpore suo portat. Vt omnibus plene constaret, quod regula eius est tanta protectione munita, quod quicunque

quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israël Dei. Proinde extra de vsur. c. Exiit, qui semin. l. 6. in declaratione regulæ Minorum Nicolaus Papa 3. sic de ipsa regula inquit. Ipsa euangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus, actibusque firmatur. Hæc est apud Deum, & patrem munda, & immaculata religio, quæ descendens à patre luminum, per eius filium exemplariter, & verbaliter tradita Apostolis: & demum per Spiritum sanctum B. Francisco, & consequentibus inspirata totius in sa quasi continet testimonium Trinitatis. Hic est enim, cui attestante Apostolo, nemo debet esse molestus, quem Christus passionis suæ Stigmatibus confirmauit: volens restitutionem ipsius passionis suæ signis notabiliter insigniri. Hæc illo.

Euangelico fundatur eloquio religio seraphica.

Articvlvs Primvs.

Quod sacra stigmata ostendunt tria sublimia fuisse in B. Francisco.

SEcundum mysterium, circa hæc sacra stigmata consideremus, scilicet quid indicent ex parte sancti. Primo ardentissimam charitatem, secundo perfectissimam vnitatem, tertio sublimissimam dignitatem.

De septem flammis ardentissimæ charitatis, quæ fuerunt in beato Francisco.

Cap. I.

1. Mysterium de ardentissima charitate beati Francisci.

PRimo quidem hæc Stigmata sacra ex parte B. Francisci indicant ardentissimam charitatem: Multum quippe accensa est fornax, quando per latera flammæ violanter erumpunt. O quanto amore Franciscus ardebat, cui amplissima cordis regio non sufficit, quin ipsa flamma amoris euaporaret per quinque corporis sui aperturas. Fecit enim ille ignis fenestras violentia sua, quia intra Francisci animam claudi non valebat: ideo penetrauit, & incendit carnem vicinam, & demum cuncta mundi climata inflammauit. Proinde quidam de illo sic ait. Sic transformatur cor amantis in id, quod amatur: vt per membra foris virtus prorumpat amoris. Magni quippe vigoris est ignis ille, qui humidum mare inflammauit. O quam ardebat desiccata ab omni amore mundi, regio mentis eius, quando sic humidum carnis suæ flammescebat, atque rubebat Spiritus sancti igne. Proinde Canticor. 8. vltimo glorioso Francisco Dominus ait, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: Quia fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* In quibus sacratissimis verbis, septem flammæ ardentissimi amoris per ordinem exprimuntur: quibus B. Franciscus ardentissime flammescebat. Prima dicitur meditatio, secunda imitatio, tertia separatio, quarta æmulatio, quinta inflammatio, sexta examplatio, septima insuperatio. De quibus dictum est supra sermone 4. cap. 1. quæ possunt B. Francisco faciliter adaptari.

Amans transformatur in amatum.

Cant. 8.

Septem flammæ amoris Francisci exprimuntur.

Quod triplici virtute consecutus est beatus Franciscus illa sacra stigmata in corpore suo.

Cap. II.

Perfectissima vnitas Beati Francisci cum Christo.

SEcundo prædicta Stigmata indicant beati Francisci cum Christo perfectissimam vnitatem, & conformitatem. Tanto enim ardore flammescebat B. Franciscus ad amorosum letum, quod triplici virtute erupit Spiritus sancti ignis in lampades flammarum, per quinque corporis eius aperturas. Primo virtute imaginationis dispositiuæ, secundo virtute admirationis dispositiuæ, tertio virtute dilectionis vnitiuæ, perfectiuæ, & transformatiuæ. Primo inquam virtute imaginationis dispositiuæ. Nam secundum mundi sapientes imaginata fortissime contingit, quod quandoque euenire solet. Multum quippe sequitur corpus animam in actionibus suis. Propterea continua imaginatio passionis Christi, quæ à principio fuit gloriosi Francisci, fuit dispositio magna, vt ad hanc realitatem veniret. Non dico tamen, quod talis imaginatio produxerit hunc effectum, quia talem errorem, & sancta Ecclesia reprobat, & vera ratio confutat, & condemnat. Quia virtute imaginatiua quantumcunque forti, non fit immutatio solidorum neruorum, quemadmodum fuit facta in sacris Stigmatibus Francisci, sicut infra dicetur. Præterea materia fluida, etsi natura, & imaginatione vehementi mutetur, & alteretur, & animæ obediens fiat: tamen vbi materia dura est, imaginationi non patet, secundum sententiam August. 11. de Trini. Item si imaginatio vehemens haberet Stigmata insignire, hoc præ omnibus aliis in B. Virgine contigisset, quæ iuxta crucem de Dominica passione præ omnibus aliis doluit, & afflicta fuit. Quod tamen nec ecclesia, nec aliquis Doctorum affirmat. Multiplices tamen apparitiones crucis, & passionis Christi magnam dispositionem huic mysterio præstiterunt, de quibus aliquas subiungamus.

Quomodo vnitiuus amor in beato Francisco.

Octo sunt crucis apparitiones.

Cap. III.

8 Sunt crucis apparitiones.

PRimo enim ante B. Francisci conuersionem ad Christum, cum militem pauperem se nudato suas induisset vestes: nocte sequenti, cum se sopori dedisset, vidit palatium speciosum & magnum cum militaribus armis crucis signaculo insignitis. Dictumque est ei, tanquam amico crucifixi futuro, quod omnia sua forent, militumque suorum, si vexillum crucis constanter assumeret. Secundo cum adhuc sæcularis esset, frequentaret ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula, fortiterque ploraret, interrogatus à quodam viro spirituali de causa, cur sic fleret amarè. Respondit que, quod Domini Iesu passionem plorabat, pro qua non deberet verecundari, ire plorando per totum mundum, hæc in Legenda trium sociorum habetur. Tertio dum solus sequestratus oraret, apparuit ei Christus, veluti cruci affixus, ad cuius aspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis eius ita medullitus cordis sui visceribus est impressa, vt & plagas dilecti Iesu oculis mentis, quasi iugiter cerneret, & vix exterius à lachrymis & gemitibus se continere valeret. Quarto apparuit ei Christus crucifixus in ecclesia sancti Damiani. Cui oranti de cruce Dominus ait. Francisce, vade, repara domum meam, quæ vt cernis, tota destruitur. Quinto dum frater Siluester adhuc esset præsbyter sæcularis, vidit crucem auream ex ore B. Francisci procedentem, cuius altitudo cœlos tangebat, & brachia eius protendebantur vsque ad terminos vniuersæ terræ. Cuius aspectus præfulgidus draconem teterrimum effugabat. Sexto apud castrum S. Seuerini in Marchia frater Pacificus vidit B. Franciscum duobus ensibus valde fulgentibus mirabiliter decoratum: quorum vnus à capite ad pedes: alter à manu ad manum transuersaliter, per pectus in modum crucis transibat. Septimo vidit idem frater Pacificus crucis signum in fronte B. Francisci, colorum varietate distinctum,

2. apparitio.

3. apparitio.

4. apparitio.

5. apparitio.

6. apparitio.

7. apparitio.

quod faciem eius mirabiliter venustabat. Octauo apud Arelatem, dum de titulo crucis B. Antonius prædicaret in Capitulo, vidit frater Munaldus B. Franciscum in forma crucifixi ad ostium Capituli fratribus benedicentem, cum ipse B. Pater tunc ageret in remotis. Porrò bene seruabat beatus Franciscus, quod ei à Domino Exod. 13. dictum est: *Erit quasi signum in manu tua*, id est pœnitentiæ tuæ virtus, & crux quæ consistit in gaudio, atque pœna erit quasi signum futurorum. Et sequitur. *Et quasi appensum*, qui ob recordationem ante oculos erit, scilicet crucifixus Iesus. Vt sicut, quod ante oculos pendet, obliuioni minime tradi potest: sic nec passio Christi à te iugiter meditata. Dicit enim propheta in persona eius. *Proponebam Dominum*, scilicet crucifixum *in conspectu meo semper*. Hæc octo testimonia credibilia facta sunt nimis, testimonium præstant huic nonæ apparitioni, quando ei Christus impressit sacra stigmata: & huic tanquam dispositiones præambulæ congruè præcesserunt. Sicut ergo Dominus Bonauent. in maiori Legenda ait: Christus Iesus crucifixus intra mentis B Francisci vbera, vt myrrhæ fasciculus mirabiliter, atque iugiter morabatur, in quem optabat per excessiuum amoris incendium totaliter transformari. Proinde crucis mysterium magnum, & mirum, in quo charismata gratiarum, & merita virtutum, & thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei, tam alta profunditate velantur; vt à mundi sapientibus, & prudentibus sit occultum: tam plene fuit huic pauperculo reuelatum, vt omnis vita ipsius nonnisi Christi dulcedinem saperet, & non nisi gloriam crucis prædicaret.

8. Apparitio · *Exod. 13.* · *Psal. 15.*

De apparitione Seraph.

CAP. IV.

De apparitione Seraph.

SEcundo hæc Stigmata B. Francisco impressa fuerunt, virtute admirationis promotiuæ. Oues quippe Iacob in aspectu virgarum, varios fœtus parturierunt. Apparuit enim ei Iesus in specie Seraph. Nam sicut recitat Bonauent. cum esset B. Franciscus in loco excelso, qui dicitur mons Aluernæ, & in eius parte occidentali, mane in aurora, circa festum exaltationis S. Crucis, cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Dum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, & affectus compassiua teneritudine in eum transformaretur: cui ex charitate nimia crucifigi complacuit, in latere montis orans, vidit quasi speciem vnius Seraph. sex alas tam fulgidas quasi ignitas de cœlorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perueniens, non solum alatus, sed etiam crucifixus apparuit. Manus quidem, & pedes habens extensos, & crucifixos, alas vero sic miro modo hinc inde dispositas, vt duas super caput erigeret: duas ad volandum extenderet, duabus vero reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hæc videns vehementer obstupuit, mixtumque dolore gaudium mens eius incurrit, dum, & in gratioso aspectu sibi, tam mirabiliter, quam familiariter apparentis excessiuam quandam concipiebat lætitiam, & dira conspectu crucis affixio, ipsius animam compassiui doloris gladius pertransibat. Intellexit siquidem illo docente interius, qui apparebat exterius. Quod licet passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conueniret: ideo tamen huiusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, vt amicus ipse Christi prænoscceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Iesu crucifixi expressam similitudinem transformandum.

Quando impressa fuerit ea Stigmata.

Mysterium sex alarum gloriosi Seraph.

CAP. V.

SPlendor alarum indicat radiosam illuminationem intellectus gloriosi Francisci. Ignitura vero earum alarum, ignitionem cordis, & affectus illius apertè demonstrat. Sex alæ mysticum habent in Francisco significatum. Vnde duæ primæ respectu Dei, sunt aspectus veritatis, & haustus charitatis: duæ respectu proximi, sunt vis illuminatiua, & vis inflammatiua: duæ respectu sui, sunt innocentia, & iustitia, seu custodia, & diligentia, quæ omnia fuerunt in B. Francisco. Sed quia totus ardor Spiritus sancti in æternum diffundendus super humanam naturam de ardore crucis, & de immensurabilis Christi amoris plagis originem habet: ideo inter alas splendidas, & ignitas istius Seraph. Christi crucifixio ostenta est. Horum igitur mirabilium admiratione suspensus beatus Franciscus, totus promouebatur, vt eius Seraph figuraretur effigie.

Mystica significata 6. alarum in Francisco.

Vis triplex diuini amoris.

CAP. VI.

TErtio fuerunt impressa hæc Stigmata virtute dilectionis perfectiuæ, votiuæ, & transformatiuæ. Habet diuinus amor, & ardor vim triplicem in suo effectu. Primo enim habet vim liquefactiuam. Ideo tanta fuit ardens charitas B. Francisci ad Christum crucifixum Iesum, quod igneus Iesus scintillans diuinitate, & candescens flammea charitate, & humana facie apparente supra cor, & corpus illius, tam flammeum ignem, & vigorosum effudit, quod factum est cor eius, tanquam cera liquescens. Secundo amor ille habet vim figuratiuam ad modum ceræ fluentis in sculpturam sigilli: ideo B. Franciscus tali liquefactus ardore mente, & carne, totus defluxit intra sculpturam vulneris apparentis Iesu, & amans in amatum per vim huius amoris transformatus est. Proinde tota Trinitas per Christum ait illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: quia imaginem suæ passionis impressit in corpore, & similitudinem impressit menti.

Quomodo sunt impressa hæc Stigmata. · *Vis amoris diuini.*

Tertio vero amor ille habet vim resolutiuam atque depascens terrestrem materiam, semper tendit ad summa: ideo talis amor cor Beati Francisci depascens, & carnem illius incendens, eam inflammando crucifixo configurauit. Atque completum fuit in illo, quod antea affectuosissime postulabat, dicens: Absorbeat, quæso Domine, mentem meam ab omnibus, quæ sub cœlo sunt ignita, & melliflua vis tui amoris: vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Vnde iam cum Apostolo ad Galat. 2. dicere poterit. *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* Et illud ad Galat. vlt. *De cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto, gratia Domini nostri Iesu Christi.* Quod quidem verbum Papa Nicolaus III. in declaratione regulæ nostræ, vt habetur extra de verbo. signi. c. Exiit, qui seminat lib. 6. de Francisco intelligit esse dictum: cum nec Paulus, nec alius Sanctus auctoritate ecclesiæ legatur in corpore suo portasse Stigmata hæc sacra. Merito ergo dicere poterat cum Propheta: *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum.*

Amor habet vim resolutiuam. · *Galat. 2.* · *Gal. vlt.* · *Psal. 72.*

De triplici Stigmatum dignitate & quæ sit illa.

CAP. VII.

TErtio vero hæc sacra Stigmata ex parte beati Francisci indicant sublimissimam dignitatem. Triplex est enim dignitas Stigmatum eius. Prima est ipsorum Stigmatum formatio, secunda miraculorum multiplicatio, tertia priuilegiorum admiratio.

1. dignitas Stigmatum Beati Francisci. Prima vero dignitas ipsorum stigmatum est eorum formatio. Ait enim Dominus Bonauen. in legenda Minorum, quod post Seraphicam apparitionem, sicut dictum est, disparens visio post arcanum, & familiare colloquium, mentem ipsius Seraphico interius inflammauit ardore, carnem vero crucifixo conformi exterius insigniuit effigie, tanquàm si ad ignis liquefactiuam virtutem sigillatiua esset impressio subsecuta. Statim nanque in manibus eius, & pedibus apparere cœperunt signa clauorum, ipsorumque capitibus in interiori parte manuum, superiorum pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex aduerso. Erantque clauorum capita *Mira de Stigmatibus.* in manibus, & pedibus rotunda, & nigra: ipsa vero acumina oblonga, retorta, & repercussa: quæ de ipsa carne surgentia, carnem reliquam excedebant. Sic quidem repercussio ipsa clauorum sub pedibus, adeo eminens erat, & extra protensa: vt non solum plantas solo libere applicari non sineret, verum etiam intra curuationem arcualem ipsorum acuminum faciliter immitti valeret digitus manus, sicut, & ab eis ipse accepi, qui oculis propriis conspexerunt. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam, & femoralia in tanta copia respergebat, vt postmodum fratres ea lauantes pro tempore aduerterent, quod sicut manibus, & pedibus, sic & in latere famulus Christi expresse haberet impressam similitudinem crucifixi. Hæc ille.

De duodecim miraculis Stigmatum beati Francisci.

CAP. VIII.

2. dignitas illius Stigmatum. SEcunda dignitas Stigmatum B. Francisci est miraculorum multiplicatio. Ex antedictis Bona. duodecim miracula in Stigmatibus B. Franc. notari, & numerari possunt. Primum miraculum est, quia non tantum manus, & pedes apparuerunt perforati, sed etiam conclauati: quia in eis claui apparuerunt. Secundum, quia capita clauorum erant rotunda, & nigra ad instar ferri: cum tamen carni, & neruis similes, in quibus, vel ex quibus extiterunt, esse debuerunt. Tertium, quia ipsa clauorum acumina erant oblonga, retorta, & repercussa: cum nec incus, nec malleus fuerint ibi, sed tantum ignis Spiritus sancti, & malleus Christi omnipotentis. Quartum, quia prædicti claui, sicut ex præcedentibus colligi potest, fuerunt à manibus Christi fabricati, vel de subiecto propriæ carnis B. Francisci, aut de materia nouæ creationis, quemadmodum attestatur Papa Alexand. IV. in priuilegio de stigmatibus sacris. Si quis haberet de vera veste Domini nostri Iesu Christi, qua. s. sacrum illud fuit contectum corpus, atque de hoc certus esset: aut haberet aliquid, quod manus beatæ Virginis fabricauerunt, vel saltem contrectauerunt, vel haberet aliquid simile: magnum se habere thesaurum æstimaret, atque multo veneraretur obsequio, & deuotione, cum sæpius talia impendantur multis reliquiis, & Christi, & Beatæ Virginis aliorumque Sanctorum, de quibus nulla certitudo habetur: quanto igitur maior deuotio atque veneratio adhibenda est reliquiis, quæ non tantum tetigerunt sacratissimum corpus Christi: sed à sanctissimis manibus suis factæ, seu creatæ sunt? Quæ quidem, sicut ex prædictis patet, fuerunt claui Stigmatum B. Francisci: quos ipsemet propriis manibus creauit, & fabricauit, sicut attestatur Alex. 4. Papa prædictus. Nec recolo me legisse, nec reperisse aliquid immediatè fabricatum à manibus Iesu Christi, quod ab ecclesia fuerit approbatum, nisi hos clauos, & Stigmata hæc sacra. Quintum est, quia in loco ossoso, & neruoso, non in molli, hæc Stigmata: quod non potest vehementi imaginationi attribui, sed miraculo Dei, sicut ex præcedentibus patet. *Quintum* Sextum, quia claui pedum atque manuum, cum essent neruei seu carnei: tamen quasi ad instar ferri erant duri, solidi, atque fortes. *Sextum.* Septimum, quia claui non erant breues, tantum capita, & acumina habentes: sed erant longi, vtpote transeuntes manus, & pedes, & ad partem aliam resultantes. *Septimum.* Octauum, quia claui taliter recuruabantur à parte exteriori: qui vero in pedibus in partibus inferioribus. Hæc autem recuruatio taliter in pedibus eminens erat, quod intra arcualem curuationem ipsorum digitus immitti valebat. *Octauum.* Nonum, quia dextrum latus quasi lancea transfixum, & apertum rubra cicatrice obductum erat. *Nonum.* Decimum, quia lateris plaga sæpe sanguinem sacrum effundendo, tunicam, & femoralia in tanta copia respargebat, quod ea lauari necesse erat. *Decimum.* Vndecimum, quia laterale vulnus tanto tempore non putrefiebat. *Vndecimum.* Duodecimum quia per biennium cum aperto latere supra naturam beatus Franciscus vixit. *Duodecimū.*

De duodecim priuilegiis Stigmatum beati Francisci.

CAP. IX.

TErtia dignitas horum sacrorum Stigmatum est priuilegiorum admiratio. Duodecim nempe sunt priuilegia, quibus exornatus est B. Franciscus, cum adeptus est hæc sacra Stigmata. *12. priuilegia stigmatum B. Francisci.* Primum dicitur sanctificatio, secundum multiplicatio, tertium suppressio, quartum confirmatio, quintum assimilatio, sextum consolatio, septimum martyrizatio, octauum perfectio, nonum canonizatio, decimum exaltatio, vndecimum honoratio, duodecimum glorificatio. *1. sanctificatio.* Primum priuilegium dicitur sanctificatio, quia in hac stigmatizatione ita per Spiritum sanctum sanctificatus est, vt more Apostolorum vlterius mortaliter non peccaret: enim talis transformatio animæ & corporis atque talis stigmatizatio, quæ in eo perseuerauit vsque ad mortem, cum mortali culpa videretur non posse stare.

2. multiplicatio. Secundum est multiplicatio. Credo enim, quod tunc copiosior gratia ei multiplicata sit, quam antea haberet: eo quod forte gratia præuia ad talem, & tantam transformationem sufficiens non fuisset quemadmodum dicunt Doctores de B. Virgine, quod ante verbi incarnationem erat gratia plena. Licet ergo illa sufficeret pro eius sanctificatione: tamen non sufficiens erat pro æterni Verbi incarnatione. Proinde secunda sanctificatio illi tradita est, quæ pro tanto mysterio sufficiebat: sic & de beato Francisco in proposito dici potest.

3. suppressio. Tertium fuit suppressio, quia per gratiam fomes peccati in eo suppressus est. Vnde deuotum, & probabile est, credere, quod Seraphica manus Iesu tunc illam carnem purgauit ab omni rebellione, quod ex tunc nihil habuit impellens ad malum: & habuit illum incitans ad omne bonum, & maxime considerata eius cum Deo vnione, & adhæsione, quæ cum Deo vnus spiritus factus erat, ac per consequens fomes in eo suppressus, & sopitus fuit. Ait

1. Cor. 6. enim Apost. 1. Cor. 6. *Qui adheret Deo, unus spiritus est cum eo.*

4. confirmatio. Luc. 10. Quartum est confirmatio : sic scilicet quod à gratia nunquam caderet. Nam & Magdalenæ, Luc. 10. dictum est: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Pie propterea credi potest, quod per hoc signaculum Dei viui sanctissimus Pater accepit arrham permanendi in gratia, & spem beatitudinis æternæ, cum iam per reuelationem antea habuisset, quod ei Dominus dederat remissionem peccatorum.

5. assimilatio. Quintum est assimilatio, siue expressio. Per hanc quidem stigmatizationem facta est in eo similitudo, & expressiua forma crucifixi Iesu, cuius passio in suis membris fuit in ipso Iesu impressa, quasi tota Trinitas in hoc mysterio per Iesum dixerat illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, eò quòd imaginem passionis suæ impressit in eius corpore, & similitudinem figurauit in eius mente.

6. consolatio Sextum est consolatio. Cum enim mentalis, & corporalis crux Christi, haberet longitudinem gaudij, & latitudinem doloris, quia dolebat, & gaudebat pro Dei voluntate, & pro nostra redemptione, quæ erant quasi duo ligna, & amor erat quasi connectens clauus, vnde primia duo originem attrahebant: propterea hanc passionem, & crucem communicante Christo glorioso Francisco, necesse fuit ei, hæc etiam sentire, & in ea totaliter transformari. Proinde triplicem sensum de cruce Christi experiebatur, scilicet doloris, & gaudij, iuxta quantitatem, & proportionem diuini amoris. Ad quæ sentienda illum, & omnes alios hortabatur Apostolus, dicens ad Philip. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & est in Christo Iesu.*

Triplicem sensum de cruce habuit Franciscus

Gen. 1.

Phill. 2.

7. martyrizatio. Septimum est martyrizatio, quod ex præcedenti originem habet. Porro acerbissimus fuit dolor mentalis, & pœna corporalis passionis Christi Mentalem quippe gerens dolorem passionis Christi per compassiuam transformationem; antequam Stigmata illa sacra susceperit per biennium, id est vsque ad mortem tam mente, quam carne in continuo martyrio vitam duxit. Merito ergo Exo. 15. c. in mysterio de B. Francisco dictum est: *Quis similis tui in fortibus Domine*, id est inter alios Sanctos? *quis similis tui*, scil. in dolore mentali, & pœna corporali, & Stigmatibus sacris, scilicet nisi gloriosus Franciscus, qui est *magnificus in sanctitate, terribilis*, scil. dæmonibus propter Stigmata sua, *atque laudabilis*, sc. Angelis, & hominibus, *& faciens mirabilia*? Octauum est perfectio. Fuerunt nempe hæc Stigmata, signa summæ perfectionis in eius anima, & carne. Speculum enim inaculatum, atque turbata aqua, siue lutosa, non reddunt speciem, sicut politum speculum, & aqua purissima, & quieta. O quam perfecte redderet speculum figuram oppositam, quando tantæ virtutis esset, quod etiam ex parte plumbi decoram redderet speciem atque claram, quemadmodum faceret ex parte vitri. Vitri similitudinem tenebat anima gloriosi Francisci, plumbi autem caro. Quantus igitur perfectionis decor fuit in eius anima ad reddendam imaginem crucifixi, quando & in eius carne sic sculpta refulgebat figura redemptoris nostri? Quippe inæstimabile signum perfectionis eius fuit figuratio talis, hanc similitudinem euaporans in eius carne. Nam ad tantam sinceritatem mentis, & munditiam carnis deductus est, vt iam videretur statû innocentiæ assecutus. Nam legitur in legenda sua, quasi creaturis omnibus etiam insensibilibus imperasse; vt in hoc gradu innocentiam excedat naturæ. Nam ignis suum temperauit ardorem, & aer in nocte clara præbuit lucem, & aqua suum mutauit saporem, & petra sicca sapidum reddidit fontem. Et sic innocenti Francisco omnia probantur elementa parere, & obedire.

Exod. 15.

8. perfectio.

Nonum est canonizatio, & à Deo approbatio. Nam hæc sacra stigmatizatio beati Francisci, sanctitatis eius approbatio, & authenticatio fuit per bullam crucifixi viuentis. Quod declarantes plures summi pontifices, diuersis priuilegiis hæc confirmauerunt. Quorum primus fuit Greg. 9. qui B. Franc. catalogo Sanctorum non solùm ascripsit, verum etiam de stigmatibus eius plures bullas confecit. Prima incipit, Confessor Domini gloriosus: Secundam vero scripsit contra quosdam oblocutores, & impugnatores stigmatum prædictorum, & incipit, vsque ad terminos orbis terræ præsumptionis tox signa prætendent, &c. Secundus Papa fuit Alex. 4. qui de præfatis stigmatibus tres bullas fecit, Prima incipit, Grande & singolare miraculum. Secunda incipit, Benigne diuinæ operatio voluntatis. Tertia incipit, Si nouæ lætitiæ militantis Ecclesiæ. Præfati igitur summi Pontifices asserunt in priuilegiis antedictis stigmata non solum oculis aspexisse, sed etiam fide dignissimis testibus approbasse. Tertius fuit Papa Nicolaus III. qui bullam prædicti Greg. approbauit. Secundo quoque in declaratione nostræ regulæ, extra de verb. sig. l. 6. c. Exiit, qui seminat, &c. sicut supra in fine primi articuli dictum est, idê patet. Quartus fuit Papa Benedictus, qui bullam ordini dedit, quod festum de stigmatibus celebraretur. Ex his patet, quod solemnis, & authentica sit canonizatio gloriosi Francisci, & stigmatum eius. Nonum canonizatio.

Decimum priuilegium est exaltatio. Nam ex stigmatizatione factus est cancellarius Iesu Christi, tenens sigillum, *id est signum Dei viui*, Apoc. 7. quo præseruantur electi ab ira Dei, Ezech. 9. Factus est etiam legatus, & vexillifer summi Regis, Vnde Gregorius in prosa, quam fecit de landibus beati Francisci, quæ incipit, Caput draconis, sic ait. Decimum exaltatio. Apoc. 7. Ezech. 9.

Verum de Christi latere,
Nouus legatus mittitur:
In cuius sacro corpore,
Vexillum crucis cernitur:
Franciscus Princeps inclytus,
Signum regale baiulat

Scilicet, tanquam Dux nouæ militiæ Iesu Christi. Profecto strenuissimos milites faciunt prouidi Reges in bellis periculosis regalia insignia baiulare. Quia igitur Franciscus summi regis Iesu signum, quod gestanit in corpore singulari præualuit probitate firmum. Ait enim Apost. 1. Tim. 1. *Firmamentum Dei stat habens signaculum hoc.* Stetit ergo Franciscus in bello tentationis in modum firmissimi fundamenti. Nonne vt renouatum fundamentum ædificium Ecclesiæ stabiliuit: quemadmodum per visionem Domini Innocentij comprobatur. Primû quippe fundamentû est ipse Euangelicæ nostræ religionis. Hoc fundamentû humilitas profundauit, patientia conquadrauit, paupertas exterfit, charitas cæmentauit. Oratio, & contemplatio in fabricam erexit, *leuate* inquit Hier. 4. *signum in Sion.* Sion speculans, & reformans vitam Iesu Christi, fuit anima gloriosi Francisci: vbi sicut in altiori loco Christus vexillum suæ crucis locauit: qui licet sit eminentior situ, & euidentior visu: non tamen est periculosior casu. Nam idem est altum, quod profundum: quia, vt dicitur Luc. 9. *qui se humiliat, exaltabitur.* Et vbi humilitas, ibi Christiana sapientia est. Vndecimum priuilegium est honoratio. Profecto stigmata hæc fuerunt in B. Francisco insignia subtilissimæ dignitatis atque honoris. O quantus honor eisdem vestibus, cum Iesu cœli rege vestiri. Vnde meritò conuenit ei, quod Eccles. 45. dicitur, *Corona aurea*

1. Tim. 2. Hierem. 4. Luc. 9. Vndecimum honoratio.

super

super caput eius expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, & opus virtutis, desiderio oculorum ornata. Duodecimum priuilegium est glorificatio. Nam sicut B. Franciscus fuit vexillifer I. Christi in Ecclesia Militante: sic post resurrectionem, secundum Doctores, remanentibus in corpore suo prædictis signis, vexillifer erit in Ecclesia Triumphante.

Duodecimum glorificatio.

ARTICVLVS TERTIVS,

De triplici perfectione, atque de triplici parte Euangelica perfectionis, qua omnia in B. Francisco fuerunt in exemplum nostri.

Tertium mysterium in his stigmatibus.

TErtium mysterium considerandum est, videlicet quid hæc sacra stigmata enuncient ex parte nostri. Profecto hoc indubitata fide tenendum est, quod in his stigmatibus sacris, hæc tria inducentia ad imitationem Euangelicæ perfectionis, & cruciformis configurationis ad Christum Iesum refulgent, scilicet ardor charitatis, & etiam splendor veritatis, & vigor potestatis ac strenuitatis.

Primo quidem, quia in eis refulget ardor charitatis: habent tepidi inflammari. Ad inflammandum quippe humanas mentes ad honorem Iesu dilectoris nostri pro nobis crucifixi & mortui pinguntur cruces mortuæ, & per peccatorum manus sæpius fabricatæ, etsi lapideæ sunt, inflammant tamen humana corda ob memoriam Christi passi: quantomagis mouere, & inflammare debet corda humana imago viua, sanctificata, flammea, in carne S. Francisci sculpta digito Dei viui. O ad quantam deuotionem accenderet videre, & tangere minimum opus, quod manibus suis sacris fecisset, aut tetigisset beata Virgo ac benedictus Iesus Christus: quantomagis id sublime opus, quod ad totius mundi inflammationem, sic sapienter sic ardenter, & sic mirabiliter fecit, sculpsit, figurauit, & inflammauit, & consecrauit in ipso corpore B Francisci?

Secundo quia refulget splendor veritatis.

Secundo, quia refulget in eis ad supradicta splendor veritatis, habent deuios exemplariter dirigere, & illuminare. Plus enim mouent facta, quam verba, atque opera credibiliora sermonibus sunt. Proinde facto, non tantum verbo direxit Dominus deuios à via crucis, cum stigmata beato Francisco impressit. In compitis quippe viarum eriguntur cruces, vt via regia cognoscatur, ne ab ipsa vllatenus deuietur: sic etiam statuit Deus stigmata beati Francisci, vt palam monstraret quod vita, quam ipse docuit, & exemplo monstrauit, perfecte conformis erat vitæ crucifixi Iesu, quia oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, Luc. 24.

Tertio quia in eis refulget vigor strenuitatis.

Tertio vero, quia in eis refulget vigor strenuitatis, & potestatis: habet timidos animare, & confortare ad ipsam euangelicam, & cruciformem perfectionem. Porrò transeuntes peregrè per barbaras nationes, confidunt quando deferunt litteras salui conductus. Profecto nunc in carne beati Francisci vitam, quam ipse docuit seruauit. Sigillasti bone Iesu, & ipso intrepide præcedente deduxisti populum tuum præcedens in columnia ignis, & nubis, & faciens prodigia, & signa, & mirabilia solus. Sed iam veniamus ad ipsam euangelicam perfectionem, quam beatus Franciscus seruauit, & in cuius testimonium ipsum Iesus Christus suis stigmatibus sigillauit. Sciendum igitur est, quod radix, forma, finis, complementum, & vinculum perfectionis, charitas est: ad quam magister omnium Iesus Christus, legem prophetas, & per consequens vniuersa Dei documenta reduxit.

Triplex charitatis status.

Triplex est charitatis status. Charitas ergo ipsa triplicem habet statum. Vnum quippe infimum in obseruantia legalium mandatorum: Secundum vero medium, qui consistit in adimpletione spiritualium consiliorum: Tertium supremum sempiternalium iucunditatum, & consolationum. Triplex est perfectio. Proinde distingui potest triplex differentia perfectionis, quæ reperitur in Scriptura sacra. Prima quidem necessitatis, secunda supererogationis, tertia vero vltimatæ plenitudinis. Prima inquam est perfectio necessitatis. Vnde Deut. 18. dicitur, *Perfectus eris, & absque macula coram Domino Deo tuo.* Glo. absque macula criminali. Vnde Prosper de vita contemplatiua ait: Perfecti sunt, qui volendo, quod Deus vult, nullis peccatis, quibus offenditur, acquiescunt. Secunda vero est perfectio supererogationis: de qua Matth. 19. Dominus ait: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Et de hac Hieron ad Heliodorum inquit: Perfectus seruus Christi nihil præter Christum habet: aut si aliquid præter ipsum habet, perfectus non est. Tertia vero perfectio est vltimatæ plenitudinis. Vnde ait Sapiens, Pro. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens crescit, & procedit vsque ad perfectum diem,* id est diuinæ visionis fulgidam claritatem. Et de hac ait August. soliloquiorum. 1. Vere perfecta virtus est ratio perueniens vsque ad finem, quam beata vita consequitur. Prima igitur, & secunda perfectio à tertia differunt, sicut meritum differt à præmio. Media quoque differt à prima, sicut distinguitur consilium à præcepto. Hæc omnia fuerunt in beato Francisco, vt patet ex eius legenda. Omnia vero tam præcepta, quam consilia referuntur ad charitatis illius impletionem & obseruantiam, quam 1. Tim. 1. sic describit Apost. dicens: *Charitas est finis præcepti de corde puro, conscientia recta, & fide non ficta.* In quibus verbis insinuat triplicem charitatis actum. Primo declinare mala, secundo prosequi bona, tertio patienter tollere aduersa. Nam primo propter declinationem malorum dicitur, de corde puro. Secundo propter prosecutionem bonorum dicitur, de conscientia bona. Tertio vero propter aduersorum tolerantiam subditur, de fide non ficta, id est non fictili, & fragili, sed contra aduersa forti. Et potest esse thema, cum quis loquitur de euangelica perfectione. Quia vero hic triplex charitatis actus duobus modis ab habitu virtutis egreditur: vel secundum legem præcepti, & obligationis necessariæ, vel vniuersalis: vel secundum legem consilij, & obligationis spontaneæ, & spiritualis, & sequens includit primum, & superaddit quātum possibilitas viatoris admittit. Hinc est, quod secundum cum primo dicitur perfectum, respectu tamen secundi dicitur imperfectum. Vnde Amb. l. 1. de offi. ait: Officium omne aut medium, aut perfectum est, quod quidem scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus enim in euangelio, dixisse Dominum, *si vis ad vitam ingred, serua mandata:* Non homicidium facies, non adulterabis: hæc media sunt officia, quibus aliquid deest. Ideo sequitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me. Hoc est igitur perfectum officium, quod Græci catorthoma vocant, quo corriguntur omnia, quæ aliquos poterunt habere lapsus. Hæc ille. Cum igitur de perfectione euangelica loquimur secundum communem acceptionem, de hac media loqui intendimus. Ex dictis igitur colligi potest, quod euangelica perfectio est conformitas viatoris ad Christum per illum virtutis habitum, quo supererogatiue declinantur mala, efficiuntur bona, sufferuntur aduersa. Ex his namque tribus tres partes euangelicæ perfectionis consistunt, quas perfecte consecutus est beatus Franciscus. In huius mysterium Christus consignauit eum stigmatibus sacris, in testimonium consummatæ imitationis, & perfectionis euangelicæ.

Deut. 18.

Matt. 19.

Quod in tribus consistit pars prima euangelica perfectionis,

C A P. I.

PRima pars perfectionis est declinare mala. Quia Apost. vbi supra ait, *Finis precepti est charitas de corde puro.* Porro cum ex conuersione deordinata ad triplex commutabile bonum, scilicet exterius, inferius, & interius omne peccatum originem trahit, secundum concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis, & superbiam vitæ, & hæc tria vitari habeant non solum quantum ad actum, atque consensum, quod fit per virtutes illis oppositas, verum etiam quantum ad occasionem, & hoc quidem fit promotiuum iu merito, & expediens ad salutem. Perfectionis magister Iesus ad perfectè declinandum concupiscentiam oculorum consulit, quod hæc omnia temporalia relinquantur, iuxta prællegatum Matth. verbum, *si vis perfectus esse*, vt supra. Ad perfecte declinandum concupiscentiam carnis edocet, quod omnis experientia vel concupiscentia secundum actum generatiuæ potentiæ abscindatur. Proinde

Matth. 19. Mat. 19. dicitur; *Sunt eunuchi, qui castrauerunt se propter regnum cælorum: qui potest capere capiat.* Ad perfecte vero declinandum superbiam vitæ suadet,

Matth. 16. quod voluntas abnegetur, iuxta illud Matth. 16. *qui vult uenire post me abneget se, &c* In hac igitur triplici supererogatiua declinatione triformis originis omnis mali partem primam Euangelicæ perfectionis consistere, & sacra Scriptura insinuat, & veri Doctores astruunt, & sancti Patres religionum institutores affirmant.

Quod euangelica perfectionis secunda pars in duobus consistit.

C A P. II.

Secunda pars euangelica perfectionis, qua in duobus consistit.

SEcunda perfectionis pars consistit in supererogatiua prosecutione bonorum, quæ secundum duplicem vitam, scilicet actiuam, & contemplatiuam, in duobus consistit. Primo quidem in condescensione ad proximum, secundo in sursum actione mentis in Deum. Primo quidem in condescensione ad proximum. Hæc autem supererogatiua condescensio charitatis ad proximum, in hoc consistit, secundum quod iustitiæ legem, & misericordiæ amoris signa, & beneficia non solum ad amicos, verum etiam ad inimicos benignitate largiflua protendatur,

Matth. 5. secundum illud Matth. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, & estote perfecti, sicut pater vester perfectus est* Secundo autem per hunc modum supererogatiua sursum actio mentis in Deum in hoc attenditur, vt secundum legem mentalis munditiæ atque pacis per amorem extaticum in diuinos splendores, & ardores, sactum mens deuota sentiat, & patiatur excessum, secundum illud Apost. 2. Cor

2. Cor. 5. *Sine mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis: charitas enim Christi urget nos.* Et ad Hebr. 5.

Hebr. 5. *Perfectorum est solidus cibus: eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.*

De iucunda aduersorum perpessione in qua euangelica perfectio consummatur.

C A P. III.

Tertia Euangelica perfectio in quo consistit.

TErtia denique perfectio euangelica consistit in supererogatiua perpessione aduersi. Hoc quidem attenditur non solum in hoc vt quis patienter aduersa perferat: cum sic superueniunt, quod secundum legem Dei declinari non possunt, quoniam ad hoc tenentur: verum etiam, vt ex feruore diuini amoris illa propter desiderio magno, & cum gaudio magno sustineat illa, secundum illud Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Et post: *patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nulo deficientes.* Hæc namque

Iacob. 1.

est consummatio perfectionis & charitatis, iuxta illud Ioan. 1, *Perfecta charitas foras mittit timorem.* De arca spiritualis perfectionis.

Ioan. 1.

Secundum hoc igitur arca spiritualis perfectionis, cum sit inferius tricamerata, & bicamerata, in bicubito consummatur. Hoc sane perfectionis arcanum Saluator, & magister noster exemplo monstrauit in seipso, tanquam in monte sublimi: qui totus est splendor perfectionis, speculum, & exemplar: iuxta quod ipse testatur Luc. 6. dicens: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Proinde in huius significationem, cum hanc perfectionem Apostolos docere voluit, vt dicitur Mat. 5. in montem conscendit non turbas imperfectas alloquens, sed suos discipulos, quos ad culmen perfectionis exaltarē decreuerat. Et propterea ordinatissime octo beatitudines eos docet. Nam primo dicens, *Beati pauperes spiritu:* inuitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum. Secundo addens, *Beati mites*, inducit ad abnegationem propriarum voluntatum, & sensuum: quibus quis inimitis, & proteruus efficitur. Tertio subdens, *Beati qui lugent*: incitat ad perfectam carnalium voluptatum detestationem. Dehinc subiungens, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, & beati misericordes*: attrahit ad iustam, & piam condescensionem proximorum, & supportationem. Post hæc subiongens, *mundo corde, & beati pacifici*: allicit ad sursum actionem limpidam in intellectu, & tranquillam, & pacificam in affectu: quibus anima perfecti viri Hierusalem conformis efficitur, quæ visio pacis interpretatur. Tandem concludens, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum:* quasi circulum faciens ad principium redit, quia in hoc vna summa completur vniuersorum. Ac per hoc seminaria pefectio minoris mundi in esse reparationis, & gratiæ, directè correspondet senariæ productioni mundialis machinæ in esse naturæ. Vnde sicut illorum tria prima pertinent ad distinctionem, tria sequentia ad ornatum: sic & in his tria prima quasi distinguendo separant animæ vires ab vniuersitate malorum, vt habeat esse purum, & distinctum: tria sequentia quasi adornando easdem reducunt in Deum, vt habeat esse decorum, & perfectum, Porro tanta si descendatur ad singula, & tam mira correspondentia ordinis, tantæque similitudinis symbolum, vt illud quod post sex dierum opera dicitur, Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, in anima viri perfecti videatur esse completum: propter quod instar trium primorum operum, quæ sunt mundi fundamenta, & trium sequentium complementa, tria prima cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio. In huius quidem rei testimonium beatus pauperum Patriarcha Franciscus in principio regulæ suæ tria prima proponit, vt vouenda tanquam fundamenta dicens: Regula, & vita fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi S. Euangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Alia vero tria postmodum desideranda commendat, tanquam complementa dicens: Attendant fratres quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini, & sanctam eius operationē: orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & infirmitate, & diligere qui vos persequuntur, reprehendunt, & arguunt. Vbi certè illa tria tangit. Nam præmittit sursum actionem in Deum: Subiungit vltimo condescen

Luc. 6.

Matth. 5.

Quid octo beatitudines docent.

In tolerantia persecutionū quasi summa beatitudinū.

descensionem ad proximum: Et interponit in medio tolerantiam aduersorum. Igitur in tribus primis vir perfectus crucifigitur mundo. Tribus vero sequentibus conformis efficitur Deo: vt quasi sex alis Seraphicis à mundialibus eleuetur, & in diuina feratur. Proinde huic pauperculo S. Francisco, qui perfectionem euangelij perfectè seruauit & docuit in apparitione Seraphica, stigmata sua tanquam sigillum approbatissimum Iesus impressit, vt contra finalium temporum periculosam caliginem manifestum nobis in via perfectionis ostenderet signum, quo reducerentur in Christum perfectæ virtutis exẽplar, & finem, qui cum Patre, & Spiritu sancto benedictus, laudabilis, & sempiternaliter gloriosus, & glorificandus, viuit & regnat cuncta pro suo libito gubernando per infinita sæcula sæculorum.

PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM octo Beatitudines exponi possunt.

Sermo IV.

Psal. 149.
Alia declaratio Beatitudinum.
Septem beatorum societates.

GLoria hæc est omnibus Sanctis eius, Ps. 149. pro festo omnium Sanctorum octo beatitudines exponi possunt, sc. secundum anagogicum intellectum, id est de cœlesti curia & gloria Beatorum: Et ad hoc potest assumi thema, Propheticum illud, *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Ps. 149. Sunt quippe in cœlesti Hierusalem septem Beatorum societates Prima quippe societas sunt spiritus cœlestes, secunda Patriarchæ, tertia Prophetæ, quarta Apostoli, quinta Martyres, sexta Confessores, septima Virgines. Has societates contemplatus est Ioannes in dextera Iesu Christi, Apocalip. 1. Propterea inquit, quod *ille, qui erat similis filio hominis, habebat in dextera sua stellas septem.* Christus siquidem duas manus habere perhibetur, dexteram videlicet & sinistram. De quibus Prou 3. c. scriptum est: *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* Quid enim longitudo dierum in dextera Dei, nisi gloria Beatorum duratura in sempiternum? Quid per sinistram, nisi eius dispositio temporalis, qua etiam malis hominib. gloriam & diuitias tẽporales dispensat? De his etiam manibus, Cant. 2. sponsa ait, *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Læua* quippe Domini Iesu Christi sub capite sponsæ est, cum propter amorem sponsi ecclesia militans temporalia spernit. Dextera vero sponsi eam amplexatur, cum in cœlesti curia ab eo glorificantur prædictæ septem societates, quæ per septem stellas in manu Christi signantur. Vt de Christi dextera verificetur, quod Eccl. 24. cap. scriptum est, *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Possumus igitur contemplari in cœlesti Hierusalem mysticas societates variis signis, seu insigniis distinctas ad similitudinem mundanarum societatum. Nam & Apoc. 7. cap. Ioan. ait, *Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati,* sc. in gloria sempiterna Has igitur societates contemplabatur futuras in cœlesti Hierusalem Propheta, cum ait: *Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Quas mysticè per ordinem contemplemur & nos in euangelio hodierno. Societas prima. Prima societas est spirituum beatorum, & hi sunt domicelli in curia cœlestis Imperatoris. Horum denique signum est paupertas spiritus. Cuius ratio est, quia pauper dicitur, qui parum habet de terrenis, & de substantia mundi huius. Hoc etiam nomen vulgare sonat: Nam *pouer*, quasi *poco hauer*, id est paucas terrenas diuitias possidere. Diuitiæ siquidem temporales terrenæ sunt. Nam aurũ & argentum, & similia, terra diiudicantur. Vnde & qui minus de terrenis habet, & ab eis per affectuum amplius elongatur, magis pauper dici potest. Cum igitur Angeli spiritus sint habitatores cœlorum, nihil terrenum habere probantur. Proinde ipsorum signum, paupertas spiritus merito dici potest. Vnde de eis Dominus ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vel illi pauperes spiritu merentur dici, qui nihil sibi virtutis approprians, vel vsurpant, sed omnia bona attribuunt summo Deo. Quod quidem fecerunt spiritus beati, sicut patet Apoc. 7. c. cum de Deo iam beati gratias agentes dixerunt: *Benedictio, & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.* Aiunt enim, *benedictio*, id est de nihilo opere Dei licet aliquam impie iudicare, quia omnia bene fecit. *Et claritas*, hoc est omnia perfectè intelligit: *& sapientia*, id est omnia sapienter disponit, *& gratiarum actio*, id est omnia gratis dat, *honor*, quia solus bonus. Solum enim honorandum, quod per se bonum est. *Et virtus*, quia omne perficit bonum, *& fortitudo Deo nostro*, quia omne repellit malum *in sæcula sæculorum*, quia circumlocutione in scripturis semper æternitas denotatur, *Amen.* id est fiat. Hæc omnia septem appropriantur soli Deo, sibi autem nihil boni. Contra quæ omnia maligni spiritus affecti sunt. Qui volunt ergo ascendere ad cœlestium spirituum societatem, horreant grauari terrenis bonis, cum graue deorsum tendat, nihilque virtutis & boni cum Angelis sibi approprient, cum secundum Ap. 2. Cor. 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est.* Nam vtique de diuitibus, Matt. 19. c. Dominus ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem,* sc. talem intrare in regnum cœlorum: quia videlicet illud per multa frusta aliquo modo fieri potest, hoc autem fieri impossibile est. Secunda societas. Secunda societas sunt Patriarcharum. Et hi sunt sicut Principes Imperatoris in regno cœlorum. Vnde Propheta inquit, Ps. 46. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Horum siquidem signum mansuetudo est. Nam mansuetus profectò est ille, qui humilis est in prosperis, & patiens in aduersis: & sic fuerunt Patriarchæ Proinde Num. 12. cap. scriptum est de sanctissimo Moyse: *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Et hæc est secunda beatitudo, de qua Dominus ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Qui ergo desiderat esse de hac societate, sequatur Christum, qui Matth. 11. c. ait: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris,* scilicet in prosperis & aduersis. Societas tertia. Tertia societas est Prophetarum, qui sunt secretarij Imperatoris. Hi sunt, qui secreta eius mundo reuelauerunt. Vnde dicitur Propheta, quasi procul fans, secundum ethimologiam. Dicebatur olim Propheta videns, quia Prophetæ videbant, quæ cæteri videre non poterant: & prospiciebant quæ in mysterio aliis abscondita erant. Intelligebant quippe veri Prophetæ, quæ videbant, Vnde Iob. 13. cap. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula.* Quod verbum pertractans Gregorius 11. moral. ait: Cum aliud ostenditur, vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minime est. Vidit namque Pharao per somnium, quæ in Ægypto ventura erant, Gen 41. Sed quia nequiuit intelligere, quod vidit, propheta, scilicet non fuit. Aspexit Balthasar rex articulum manus scribentis in pariete, Dan. 5. sed propheta non fuit quia intellectum rei quam viderat, non accepit. Vt igitur beatus Iob propheticæ spiritum se habere testaretur non solum vidisse & audiuisse sed etiam intellexisse omnia se asseris. Quia igitur isti prophetæ videbãt in spiritu mala, quæ ventura erant super populos sceleratos, lugebant peccata eorum. Vnde Ierem. 9. cap. ait: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos,* scilicet in anima *filiæ populi mei? Quis dabit me in solitudinem diuersorum viatorum*

Apoc. 1.
Prou. 3.
Dextera Dei Sanctorum gloria.
Cant. 2.
Eccl. 24.
Apoc. 7.
Prima societas est spirituum cælestium.
Apoc. 7.
Secunda societas est Patriarcharum.
Psal. 46.
Quis mansuetus.
Num. 12.
Matt. 11.
Tertia societas est Prophetarum.
Iob. 13.
Dan. 5.
Propheta lugent hominum scelera.
Ierem. 9.

&

& derelinquam populum meum, & recedam ab eis: quia omnes adulteri sunt, & cœtus prævaricatorum, & extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis, confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, *& me non cognouerunt, dicit Dominus*. Hoc quoque egerunt multi alij Prophetæ, de quibus tota sacra Scriptura referta est. Et ideo horum signum est luctus, atque de huiusmodi Dominus ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Qui ergo desiderant esse de societate istorum, lugeant peccata & scelera, insaniasque populorum, & flagella, quæ propter illa super eos ventura sunt, & tandem consolabitur eos Deus. Societas quarta. Quarta societas Apostolorum est, qui magni Imperatoris iudices sunt, & etiam assessores, teste Domino, qui Matth. 19. c. hoc eis promisit dicens: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Signum, seu insignia eorum est famelica iustitia. Nam quia totus mundus erat in potestate tyranni, scilicet diaboli qui non erat Dominus naturalis, sed damnabatur iniustè: ideo Apostoli sancti, famelicæ iustitiæ accensi zelo contra idololatriam pugnauerunt, & expulerunt dæmones restituentes dominium mundi suo Domino naturali, scilicet Domino Deo vero. Et de his Dominus ait: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Qui ergo desiderat esse de societate eorum, sit zelator iustitiæ contra ariolationes, & incantationes fallaces, & contra omnia similia, necnon & contra omnes mundi impietates, vt dicere valeas cum Propheta, *Zelus domus tuæ comedit me*. Quinta societas Martyrum est. Et hi milites sunt Imperatoris. Insignia horum sunt misericordia, seu pietas. Et de iis Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Se enim & sua ex misericordia tradiderunt. Nam vt ad fidem traherent eos propria corpora tradiderunt tyrannis, animas Deo, mundi substantiam pauperibus largiti sunt. Vnde gloss. ibidem ait: Misericordia est dare & remittere. Sic fecerunt Martyres sequentes Christum, qui Luc. 23. c. ait: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Qui ergo desiderat esse de societate illorum, sua, vel de suis ex pietate pauperibus tribuat, & se persequentibus hilari corde remittat, sicut Dominus, Luc. 6. ait: *Dimittite & dimittemini*. Societas sexta. Sexta societas est Confessorum. Et ij sunt thesaurarij magni thesauri Christi. Thesaurus quippe Christi sacra Scriptura est repositus in corde mundo. Ipsis quippe credita sunt eloquia Dei propter munditiam cordis eorum, quam qui non habent, habere non possunt sapientiam Christi. Proinde Sap. 1. c. scriptum est: *Probata virtus corripit insipientes: quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corde subdito peccatis*. Horum siquidem signum est munditia cordis. Nam sicut Prou. 22. scriptum est: *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem*. Et merito quidem, Cui enim conuenienter, & libere ostendit se Deus quam ei qui propter amorem suum in se cor mundum seruat: De talibus igitur Dominus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Qui igitur concupiscit fieri de societate istorum, hæc tantummodo duo quærat secundum Bernard. super Cantica. Primum est gloria Dei, secundum est vtilitas proximi, quia *in his duobus tota lex pendet & Prophetæ*. vt dicitur Matth. 22. cap. Societas septima. Septima vero Sanctorum societas est, Virginum beatarum. Et hæ sunt sicut sponsæ Imperatoris. Cui merito congruit integritas virginalis. Nam & Virginem voluit habere in sponsam, & in filij sui matrem. Insignia, seu arma earum est ipsa pax vera. Cuius ratio est, quia per Virginitatem sanctam hæc pax contra pugnam carnis, mundi & diaboli triumphaliter obtinetur. Nam eis deuictis atque prostratis sequitur inter sponsum & sponsam quies & pax, atque tranquillitas vera. Talis pax vinculum est amoris inter sponsum & sponsam. De quo vinculo Gen. 2. mystice Adam ait: *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ & erunt duo in carne vna*. De tali pace Virginum Dominus ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*. Non tantum sponsæ vt sponsæ dicantur propter fœminas virgines vt filij propter mares. Qui amat fieri de societate eorum, amet pacem temporis: seruet pacem pectoris: pugnet pro pace æternitatis, vt possit dicere cum Propheta Psalm. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Hoc est *in pace* pectoris, *dormiam* in præsenti, & in futuro, *requiescam*, id est perfecte quiescam in pace æternitatis, quæ scilicet est pax, in idipsum immutabilis, atque inuariabilis. Pax vero huius temporis non dicitur in idipsum, quia sæpe mutatur & variatur. Quantum nobis largiri dignetur rex pacificus Dominus Iesus Christus, vt per pacem temporis acquiramus pacem pectoris, & per pacem pectoris pertingamus ad pacem æternitatis. In qua gloriosus triumphat cum Patre & Spiritu sancto per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quarta societas est Apostolorũ. — *Quinta societas est Martyrum.* — *Sexta societas est Confessorum.* — *Matth. 22.* — *Septima societas Virginum Beatarum.* — *Genes. 2.* — *Psalm. 4.* — *Pax præsens quomodo differt à futura.*

MONITVM LECTORI.

Conciones de Sanctis in communi reperies plurimas in primo Tomo, quæ præscindi non potuerunt à materia, de qua hoc in loco agebatur, vt hic sedem haberent propriam.

Sermo quinquagesimus sextus est de gloria Beatorum spirituum in regno Dei: diuiditur in tres articulos, quorum quilibet totidem constat capitibus.

Sermo quinquagesimus septimus differit de substantiali & essentiali sanctarum animarum fœlicitate tres articulos, & duodecim continet capita.

Sermo quinquagesimus octauus tractat de gloria consubstantiali corporum beatorum: diuiditur autem in tres articulos, quilibet autem in quatuor capita.

Sermo quinquagesimus nonus agit de gloria accidentali, quæ est in Beatis; complectitur tres articulos, quorum primus quatuor continet capita: quilibet autem duorum sequentium solum tria.

Sermo sexagesimus comprehendit Beatorum varia exercitia, tribus constat articulis, quorum primus & tertius totidem capitibus, secundus autem singularis est.

Si plures alias vis eximias conspicere Conciones de meritis & Sanctorum virtutibus, consule Sermones Aduentuales de vita Christiana, in quibus doctissimè acto Beatitudines Euangelicæ, quibus Sancti fœlicitatem æternam adepti sunt, & cuius nos participes efficiat Deus iustus, & misericors, enucleantur.

Finis Sermonum, & Tractatuum Diui Bernardini de Senis, Ordinis Fratrum Minorum.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

EXODVS.

LEVITICVS.

NVMERI.

12

IVDITH.

IOB.

LIBER PSALMORVM.

In

LIBER PROVERBIORVM.

6. *Mu*

ECCLESIASTES.

CANTICA.

LIBER SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS

IEREMIAS.

Ab

BARVCH

EZECHIEL.

DANIEL.

OSEAS.

IOEL.

AMOS

MICHEAS.

NAHVM.

ABACVC.

ZACHARIAS.

MALACHIAS.

II. MACHAB.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LVCA.

2. *Nunc*

EX IOANNE.

ACTA.

7. Cum

AD ROMANOS

EPISTOLA I.
AD CORINTHIOS

EPISTOLA II. AD CORINTHIOS

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES

AD COLOSSENSES

3. Omne

I. AD TIMOTHEVM.

II. AD TIMOTHEVM.

AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA IACOBI.

I. IOANNIS.

I. PETRI.

Non

II PETRI.

APOCALYPSIS.

INDEX RERVM
MEMORABILIVM
QVÆ IN QVARTO TOMO
DIVI BERNARDINI
CONTINENTVR.

Index rerum memorabilium.

Ascendit

Index rerum memorabilium.

Index rerum memorabilium.

Deus

E

F

G

Iesu

Index rerum memorabilium.

Iustitia

Maria

Orationis

R

S

Scandalum

Index rerum memorabilium.

Spiritus

Index rerum memorabilium.

Z

FINIS.